




6
36
E
24

ACTVS APOSTOLORVM A S. LVCA CONSCRIPTI;

Et in eosdem
Commentarius perpetuus, Deo dante concinnatus
per BARTHOLOMÆVM PETRVM LINTRENSEM,
S. Theol. Doctor. & in Vniuers. Duacensi
Professorem primarium.




Cum Indice copioso.





DVACI,
Typis Viduæ & Hæredum PETRI BORREMANS,
sub signo SS. Apostolorum Petri & Pauli.
M. DC. XXII.

Ex Legato *Cum gratia & Priuilegio.* Illustriss: Cocini.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO P. AC DOMINO D.

ANTONIO DE HENNIN,

EPISCOPO IPRENSI.



ANTA eſt erga hanc Duacenſem Academiam & Ciuitatem, imo in Belgium noſtrum, tuorum (Reuerendiſſime Domine) magnitudo meritorum, vt certatim omnes nos in eiuſmodi benefactorem gratitudinis declarandæ occaſiones, quaſcunque nanciſci poſſimus, cupide arripere debeamus. Nimirum Seminarium illud tuum Henninianum, quod in hac Vniuerſitate, incredibili ſumptu fundaſti, tam amplum, tam magnificum, firmum, commodum; Academiæ quidem & Ciuitati ornamentum eſt ſingulare: Theologorum verò Ordini adeoque eccleſiæ Chriſti Belgicæ, etiam munimen & firmamentum, in ſæcula (Deo bene propitio) duraturum. Nec enim dumtaxat domicilium ſacræ Theologiæ ſtudioſis, in quo ha-

bitarent, exſtruxiſti; ſed ampliſſimos etiam prouentus annuos quibus alerentur, addidiſti; leges item & conſtitutiones, quibus gubernarentur: vt ſuis temporibus, quum iam maturi aptique erunt, ad curas paſtorales, vt ex plantario, transferantur.

SED & priuſquam tibi commoditas eſſet proprium hoc Seminarium extruendi; annos complures in Seminario Regio Duacenſi alumnos tuos ſacræ Theologiæ ſtudioſos, numero apoſtolico, ſub diſciplina optimi & doctiſſimi Præſidis M. N. Guilielmi Eſtij, enutriebas; addito ijs peculiari directore in eodem Seminario commorante, D. Georgio Coluenerio, tunc S. Theol. Licentiato; quem deinde proprio tuo Seminario Præſidem dediſti, abhinc annis ſedecim; quo in munere is hactenus perſeuerat, creatus interea ſacræ Theologiæ Magiſter, & eccleſiæ collegiatæ B. Petri Duacenſis Præpoſitus, eoq; nomine Vniuerſitatis Cancellarius.

QVIBVS ex rebus fit vt ſpeciali quadam neceſſitudine hæc theologica ſchola Reuerendiſſimæ D. tuæ colligata, in omnes opportunitates declarandæ obſeruantiæ debeat eſſe intenta: eo magis quod gratanter meminit, in ſacræ Theologiæ ſtudio honores ſummis proximos, te ita merentem, in ea eſſe conſecutum, ante annos pene quadraginta.

QVO publico teſtimonio ornatus; etſi genere nobilis, & patrimonio ampliſſimo ſupra fidem opulentus; tamen laborioſum paſtorale munus in ciuitate Iprenſi ad D. Nicolai, deferente laudatiſſimo illo primo Iprenſi Epiſcopo D. Martino Rithouio, S. Theol. Louanienſi Doctore, per annos triginta obiuiſti; & ita (Dei gratia præeunte) obiuiſti,

vt

vt quando ſedem Epiſcopalem eius vrbis, deceſſu Reuerendiſſimi Ioannis Viſcherij vacare contingebat, à magno illo Patrefamilias audiueris, *Amice, aſcende ſuperius*; Alberto celeberrimæ memor. Principe noſtro diuinæ prouidentiæ ea in re miniſtro. Qui quanta ſolicitudine, fide, induſtria, diligentia, iudicio vti ſoleat in deligendis magiſtratibus & dignitatibus, tum alijs, tum verò in primis eccleſiaſticis; norunt omnes: ita vt vel vnum hoc vehemens argumentum eſſet quempiam eſſe idoneum, ab Alberto Principe eum eſſe promotum.

VERSARIS igitur Reuerendiſſ. Domine, in Epiſcopali numeroſiſſimæ diœceſeos Iprenſis cura, iam annos octo: quibus vt diuina bonitas complures alios addat ad multorum ſalutem, apprecamur omnes; ſed propria quadam ratione Theologicus huius Vniuerſitatis Ordo, tantopere tibi obſtrictus.

ATQVE hæ & ſimiles cauſæ mihi cum alijs multis ſunt communes, cur hunc ad Actus Apoſtolorum Commentarium, per Dei gratiam non ſine labore concinnatum, tuæ Reuerendiſſ. P. ac D. nuncupare voluerim ac debuerim: ſed ſunt & peculiares quædam. Nam, vt ea tempora prętercam quibus, ante annos pene quinquaginta, te Louanij gnauiter ſtudijs incumbentem nouimus; conuictorem priùs quidem M. N. Ioannis Molani, Theologi toto orbe Chriſtiano celeberrimi, poſtea verò collegij theologici ab Adriano ſexto illic erecti: certe mouere me debuit tua illa beneuolentia, qua, ſupra communem modum, nos ex quo tempore ſcholæ huius theologicæ curam (pro noſtra parte) habere cœpimus, ſemper es proſequutus; quam & compluribus gratificationibus teſtatam feciſti &


ſti &

ſti & facis. Quibus omnibus de cauſis, quicquid à nobis officij & obſequij proficiſci aliquando poterit, id omne promptiſſima voluntate lubentes offerimus. Duaco, v. die Maij, Anno M. DC. XXII.

Reuerendiſſ. P. ac D. tuæ

officiosè addictus

BARTHOLOMÆVS PETRVS LINTRENSIS,
S. Th. Doct. & in Vniu. Duac. Profeſſ.



SVMMA PRIVILEGII.

PER literas patentes Regiæ Maiestatis concessum est Gertrudi viduæ Petri Borremans Typographi Duacensis, vt spacio decem annorum sola in Belgio possit imprimere vel imprimi curare, librum cui titulus est, *Actus Apostolorum à S. Luca conscripti; & in eosdem Commentarius perpetuus, Deo dante concinnatus per* BARTHOLOMÆVM PETRVM *S. Theol. Doct. & in Vniuers. Duacensi Professorem :* cum interdicto ne quis vel alibi impressum in Belgium importet distribuendi seu vendendi causa, intra prędictos decem annos: idque totum sub graui pœna literis Regijs expressa. Quæ datæ sunt Bruxellæ, per Regem in suo Concilio, die IX. Augusti Anno M. DC. XXI. authenticatæ signatura D. Præsidis Masij; & subscriptæ

I. le Comte.

APPROBATIO.

HIc in Apostolorum Actus Commentarius Eximij Domini M. N. BARTHOLOMÆI PETRI LINTRENSIS S. Theolog. Doctoris & eiusdem in Academia Duacensi Professoris primarij, maximo iudicio, nec minori labore & industria concinnatus, mentem scriptoris sacri pulchrè attingit & explicat; nouellęque Christi ecclesiæ velut incunabula ac progressum, ad fidei dogmata confirmanda, ad fidelium mores instruendos, & ad hæreticorum errores conuincendos, accommodatissimè deducit. Quare cum neque fidei neque moribus aduersum quicquam contineat, sed potius illam roboret, istos informet; valde vtiliter excudetur & à Theologis perlegetur. Datum Duaci XIX. Iulij, Anno M. DC. XXI.

Franciscus Syluius S. Theol. Doctor, & eiusdem in Academia Duacensi ordin. Professor.

COMMENTARII IN ACTVS

APOSTOLORVM

PROLEGOMENA.

De Authore huius operis.



VM non alium fuisse quam Sanctum Lucam Euangelistam, indubitatum est; & ex huius libri principio facile docetur, vbi author sese eūdem esse declarat qui prius historiam Euangelicam ad Theophilum scripserat. De hoc autem sanctissimo viro sufficere possunt quæ beatus Hieronymus Catalogo in Luca, dicit, vt sciatur quis, qualisque fuerit. quod B. Hieronymi elogium quum in multis Biblijs reperiatur, imo, quum pro lectionibus secundi Nocturni recitetur in Breuiario Romano die 18. Octobris: non est nobis repetendum. Hoc beati Hieronymi elogio bene considerato; satis apparebit S. Lucam esse diuersum à Lucio Cyrenensi cuius fit mentio initio capitis decimi tertij huius libri: sed à Lucio illo cuius meminit Apostolus Rom. 16. v. 21. an diuersus sit, non perinde liquet. Verisimile fit viris doctis, inter quos G. Estius, in eum locum Apostoli, eundem esse; sed illic nomine ad Romanorum vsum parum variato Lucium appellari, qui in Syria Lucas appellabatur. Huius sententiæ habent authorem Origenem, vel potius eos quos refert Origenes, nec refellit, In eum locum capitis 16. Verba Origenis sunt; Lucium quidam perhibent esse Lucam qui Euangelium scripsit; pro eo quod soleant nomina interdum secundum patriam declinationem, interdum etiam secundum Græcam Romanamque, proferri. Potest hæc sententia probari ex eo quòd cum illic nominatim recenseantur ij qui tunc Apostolo conuiuentes seu familiares, salutem dicerent Ecclesiæ Romanæ: S. Lucas non videatur prætermissus, indiuiduus Apostoli comes eique percharus. Quem tunc temporis quando scripta est Corintho illa ad Romanos epistola, cum Paulo Apostolo fuisse, non videtur ambigendum, siquis huius libri caput 18. vbi narratur Paulus venisse Corinthum, illicque moratus annum

S. Lucas alio nomine Lucius dictus.

& mense: sex; consentiat cum capite 16 v. 10. vbi S. Lucas incipit historiam Pauli ita texere, vt in prima persona loquens, seipsum comprehendat, indicans se illi itineris totius socium, saltem ab eo tempore. Quod si quis huic sententiæ obiiciat, capite illo 16. ad Rom. Lucium vocari cognatum Pauli Apostoli; id quod de Luca Euangelista non videtur accipiendum: facile responderi potest, sufficere veritati verborum Apostoli quod Iason, & Sosipater fuerint cognati ipsius. De Lucio verba eius non requirere, vt neque de Timotheo.

FVISSE S. Lucam vnum ex 72. Christi discipulis, imo, vel ex numero reliquorum Christi discipulorum, omnino improbabile est; & videtur aduersari his quæ ipse dicit in prooemio historiæ Euangelicæ. Quare nec illud veri similitudinem habet, S. Lucam fuisse alterum è duobus quibus in Emmaus iter facientibus Dominus ipso die resurrectionis apparuit. Nam illos duos fuisse ex numero eorum qui tunc cum Christi Apostolis erant, notum est ex Lucæ cap. 24. v. 9. collato cum v. 13. & 33.

FVISSE medicum, certum est ex Coloss. 4. v. 14. Ex quo etiam loco, videtur diuesfuisse, & in necessitatibus subuenisse Apostolo, vt anonymus quispiam vetus annotat in argumento huius operis apud Oecumenium.

FVISSE pictorem aut ceroplasten, id est, qui ex cera imagines nosset facere, aut vtrumque; vetus traditio est. De imaginibus Christi Domini & beatæ Matris eius, quod S. Lucas eas cera & lineamentis expresserit, Metaphrastes commemorat, 18. Octobris in eius vita; vtique ex communi traditione. Ex qua & hoc scribitur quod pinxerit seu coloribus in tabula expresserit eiusdem Deiparæ imaginem. Id enim sine hæsitatione B. Germanus Episcopus Constantinopolitanus affirmat, in vita S. Stephani iunioris, quæ est apud Surium, die 28. Nouembris, & apud Damasc. editionis Billij pag. 532.

AN fuerit martyr: non satis liquet. Sunt boni authores inter antiquos ecclesiæ Doctores, qui martyrem dicant, citati à Baronio in Notis ad Martyrol. Rom. die 18. Octobris: quorum authoritate moti satis eò propendemus. Corpus eius cum reliquijs B. Andreæ Apostoli vigesimo Constantij (non Constantini) Imperatoris anno ex Achaia translatum est Constantinopolim. Hier. in Luca. Græcè scripsisse tam Euangelicam de Christo historiam, quam hanc historiam Apostolicam, & quidem satis splendide; indubitatum est. De ipsius Græca eloquentia uide B. Hiero. in cap. 6. Isaiæ, ad illud, *Vade & dic populo huic, &c.* Fuit tamen hæc historia iam olim paulo post Christi Domini tempora, conuersa in linguam Hebræam, & Tyberiade asseruata in gazophylacio; ibique à multis Iudæorum secretò lecta, non sine fructu. Quod de illa & pariter de Euangelio B. Ioannis narrat S. Epiphanius hæresi 30. duobus aut tribus locis. Vide etiam Sixtum Senensem lib. 4. in Iosepho Tiberinensi, qui videtur esse ille S. Iosephus Comes, cuius memoria est in Martyrol. Romano die 22. Iulij.

ARGU-

ARGVMENTVM OPERIS.

PROPOSITVM est B. Lucæ in hoc opere historico, demonstrare quòd per Apostolos Christi factum sit id quod ipse prænunciauerat, verbis illis cap. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos; & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Testati sunt autem non tantum sermone, sed etiam vita & miraculis: vt non tam Acta Apostolorum quam Acta Spiritus sancti sint hæc dicenda; sicut vetus quidam anonymus apud Oecumenium admonet in argumento huius libri. Cui consonat quod est in Euangelio secundum Marcum in fine. Itaque quæ Dominus Apostolos facturos prænunciauerat; hæc ita esse facta, ordine exponitur per huius libri historicas narrationes.

QVONIAM vero vltima illa prænunciationis pars; *Et vsque ad vltimum terræ*, speciali modo per Paulum Apostolum, Doctorem Gentium peculiariter appellatum, fuit effectui demandata: inde est quod à cap. 13. deinceps vix vllius alterius historiam texit quam Pauli Apostoli; illa etiam causa accedente, quod itineris socius B. Paulo individuus, præcipue quæ ipse viderat, referre studuerit. Perducitur autem hæc historia vsque ad biennium prioris in vrbe Roma captiuitatis eiusdem Apostoli, id est, inquit Hier. Catal. in Luca, vsque ad quartum Neronis annum. Fuit is à Christo nato annus sexagesimus.

CONTINET igitur hic liber prima Ecclesiæ Christi catholicæ velut incunabula, eius progressus & propagationem per omnes gentes: ideoque certæ in eo possunt (vt suis locis indicabitur) obseruari notæ, quibus, inter omnes multitudines quocunque religionis titulo, vmbra aut specie colligatas, agnosci queat illa quæ vnica est vera Christi Ecclesia catholica.

TITVLVS LIBRI.

CÆTERVM non est contendendum de latino huius libri titulo; *Actus* an *Acta* Apostolorum, dici oporteat. Vterque enim vsu latinæ Ecclesiæ tritus est; vterque rectè habet; & idem significat vterque; eâdem forma qua numero plurali latini dicunt Iussus & Iussa, Euentus & Euenta, Effectus & effecta; Ausus & Ausa, & similia. Cicero libro 1. de Oratore, *Euentus* dicit pluraliter, & in Partit. *Euenti* dicit singulariter. An S. Lucas hunc titulum suo operi dederit, non liquet, & non est verisimile, sicut nec priorem librum ipse vocauit Euangelium, sed λόγον dumtaxat, vt annotat ipse quoque Chrysost. ad initium cap. 1. huius; idque tribuit modestiæ S. Lucæ. Hieronymus Catal. in Luca, Aliud quoque composuit volumen egregium, quod πράξεις τῶν Ἀποστόλων, prænotatur. Quibus verbis, non ab ipso S. Luca, sed ab alijs hunc titulum isti operi datum fuisse, significat.

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM.



ONNECTIT quadam transitione hunc suum librum B. Lucas cum sua historia Euangelica; commemorans Christi Domini à morte rediuiui, post varias apparitiones Apostolis factas, ascensionem in cœlum illis videntibus; ac deinde eorum in vrbem Ierusalem reditum, expectantium aduentum Spiritus sancti. quo tempore medio, S. Mathias diuinitus adiunctus fuit vndecim Apostolis.

VERS. 1. Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere,

VERS. 2. Vsque in diem, qua, præcipiẽs Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est.

O THEOPHILE,] Dubitari non debet hoc esse nomen proprium cuiusdam viri christiani, non vero commune quo vnusquisque Dei amans compelletur: propter ea quæ illi tribuuntur in proœmio Euangelij secundum Lucam, cum dicitur, *Vt cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es, veritatem*; id est, vt agnoscas earum rerum quas catechetico modo accepisti, certitudinem & infallibilitatem; ac potissimum propter illud epitheton quod ibi Theophilo tribuit B. Lucas, dum vocat eum *optimum*. Quo loco est Græcè κράτιστε, idem honoris vocabulum quod Festo homini Romano Gubernatori Iudææ tribuit Paulus Apostolus Act. 26. v. 25. *Non insanio, optime Feste*. κράτιστε. i. præpollens, imperio præualens, maxima authoritate prædite. Quum autem re quapiam pollentem, latini nominent *bonum*: Interpres latinus haud male vtroque loco, *optimum* reddidit, sed intelligenda est eo nomine bonitas non illa morum, sed ea quæ est potestatis, authoritatis, dignitatis; vnde & Optimates dici solent. Quare ex originali in proœmio Euangelij Lucæ scriptura, colligere debemus hunc Theophilum, certum quemdam fuisse virum, christianum quidem, sed magnæ in repub. authoritatis. In qua autem ciuitate, ignoratur: coniecturæ tamen sunt de Antiochia Syriæ, cuias erat & S. Lucas.

Primum] Pro *priorem* dixit Interpres latinus, imitatione Græcismi. Nã Græcis familiare est isto πρῶτον vti loco cõparatiui. Quod ipsum Latini aliquando imitantur; vt non solœcizet Interpres. Tullius ad Seruium Sulpitium: Duo te rogo nominatim: primum, vt si quid satisdandum erit &c. Sueto in Augusto, Ad modum pristinum & splendorem redegit duabus lectionibus: prima, ipsorum arbitratu; secunda, suo & Agrippæ. *Quidem*] Huic voculæ nihil ex aduerso postea respondet: sed opus non est; est enim illius varius vsus; de quo Laurentius elegant. 2, 23. Apud Græcos etiam authores optimos similia exempla reperiun-

reperiuntur. Aristoteles scriptor plane atticus ita orditur sua Topica, Propositum quidem huius negotij est &c. sine vlla redditione τῶ δὲ. Sic Isocrates ad Demonicum, Primum quidem diuina piè colas &c. sine redditione. Posset tamen videri, postea hoc loco sequi redditionem; sensu nimirum, etsi non forma sermonis. quod idem obseruare licet & alibi in hoc nostro sacro scriptore; vt huius operis cap. 19. v. 4. in originali scriptura, *Ioannes quidem baptizauit &c.* *Sermonem feci*,] Librum confeci, Librum composui. Isocrates quoque & Xenophon sua opuscula λόγους nominare solent. *De omnibus quæ cæpit Iesus facere & docere*,

2. *Vsque in diem qua &c. assumptus est*. His verbis B. Lucas materiam sui prioris libri, id est, historiæ suæ Euangelicæ, distinguit à materia huius posterioris operis: hoc modo, quod quæcunque scripsit priore libro, illa omnia sunt de ipso Domino IESV, vix vlla de eius Apostolis aut discipulis. Ex aduerso autem, in hoc libro vix quicquam de ipso Domino; pleraque vero omnia de discipulis eius scripta sunt. Quum igitur ait, *quæ cæpit* IESVS *facere & docere*; epitasis est in vocabulo, IESVS, q. d. IESVS ipse, Ipsa IESV persona, IESVS per se; vt significetur distinctio ab ijs quæ per Apostolos aliosquédiscipulos postea fecit. Et quando dicitur, *Priorem sermonem feci de omnibus*; ex materia subiecta est intelligendum quòd sit distributio quædam commodè intelligenda: hoc modo, Priorem librum composui de omnibus (eo libro comprehensis) quæ fecit & docuit IESVS ipse vsque in diem ascensionis suæ. Sicut cum Poëta describens statum aurei sæculi ait 1. Georg.

Ipsaque tellus
Omnia (quæ ferebat) *liberius, nullo poscente, ferebat.*

Et alius, 1. Metamorp.

Ipsa quoque immunis, rastroq́ intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia (quæ dare solet) tellus.

Quales distributionis modi sæpe occurrunt. Vide exempli causa 1. Luc. 1. v. 10. & 1. Cor. 6. ac 10. *Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt.* q. d. omnia quæ licent, licent & mihi: sed non omnia illa expedit à me fieri Confer infra c. 5. v. 20. Sẽsus igitur est, Quæcunq. priore volumine scripsi, ea scripsi de ipso IESV Saluatore, nimirum quæ fecit, &, quæ docuit vsque in diem quo hinc abijt in cœlum. Atque hîc tacitè innuitur redditio illa quam vocula (quidem) in fronte sermonis posita, videbatur postulare. Hunc (quem Chrysost. innuit verius quam explicet) credimus verborum istorum esse verum intellectum: quo posito, euanescit ridicula obiectio Sectariorum, quam ex hoc loco faciunt aduersus traditiones agraphas: quasi B. Lucas hîc dicere voluerit se historia sua Euangelica comprehendisse quæcunque Saluator nobiscum conuersans fecit & docuit. Id quod perspicue falsum est: quum singuli Euangelistarum multa habeant propria; & Ioannes qui nouissime scripsit, affirmet plurima IESV miracula aliaque opera, neque scripta esse neque scribi omnia posse. cap. 20. in fine, cap. 21 fin. Quamquam & alioqui facile est isti obiectioni respondere cum Chrysostomo, non dicere B. Lucam se priore volumine omnia scripsisse quæ Saluator fecit & docuit, *sed de omnibus illis*, q. d. a

videlicet dixerit de singulis capitibus rerum gestarum eius; de conceptione, de Natiuitate, de pueritia, de Baptismo eius, de doctrina, de Miraculis, de Passione, de Morte, de Resurrectione & in cœlum Ascensione.

QVÆ *cœpit* IESVS *facere & docere.* Sub his duobus continentur Christi Domini miracula, Instituta, mysteriorũ doctrina, Præcepta item & consilia. Illud morale est quod annotat Chryso. IESVM faciendo docuisse nihilq; faciendum præcepisse quod ipsemet exemplo suo non prius expresserit.

SI roges, Cur de passione & morte Christi nihil hic attingat S. Lucas: respondet idem Chryso. *passionem & mortem contineri sub ijs quæ Saluator fecit.* Passus est enim quia pati voluit; & per mortem ipse suam animam posuit; voluntate, non necessitate. Ioannis 10. Præterea, patiendo & moriendo confecit magnum illud negotium redemptionis humanæ. Citauit hoc sub nomine Chrys. & quidem ex Interpretatione Actuum Apostolicorum, B. Ioannes Damascenus Orthod. fid. 3, 15. vt pudere debeat Erasmum, & si qui cum eo senserunt, dum Commentarios hos in Acta in dubium tentauit vocare an sint Chrysostomi. Prudens Lector statim in homilia prima, etiam alia obseruabit ex quibus patet non esse ætate Chrysostomi inferiorem horum Commentariorum authorem. col. 374. pr. 375. fin. Etiam Oecumenius ad illud cap. 1. *Tunc reuersi sunt*, &c. tanquam Chrysostomi citat quod illic in his Commentarijs legimus qui Chrysostomo attribuuntur.

Vsque in diem qua &c. assumptus est. Lucæ 24. perducit hic S. scriptor narrationem suam Euangelicam vsque ad Christi ascensum in cœlum, ibique claudit librum Euangelij. Hoc est quod isto loco dicit. *Assumptus* seu receptus *est*, in cœlum; quatenus homo: quatenus Deus vero, sua virtute ascendit.

Qua, præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. Illud (*per Spiritum sanctum*) potest determinare aut participium (*præcipiens*) quod præcedit, aut subsequens verbum (*elegit*): sed promptius est vt iungatur participio illi præcedenti; quomodo Chrysostomus quoque accipit, & sicut plerique codices græci distinguunt; vt patet ex editione græca Roberti; vbi duo tantum ex sedecim notantur aliter distinguere.

SENSVS; Qua die in cœlum est assumptus; postquam per Spiritum S. Apostolis præcepta dederat (est enim istud *præcipiens* præteriti temporis in originali, videlicet ἐντειλάμενος) Apostolis inquam; quos prius elegerat ex toto discipulorum numero. Hæc electio describitur Matth. 10. in principio. Lucæ 6. v. 13. & seq.

QVÆ autem præcepta dederit Apostolis post resurrectionem, ea sanè quæ scripta sunt, legimus Matt. 28. ad fi. Mar. 16. v. 15. & seqq. Luc. 24. v. 46. & seqq. Duo enim fuerunt præcipua: vnum, vt docerent & baptizarent omnes gẽtes. Alterum, ne id aggrederentur, nisi nouo Spiritus sancti robore alijsque donis diuinitus instructi; quæ dona expectarent sibi danda Hierosolymis intra paucos dies ab ascensione Domini. *Vos* (inquiebat Dominus) *sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* ca. illo 24 & hoc ca. paulo post, *Vos baptizamini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Ait autem B. Lucas Saluatorem Apostolis suis hæc præcepta dedisse *per Spiritum sanctum*, quoniam diuina sua authorita-

te ista

re ista ijs iussit. Chrysost. aliter; homo Christus per inhabitantem Spiritum sanctum ista præcepit.

VERS. 3. Quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam; in multis argumentis, per dies quadraginta, apparens eis, & loquens de regno Dei.

ILLVD complexum (*in multis argumentis*) hodierna distinctio Græcorum codicum vult ferri ad sequentia, vbi dicitur, *apparens eis*, seu conspectus eis; & hanc distinctionem Chrys. suo commentario sese probare declarat: & S. Th. 3. p. q. 55. ar. 5. ad oppos. Oecumenius tamen videtur referre ad illud præcedens, *præbuit* seu exhibuit *seipsum viuum*. Quod & facit Desiderius in sua versione, & Latini codices plerique omnes. Ad sensum videtur parum interesse: tametsi videatur commodius iungi sequentibus, vt significetur quod Dominus per multa argumenta ostenderit, non alium sed ipsum eundem esse, non imaginariè, sed verè ac realiter, qui Apostolis post resurrectionem sit conspectus; & quod cum huiusmodi argumentis sese ijs manifestauit.

PRO illo (*argumentis*) Græcè est τεκμηρίοις; vt & S. Th. obseruauit 3. p. d. q. 55. eod. 5. c. Tecmerion autem est argumentum euidens planeque certum; vt Philosophus tradit. 2. prior anal. c. de Enthym & 1. Rhet. ad Theodecten c. 2. Vnde intelligi potest quod nimis exiliter vertitur quidam hoc loco (*signis*). Noster melius dixit (*argumentis*); sed meliùs diceretur *argumentis infallibilibus*; quanquam hoc epitheton latet quodammodo in nomine *argumenti*. Nam argumentum propriè non dicitur nisi quod necessario concludit: quum arguere sit ostendere.

CVR autem conueniens fuerit Christum Dominum suam resurrectionem argumentis probare; & quod illa quæ adhibuit argumenta, fuerint tecmeria: id vtrumque apud S. Thom. est dicto artic. 5. & 6. *Per dies enim quadraginta apparens eis.*] Sensus est, quod intra dies 40. à sua resurrectione, per interualla, suis Apostolis, nunc omnibus, nunc quibusdam eorum, sæpe sese dedit conspiciendum. Id quod veritati ipsius resurrectionis demonstrandæ satis erat, & discipulorum desiderium quo illum videre cuperent, accendebat; dum non continuò, vt ante passionem, cum ijs conuersaretur. Imo, & istorsum hoc valebat, vt paulatim animos eorum abduceret ab amore vsitatæ illius humanæ conuersationis, cui assueuerant; & ad diuinitatis suæ meditationē ipsos assuefaceret; quo sic, à tenero illo humanę beneuolentiæ affectu abstracti, præpararētur accipiendis Spiritus S. magnis illis donis, quibus erat opus. Apostolis ad tantum negotium auspicandum & promouendum, fundationem scilicet & propagationem nouæ Ecclesiæ Christi. Vide Ioan. 16. v. 7. S. Tho. 3. p. qu. 57. ar. 1, 3. Cur quadraginta dies interposuerit inter resurrectionem & ascensionem suam, non plures neque pauciores; si quis forte quærat: satis est ei respondere, rationem fuisse notā sapientiæ Christi Domini, nec esse necessarium

necessarium vt eam sciamus aut scrutemur. Nam quicumque alius numerus fuisset dierum, quibus post resurrectionem hæsit in terris: posset illius etiam numeri curiosulus quispiam rationem sciscitari. Itaque talium rationes nos ignorare libenter fateamur: cum præsertim contingat, vt qui in eiusmodi rationibus indagandis plusculum sibi indulgent, interdum in ea dicenda prolabantur quæ parum sint firma, imo sint perspicue falsa. Vt hoc loco ijs accidisse patet, qui idcirco Dominum quadraginta dies nobiscum in terris post resurrectionem suam versatum dixerunt, vt quadraginta dierum præsentia absentiam suam quadraginta horarum compensaret quibus fuerat in sepulcro. Certe enim ex Euangelica historia manifestum est quod Dominus nō iacuerit in sepulcro 40. horas. Imo quod nec inter mortem Domini & eius resurrectionem intercesserint tot horæ. Adde, quòd cum de ista compensatione loquuntur, ita dicunt ac si continuo per dies quadraginta Dominus Apostolis suis præsens fuisset: quod verum non est.

Matth. 27. v. 46. Luc. 23. v. 54. Ioan. 20. v. 1. Luc. 24. v. 22.

IDEM dicendum, siquis rogauerit vbinam Christus à morte rediuiuus fuerit intra hos quadraginta dies, tunc temporis quando nulli mortalium apparebat; aut, vbi interea temporis hæserint veterum iustorum animæ illæ quas die resurrectionis è limbo eduxit. Nimirum respondendum est, esse quæstiones curiosas, & de quibus nihil certi à nobis affirmari aut cognosci possit: vt B. Tho. dixit 3. p. q. 55. 3, 2. Quod si quis probabiliter se dicere existimat Dominum tunc fuisse in paradiso terrestri: cur hoc probabilius est, quàm si alius dicat fuisse in ciuitate sancta, ac præsertim in templo Domini; vel fuisse in monte Sion, aut fuisse in locis alijs vbi miracula prius fecerat, aut notabile aliquid aliud peregerat; vel fuisse in ædibus suorum, quos diuersis locis habebat, discipulorum, etsi hoc illi ignorarent? In Ecclesiastico scriptum est quiddam dignum lectu, aduersus curiositatem, quæ multis sub specie studiositatis imponit. cap. 3. v. 22. & seqq. Consonat & Deute. 29. in fine. Et S. Tho. 2. sec. 167. legatur.

ET *loquens de regno Dei*. Illud quod præcessit, *per dies quadraginta*, in hac clausula subandiri, nemo dubitauerit, qui meminerit Christum Dominum quotiescunque iam rediuiuus suis apparuit, non de alijs rebus quam regnum Dei concernentibus, loqui potuisse. Accedit, quod in v. 2. illud (præcipiens) Græcè sit præteriti temporis, quo significatur Christum, postquam Apostolis præcepta dederat, tum demum ascendisse. Dedit autem præcepta non omnia vno die vnáue apparitione.

CÆTERVM hæc particula plenius in originali codice legitur, adiecto articulo τὰ, vt reddendum fuerit, *Loquens ea quæ sunt de regno Dei.* vel, *dicens ea quæ sunt regni Dei.* Ac mirum est Interpretes, quos quidem viderim, plerosq; articulum illum, quantitate non virtute perpusillum, neglexisse; quum in simili plane locutione non neglexerint alibi. vt huius libri cap. vltimo v. vlt. Si Dominus de regno Dei fuisset loqnutus tantum in genere seu in vniuersali, & ad nulla particularia descendisset: verè nihilominus de ipso diceretur quod nos habemus; non quod est Græcè.

REGNVM Dei, hoc loco, vt in Euangelio sæpe, intelligitur Regnum Dei

Dei in terris; quod est Ecclesia militans; vtpote in qua Deus regimen exerceat & quidem regale, modis ac vijs iuxta proportionem ijsdem quibus Reges terreni in sui regni ditionibus. Nimirum agendo vt subditi sint boni & pacatè viuant: quæ quidem assequi conantur præceptis & prohibitionibus, promissis & comminationibus, præmijs & pœnis; beneficijs etiam mere gratuitis, item dignitatum, prærogatiuarum, priuilegiorum & officiorum distributionibus. Quæ & similia, secundum spiritum ad sempiternæ salutis consecutionem, à Deo facta & instituta reperiuntur in sua militante Ecclesia. Quo fit, vt iste Scripturæ locus singulariter probet christianos multa credere & moribus obseruare debere, tanquam à Christo Domino tradita, quæ tamen scripta non sunt in sacris libris. Vbi enim scripta sunt omnia illa quæ intra quadraginta dies post suam resurrectionem Saluator Apostolis dixit ad regnum Dei, id est, ad statum Ecclesiæ militantis, pertinentia? Videlicet & post resurrectionem (ait hic Chrys.) docuit discipulos: sed huius temporis historiam nemo nobis totam exactè explicuit. Didicimus igitur hæc per Apostolos; qui quæ audierant, *retulerunt*. Ita Chrys. Et B. Leo serm. priore de Ascensione Domini, Dies qui inter resurrectionem Domini ascensionemque fluxerunt, non ocioso transiere decursu; sed magna in eis confirmata, sacramenta; magna sunt reuelata mysteria. Tertull. Apologetici c. 21. ait Christum his quadraginta diebus ea Apostolos docuisse quæ ipsi docerent.

VERS. 4. Et conuescens, præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent; sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum:

NOSTRVM Interpretem rectè vertisse *conuescens*, quod græcè est συναλιζόμενος, facilè docetur authoritate Græcorum commentatorum Chrys. Theophyl. Oecum. qui sic exponūt; etsi verbum græcum συναλίζεσθαι, etiam aliud significet, conuenire, coniungere aut congregare. Quare omnino retinendum est in nostra vulgata editione istud, *conuescens*; Nec audiendi qui suspicantur interpretem scripsisse, *conuersans*: præsertim cum græci codices omnes qui hodie & iam olim extant, legant id quod dictum est, non vero vna littera addita; συναυλιζόμενος (quod potius significat conuersans, cohabitans) vt ex omnibus vetustis Roberti exemplaribus liquet. Sensus igitur est, Et Dominus Saluator post resurrectionem eâdem cum Apostolis mensâ subinde vtens, præcepit &c. Quod cum Apostolis ederit & biberit liquet ex Lucæ vlt. Ioan. vlt. Quod illa comestio etiam fuerit argumentum resurrectionis,

Apostolus Petrus indicat dum loquitur Cornelio Centurioni & familiæ eius. Infra c. 10. v. 41. Quo modo autem hoc argumentum valuerit, & qualis fuerit hæc comestio Christi iam habentis corpus gloriosum, exponit B. Th. 3. p. qu. 55. art. 6. ad 1. Est verò hic sermo, vt apparet potissimum de vltima commanducatione Domini cum Apostolis, quæ verisimiliter fuit die ascensionis antequam illos educeret extra Ierusalem in Bethaniam, vt legitur Luc. 24. ad fin. Quæ enim hic sequuntur vsque ad v. 10. continuo tempore gesta & dicta sunt, & terminantur ipsa Domini ascensione.

PRÆCEPIT *eis ab Ierosolymis ne discederent* &c. Id manifestum est illis verbis eiusdem cap. 24. Euangelij secundum Lucam. *Vos sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Quibus verbis ratio præcepti innuitur, videlicet ad tanti negotij apostolici executionem, nondum ipsos esse satis instructos, sed alijs præterea Spiritus sancti donis indigere ad expeditè & fructuosè illud auspicandum & prosequendum. Egebant nimirum virtute maioris sapientiæ, qua mysteria Christi plura & perfectius caperent, alijs patefacienda. Ioan. 16. v. 12. 13. Egebant etiam *virtute*, id est fortitudine animi, qua resisterent persequutoribus nouellæ Ecclesiæ ac fidei Christianæ. Egebant *virtute* faciendi miracula ad nouæ de IESV doctrinæ confirmationem. Egebant dono linguarum, vt Euangelium hoc, IESVM esse Christum, neque amplius expectandum Saluatorem mundi, omnium nationum hominibus possent annunciare. Cur autem ista Spiritus sancti dona huic negotio conficiendo necessaria, ipsos in Ierusalem expectare & accipere voluerit: causa satis euidens est, quia nimirum exordium propagationis fidei & Ecclesiæ christianæ voluit fieri in hac ipsa ciuitate, ac inde eam diffundi quaquauersum; vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Psal. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Isaiæ 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Tum illa etiam de causa, vt inæstimabilem suam benignitatem demonstraret, qui eos a quibus dirissima passus fuerat & probrosè crudelissimeque interfectus, primos ad salutis gratiam vocaret. Illa etiam, vt suam potentiam demonstraret, qui non per se, sed per discipulos suos, fidem Euangelij de IESV quod ipse sit Christus, & quod a morte resurrexerit immortalis, fundaret & mirificè propagaret in ciuitate illa ipsa, vbi fuerat & futura erat maxima oppositio, maximaque persecutio. Quod totum valebat ad roborandam fidem Christianam; dum summo molimine in suis initijs oppugnata, superauit tamen; item dum tantis miraculis in hostili etiam ciuitate factis, confirmatur. Hæ causæ & plures leguntur apud Chrys. ex quo adferunt alij græci enarratores.

SED *expectarent promissionem Patris. Promissionem Patris* dixit pro re promissa a Patre. Promiserat autem Apostolis Deus pater per ipsum Christum Dominum, quoniã indiuisa sunt Patris & filij opera. Hoc declarãt verba sequentia,

QVAM *audistis* (inquiebat Dominus) *per os meum.* Ioan. 14. v 16. 17. 26. c. 15 v. 26. c. 16. v. 7. 13. 14. 15. Quid autem illud esset quod per Christum Deus Pater, Apostolis promiserat, verba Domini deinde sequentia exponunt & amplificant, adhib ta dissimilitudine eius quod per Ioannem baptistam fuerat præstitum, & eius quod Apostolis esset diuinitus promissum;

VERA

VERS. 5. Quia Ioannes quidem baptizauit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.

IOANNES *baptizauit aquâ*] sola nimirum; id enim postulat antithesis partium huius sententiæ: quam sententiam Dominus repetit ex ipsis verbis Ioannis baptistæ quibus ille dixerat ad turbas Matth. 3 *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Significatur quod per Ioannis ministerium non conferebatur vlla gratia in Baptismo illo aquæ quo homines immergebat vel abluebat; sed erat eius Baptismus in eodē ordine in quo est externa prædicatio vel adhortatio. Qui remissionem peccatorum fortassis consequebantur baptizati à Ioanne, eam non vi, ne quidem instrumentali, illius Baptismi consequuti sunt; sed per suam pœnitentiam (ad quam ille baptismus veluti tirocinium erat) adhibitis ijs quæ tunc adhibenda erant, ex lege naturali vel positiua diuina.

VOS *autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Erant Apostoli ante illud tempus baptizati Baptismo Christi, sine dubio; vtpote quibus Dominus dixerat in nouissima cœna, *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus: & vos mundi estis.* Ioann. 13. Et quos eodem tempore fecerat sacerdotes vna sacerdotij parte, quum dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*; Luc. 22. altera autem, ipso die resurrectionis, quum dedit potestatem remittendi peccata: ij sine dubio iam antea fuerant baptizati Baptismo per Christum instituto. Erant igitur iam antea baptizati Spiritu sancto, nimirum quando effectum Baptismi Christi acceperant: & nihilominus hîc ipsis de tempore futuro Dominus promittit, *Baptizabimini Spiritu sancto*; quia varia admodum sunt dona Spiritus sancti, nec omnia vno tempore sunt data Apostolis, præsertim illa quæ pertinent ad gratias gratis datas; qualibus diuersis ac varijs opus erat nouellæ Ecclesiæ magistris & propagatoribus, Apostolis. Quamuis igitur antea essent adepti remissionem peccatorum & dona gratiæ iustificantis: tamen augmento horum ipsorum donorum indigebant adhuc, indigebant & illis quæ paulo ante recensuimus ad v. 4. Inter quæ recensuimus & augmentum sapientiæ, id est, maiorem diuinorum mysteriorum & penitiorem cognitionem, quæ ipsis fuerat à Christo promissa, danda per Spiritus S. aduentum; Ioan. 16. v. 12. 13. Itaque baptizari Spiritu S. est Spiritus sancti gratiam, quamcunque, copiosè (nam verbum *Baptizandi* figuratè copiam significat, vt & *induendi* vocabulum Lucæ 24. v. 49. Gal. 3. v. 27) accipere, eique velut immergi; siue id fiat per sacramentum aliquod, siue sine sacramento. Nam sine visibili sacramento confirmationis, Apostoli eius effectum tam ordinarium, quam extraordinarium acceperunt; de quo vtroque ad v. 4 iam dictum est. Similiter acceperunt eum familiares Cornelij centurionis: de quibus etiam verè dici potest istorum donorum ratione, quod fuerint baptizati in Spiritu Sancto: vt docetur facile ex verbis Apostoli Petri, infra c. 11. v. 15. 16.

NON *post multos hos dies*] Die enim ab ascensione Domini decimo, ipsa scilicet Pentecoste, factum est quod hîc promittebatur. Obseruat hanc clausulam S. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 499. & 500. ad refutandum deliria Montani hæresiarchæ, qui sese fingebat illum paracletum, quem Saluator discipulis promiserat; addens non venisse paracletum in Apostolos, sed in eos demum qui Montano credidissent, fuisseque missionem paracleti promissi dilatam eousque. Quod perspicuè falsum esse, hinc liquet præter cætera; quum Christus intra paucos dies post suam ascensionem venturum promiserit paracletum, & vtique præstiterit quod promisit: At Montanus erupit circiter annum Domini 173. vt est videre in Annalibus Baronij Tom. 2. illo Christi anno § 1. & multis seqq. digna lectu propter exemplum. Eius & sectatorum hæresis vocata est κατὰ φρύγας; quoniam Phryges erant. Vocabantur & Pepuziani, à Pepuzia, villa ipsius Montani. Videatur S. August. de hæresibus c. 26. 27.

VERS. 6. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum dicentes; Domine si in tempore hoc restitues regnum (ipsi) Israel?

IGITVR] Quoniam scilicet dixerat Dominus, *non post multos hos dies*; Item quia iusserat eis ne Ierosolymis discederent, & promiserat baptizandos esse Spiritu Sancto. *Qui conuenerant*] Videntur fuisse soli Apostoli, ex v. 11. & 13. Conuenerant autem Ierosolymæ, vbi fuit nouissima Domini cum Apostolis mensæ communio, vt doceri potest ex Lucæ 24. v. 50. & ex huius cap. v. 12. Ex quibus & illud liquet quod post hoc nouissimum cum Apostolis conuiuium, Dominus eduxit eos in Bethaniam, seu in montem Oliueti, in cuius nimirum latere erat sita Bethania. *Interrogabant eum*] Hæc interrogatio videtur facta fuisse non Ierosolymis, sed vel in itinere quum irent Bethaniam, vel in ipsa Bethania seu in ipso monte Oliueti. Ita videtur propter ea quæ hîc leguntur v. 9. Et ita expressè B. Aug. contra Gaudentium. lib. priore c. 20.

DICENTES; *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Si* pro num] seu An, interrogatiuè positum est, vt sæpe alibi.

RESTITVES] in originali est præsentis temporis: sed sensus idem est propter illud adiunctum, *in tempore hoc. Israel*] tertij casus est, & ponitur pro populo Israelitico. Sensus ergo interrogationis est, Domine, quandoquidem dicis nos post paucos dies largissimè implendos donis Spiritus Sancti, eáque iubes nos expectare manentes Ierosolymis: an igitur proximum est vt nostro populo Israelitico restituas regnum quod olim habuit, idque florens & opulentum, vt quondam fuit sub Dauide & Salomone? sic autem restituas vt ex Israelitis sit qui regnet super duodecim tribus vndique in patriam suam colligendas? quæ nunc in varias prouincias gentilium sunt dispersæ, & qui Israelitarum in patria adhuc degunt, ij sub sunt alienigenis; Romanis nimirum, & ijs quos ipsi Israelitis præfecerunt, Pilato videlicet, Herodi, Philippo fratri eius, & Lysaniæ (Luc. 3. in principio.) Et an ad hoc

hoc negotium, nobis statuisti vti administris? ideoque iubes manere in vrbe regia Ierosolyma, & illic Spiritus tui dona expectare, quibus instructi queamus vtilem operam nauare ad regni Israelitici restitutionem? Talis videtur esse sensus huius interrogationis. Erant enim Apostoli Domini, tunc temporis adhuc imperfecti, & humano quodam patriæ suæ affectu optabant temporale regnum, velut postliminiò, redire ad gentem Israeliticam; ac desiderabant id quamprimum fieri. Hoc animo tunc fuisse Apostolos, intelligunt Chrysost. & qui eum sequuntur, nec non Vener. Beda in expositione huius loci: & facilè liquet ex Scripturis. Matth. 20. mater filiorum Zebedæi rogat Dominum vt ipsi sint primi post eum in regno eius. Et Lucæ 19. v. 11. narrat Euangelista Dominum proposuisse parabolam de talentis, propter eos qui tunc existimabant quod regnum Dei confestim esset manifestandum. Omnes hi, regnum Christi mundanum fore & temporale imaginabantur: sicut & illi duo discipuli qui Lucæ 24. dicebant *Nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israel*; nimirum à dominatu exterorum, vt illic exponit Theoph. Quod autem ipsis vellet vti ad regni Israelitici in veterem statum restitutionem; fortassis imaginabantur Apostoli ex his quæ in nouissima ante passionem cœna Dominus dixerat, Lucæ 22. v. 29. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum; vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo; & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel*. Et, *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, quum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*. Matth. 26. Hîc tamen Apostoli, metu fortassis offensionis, non quærunt ex Domino distinctè, an ipsemet sit assumpturus regnum Israel, & ita illud reuocaturus ad domum Iacob, imo ad tribum Iuda: sed indefinite quærunt, an illo tunc tempore esset effecturus vt regnum rediret ad Israelitas.

VERS. 7. Dixit autem eis; Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.

INTERROGATIO quam proposuerant Apostoli, quantum ad tempus attinet, ex curiositate erat profecta; neq; erat de eiusmodi re quam ipsos nosse foret salutare: idcirco Domini responsio ad interrogantes potius quam ad interrogationem adaptatur. Nam ipsa interrogatio reijcitur, tanquam non congruens personis interrogantibus; reijcitur autem quatenus quærebat de tempore. Quatenus autem quærebat de restitutione regni temporalis facienda Israelitis, Dominus hîc neque affirmat neque negat; sed versu sequente ea dicit, vnde colligi possit negatiua responsio, & vnde intelligatur quid & quale sit regnum Christi, à prophetis prænunciatum, & à carnalibus mundanisque Israelitis male intellectum. Ait igitur, *Non est vestrum* &c. Sensus, Vobis mortalibus non congruit, vobis infirmis non expedit, scire, quid rerum in patris mei (proinde & mea) potestate latentium, quibus temporibus,

 quibus

quibus occasionibus & opportunitatibus, facere ipse decreuerit. Repetatur locus Ecclesiastici 3.v.22.& seqq.

TEMPORA *vel momenta.* Duæ sunt hîc voces græcæ, χρόνος, & καιρὸς quas & Apostolus Paulus coniunxit. 1. Thess. 5. in principio.

Et quid differant videndum est huius loci causa. χρόνος complectitur id quod grammatici dicunt, Tempus quamdiu; & Tempus intra quod: quorum vtrumque rectè appellatur spatium temporis, sed diuersimode acceptum, vt liquet. Dicitur etiam χρόνος quædam temporis veluti species; vt Sæculum, Olympias, Lustrum, Annus, Mensis, Hebdomas, Dies, Nox. καιρὸς autem est Tempus quando, à Grammaticis appellatum; non quoduis tamen, sed Tempus quando opportunum est rem hanc vel illam fieri; siue interim tunc fiat siue non. Id patet, quia & Ausonius vocat Occasionem τὸν καιρόν. Latinè dicitur, Tempestiuitas aliquid faciendi, Opportunitas, Bona occasio. Quod autem nonnulli exponunt τὸν καιρὸν, ipsum temporis punctum seu articulum, quo res aliqua fit; non rectè faciunt: quoniam hæc non concurrunt cum ipsa tempestiuitate cuiuspiam negotij; nisi per accidens; eo quod (vt dictum est) ὁ καιρὸς alicuius rei, est etiam tunc quando ea res non fit. Item, quia etiam illud quod intempestiue fit, quodam temporis articulo fit. Admitti potest illa eorum expositio quatenus καιρὸς interdum pro χρόνος ponitur apud Græcos. Vtrique huic voci græcæ, respondet latina *Tempus*, quadam propinqua homonymia. Καιρὸν dicunt teutones *Tydt*, & *getyde om dat ost dat te doen*. vnde *Tydt h & getydich*, Item contrariū, *Ontydich Ongetydich* & *Getydichtyt*, atque opposita *Ontydicheyt Ongetydichyt*. Galli dicunt pro καιρὸς *le temps*, vt latini tempus certo modo; dicunt item, *l'heure*. Item *la saison* .i. satio seu sationis opportunitas, quod nomen inde transferunt ad totum genus Tempestiuitatis Dicunt latini, & græci aliquando, *horam* pro isto καιρὸς vt cum ait Horatius, Verni sub temporis horam. Et alibi, Carm lib. 1. ode 12. de Ioue loquens, Varijsque mundum temperat horis. Ita & Tullius 3. in Verrem. Ita ad Rom 13. *Hora est iam nos de somno surgere.* Confer. scholia romana ad 70. in caput 52 Isaiæ, & quæ Desiderius annotat ad Rom. 10. v. 15.

RESTAT videre an rectè noster Interpres καιρὸς hoc loco verterit *momenta*. Sanè non hoc tantum loco sed etiam 1 Thess. 5 in principio, eodem modo vertit; aliàs tamen aliter, veluti cap 3 huius libri v. 20 *Cum venerint tempora refrigerij*. Sed illud tamen rectum est. *Momentum* enim, vt vis etymi declarat, non propriè significat indiuisibile illud temporis punctum quod partes eius inchoat, connectit aut terminat; sed pondus aut quasi pondus, quo res aliqua moueri aut quasi moueri queat vel debeat. Vnde propinquo (symbolizant enim motus & tẽpus) flexu transfertur ad significandũ tẽpus idoneum quo res aliqua sit agitanda. Hinc Tull famil. lib 6. epistola 11. ad Aulum Trebatium Quotidie aliquid fit lenius & liberalius quam timebamus. Quæ (spectantia scilicet ad leniendum Cœsarem) quando in *temporum inclinationibus*, sæpe paruis, posita sunt: omnia *momenta* obseruabimus, neque vllum prætermittemus tui iuuandi & leuandi locum, id est, tempus idoneum; vt sæpe alias. Hunc locum, *tempora vel momenta*, ita allegat & B. August. de vnitate Ecclesiæ cap.

fiæ cap. 11. licet longe aliter epistola 78. & contra epistolam Fundam. c. 9.

CREDIMVS vtroque vocabulo, græco & latino, hîc, vt alibi, non præcisè significari tempora ipsa; sed simul inuolui res quæ suis temporibus sint agendæ. Nam in has potissimum est *potestas Patris*, in qua Dominus ait eum illas posuisse. sicuti cum dicitur. 1. Tim. 1. *Regi sæculorum*; sub *sæculis* omnes res sæculares seu temporales comprehenduntur. Et ad Heb. 1. *Per quem fecit & sæcula.*

VERS. 8. Sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos; & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.

QVOD dicitur, *super venientis spiritus sancti in vos*, posset reddi per ablatiuos absolutè positos; sed melius videtur reddere eo modo quo noster vertit, quoniam sic est magis expressa significatio Spiritum Sanctum esse anthorem illius virtutis quam expectabant Apostoli. Est vero hæc virtus, de qua Lucæ 24. Dominus dixerat Apostolis, *Vos sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Quæ virtus seu potentia quid quantumque complexa fuerit, diximus ad ver. 4. fuit nimirum tam varia tamque copiosa, vt propter eam dictum fuerit Apostolos baptizatum iri Spiritu sancto. v. 5. huius.

PORRO istud [superuenientis] hic extendi seu ampliari ad tempus futurum, propter verbum principale illius temporis, *accipietis*, quiuis mediocriter logicus per se potest iudicare.

QVOD nonnulli hîc philosophantur de superueniente Spiritu S. quasi in Scriptura soli Deiparæ & Apostolis Domini tribuatur; illi quidem Luc. 1. ibi, *Spiritus sanctus superueniet in te*; Apostolis autem, hoc loco: id sine firmo fundamento est. Nam cap. 8. huius libri, significatur quod & in Samaritanos priùs à Philippo Diacono baptizatos, per impositionem manuum Apostolicarum Petri & Ioannis superuenerit spiritus sanctus. Ita namque ibi legitur in orig. & quibusdam vet. latinis; *Nondum enim in quemquam illorum superuenerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu.* Ex quo loco, etiam hoc accipere possumus, quo sensu dicatur in omnes istos superuenturus spiritus sanctus, nimirum non ideo tantum quod dona eius sunt supernaturalia, id quod significabat istud, *ex alto*, in verbis Domini paulo ante allegatis, ex Lucæ 24: sed etiam quod isti iam antea erant iustificati, & per consequens in eos iam venerat spiritus sanctus quoad gratiam gratum facientem: sed dum illis ea postea aucta fuit diuinitus & insuper collata est gratia gratis data non vnius modi; tunc spiritus sanctus priori suo dono addens alia, secundum ea iterauit suum in illos aduentum atque illapsum. *Et eritis mihi testes*. q. d. inquit V. Beda, non adferet spiritus sanctus regnum temporale Israelitis, neque vobis in illo præfecturas & dignitates, quod regnum vos imaginatione & desiderio fabricatis; sed suam multiplicem gratiam vobis adferet, qua fiatis idonei & intrepidi testes mei, id est, rerum ad me pertinentium, quas ego vos hominibus testari volo, ad ipsorum salutem. Testes ergo, in primis resurrectionis meæ, qua ego *Apostoli qua ra te te. es Christi.*

Deus

Deus meipsum hominem die tertia ex morte suscitaui ad vitam immortalem & gloriosam: quam meam resurrectionem negant & negabunt perfidi Iudæi. De huius rei testimonio in primis sermo hîc est; vt patet ex v. 22. huius capitis. cap. 2. v. 24. & sequentibus multis. cap. 3. v. 15. cap. 4. v. 10. 33. c. 5. v. 30. 31. c. 10. v. 40. 41. c. 13 v. 30. 31. & sequentibus. Huius enim rei testimonium nō poterat præberi ab omnibus Christi discipulis, qui in eum ante passionē crediderant; quia non omnibus illis sese exhibuerat a resurrectione, sed certis quibusdam ad hoc delectis, Apostolis in primis; vt & S. Petrus dicit loco illo Actorum 10. Sed hoc testimonium, secum trahebat testimonium alterius rei, nempe quod Iesus sit verus ille & vnicus Messias, mundi Redemptor & Saluator à Deo patre olim promissus, tempore autem illo exhibitus, Deus & homo: & quod non sit expectandus alius; sed solum hic ipse expectandus sit Iudex, qui quondam venit Redemptor. Atque hæc est fundamentalis totius fidei christianæ doctrina, per Apostolos tradita; vt qui testes etiam fuerint vniuersales præcipuorū quæ Christus Dominus in assumpta humana natura egit, fecit, docuit, passus est, salutis nostræ causa. Et hoc ipsum B. Petrus dicebat cap. illo 10. Act. v. 39. *Et nos* (ait) *testes sumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem*. Dominus quoque de vniuersali hoc Apostolorum testimonio, dicebat Luc. 24. *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis*. & mox, *Vos autem testes estis horum*. Et Ioan. 15. fin. *Cum venerit paracletus* &c. *ille testimonium perhibebit de me; Et vos testimonium perhibetis; quia ab initio mecum estis*. Testes autem fuerunt Apostoli resurrectionis Christi non tantum verbo; sed in supplementum probationis, etiam per miracula. Marci vlt. in fine. Huius lib. cap. 2 v. 33. c. 3. v. 15. 16. c. 4. v. 10. 33. c. 5. v. 12. *In Ierusalem*] Prædicationem Euangelij debere incipere à Ierusalem iam antea dictum erat. sup. v. 4. & Lucæ 24. v. 47. Causæ sunt expositæ ad illum versum 4. *Et in omni Iudæa & Samaria*. Illud (omni) idem valet quod tota; & ad vtrumque sequens pertinet, vt patet ex sensu; propter id quod sequitur, *& vsque ad vltimum terræ*. Ante passionem suam dixerat Apostolis Dominus, *In ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed potius ite ad perditas oues domus Israel*, Matth. 10. nunc autem, quoniam veteribus illis promissionibus, quibus Deus fuerat pollicitus Saluatorem se Israeli missurum; per ipsum Saluatorem erat satisfactum: deinceps ad quosuis alios quoque, Euangelium, id est fidei christianæ annunciatio, iubetur deferri; quoniam *non Iudæorum Deus tantum*, Rom. 3. non Iudæorum tantum Saluator Christus; quia in semine hoc benedicendas omnes tribus terræ, Deus Abrahæ promiserat. Gen. 22. *Samaria*] Complectebatur omnem eam terram quam olim incoluerant decem tribus: distinguuntur tamen in verbis Euangelij Samaritani ab Israelitis, quoniam post captiuitatem decem tribuum Samaritæ neque Israelitæ erant neque plane gentiles, sed mixtum genus quoad religionem, nempe coloni & conuenæ Chaldæi, qui regiones decem tribuum in Assyriam translatarum, incoluerunt, eo missi à Rege Babylonis, colentes & Deum verum & Idola; vt legitur 4. Reg. 17. Porro postquam fuerunt in Assyriam vel Chaldæam translatę decem tribus; nunquam inde redierunt, vt redire permissæ sunt ex Perside tribus Iuda & Benia-

min

min per Regem Persarum. Vnde (vt hoc obiter addatur) ab eo fere tempore natũ videtur, vt omnes Israelitæ, ex quacunque tribu essent, Iudęi dicerentur, à tribu maxime honorata, & à regibus beneficijs affecta. Vide Estium Rom. 2. v. 17. Hoc tamen loco manifestum est strictè sumi Iudæam.

ET *vsque ad vltimũ terræ. In viam gentium ne abieritis*, dictum à Domino fuerat ante passionem, prædicaturis apostolis; dicto loco Matth. 10: Nunc autem (ob causam proxime dictam) iubentur annunciare Christi fidem non solum per vicinam regionem Samariam, sed vsque ad vltimum totius terræ, hoc est, per omnes gentes, vt dicitur Matt. vlt. v. 19. Lucæ vlt. v. 49. Marci itidem vltimo, v. 15.

PER hæc autem verba Domini, Eritis mihi testes &c. significatur tacitè (vt antea diximus ad v. 7.) negatiua responsio ad quæstionem ab Apostolis propositam; Dominum scilicet non temporale regnum allaturum genti Israeliticę, circumseptum vtique llimitibus suis veteribus; sed regnum suum esse spirituale, ministerio Apostolorum reliquorumque Christi discipulorum & ipsis successorum, stabiliendum & inchoandum Ierosolymis, inde propagandum per vniuersam Iudæam, vniuersamque Samariam, & per omnes deinde nationes. Qua latitudinè regnum, ille carnalis Israël nunquam habuit, nunquam expectauit, nunquam sperauit.

EADEM verba Christi Domini, refellunt omnes illos qui cum sint hæretici, suam congregationem, quocunque nomine censeatur, venditant nomine Ecclesiæ Christi; quoniam docere non possunt suæ sectæ communitatem inchoatam & propagari cœptam fuisse Ierosolymis per Apostolos spiritu sancto post ascensionem Domini repletos; ac inde diffusam per Iudæam & Samariam, & vsque ad vltimum terræ. Quo argumento, Donatistarum gregem Ecclesiam Christi non esse ostendit S. August. in libro illo aureo de Vnitate Ecclesiæ cap. 11. & contra quamuis aliã, hæreticorũ quorũlibet, colluuiem, sibi nomen Ecclesiæ Christi arrogãtem, eadẽ ratione idem argumentũ valet. Id quod alijs verbis dici potest, Nullã hæreticorum multitudinẽ posse vocari catholicam (quæ est vna proprietatum Ecclesiæ) eo quod in ratione huius attributi, includatur etiam hoc quod his Domini verbis exprimitur; scilicet quod ea non solum diffundatur per omnes terras, sed etiam quod huius propagationis initium fuerit Ierosolymis, inde progressæ per Iudæam & Samariam; idque totum ministris eiusdem negotij Apostolis Domini per se & per suos subsidiarios. Tali enim modo, id est, per se & suos, præstiterunt id quod Dominus hîc ipsis iniungebat, *Eritis mihi testes in Ierusalem* &c. Confer. Tertull. de præscrip. c. 32. S. Aug. de vnitate Ecclesiæ c. 4. Valde autem ponderanda sunt ista Domini verba, suum ipsius corpus quod est Ecclesia, describentis; & quidem verba nouissima ad Apostolos dicta, Sequitur enim.

Catholicæ ecclesiæ designatio per verba ista Christi.

VERS. 9. Et cum hæc dixisset; videntibus illis, eleuatus est; & nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Nubes cur Christum susceperit.

ELEVATVS est,] Inter ascendendum benedicens Apostolis, manibus eleuatis Lucæ 24. Quæ benedictio videtur fuisse spiritalis cuiusdam gratiæ collatio per sensibile signum eleuatarum supra eos manuum; specialiter autem consolatio & spiritale gaudium. Lucæ 24. in fine. Eleuatus est autem, non subito abreptus, sed paulatim recedens in altum. dicto Luc. 24. *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Hoc factum est, ait Chrys. vt Dominum, tanquam regem cœlorum, in ipsum cœlum ascendere intelligerét Apostoli (quod ipsum paulo post confirmatur testimonio angelorum) non vero vspiam in secretam aliquam terræ regionem secedere, quomodo Helias fecit, abreptus curru igneo per aërem. Solet enim Deus suæ maiestatis & potentiæ significationem dare in nube, nebula, caligine. Ita factum tempore veteris testamenti, & tempore noui; & fiet adhuc in fine sæculi, Christo Domino ad iudicium veniente. Scripturæ sunt Exod. 13, in fine, cap. 19. diuersis locis. 3. Reg. 8. v. 10. Matt. 17. vbi agitur de Domini transfiguratione, quod apud Marcum quoque & Lucam Euangelistas repetitur. Venientem Dominum ad iudicium, suam maiestatem demonstraturum per hoc quod nubibus insidebit; ipse prædixit Matth. 24. v. 30. & 26. v. 64. & hîc paulo post dicent Angeli, inquientes, *Sic veniet* &c. Ad maiestatis vtique diuinæ Christi Domini demonstrationem hoc factum est, quòd nubes ipsum, postquam aliquousque sursum ascendisset, subduxerit ab oculis suspicientium Apostolorum; obtegendo nimirum.

CREDIBILE autem est fuisse nubem lucidam, qualis in transfiguratione fuerat: & eam siue aliunde subito adductam, siue repente ibi compactam, ea qualitate tum demum fuisse affectam, splendore dico, seu luce: Huc adducit Chrys. & alij illud ex Psal. 96. *Nubes & caligo in circuitu eius.* Et illud Psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Quæ loca in expositione Psalmorum videmur satis explicuisse. *Videntibus illis*] vt testes possent esse ascensionis Chrys. Oecumenius.

VERS. 10. Cumque intuerentur in cœlum, euntem illum; ecce, duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis.

ILLVD (in cœlum) ambiguum est vtri iungendum sit, an verbo *intuerentur*, an participio *euntem*; sed ad sensum non refert vtri adiungas, & vtrumuis patiuntur codices tam Græci quam Latini. Quamuis enim Græca loco illius complexi, *euntem illum*, habeant genitiuos qui nobis sint reddendi per ablatiuos absolute positos: tamen id non obest quo minus clausula illa *(in cœlum)* determinet verbum præcedens etiam in codice Græco. Id quod magis quadrat cum subsequentibus angelorum verbis, *Quid statis aspicientes in cœlum?*

Sed

Sed neque nostra versio obstabit; sic enim intelligetur, Cumque intuerentur in cœlum Apostoli, euntem nimirum Dominum, ecce &c. Est autem ponderanda vis verbi *intuerentur*: quoniam vocabulum Græcum significat fixos immotosque oculos in rem quampiam tenere: vt certè tenebant Apostoli in cœlum, Domino ascendente.

CÆTERVM latina nostra versio hîc scrupulum patitur: videtur enim non consistere cum eo quod proxime præcessit, *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Quomodo ergo nunc dicitur quod intuerentur euntem illum? Responsio. Græca lectio hanc difficultatem non patitur, præsertim si istud, *in cælum*, iungatur præcedenti: Ita enim sonat, *Cumque intuerentur in cælum, eunte illo*: sed latina hæc nostra aliquid patitur; quod tamen tolli potest, dicendo quòd verbum *intuerentur* quatenus trahit hoc complexum, *euntem illum*, sit intelligendum non iuxta euentum, sed iuxta conatum. vt in quibusdam alijs vsuuenit. Sic enim accipiendum est & illud Apostoli ad Gal. 1. v. 13. vbi ait de se, quod expugnabat Ecclesiam Dei.

ECCE *duo viri astiterunt iuxta illos*. Non est dubium millia Angelorum adfuisse honoris causa Domino suo & nostro, ascendenti in cœlum; iuxta illud Psal. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium*: sed ex toto numero duo angeli remanserunt prope terram vicini Apostolis, vt eos confirmarent & plenius instruerent de Christi in ipsum cœlum ascensu. Hi vocantur *viri* propter similitudinem assumpti corporis humani in specie virili. Pauore fuissent consternati Apostoli, inquit Chrys. si in forma & splendore Angelorum dignitati congruente, apparuissent. Angeli in sacris literis vocantur & alias *viri* Genes. 18. v. 2. 16. Dan. 10. v. 5. Lucæ 24. v. 4. infra c. 10. v. 30. Apparuerunt tamen *in vestibus albis*; tum vt hoc modo sese esse Dei Angelos declararent, tum vt ea ratione facerent Apostolos in se intentos, qui iam frustrà intendebant oculos in cœlum. Ita Oecumenius post Chrys. Tum etiam vt candore vestium demonstrarent lætitiam quam Apostoli ex Domini ascensione capere deberent. V. Beda.

V. 11. Qui & dixerũt, Viri Galilæi, quid statis aspiciẽtes in cœlũ?

VIRI *Galilæi*.] Apostolos alloquuntur, non alium titulũ eis tribuentes quam patriæ suæ; idque ea de causa vt sese declararent ipsis esse dignitate superiores, & hoc eo fine, vt fide dignos eos Apostoli habeant in eo quod dicturi sunt, ita Chrysostomus. Fuerunt autem Apostoli Galilæi, vt ex Matth. 4. & Io. 1. & ex huius lib. c. 13. v. 31. satis apparet; etsi non omnes fuerint ex tribubus Zabulon & Nepthalim, quarum sors fuit Galilæa superior (quæ & Galilæa gentium) & inferior: quoniam mixtim habitabant tribus. Nam & ipse Dominus ex tribu Iuda, fuit tamen Galilæus ex Nazareth.

QVID *statis aspicientes in cælum*? Sensus est, Frustra oculos in altum tollitis, hîc hærentes & expectantes reditum Saluatoris. Non redibit ille conspicuus mortalibus, nisi in fine sæculi, palam iudicaturus omnes homines qui vnquam fuerint. Et tunc, redibit eadem specie & maiestate, qua nunc à vobis abiuit in cœlum. Hoc declarant verba sequentia Angelorum ad Apostolos.

HIC *Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quem ad modum vidistis eum euntem in cœlum.* Hic IESVS] Signanter ita loquuntur Angeli; ad declarandum quod non alius in fine mundi iudicabit genus humanum, quam qui illud redemit, Vnigenitus Dei filius homo factus. Id quod non solum Scripturæ vbique inculcant, sed & symbolum fidei christianæ manifeste omnes fideles docet. *Qui assumptus est à vobis in cœlum.* Tanquam humana carne indutus, est assumptus ex terris sursum; est euectus: qui vt Deus, propria virtute ascendit. *In cœlum.*] Quod Apostoli corporalibus oculis videre non poterant, Dominum vsque in ipsos cœlos ascendisse; hoc discunt testimonio horum angelorum. Chrys. ne illum vspiam in terris conspicuum quærerent. Sic & Beda. *Sic veniet quem ad modum vidistis eum euntem in cœlum.*

HOC est, redibit in fine seculi, in eodem corpore glorioso ac splendidissimo, in quo iam abiuit in cœlum. Redibit cum exercitu angelorum, redibit insidens nubibus tanquam rex solio suo, ad maiestatis manifestationem. Scripturæ hæc tradunt Matt. 24. 25. 26. His verbis Angeli Apostolos docuerunt non amplius ipsos visuros Christum Dominum in propria sua specie humana; ideoque ad diuinitatis eius altiorem considerationem animos eorum attolli oportere, quam sustulissent hactenus, vt in humanitate eius defixi, ac tenerè humanoq; nimium affectu illam diligentes. Qua de causa Dominus ijs dixerat, *Ego veritatem dico vobis, Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Ioannis 16. In quem locum videatur Tractatus S. August. 94. in med.

VERS. 12. Tunc reuersi sunt Ierosolymam à monte qui vocatur Oliueti; qui est iuxta Ierusalē sabbati habens iter.

TVNC] Postquam hæc ab Angelis audijssent: & postquam Christum Dominum iam in cælo ad dexteram patris sedentem, ipsi in eodem monte vnde Saluator ascenderat, adorassent; vt legitur Lucæ 24. in fine. *Reuersi sunt*] cum gaudio magno ait textus Euangelij ibid. *Ierosolymam*] donec accepissent dona varia Spiritus Sancti sibi ad functiones Apostolicas necessaria, ibi mansuri iuxta præceptum Domini iam sæpius repetitum. *A monte qui vocatur Oliueti*] In cuius latere est Bethania, vnde Christū ascendisse legitur dicto cap. Luc. 24. Erat autem hic mons ad orientem vrbis Ierusalem; sicut Golgotha; id est, mons Caluariæ ad Aquilonē erat monti Sion, teste B. Hier. de locis hebraicis.

QVI *est iuxta Ierusalem, sabbati habens iter.* Sensus est, qui abest à Ierusalem non longiore itinere quam quod Iudæis licebat conficere, sabbato, citra festi violationem. Aberat autem fere duo millia passuum: nam Ioannis 11. v. 18. dicitur Bethania (vnde Dominum ascendisse constat ex Lucę 24 ea autem in latere erat montis Oliueti) distitisse à Ierusalem circiter stadijs quindecim. At Iosephus Antiq. 20, 6, §. 9. dicit quinque stadijs abfuisse ab vrbe; maiora scilicet stadia supputans. Stadia vero octo conficiunt vnum miliare, id est mille passus. Intelligendi sunt autem passus geometrici, quorum vnusquisque continet quinque pedes, seu duos passus minores, simplices vulgares,

vulgares. Intelligenda item sunt milliaria veterum more appellata, proprie nimirum vt nomen sonat; non nostratia, multo mi:ùs germanica. Vnde iam patet verissime dicere B. Hierony. in lib. de locis hæbraicis, Beth-aniah, villa in secundo ab Ælia miliario, in latere montis Oliueti; vbi Saluator noster Lazarum suscitauit; cuius monumentum Ecclesia nunc ibidem exstructa, demonstrat. Ita ille. Atque sic per collationem scripturarum allegatarum ex Luc. 24. ad finem, & ex Ioan. 11 & huius loci, discimus qua tum fuerit *iter sabbathi*, cuius hic fit mentio. Nempe licuisse Iudæis sabbato facere iter bis mille passuum animi causa vel pietatis gratia, sine sabbati violatione; quamuis prima fronte verba legis videantur id non permittere; Exod. 16. v. 29. & Deut. 5. v. 14. sed per epijkiam erat accipienda; vt significatur Matth. 12. v. 5. Et secundum hæc corrigi possunt quæ nonnulli hic de itinere sabbati dixerunt; & quæ ex Rabbinis Iudæorum recitat, nec probat, B. Hierony. epist. 151. ad q. 10.

VERS. 13. Et quum introissent, in cœnaculum ascenderunt: vbi manebant Petrus & Ioannes,

ET *cum introissent*] scilicet Ierosolymam. Hoc enim subauditur ex versu præcedente. Quare post verbum (introissent) commatica distinctio ponēda est; vt deinde sequens particula ita iungatur. *In cœnaculum ascenderunt.* Hæc distinctio manifesta est in græco codice. Ex quo eodem liquet quod hic interpres dixerit *cœnaculum* pro superiore domus parte. Fuit autem ea domus haud dubiè magna & ampla, vel certe altitudine compensans quod deesset amplitudini; quæ commode caperet totum collegium apostolorum.

CREDIBILE est quibusdam anthoribus fuisse eandem in qua Dominus nouissimam cœnam ante passionem habuerat. Quod non videtur; cum constet eam domum in quam nunc ingrediuntur Apostoli fuisse in monte Sion vbi die Pentecostes acceperunt Spiritum sanctum. Verisimilius fit in hac eadem fuisse congregatos Apostolos die resurrectionis Domini, & sępe postea; atque etiam vltimum cum discipulis conuiuium, in illa ipsa, proxime ante ascensionem, Dominum egisse. Fuisse constat domum & amplam & amicā; hospité videlicet fuisse vnum ex sincerioribus Christi Domini discipulis. Cur non videatur illud alterū, ratio est, quia illa domus nouissimæ cœnæ videtur fuisse haud procul à porta orientali; mittebantur enim duo Apostoli ad parandum pascha, ex Bethania; & statim ingressis occurrit ille baiulus aquæ, quem sequi erant iussi. Sion autem erat meridionalis vrbi. Expendat lector.

VBI *manebant Petrus & Ioannes* &c. Duodecim Apostoli nominatim recensentur in euangelio Matt. 10. Marci 3. Lucæ 6. hic autem numerantur vndecim, sed non seruatur omnibus his locis inter eos idē ordo, vt facile liquet cōferenti: nihilominus omnibus his Petrus primo loco ponitur, tametsi frater eius Andreas esset eo senior, vt bonus author Epiphanius tradit in hæresi 51. Illud certe constat Andream priusquam Petrum fuisse à Domino vocatum, Ioannis 1. Huius rei haud dubie causa illa est, quod principem Apostolorum Christus Petrum fecerat, antequam ista omnia scriberentur ab Euangelistis,

& a nostro historico sacro. *Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus; Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Manebant*] habitabant, commorabantur. Non significatur autem quod fixè illic manebant, nusquam egredientes: Obstat enim quod legitur Lucæ 24 in fine; *Erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum.*

VERS. 14. Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter,

ID est, vna mente vnoque animo perdurabant, *In oratione*]: addit græcus codex *Et obsecratione.* τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει. Quæ duo S. Paulus Apostolus coniungere solet; vt Ephes. 6. v. 18. Philipp. 4. v. 6. 1. Timot. 2. v. 1. & c. 5. v. 5 (quibus duobus posterioribus locis ordinem inuertit) siue aliquam differentiam in his esse volens; siue potius (vt placet Chrysostomo commentanti ad penultimum ex locis allegatis, eo propendente etiam Theophylacto, ibid) maioris energiæ causa, diuersis nominibus rem eandem inculcans. Noster Interpres prius horum nominum hic à S. Luc. positorum, constanter *vertit orationem*: posterius, *obsecrationem*: quod tamen qui sese exactius transferre existimant, malunt vertere deprecationem, id est precationem qua petimus mala nobis vel tolli vel auerti.

Orationis qualitas & necessitas.

OBSERVANDVS est hic locus vbi dicitur Apostolos perseuerasse in oratione, non solum vt intelligamus vnam ex conditionibus orationis esse debere perseuerantiam petendi; sed etiam vt videamus Deum multa quæ se daturum decreuit, imo nobis promisit, velle dare non nisi orantibus, & per eius gratiam sedulo ambientibus. Promiserat Apostolis spiritum sanctum non semel: illi tamen vt eum a Deo accipiant, feruentissime & constanter orant.

CVM *mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Cum mulieribus*) græce est σὺν γυναιξί, quæ græca vox etsi ambigua sit ad mulierem & vxorem, vt sunt voces illi synonymæ in linguis quibusdam vulgaribus; tamen valde insulsus est Erasmus in annot. huius loci, dicens hoc loco accipi posse pro *vxoribus*; propterea (addit) quia S. Lucas separat Mariam ab illis. Hæresiarchæ quidam libenter hoc sequuti sunt, odio cœlibatus Ecclesiastici; sed vel pari imperitia vel insigni impudentia. Quorum enim vxores eæ fuissent? Certe Apostolorum, de quibus sermo præcessit. At iam pridem Domino dixerant, *Ecce nos reliquimus omnia.* Matt. 19. Quo sermone vxores etiam fuisse comprehensas, subsequens ibidem Domini responsio manifestat. Accedit quod de nullo apostolorum nisi de B. Petro, constat habuisse vxorem. Et profecto tam absurda est hæc interpretatio, vt etiam hæretici in versione vulgari eam deserant, & cum nostro interprete hic reddant *mulieres*; *les femmes*; non, *leurs femmes*. Ita vidimus in nouo testamento gallico impresso Lugduni, prohibito tamen, & in altero impresso Rupellæ.

SED quænam fuerunt istæ mulieres? Discipulæ sanè Domini, id est fideles Christianæ; non illæ solum quæ ex Galilæa eum fuerant secutæ, de quibus Lucæ 8 in princip. & cap. 23. in fine; sed etiam ciues Ierosolymitanæ plurimæ, quæ in ipsum crediderant, & quibus lamentantibus, ad montem Cal-

uariæ

uariæ vadens, dixerat, *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me* &c. Eodem c. 23. v. 28. Nec est putandum quod istæ mulieres erant in eadem domo cum Apostolis; neque hoc significat illud, *cum mulieribus* &c. Orationis perseuerantis coniunctio hic designatur, non in eundem locum congregatio. Id quod eo magis dicendum est, quod ipsi quoque Apostoli eas quas hic dicuntur fecisse orationes, fecerint magna parte in templo ipso Ierosolymitano, Lucæ 24. in fine. (nisi forte hoc intelligendum est euenisse demum post acceptum spiritum sanctum) Sicut enim quum Petrus Apostolus captus esset ab Herode, *oratio ad Deum fiebat ab Ecclesia pro eo sine intermissione*, vt est c. 12. huius operis, nec tamen omnes fideles in eundem aliquem locum conueniebant, sed erant per varias domos in contubernia distributi, vt ex eodem 12. c. patet, v. 18. sic hoc tempore alijs alijsque locis mulieres fideles, ab Apostolis monitæ, congregabantur & orabant pro salute & progressu nouellæ Ecclesiæ Christi. Nec dubium, quin earum aliquis numerus fuerit cum Maria matre Domini, in eadem vbi illa erat, domo. Quam domum credibile est fuisse B. Ioannis euangelistæ, non quam adhuc possidebat ut propriam, omnia enim Apostoli dimiserant, sed quam fratribus fecerat communem. Traditur enim Ierosolymis is domum habuisse; et iam *acceperat matrem Domini in sua, ex illa hora*, quando dixerat Dominus matri suæ & ipsi ea quæ leguntur Ioan. 19. Id quod eo fit verisimilius, quod Deipara postea, etiam Ephesum profecta, illic apud sanctum Ioannem Apostolum, velut tutorem quemdam suum, egerit; vt est legere tomo 2. Concilij Ephesini cap. 27. in epistola ad Clerum Constantinopol. & Epiphanius dubie dixerat, hæresi 78. Ea vero epistola est Concilij Ephesini. Potuit esse domus Salómes, matris Ioannis Apostoli. Vel forte erat domus illius MARIÆ de qua cap. 12. v. 12.

ET MARIA *matre* IESV.] Cur illa hærebat Ierosolymis, & non redierat in ciuitatem suam Nazareth? Responsio. Ex verbis Domini proxime citatis Ioan. 19. valde verisimile est Virginem Deiparam tunc fuisse viduam marito. nam alioqui ad eum cura pertinuisset vxoris suæ; nec singularis fuisset ratio vlla, cur committeretur B. Ioanni, à Domino morti proximo. Sane & Epiphanius ita tradit, hæresi 78. & Oecum. hoc loco, hanc reddens causam cur in huius rei historia hic nulla fiat B. Ioseph mentio.

SI QVIS roget, quare Deipara hic nominetur separatim, quum fuerit comprænensa generali nomine *mulierum*: Dicendum est, non liquere an mulierum nomine voluerit eam B. Lucas in verbis præcedentibus comprehendere, magisque videri noluisse; siue quia virgo perpetua ipsa est, siue quia indefinitè loquutus fuerat de mulieribus fidelibus, atque ita ex vi sermonis non continebatur. Cur autem post alias mulieres nominetur: fortè nulla est specialis ratio; non enim semper respondet ordo enumerationis personarum, ordini dignitatis earum. Potest etiam fieri vt ipsa ita requirente B. Lucas hunc ordinem ei dederit, verè humili & modestæ. Nam & ipsa per eandem humilitatem sese B. Ioseph postponit, qui tamen nihil in IESV puero habebat; dum ita loquitur, Lucæ 2. v. 48. Ecce *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

ET *fratribus eius.*] Græce reperitur præpoſitio hoc modo, *Et cum fratribus eius.* Quæ repetitio nos iuuat vt non cogamur intelligere quod iſti fratres Domini fuerint congregati cum Apoſtolis eodem loco, vel cum mulieribus præmemoratis; nihilo ſane magis, quam ipſas mulieres debeamus intelligere fuiſſe congregatas in eadem domo cum Apoſtolis. Duntaxat enim ſignificatur quod ſicut Apoſtoli erant perſeuerantes in oratione; itemque ſanctæ mulieres : ſic erant & iſti fratres Domini diuerſis licet locis hi, illæ & illi. Porro
Qui fratres Domini. iſti *fratres Domini* non ſunt intelligendi filij ipſius Ioſeph quos ille ex alia vxore habuerit (nec enim aliam duxit quam Deiparam); neque filij germanarum ſororum Deiparæ, ipſa enim vnica filia fuit S. Ioachim & b. Annę : ſed intelliguntur generali nomine conſanguinei Domini Saluatoris ; more Sacrarum literarum, vbi tam generaliter ſumitur nomen fratrum, non raro. Exemplum manifeſtiſſimum eſt Gen. 13 v. 8. & 11. vbi Abraham & Loth. vocantur fratres, quum tamen ille eſſet huius patruus.

QVOD ſiquis roget, quam propinquo gradu conſanguinitatis Chriſtum Dominum attigerint ij qui hic fratres eius appellantur : curioſa quæſtio eſt, & certum nobis eſſe debet, quod non omnes æquè propinquo. In Euangelio Ioannis 19 v 25. Maria Cleophæ dicitur ſoror matris Domini, eo quod eſſet ei conſobrina aut patruelis : genita ſcilicet aut ex fratre, aut ex ſorore Patris vel matris Deiparæ. Dicitur autem Cleophæ, nimirum filia; non autem vxor; quoniam maritus eius fuit Alphæus. Cum enim tribuantur ei filij Iacobus minor & Ioſes, Matth 27 v. 56. Marci 15. v. 40. cumque hic idem Iacobus nominetur Alphæi, ſcilicet filius, hoc ipſo cap. v proximè præcedente, & Matth. 10. Marci 3. Lucę 6: liquet, non Cleopham ſed Alphæum fuiſſe maritum huius Mariæ. Et cum huius Iacobi fratrem ſeſe nominet Iudas Apoſtolus initio ſuę Epiſtolæ catholicæ : patet eandem Mariam etiam S. Iudę matrem fuiſſe. Quare & Simonis illius mater fuiſſe meritò videtur, qui his tribus connumeratur Matt. 13. v. 55. & Marci 6. v. 3. Hi ergo propinquiores cæteris fuerunt : ſed horum tres (certe duos) conſtat Apoſtolos fuiſſe, & ſuperius nominatos; ita vt nomine fratrum Chriſti non videantur hic comprehendi.

Obiectio. HVIC loco videtur illud poſſe obijci quod legitur Ioan. 7. v. 5 *neque enim fratres eius credebant in eum.* Quomodo igitur hic dicuntur perſeueraſſe in oratione, vt Apoſtoli Domini, & vt mater eius, ac vt mulieres fideles? Reſpon-
Responsio. deri poſſet, in magno numero conſanguineorum, fuiſſe qui non crederent; fuiſſe qui crederent; de illis, eo loco Ioannis eſſe ſermonem; de his autem loqui hîc B. Lucam. Poſſet etiam reſponderi illos ipſos qui tunc increduli fuerãt, poſtea eſſe factos fideles. Quæ eſt Chryſ. reſponſio hom. 3 in Acta ad hunc locum. Atque hactenus duæ priores huius cap. partes de quibus in argumento diximus: ſupereſt tertia, de B. Matthiæ ad Collegium Apoſtolorum adiunctione, diuinitus facta.

VERS. 15.

VERS. 15. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit; (Erat autem turba hominnm simul fere centum viginti.)

IN *diebus illis*] post ascensionem Domini, & ante aduentum Spiritus Sancti, qui tunc expectabatur. *Exurgens Petrus*] Tanquam princeps Apostolorum, tanquam vniuersalis pastor gregis dominici sibi concrediti. Chryf. *In medio fratrum*] Ita tunc vocabantur viri qui erànt christiani; & mulieres christianæ, sorores. Exempla in Scripturis noui testamenti & apostolicis passim sunt obuia 1. Cor. 7. & 9. & alibi. *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti.* Non igitur quum hæc quæ deinceps hoc cap. narrantur, facta sunt, aderant soli Apostoli; sed complures alij fideles viri, partim ex numero 72. discipulorum Saluatoris, partim ex alijs, præstantiores vtique & præ reliquis eminentes, vt admonet Oecumenius; & videtur S. Lucas innuere hîc, dum pro isto (hominum) græcè dicit ὀνομάτων q. d. virorum nominatorum, seu, vt vulgo dicunt, notabilium. Ait Paulus Apostolus 1. Cor. 15. Dominum à sua resurrectione apparuisse quingentis et eo amplius fratribus simul: ex eo munero credibile est hic complures ad fuisse, ait idem Oecum. Et quod tam signanter B. Lucas isto loco hunc numerum commemorat, videtur significare quod non continuò in eadem domo cum Apostolis morabantur; incommodum enim tanta turba attulisset occupationi quotidianæ Apostolorum: sed quod fuerint illuc euocati, paulatimque ac diuersis vijs, ac diuisim, illuc conuenerint; propter metum Iudæorum. Cuius rei nostra infelicia tempora, exemplum nobis frequens præbent, in ciuitatibus vbi dominantur hęretici. Conuenerant igitur hi centum viginti, tanquam ad concionem; non tanquam ad familiare aut quotidianum cum Petro colloquium; quod solis Apostolis conueniebat. Fuisse congregatos tanquam ad concionem, indicat illud (*exurgens,*) Nam in familiari colloquio Petrus vtique consedisset; hîc autem dicitur *stans* locutus fuisse, concionatorum more.

VERS. 16. Viri fratres, oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid, de Iuda;

SCRIPTVRAM] non de vna certa scripturæ sententia loquitur (retento verbo pręsentis temporis) sed vniuersè: vt sensus sit, Quidquid Spiritus sanctus de Iuda per os Dauid prædixit, id omne (necessitate huius hypothesis) debet rebus ipsis impleri, hoc est, effectui mandari. & proinde quæ de illo diuinitus prædicta nondum completa sunt, debent nostro etiam, vbi opus est, ministerio compleri. Tum deinde Petrus Apostolus, quænam de Iuda diuinitus prædicta, tunc iam euenerant; commemorat vsque ad v. 21. quo versu quid adhuc implendum restet, adiungit; vt sic procedatur ad alium in eius locum surrogandum. Dicit ergo hoc loco de Iuda.

QVI *fuit dux eorum qui comprahenderunt* IESVM: *Dux*] vox græca significat viæ ducem; sed notum est ex historia Euangelica quod Iudas non solum præbuerit ducatum viæ his qui comprehenderunt Dominum; sed etiam quod illos ipsos conuocauerit & collegerit; vt patet Ioan. 18. in princip. Verum Sanctus Petrus hoc loco, moderationis ostendendę causa, satis habet eius factum quam simplicissimè narrare. Indicat hoc isto loco Chrysost.

VERS. 17. Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius.

HOc est, qui fuit vnus ex numero duodecim Apostolorum; & non tantum ex discipulis Domini. Hoc Euangelica historia, indignitatem rei volens exprimere, hac emphasi designat, *Ecce, Iudas, vnus de duodecim, venit, & turba multa cum eo &c.* Quocirca cum S. Petrus concionem hîc habens dicit isto loco, *in nobis*; non totam turbam centum viginti hominum demonstrat; sed collegium Apostolorum; quod haud dubiè B. Petro ista concionanti proximum loco erat. Conformiter, quando addit, *& sortitus est sortem ministerij huius*: de ministerio Apostolico loquitur. *Quod ministerium*, Iudas dicitur *fuisse sortitus*, id est sorte accepisse; quoniam ratione ac dispositione nobis occulta, nulloque hominum merito, Deus sua dona prębet ijs quibus prębet; siue sint gratię gratis datæ (inter quas Apostolatus) siue gratum facientes: etsi ipse rationem intra se teneat, vt qui nil facit temere; Hac enim significatione, in sacris literis dicuntur homines *sorte vocari*; *sortem inter sanctos accipere*. Huius lib. c. 26. v. 18. Ephes. 1. v. 11. Coloss. 1. v. 12. Confer quæ dicimus infrà, ad c. 26. v. 18. Ex quo liquet, supra humanam conditionem esse; siquis scire velit causam quare Deus ad Apostolicum munus elegerit Iudam, quem sciebat tanti sceleris fore authorem. Quæ hactenus S. Petrus dixit de Iuda, prædixerat Spiritus sanctus per os Dauid, psal. 40, ibi, *Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*: Ipso Domino Saluatore sic illam prophetiam exponente, Ioan. 13. v. 18. Nec minus aperta est eiusdem Dauid à Spiritu Sancto inspirati, prophetia, psal. 54. v. 13. 14. 15.

VER. 18. Et hic quidē possedit agrū de mercede iniquitatis.

VOx græca ἐκτήσατο, vel *possedit* vel *acquisiuit* reddi potest: sēsu pene codē. dicitur autem hoc de Iuda, quoniam eius pecunia, quam ipse mercedem proditionis acceperat, ager figuli cuiusdam emptus est, in sepulturam peregrinorum, vt legitur Matth. 27. Imò, siquis bene perpendat connexionem huius versus cum duobus sequentibus, & quæ ad v. 19. obscurè dicit Chrys. poterit suspicari Iudam in illo ipso agro sese suspendisse. Certe in eo fuisse sepultum, Rabanus ad hunc locum tradidit; vtique ex veteribus acceptum; & ea ratione intelligit quod eum possederit. Retulit hanc sententiam etiam Liranus; nec tamen oportet quod ante mortem Iudæ fuisset emptus ager, vt dici possit eum possedisse, vt ille vult.

ET *suspensus crepuit medius*;] Pro isto *suspensus* græcè est *pronus factus*, seu,

sed, *vultum habens deiectum versus terram*: Sed non est dubitandum, esse significationem laqueo suspensi, ab accidente sumptam, ex eo quod talis est capitis situs laqueo necatorum, vt scilicet faciem versus terram deijciant. In græco quidem codice Matt. 27. non plus dicitur, quam *quod abiens seipsum suffocauerit* seu *strangulauerit*: sed quia id laqueo fieri solet per suspendium; ideo recte interpres noster ibi dixit, *laqueo se suspendit*. *Crepuit medius*] Non vi suspendij, sed Deo vindice, genus ignominiæ extraordinarium illius cadaueri suspenso inferente. Quomodo & Arius speciali Dei punitione rupto corpore sua viscera deiecit in cloacam secessus. Quam Iudæ cum Ario collationem hîc facit venerabilis Beda, & Epiph. hæresi 68. & 69. S. item Ambrosius de fide 1, 9. *Et diffusa sunt omnia viscera eius*. Græcè est *effusa*, ventre scilicet dirupto per hoc quod crepuit medius. Quod nonnulli dixerunt, Iudam post Domini demum resurrectionem perijsse; quod alij quidam, non perijsse strangulatione, sed post laqueum aliquamdiu superuixisse, & ventrem eius aqua intercute fuisse disruptum, aut (vt quidam) curru prætereunte per ventrem eius acto: omnia hæc ad priuatas opiniones sunt reijcienda, nihilique facienda.

VER. 19. Et notũ factũ est omnibus habitãtibus Ierusalem;

NOTVM *factum est*, scilicet id quod nunc dixi, Agrum illum esse emptum pecunia Iudæ, quam is sibi pararat, vendendo Dominum suum his qui eum ad mortem quærebant. Item, illum suspensum crepuisse medium, ac omnia eius viscera fuisse effusa in terram.

ITA *vt appellaretur ager ille lingua eorum, Haceldama, id est Ager sanguinis*. Quoniam vsque ad v. 23. continuatur sermo B. Petri, vt patet attendenti; ideoque & hæc verba sunt ipsius: verisimile nobis fit, maxime Chrysost. expositionem attendentibus, B. Petrũ hîc non tam de idiomate sermonis, quã de institutione huius vocabuli velle loqui: ac significare quod, Deo sic ordinãte in sempiternam memoriam sceleris Iudæ proditoris, ipsi Iudæi Ierosolymitani hostes Christi, agrũ illum nominauerint Agrum sanguinis. q. d. ita vt agro illi ab ipsis Ierosolymitanis inderetur hæc nomenclatura, *Ager sanguinis*. Quo pacto & noster Interpres videtur hæc verba intellexisse, dum per præteritum reddit (*appellaretur*) non autem per præsens (*appelletur*): quasi de impositione nominis per Ierosolymitanos facta, sermo sit, quæ iam præterierat, non de vsu nominis; vtpote quod & tunc in vsu erat, B. Petro hæc dicente, & diu postea. Nam dicitur Matth 27. *Propter hoc vocatus est ager ille, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem*. In hũc sensum, vt dixi, Chrys. hæc verba S. Petri accipienda docet, hom 3.

QVI idem Chrys. in repetita huius partis expositione, & aliud dignum obseruatu addit, nempe, quod Iudæi per hoc quod agro isti imposuerunt nomen Aceldama; præter intentionem suam, proprium scelus memoriæ posterorum prodiderunt; & simul vaticinium fecerunt calamitatum horribilium quæ ipsos manebant propter interfectum Saluatorem; de quo clamauerant, *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*. Matth. 27.

HIS superioribus ita expositis: nihil est necesse dicere quod ista verba v.

 19. non

19. non sint B. Petri, sed aut B. Lucæ, aut Interpretis latini; quemadmodum nonnulli improbabiliter dixerunt. Sane & alio modo dissolui poterat obiectio quæ ipsos vt hoc dicerent, induxit. Meminisse namque oportet, fuisse Galilæum B. Petrum; Galilæorum autem linguam à Iudææ idiomate (dialecton propriâ dicit hîc B. Lucas) adeo discrepasse, vt hinc idem B. Petrus in domo Caiphæ depræhensus fuerit Galilæus; quod notum est ex historia Euangelica Passionis Domini. Ac sane fieri potest vt Galilæorũ lingua non tantum dialecto seu idiomate ac loquendi proprietate, sed etiã substantia vocum sæpenumero differret à lingua tum temporis vsitata Ierosolymæ; quæ partim Syriaca, partim Chaldaica, partim mista ex vtraque erat. Istud autem Haceldamà, non Hebræum esse, sed Syriacum, docet Angelus Caninius c. 11. libelli sui quo Syriacas, quæ in nouo testamento leguntur voces explicauit. Item Lyranus hîc. Ista tamen sola verba, *id est Ager sanguinis*, quibus hîc, etiam in Græco codice, interpretatum est nomen Haceldama; non B. Petri fuisse, sed esse B. Lucæ, obiter hanc interpretationem quasi per parenthesim, interponentis; satis certum videtur. Nam in historia Euangelica sæpe idem faciunt sacri scriptores. Vide exempla Ioannis 1. cap. & alibi.

VERS. 20. Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat commoratio *eius* deserta; &, Non sit qui inhabitet in ea.

HOC testimonium ex Psal. 68. sumptum est: in quo Psalmo quamuis legatur pluraliter *eorum*, tam hebraice quam apud 70. & in nostris libris: tamen hoc loco S. Petrus singulari numero dixit, *eius*, de Iuda loquens, qui vnus erat ex numero Iudæorum Christi hostium, imò antesignanus eorum. *Eius* numero singulari habent hoc loco Græci codices, & meliores latini Missale item Romanum in epistola Missæ de sancto Mathia, Venerabilis Beda in Com. & ante illum B. August. in Actis cum Felice Manichæo c. 4. Verificatur autem hoc de Iuda, hac ratione, quod illâ pecuniâ quam ille precium proditionis acceperat, emptus sit ager in sepulturam peregrinorum, vt dicitur Matth. 27 Cœmeteria autem non solent inhabitari. Quid magis desertum esse potest sepulchris? ait hîc Chrysho. 3. in repetita expositione horũ verborũ.

ATQVE hæc iam euenerant quæ hactenus sunt commemorata ex Scripturis de Iuda: restabat autem implendum id quod deinceps attexit B. Petrus, dicens, *Et*, subaudi, scriptum est in libro Psalmorum, Psalmo videlicet 108. *Episcopatum eius accipiat alter*. id est, alius. ἕτερος pro ἄλλος. Hoc testimonium ex Psalm. 108. est sumptum, qui de Iuda proditore & CHRISTI hostibus Iudæis scriptus est. Ibi 70. pro eo quod Latinus dixit *Episcopatum*, habent ἐπισκοπὴν, quod nomen originaria significatione valde generale est, etiam prophanis scriptoribus vsitatum, sicut & nomen Episcopi. Significat enim generaliter quamcumque præfecturam alicui attributam ad quodcunque negotium vel opus fieri curandum, inspiciendum, & prouidendum. Sanctus Petrus illud hîc interpretatur de dignitate & officio apostolatus.

Apostolatus. Vsus vero ecclesiasticus appropriauit nomen *Episcopi* certo generi præfecturæ spiritualis, quod distinctum sit ab Apostolatu, & a presbyterio simplicium, vt vocantur, Sacerdotum. Sensus itaque B. Petri est, spiritum sanctum per os Dauidis prædixisse quod Apostolatum Iudæ proditoris alius deberet accipere, ne scilicet imperfectus relinqueretur duodenarius Apostolorum numerus à Saluatore institutus, Matth. 10. Luc. 6.

VERS. 21. 22. Oportet ergo, ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à Baptismate Ioannis vsque in diem qua assumptus est à nobis; testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.

NOBISCVM *sunt congregati,*] græce est, *nobiscum conuenerunt*. Id est, qui nobiscum solent perpetuo venire ad Domini IESVS sermones audiendos, & miracula videnda, seu, qui vt nos solent assectari Dominum, tanquam continui discipuli. Non loquitur solum de 72. discipulis, tametsi probabile sit eos duos quos paulo post hîc B. Lucas electos ait, ex illorum numero fuisse.

INTRAVIT *& exiuit inter nos*] hoc est, inter nos corporaliter est conuersatus. Est enim etiam vulgo vsitatum genus loquendi, quando contrariarum actionum combinatione totum illarum genus significamus. Psal. 120. Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vsque in seculum, Psal. 138. Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam; id est, omnes actiones meas. & frequēter alibi. *Incipiens à baptismate Ioannis*] Id est, ab eo fere tempore quo Ioannes Christum Dominum baptizauit. Nam exinde pene Dominus noster paulatim cœpit colligere discipulos *qui ipsum sequerentur*. Conferatur Ioannis 1. v. 35. & seqq. c. 2. v. 2. 11. 12. c. 3. v. 22. & seqq.

TESTEM *resurrectionis eius*. Cum hoc loco conferenda sunt quæ dicta fuerunt ad v. 8. Non omnes qui in Christum crediderant, poterant esse testes resurrectionis eius; sed illi demum fideles quibus ipse iam ex morte rediuiuus apparuerat. Apparuerat autē 11. Apost. Matt. vlt. Marci vlt. Lucæ vlt. & quibusdā alijs discipulis, ac postea multis simul, numero quingentis, 1. Cor. 15. Ex his igitur ait B. Petrus aliquem esse cooptandum in locum apostolicum Iudæ. Nam quod ait (*nobiscum*) idem est ac si diceret, *cum nobis vndecim*: vt liquet conferenti v. 17.

PER hoc quod in fine addit B. Petrus, *ex istis*, restringit quod generalius fuerat locutus *ex his viris qui sunt nobiscum* &c, ac declarat eum qui accepturus sit locum Iudæ, non esse quærendum extra numerum virorum tunc illic præsentium. Non est autem dubitandum quin ex omni numero assiduorum

Christi

Christi discipulorum qui tunc ad manum esse poterant, B. Petrus curator Ecclesiæ, effecerat vt præter Apostolos, lectissimi quique tunc adessent, ad numerum centum decem circiter capitum supra v. 15.

VERS. 23. Et statuerunt duos; Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Mathiam:

VERS. 24. Et orantes dixerunt;

ET *statuerunt*] Petrus scilicet cum alijs Apostolis, quos ipse designauerat verbis præcedentibus per illud (*nobiscum*) Hoc enim subaudiendum videtur relinqui, tanquam satis notum. Nam Apostoli erant vtique longe præcipui in omnibus Ecclesiam concernentibus negotijs. Vnde & c. 2, v. 14. *Stans autem Petrus cum vndecim* &c. Minus probabile est quod tota ista multitudo hos duos elegerit & præsentauerit *Duos*] Quorum vtrumque ad munus Apostolicũ iudicabant idoneum pre alijs. *Ioseph qui vocabatur Barsabas*]. Non est dubiũ hunc fuisse diuersum à Barnaba Apostolo, cuius sit mentio huius libri c. 4. in fine c. 11. sub finem, Item. capp. 13. 14. 15. Nam ille quidem in græco codice non *Ioseph*, sed *Iöses* nominatur. Deinde, ille vocabatur *Barsabas*; hic autem *Barnabas*: quæ sunt valde distincta seu cognomina seu agnomina. *Barnabas* enim ab ipso S. Luca ad finem c. 4. interpretatur *filius consolationis*: *Barsabas* autem exponitur filius reuersionis, aut filius quietis, aut denique filius iuramenti. Dubium enim est an sit hebræum vocabulum, an chaldaicum aut syriacum. Hier. in lib. de nominibus hebraicis ait ex syro & hebræo esse compositum. Præterea, hic iam habebat cognomem *Barsabas*; ille vero postea accepit ab Apostolis agnomentum Barnabæ, vt eodem cap. 4. ait S. Lucas. Hic aliud agnomen habebat; dicente hic scriptura, *Qui cognominatus est Iustus*. Pro isto (*cognominatus*) græca vox sonat *supernocatus* seu *supernominatus*; vt agnomen fuerit potius quam cognomen, si exactè loquendum sit. Est autem valde verisimile, istud (*Iustus*) hoc loco esse nomen romanum, sed à Iudæis vsitatum propter consuetudinem vitæ cum Romanis in Palestina, ac presertim Ierosolymæ degentibus: vt alia complura latina seu Romana vocabula, in euangelio posita; *denarius, census, legio, sudarium, custodia, &* nonnulla alia. S. tamen Hieronymus in supradicto lib. de nominibus hebraicis interpretatur tanquam hebræum aut syriacum, Parcens, aut Ipse alienatus. *Et Mathiam*) Non liquet an media consonans in hoc nomine sit geminanda, etsi græci codices geminent. Dubitatur an sit nomen merè hebraicum, an compositum ex Chaldaico vel syriaco & hebræo. Qui mere hebraicum putant, interpretantur *donum Domini*; qui mistum, *Paruus Domini*, *Paruulus seu pusillus Domini*.

VERS.

VERS. 24. 25. Et orantes dixerunt, Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum &c.

ORANTES *dixerunt*] Non sane omnes illi centum viginti homines (confusaneum id fuisset) sed apostoli. quare & quæ præcedunt v. proximo, de Apostolis sunt accipienda. *Tu Domine* &c. Sensus est, Nos ô Domine, istos duos discernere nequimus, vter sit dignior qui ad apostolatum assumatur; ideoque sorte cupimus hanc dubitationem dirimere; nec enim aliud possumus: Tu ita rege sortes quas mittimus, vt cadat sors super eum quem tu ab æterno ad hoc munus elegisti. Igitur cum dicunt (*ostende*) seu designa, intelligunt eam designationem à Deo faciendam per hoc quod faciat sortem cadere in eum quem ipse æterna sua electione huic muneri destinarat. *Elegeris accipere*] Id est, vt accipiat nunc in tempore, quod tu ab æterno ei constituisti; *locum scilicet ministerij huius & Apostolatus, de quo prævaricatus est Iudas*, hoc est, è quo excidit, ex quo deuiauit Iudas, *Vt abiret in locum suum*. Illud (vt) euentum notat, non finalem causam. Græce infinitinus est, & sic legitur, *abire in locum proprium*. Id est, quo factum fuit vt abiret in supplicum sempiternum ipsi a te destinatum seu decretum. Quamquam illud (suum) potest referri ad *vnum è duobus* quem Deus foret designaturus; si post illud (Iudas) distinctio ponatur, & vertas (*abeat*): Et tunc istud *Vt* finaliter poterit sumi; hoc sensu, Designa Domine quem elegeris &c. vt is abeat in locum proprium; in Apostolatum ingrediatur quem illi ab æterno decreuisti.

VERS. 26. Et dederunt sortes eis: & cecidit sors super Mathiam; & annumeratus est cum vndecim Apostolis.

DEDERVNT *sortes eis*] Græcè est *eorum*; ne quis putet quod Apostoli sortes his duobus in manus dederint, vt ipsimet sortirentur. Quare quod nos habemus, *eis*, accipiendum est tanquam datiuus communis, vt sensus sit, Apostoli curarunt mitti sortes, dirimendæ æqualitati horum duorum, seu, in vtilitatem eorum; vt scilicet ambiguitas tolleretur, quæ humanitus tolli non poterat. *Et cecidit sors super Mathiam*] Deo nimirum exaudiente preces Apostolorum præuias, & dirigente sortes ita, vt super illum caderet sors, quem ipse ab æterno Apostolatui destinauerat. *Et annumeratus est cum vndecim Apostolis. Annumeratus*] nimirum ab ipsis apostolis sese diuinæ declarationi seu designationi conformantibus. Quare quod nonnulli hîc annotant, vocem græcam, συγκατεψηφίσθη, propriè significare *per suffragia additus est*, hoc operosum est & inutile; eo quod ex superiori narratione constet verbum illud hîc impropriè sumi, pro eo quod diceretur, *Adiunctus est, annumeratus est vndecim Apostolis*, tanquam diuina designatione duodecimus Apostolorum. Non enim suffragijs

giis humanis Mathias ad Apostolatum est electus præ Ioseh Barsaba Iusto, sed diuinitus; vt fuerant electi cæteri vndecim ab ipso Christo, Matth. 10, Lucæ 6. Annumerauerunt autem Apostoli Mathiam suo vndenario numero, ipsum illic coram toto cætu in suum collegium, per B. Petri vocem, & vt credibile est, cum aliqua externa ceremonia, recipiendo. Ita opinabitur qui perpenderit caput 5. eccl. hier. apud B. Dionysium. Aliquot quæstiones ex hac narratione orientes, breuiter sunt soluendæ, Prima est, Cur Apostoli hic ad sortes confugerint, rem illicitam, inter cæteras diuinationis species. Responsio. Hæ sortes fuerunt diuisoriæ; quæ sunt licitæ, & in hominum vita sæpè necessariæ, modo earum euentus expectetur simpliciter à Deo; nō à dæmone tacitè vel expressè, non ab astris, non a fortuna, de qua stulti loquuntur velut numine quodam quod sese rebus mortalium inuisibiliter immisceat. fuisse hanc sortem diuisoriam, manifestum est, quoniam ea ad hoc ordinabatur vt ex illis duobus propositis alter designaretur qui esset Apostolorum duodecimus.

Apostoli cur ad sortes hic confugerint.

QVÆSTIO secunda. An non fuerit eadem sors, consultoria. Responsio. Fuit consultoria ex parte; quia per eam Apostoli exquisierunt à Deo quid faciendum esset, in negotio, quod ipsi terminare non poterant. Exquisierunt autem, precibus antea ad Deum fusis a toto collegio; idque cum bona impetrandi quod petebant fiducia, propter diuinas promissiones sibi à Christo factas de ipsorum precibus exaudiendis, cum præsertim negotium esset arduum, cui definiendo ipsorum prudentia non sufficeret: & tamen Ecclesiæ nouellæ necessitas, & Christi Domini institutio requireret vt compleretur duodenarius numerus Apostolorum. Nec est dubitādum, ipsum Deum Apostolis inspirasse, vt hac in re ista sorte vterentur. Qualibus circunstantijs positis; licitum sine dubio est vti sorte consultoria. Et talis sortis, licito modo adhibitæ, exempla sunt Iosue 7. v. 11. & seqq. 1. Reg 10. Sed ne tunc quidem ea vtendum est, nisi cum magna diuinæ maiestatis reuerentia, & præmissa oratione, ac concepta bona spe, fore vt Deus eam dirigat ad declarationem voluntatis suæ quid faciendum sit in casu oblato. *Sortes enim mittuntur in sinum: sed a Domino temperantur, ait*, Salomon, Prouerb. 16. fin Omnino legendus B. August. epistola 180. qui huc adducit illud Prouerb. 18, 18. *Contradictiones comprimit sors; & inter potentes quoque dijudicat.* Nec tamen de diuisoria sorte illic B. August. loquitur, vt patet ex his eius verbis quæ adiungit, *melius enim Deus in huiusce-modi ambagibus quam homines iudicat.* Est videndus B. Tho. 2. sec 95, 8.

Sortem hanc quadam parte fuisse consultoriam.

TERTIA quæstio. An Apostoli in hoc facto aliquid humani passi sint, & deliquerint, mittendo sortes; vt nautæ illi de quibus Ionæ 1. Needum enim Apostoli acceperant spiritum Sanctum, sed expectabant. Resp. fuerunt nonnulli ita loquuti de hoc Apostolorum, facto; sed ex superioribus patet eos male fuisse loquutos. Constat enim vndecim Apostolos fuisse, toto illo tempore sanctos, quotidie proficientes in sanctitate. Nam quamuis nondum accepissent Spiritum sanctum ad eos effectus ad quos die Pentecostes, de quibus diximus supra, ad v. 4. & 8: tamen iam pridem acceperant & conseruabant spiritum sanctum quo ad gratiam iustificationis; quibus Dominus post resurrectionem dixerat *Pacem*; quos appellauerat *Fratres*, Ioannis 20. quibus iam ascendens cie-

natis

ūatis manibus benedixerat, Lucæ vltimo. Ex quo tempore vnanimiter perseuerabant in oratione & obsecratione, sup. v. 14

QVARTA quæstio. Quare non similiter Episcopi, pastores, confessarij, concionatores sorte accipiuntur, sed eliguntur? Resp. Etiam Apostoli vsi sunt hic electione; sed ad dirimendam paritatem inter duos æquales inuentos, vsi sunt sorte.

QVINTA quæstio. Quid causę potuit esse cur Dominus ad Apostolatum Mathiam, qui nullo titulo hic à S. Luca commendatur, designauerit præ S. Ioseph, qui vocabatur *Barsabas*, qui agnominabatur passim ab omnibus *Iustus*; haud dubiè propter eximiam virtutem in ipso relucentem? Responsio, Si quis hoc sciscitatur, sciat se vitio curiositatis laborare; quales homines rerum necessario sciendarum aut faciendarum curâ postpositâ, solent studere cognoscendis rebus nihil ad ipsos pertinentibus, aut superuacaneis, aut humanam certè notitiam longè excedentibus, Quale est hoc quod proponitur; *Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Rom. 11. fin. *Quæ Dei sunt nemo cognouit nisi Spiritus Dei* 1. Cor. 3. Si Deus nos id quod quæritur scire voluisset; vtique per Spiritū suum nobis reuelasset Quod si curiosulus quispiā dicat, causam huius rei illam fuisse quod iste Ioseph, quamuis exterius tam sanctus videretur quam Mathias; interius tamen & coram Deo fuerit minoris sanctitatis: iam sciat se curiositatis vitio addere peccatum temerarij iudicij. Nullo enim idoneo signo vel suspicari hoc potest. Itaque dignetur meminisse se miserum mortalem esse, & huius rei causam ne probabiliter quidem ab homine cognosci posse. Et quamuis posset; non esse pietatem aut virtutem id velle cognoscere. Sanè quid iste S. Ioseph pro Christo postea & fecerit & passus sit, legere est in Martyrol. Rom. die 20. Iulij, & his quæ ibi notat Baronius. Vnde & certum est eum nulla inuidia aduersus Mathiam, nullo dolore, fuisse tactum, quod non esset ipse assumptus ad Apostolatum. Qui dignitates non ambit, non dolet si prætereatur. Est huius occasione longa apud Chrys. hom. 3. digressio, aduersus ecclesiasticarum præfecturarum ambitiosos, digna lecta.

Curiosus est qui causam præferentiæ sancti Mathiæ vult scrutari

ARGVMENTVM.

CAPITIS II.



Accipiunt Apostoli quem expectabant Spiritum Sanctum; quo repleti statim varijs linguis loquuntur ad diuersarum nationum Iudæos & proselytos, quorum conuertuntur ad fidem Christi complures; & horum ipsorum admirabilis in fide & charitate feruor describitur.

VERS. I. Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco:

IN codice græco est singulare illud *dies*, vt verisimile sit interpretem nostrū vertisse *cōpleretur*. Sanè numero singulari hoc loco ipsū verbū legit D. Aug. in

Actis contra Felicem Manichæum lib. 1 c. 5. & lib. contra fundamentum Manichæi, c. 9 Sed ad sensum non interest vtro modo legatur. Nam πεντηκοστὴ latine *quinquagesima* dicitur; vsu autem fidelium, non solum vltima dies illarum quinquaginta quæ à Pascate numerantur, vocatur quinquagesima, sed etiam totum illud tempus; sicut quadragesima, tempus quadraginta dierum ieiunio solenni dicatarum, & non solum quæ inter illas est vltima. Sensus igitur est, Quum aduenisset dies à solemnitate azymorũ quinquagesimus, Iudæis ex præscripto legis solennis adeo, vt trium præcipuarum solemnitatum esset hæc vna, tametsi vnico die celebraretur, non septem, vt aliæ duæ. Chrysost. tamen & eum secutus Oecumenius hæc verba ita intelligunt, q. d. *Circa Pentecosten.* quod obseruandum est propter ea quæ paulo post mouebuntur de certæ diei designatione qua contigerint quæ hoc c. narrantur. Videtur enim sensus esse posse, Dum compleretur tempus solemnitatis pentecostalis. Nam sanè in græco, quamuis illud *(dies)* sit singulare, tamen non eiusdem est casus cum hoc *(Pentecostes)* sed hoc ab illo regitur, ac substantiuè sumitur pro solemnitatis istius vocabulo. *Diem* autem pro tempore sumi sæpenumero, est notissimum.

ERANT *omnes pariter*] Quod hic dicit Interpres (pariter), id ex eadem græca voce, v. 14. cap. præcedentis verterat *vnanimiter*; id quod illa potius significat; ὁμοθυμαδὸν. q. d. eadem mente, pari intentione. Istud igitur *pariter* potius ad animum quam ad locum pertinet, vt sit, pari eodemque animo. Nam ad locum pertinet quod sequitur, *in eodem loco*. græcè, ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quod cap. præcedente v. 15. verterat *(simul,)* quatenus loci simultatem (vt ita loquamur) denotat. Alias vertit *in idipsum*, verbum verbo exprimens; quod melius expressit hîc. Significat enim *in vno eodemque loco*. Quis autem fuerit locus ille, non exprimitur quidem his verbis, sed satis constat ex c. præcedente quod fuerit is, cuius mentio ibi fit v. 13. domus cuiusdam amplæ pars superior, in quam Apostoli ascenderunt reuersi ex monte Oliueti, post recentem Domini ascensionem. Fuit postea in illo loco extructa Ecclesia quæ dicebatur Apostolorum; de qua Cyrillus Hierosoly catechesi 16. Nouimus (ait) Spiritum sanctum: qui locutus est per prophetas, & in die Pentecostes descendit super Apostolos in specie ignearum linguarum, hîc Hierosolymis in illa excelsa ecclesia.

OMNES] Dubitatur an S. Lucas intelligat illos centum viginti de quibus sup. c. 1. dixit fuisse congregatos quando agebatur de assumptione duodecimi Apostoli in locum Iudæ, an vero intelligat dumtaxat duodecim Apostolos, de quibus immediatè sermo præcessit, vltimis verbis capitis primi, cum dicitur *Mathiam fuisse annumeratum cum vndecim Apostolis*. Et quamuis nonnulli veterum interdum de centum viginti illis hæc dici accipiant, & sint quidam recentiores qui vehementer nitantur pro illo intellectu: nos tamen, conformiter ad verba B. Cyrilli proximè recitata, propendemus in posteriorem. Primum, quia hic sensus magis est obuius; vtpote verbis proxime præcedentibus consentaneus; quum ille prior ad longe dissita faciat relationem, tam multis alijs interea interpositis. Adde, quod proxime dicetur repentinus ille sonus impleuisse totam domum *vbi erant sedentes*, id est, vbi commorabantur. Sicut

Apostolos solos fuisse congregatos die Pentecostes.

sumitur

sumitur Lucæ 24. v. 49. & alibi sępe, etiam apud prophanos scriptores. In ea autem domo cōmorabantur soli Apostoli, vt liquet ex cap. præcedente versu 13. videantur ibi à nobis dicta, & ad v. 14. ac 15. Adde quod V. Beda de illis hic sermonem esse intelligit qui cap. 1. in cœnaculum ascendisse leguntur.

SECVNDO, quia S. Lucas v. 4. huius cap. de ijsdem *omnibus* loquens, ait, *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto; & cœperunt loqui varijs linguis*. Atqui soli Apostoli tunc temporis sunt ita loquuti; non etiam reliqui illi discipuli centum decem circiter. Id quod liquet ex v. 7. *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?* Non est enim vllo modo credibile, nec vllam rationem habet, quod omnes illi 110. qui cum Apostolis Ierosolymis conuenerant ad electionem duodecimi Apostoli, fuerint Galilæi. Tertio, quia v. 14. huius cap. legitur, *Stans autem Petrus cum vndecim* &c. vnde intelligitur quod illo die, alij præter duodecim Apostolos discipuli, sese gesserunt vt discipulos, non vt nouellæ Ecclesiæ fundatores aut magistros. Quare finita concione B. Petri quę hoc cap. summatim recitatur, ij quorum Deus spiritu contritionis corda molliuerat, *dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos, Quid faciemus, viri fratres?* v. 37. loquuturi haud dubiè etiam ad reliquos illos discipulos, si & ipsi magnalia Dei varijs linguis fuissent Iudæis loquuti. Postremo, ipse B. Petrus huius lib. cap. 11. reddens Iudæis christianis rationem quare introijsset ædes Cornelij centurionis; post reliqua dicit, v. 15. *Cum autem cœpissem loqui; cecidit Spiritus S. super eos, sicut & in nos in initio*. Cum ait *in nos*; solos Apostolos illum intelligere, apparet ex his quæ ibi subdit, inquiens; *Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat; Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto*. Quæ verba satis patet à Domino iam redituro solis Apostolis fuisse dicta, ex cap. precedente versibus aliquot in princip. (vnde etiam satis euidens est solos vndecim vidisse Dominum ascendentem, solisque illis promissum paracletum mittendum à Patre) licet postea (postquam scilicet die Pentecostes duodecim Apostoli promissum sibi Spiritum sanctum acceperant) Deus etiam in alios ista insolita sua dona miserit; veluti in domesticos Cornelij, de quibus huius lib. cap. 10. ac 11. & in alios quosdam, de quibus, cap. 19.

Ex *his* proxime dictis potest solui argumentum quod diuersæ sententiæ authores proferunt ex concione B. Petri quæ hoc cap. summatim recitatur, allegantis prophetiam Ioelis de Spiritu sancto effundendo diuinitus etiam super iuuenes, etiam super virgines & mulieres. Non enim propterea oportet quod die Pentecostes id omne fuerit factum; quod nec illi volunt nec ausint dicere; sed quod tunc cœperit fieri, initio facto à principalibus Domini seruis, id est Apostolis; faciendum postea erga cæteros quoque minoris notæ; vt in familiares Cornelij, vt in illos de quibus cap. 19. huius; & alios haud dubie de quibus scriptum non est; velut in Samaritanos de quibus c. 8. Sanè Ecclesia die & tota octaua Pentecostes, in hymno nocturno, in Antiphonis & responsorijs, passim Apostolis Domini tribuit ea quæ isto 2. c. Actorum leguntur; ita vt quando alibi no-

minat *discipulos*, fint hoc generali nomine intelligendi soli Apostoli, discipulorum praecipui. Sicut quando in Euangelio recitando dicitur, Dixit Iesvs discipulis suis; constat ex historia Euangelica saepe solis Apostolis ea dicta fuisse. Et in parte sacri Canonis solemnitati Pentecostes propria, disertè dicitur, quod die Pentecostes Spiritus S. *Apostolis* in linguis apparuit. Profectò Ecclesia huius beneficij & miraculi magnitudinem diminueret, solos Apostolos tot locis nominando; si centum viginti hominibus fuisset collatum.

Qvid ergo? Virgo deipara non fuit die Pentecostes inter Apostolos? Aut, non fuit etiam ipsa eo die cumulata donis Spiritus sancti? Non & reliqui fideles qui eo die Ierosolymis erant, siue illi centum decem qui adfuerant assumptioni B. Mathiae, siue alij tam multi, vt illi quos superioris cap. v. 14. dictum fuit perseuerasse in oratione & obsecratione? Hic tria quaeruntur.

Virgo Deipara an die Pentecostes inter Apostolos.

Ad 1. dicendum est, non liquere; & eos qui affirmant, non maiora argumenta habere quam vulgarem narrationem, sumptam ex arbitrarijs picturis; vt sunt multae aliae, quaedam manifestè repugnantes sacrae Scripturae. Chrysost. ad c. 1. v. 9. nec in monte vidisse Dominū ascendentē, sentit. Certè si illic fuisset; angeli eam fuissent alloquuti, qui Apostolos. c. illo 1. v. 11. Ex his quae diximus ad capitis praecedentis v. 14. probabilius est virginem Deiparam cum aliquot sanctis mulieribus in domo separata fuisse, toto hoc tempore; quae domus verisimiliter fuit Sancti Ioannis Euangelistae, vt ibi dictum est

Virgo Deipara quae dona S. sancti tūc acceperit.

Ad 2. quaesitum respondeti potest. Virginem Deiparam die Pentecostes augmentum accepisse donorum Spiritus sancti quibus antea fuerat cumulata. Sanè eam accepisse charitatis, fortitudinis & sapientiae incrementum; non est cur dubitetur. Item accepisse ingentem laetitiam spiritualem & consolationem, quando cognouit tam insolita subsidia Spiritus sancti conferri Apostolis ad propagationem nouellae Ecclesiae necessaria. An ipsa etiam acceperit donum linguarum; non valde liquet: credibile tamen est accepisse, vt alloqui posset Iudaeos & proselytos diuersarum nationum Ierosolymę degentes, vbi ad fidem Christi conuersi essent. Accepisse gratiam miraculorum, non videtur; si quis perpendat huius cap. v. 43. & cap. 5. v. 12.

Caeteri fideles qui illo die Ierosolymis erant (de quibus erat tertium quaesitum) siue illi centum decem, siue alij qui eousque in oratione & obsecratione perseuerauerant; similiter, eodem argumento ex scriptura, non videntur *illo die* accepisse donum miraculorum, sed neque donum linguarum: Caetera quę de B. Virgine Deipara diximus, credibile valde est etiam istos iuxta suum modum, ac iuxta mensuram à Deo cuique decretam, (vt loquitur Apostolus Rom. 12. 1. Cor. 12.) accepisse.

Cur in Pentecoste Dona haec S. sancti donata largitus fuerit.

Superest, priusquam progrediamur, vt exponatur quare Dominus tam admirabile opus suum missionis visibilis Spiritus sancti in Apostolos, caeteraque inde secuta, fecerit in solemnitate Pentecostes. Est autem huius rei duplex causa: vna quae sumitur ex spirituali vtilitate nouellae Ecclesiae Christi quae tunc propaganda erat; altera vero, typica, quae sumitur ex correspondentia veteris legis typicae, & nouae; quae exhibet veritatem. Ad priorem

causam

causam quod attinet, ita legitur Deut.16,v.16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quē elegerit; in solēnitate azymorum, in solennitate hebdomadarum, & in solennitate tabernaculorum* Ita illic. Erant quidem plures solennitates, iuxta legem Domini Israelitis celebrandæ ita religiosè vt nihil operis seruilis in ijs facere liceret; quas vid re est enumeratas Leuit.23.& Num.28.& 29. sed tres tantū erant quibus omnes Israelitæ masculini sexus deberent comparere coram Domino in loco quem ipse elegisset, siue is esset tabernaclum illud Mosaicum, siue templum Dei voluntate extructum.

HARUM trium solemnitatum ea quæ medio loco recensetur, est Pentecoste; quam idcirco Dominus huic admirabili suo operi, scilicet sensibili spiritus S. missioni, delegit; vt omnibus Israelitis statim innotesceret quod eo die fecisset; sicut solennitatem paschalem seu azymorum elegerat (septem enim diebus durabat) intra quam pro humano genere vnigenitus suus pateretur, & die tertia resurgeret; vt neminem Israelitarum lateret vel eius mors, vel fama recens & certissima, resurrectionis ipsius Itaque missio spiritus sancti & quæ per ipsum Ierosolymis repente facta sunt die Pentecostes, magnopere subseruiebant augendæ & propagandæ nouellæ illi Ecclesiæ Christi. Obseruat hanc causam Chrysost in comment. huius loci, & post eum Oecumenius.

QUOD ad 2 causam attinet; quum populus Israel educeretur ex Ægypto; circiter quinquagesimo die (non enim authores per omnia consentiunt) ab egressu, aut ab immolato Phase, accepit legem in deserto; & datæ legis memoriam annuè recolebat quinquagesimo die à Paschate, seu potius à secundo die azymorum, vt Leuit 23. v. 15.& seq. præceperat Dominus. Hæc pentecostes, id est, quinquagesimi diei, solennitas, illic vocatur festum hebdomadarū, quoniam celebrabatur iuxta legem post septem septimanas completas à secūdo die azymorum supputandas; nisi forte secundus dies azymorum esset sabbathum. Tunc enim à tertia die azymorum incipiebat hæc supputatio: quoniam eo demum die tunc offerebatur manipulus granorum viridium; non sabbatho, quando metere non licebat. Exodi 34. v. 21. *Quo tempore* (siue omnino eodem die, siue die contiguo planeque propinquo: nam & hic variant Authores) & alia solemnitas ex Domini præcepto (v.14.15.16. dicti c.23. Leuit.) agebatur; Primitiarum scilicet, non quidem nouorum granorum, (nam illa adhuc viridia, in manipulo offerebantur Domino die secundo azymorum, eodem c.v.11. aut die tertio azymorum, in casu iam dicto, qui casus fuit isto anno quo passus est & resurrexit Dominus) sed panum ex nouis granis iam maturis. eod. 23. c. v. 17.

QUIBUS positis, facile est cuique meditari volenti, aduertere quàm aptè mutuo respondeant figura legis & veritas Euangelij, id est, status Ecclesiæ Christi, in suis primis initijs, quæ fuerunt tempore Pentecostes Ierosolymis. Quinquagesimo nempe die post Domini ex morte triduana resurrectionem, lex noua, lex gratiæ, scilicet vna cum præceptis, spiritus charitatis quo illa obseruentur, qui filios Dei faciat; data est fidelibus in monte Sion: sicut olim circiter quinquagesimo die post immolatum Phase, & post egressum ex Ægypto

lex eadem Dei, sed vetus, lex scripta in lapidibus, lex duritiem cordis non auferens, sed timore pœnarum comprimens, ideo lex seruitutis dicta, vtpote seruis congruens, non sic eos adoptionis filios; data est veteri illi populo in monte Sina. *Rursum*, vt in Pentecoste iuxta legem Domini offerebantur ei noui panes; ita in hac Pentecoste, cœperunt Apostoli nouos panes Domino offerre, homines scilicet prius infideles, sed tunc per fidem & pœnitentiam velut in mola contritos, & affusa baptismi aqua quasi in massam cōpactos, ac deinde formatos; & spiritus sancti igne percoctos; in oblationem nouam Domino. Passim Patres has conuenientias quas diximus exponunt, præsertim in sermonibus de nostra christiana Pentecoste, siue de Spiritus sancti solennitate; quanquam & extra sermones seu homilias.

VERS. 2. Et factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis; & repleuit totam domum vbi erant sedentes.

HOc versu & sequenti B. Lucas exponit modum aduentus spiritus sancti in Apostolos, effectum huius aduentus deinde expositurus. Modus fuit in eo quòd cum sensibilibus (cum qualibus & lex vetus dabatur Exod. 19 v. 16. & seqq.) signis, iisque plane insolitis, voluit aduenire, ne lateret hic aduentus ipsos etiam Iudæos tunc adhuc Christo inimicos. Ita post Chrys Oecumenius.

SIGNA autem ista sensibilia fuerunt duo: alterum auditu perceptibile, alterum visu. De priore, hoc v. sermo est: de posteriore v. sequenti. Ait ergo, *Factus est repente de cœlo sonus. Sonus*] vtique realis & non qui speciem dumtaxat haberet soni. *de cœlo*] Id est, ex aëre, ex alto. hoc ipsum significabat *gratiam spiritus venire à Deo. Repente* autem factus est hic sonus: vt sciretur non esse ex causis naturalibus. Potuisset enim putari quod esset tonitruum naturali modo excitatum, si fuisset huic sono prævia nubium condensatio, qualis dum instat tonitru. Quare credibile est hunc sonum fuisse editum, cælo prorsus sereno; vt omnes intelligerent diuinitus excitari. Quantus autem & qualis fuerit hic sonus, exponit L. Sucas verbis sequentibus, dicens fuisse talem qualis esse solet violenti alicuius venti magno impetu prouenientis. Hoc enim significant verba illa, *tanquam aduenientis spiritus vehementis.* Vbi illud (*aduenientis*) vim græcæ vocis non adæquat, φερομένης, & pro illo (*spiritus*) græcè est πνοῆς; ne quis nostro vocabulo latino (*spiritus*) putet hic significari spiritum sanctum. Fuit haud dubie is sonus auditus tota ciuitate Ierusalem, præsertim quum esset dies festus, id eoque toto vrbe silentium à tumultu & strepitu operarum; sed, vt sciretur quo fine Deus illum ederet, incubuit in montem Sion, ac propriè in eam domum in qua iam ab ascensione Domini commorabantur Apostoli, vt dictum fuit cap. præcedenti v. 13. Atque hoc est quod nunc dicitur, *Et repleuit totam domum vbi erant sedentes*. Nam istud (sedere) morari ac manere significat, vt Luc. 24, 49. & alibi sæpe. Monuit hoc isto loco etiam Lir.

Alterum

ALTERVM sensibile, idque visu perceptibile, signum exponitur v. seq.

VERS. 3. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra (super, græcè) singulos eorum.

LINGVÆ *tanquam ignis*. Illud (ignis) est secundi casus vt liquet ex originali. Quare sensus est, linguę velut igneæ, linguarum imagines tales acsi ex igne factæ fuissent. Et *apparuerunt* Apostolis, & quidem *dispertitæ*, id est, quæ distribuebantur, nimirum per singulos, vt exponitur verbis sequentibus, illis. *Seditque supra*, seu super, vt est græcè, *singulos eorum*. Nam verbum *sedit* non potest habere aliud suppositum, quam istud, *ignis*, quod hîc ex præcedente clausula subauditur. Sensus igitur est quod similitudo quædam ignis figurata in modum linguæ humanæ, insederit singulis Apostolis.

AN VNA ea lingua ignea inhæserit singulis, an verò vni eidemque plures: & vt vnica; cui parti corporis insederit seu inhæserit, num vertici (quod videtur probabile plerisque) an vero labijs (quomodo Isaiæ prophetæ labia attacta fuerunt calculo ignito, quem angelus de altari sumpserat. Isaiæ 6.) aut pectori, vel humeris, non valde liquet; sed neque necessarium est cognitu: Credibile tamen est vni eidemque Apostolo multas linguas insedisse, & nihilominus quasdam in aëre hæsisse. Sic enim dicitur in parte sacri canonis, Pentecostes solennitati propria, *Commemor. & diem sacratissimum Pentecostes celebrantes quo spiritus sanctus Apostolis innumeris linguis* apparuit. Et quamuis Missalia quædam manuscripta nobis conspecta pro illo (innumeris) legant, in varijs; tamen Sacramentarius G. Gregorij concordat cum lectione communi, quam habet Missale rom. leodien. & alia.

ILLVD vero certum est, mysticæ significationis causa has velut linguas igneas Apostolis conspectas fuisse, singulisque ad tempus aliquod, inhæsisse. Significabant autem ea dona quæ tunc Apostolis conferebantur; illa nimirum quæ per ignis & linguæ figuram veluti repræsentabantur. Ignis calet & calefacit; lucet & illuminat: Apostolis autem conferebantur eo die augmentum charitatis, augmentum sapientiæ, donum linguarum; præter cætera quibus ad nouellæ Christi ecclesiæ propagationem erat opus ipsis tanquam eius Magistris, præfectis, & Christi Domini legatis. Atque hæc sunt duo illa sensibilia signa tunc exhibita, alterum auditui, alterum visui: quorum hoc significabat varietatem diuinorum munerum quæ tunc conferebantur: illud autem significabat eorum authorem; nempe supra naturæ vires à Deo fuisse missa Apostolis, mera ipsius bonitate & beneficentia. Quæ quoniam appropriari solet spiritui sancto; idcirco subijcitur,

VERS. 4. Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto: & cœperunt loqui varijs linguis, prout ſpiritus ſanctus dabat eloqui illis.

REPLETI *ſunt omnes*] eodem tempore quo illa quæ dicta ſunt, ſenſibilia ſigna exhibebantur. *Omnes*] duodecim Apoſtoli; ſecundum ea quæ dicta ſunt ad v. 1. *Spiritu ſancto*] Gratuitis Dei donis, quorum author quadam appropriatione nominatur ſanctus ſpiritus. Ea dona præter ea quę proxime diximus, erant fortitudo ac robur animi ad profitendum Chriſti fidem; & gratia miraculorum, quibus nouella prædicatio, vt ſigillis quibuſdam muniretur Quæ gratia erat actuale quoddam donum, vt S. Th. docet 2. ſec. 178, art. priore ad 1. reliqua autem quæ diximus, erant dona habitualia: quæ fuiſſe Apoſtolis copioſe collata ſignificat illud verbum, *Repleti ſunt. Et cœperunt loqui varijs linguis*] Vera lectio eſt, *alijs*; quam habent veteres libri, conformiter orginali: quam habet etiam Leo Papa ſermone 1. de Pentecoſte: & S. Hier. ad Hedibiam q. 9. iuxta veram ibi lectionem. Et tamen latinus interpres melius expreſſit ſenſum; ait ibi Eraſmus, & poſt eum Victorius. in quo duplex videtur error; tum quod hoc dicant, tum quod interpreti vulgato tribuant, quod videtur non eſſe illius, ſed Eccleſiaſtici vſus in officio Breuiarij. Senſus tamen lectionis quæ paſſim obtinet, eodem recidit: nam cum dicitur, *alijs linguis*; ſubauditur, quam ſua vernacula, quæ erat Galilæa; quam ſolam nouerant, vtpote illiterati & idiotæ, Infra cap. 4. v. 13. Cum autem dicitur, *varijs linguis*; ſignificatur quod non omnes Apoſtoli eâdem lingua exotica loquebãtur; ſed alius hac, alius illa, rurſum alius alia. Id quod ſignificatur quoque, cum dicitur pluraliter, *alijs linguis*; non autem ſingulariter, *alia lingua*. *Cœperunt loqui*] Ad quos? Ad eos nimirum initio paucos, qui nouitate illius ingentis ſoni incumbentis in montem Sion, illuc excurrerant, ibique circa eum hærebant, viſendi & ſciſcitandi ſtudio. Non concionabantur autem propriè, ſed breues ac ſententioſos ſermones proferebant, ad eos qui aderant, diuerſarum nationum homines. vbi enim nos habemus, *prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis* : pro illo (eloqui) græce eſt ἀποφθέγγεσθαι q. d. apophthegmatizare, apophthegmaticè loqui, apophthegmata dicere; id eſt, cum breuitate ſentẽtioſe loqui. Vim huius verbi græci ſic expẽdit Chryſ. & poſt eum Oecumenius. *Eloquebantur* autem, quid? *Magnalia Dei*; vt eſt v. 11. id eſt, magnifica Dei opera, Creationis ac magis redemptionis atque ſanctificationis; & opera illuc deſtinata, quæ tunc apparebant, quibus ſuam potentiam, ſuamque fidelitatem declarabat Deus, ac liberalitatem; vt amplius in ſua concione declarat B. Petrus, paulo poſt ſequente.

OBSERVANDVM eſt iſtud, *prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis*: vt intelligamus præter habitualem ſpiritus ſancti gratiam, de qua dicebatur, *Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto*, actualem quoque Apoſtolis adfuiſſe, ipſam nimirum ſpiritus ſancti efficacem motionem, qua vnumquemque eorum faciebat loqui hæc & hoc modo. Vt etiam hîc locum habuerit illud verbum Domini, quod ipſis quondam dixerat, *Non vos eſtis qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur*

Actualis efficax Dei gratia.

in

in vobis. Matth. 10. v. 20. Nec ideò tamen quispiam credere debet, minore arbitrij libertate Apostolos alijs istis linguis fuisse loquutos.

QVO pacto autem Deus collationem nouorum horum donorum Apostolis factam, tunc manifestauerit alijs hominibus; præcipue autem diuersarum nationum Iudæis; cui genti primum erat annunciandum Euangelium Christi, iuxta promissiones quas Deus illi per Prophetas fecerat: id exponitur aliquot versibus sequentibus.

VERS. 5. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi, ex omni natione quæ sub cælo est:

VERS. 6. Facta autem hac voce, conuênit multitudo; & mente confusa est; quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes.

IVDÆI, seu generali nomine Israelitæ, in Assyrios, in Chaldæam, fuerant translati: Tempore etiam Machabæorum; & quando sexaginta circiter annis ante Christi aduentum, Pompeius magnus; 34. autẽ Herodes magnus Iudæos subiugauerat; varijs calamitatibus fuerant vel pulsi patriâ, vel sua sponte migrauerant, vel fuerant capti & venundati, alius aliò; nec, vt fit, redierant omnes postea, sed per diuersas prouincias manebãt dispersi, varijs occasionibus ibi sedem figentes. Vnde factũ est vt longo iam tempore Iudæi diuersissimarũ essent nationum, illic scilicet nati; & nihilominus consueuissent multi eorum, vndique, studio pietatis venire Ierosolymam; ac ibi fixis sedibus habitare, cæteris per diuersas nationes sparsim remanentibus. Multi etiam eorum Ierosolymis habitabant studiorum, præsertim sacrorum, gratia. Apostolus Paulus narrat sese ad pedes Gamalielis fuisse institutum. *Inf.* cap. 22. v. 3 & vtique non erat ipse solus Gamalielis discipulus. Infra c. 6. huius, fit mentio diuersorum ex diuersis synagogis quinque, id est, ex diuersis scholis Theologicis, qui disputarent cũ B. Stephano. Bonus author Optatus Mileuitanus initio lib 3. tradit in solo monte Sion fuisse septem Synagogas, loca doctrinæ. Hoc est quod hîc dicitur, *Erant in Ierusalem habitantes Iudæ*] Gente nimirũ siue sanguine Iudæi, id est Israelitæ cuiuscũque tribus: iuxta ea quæ dicta sunt ad c. 1. v. 8. Non intelligi autem Iudæos patria, liquet eo quod subiungitur, *ex omni natione, quæ sub cælo est.*

VIRI *religiosi*] Id est vnius veri Dei cultores, quamuis in exteris regionibus inter paganos essent nati & educati. Non plus includitur in eo quod hîc dicitur (*religiosi*:) Nã ex his ipsis fuerũt qui B. Stephanũ interfecerunt, inf. c. 6 & 7. *Ex omni natione quæ sub cælo est*. Hoc nõnullis videtur dictũ hyperbolicè: sed hi nõ cõsiderãt, B. Lucã dicere *nationẽ* non *prouinciã*. Non cõsiderant etiã quod varijs illis modis quos paulo ante cõmemorauimus, facile potuit fieri vt vix vlla esset gẽs aut natio quò nõ deuenissẽt aliqui Israelitæ seu Iudæi. Deniq; nõ cõsiderãt esse in cõmuni more loquẽdi positũ, vt enũciemus vniuersaliter id, à quo rara est exceptio. Quãquã vt hæc abessẽt omnia, tamẽ dici potest istud *ex omni natione quæ*

sub cælo est, intelligi cum tacita restrictione quam ipsa materia suppeditat, scilicet, *ex omni natione in quam demigrauerant Iudæi aliqui*. Qui in ellectus valde conuenit cum illa enumeratione nationum seu gentium, quæ est v. 9. 10 11. Et est sciendum græca huius loci sic reddi posse, *ex omni natione eorum* (subaudire licet, *Iudæorum*, ex parte præcedente) *qui sub cælo sunt*. Quare expeditissimum videtur, id quod nos habemus sic accipere, *Ex omni natione Iudæorum quæ sub cælo est*.

VERS. 6. Facta autem hac voce, conuênit multitudo; & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes.

FACTA *hac voce*] Id est, Hoc sono, de quo v. 2. Ita videtur ex Comm. Chrysost. Is sonus, eo quod tunc dies festus esset, ideoque omnia plena silentio; tota ciuitate fuit auditus; vt prius diximus. *Conuenit multitudo. Conuenit*] vtique in montem Sion, circum eam domum in quam vis illius soni incubuerat. *Multitudo*] initio pauci ex contiguis ac vicinis locis, ad quos Apostoli cœperant loqui alijs linguis, v. 4. deinde plures ac plures, visuri scilicet quid rei esset; maxime rumore increbrescente quod diuersis linguis loquerentur ad omnes accedentes, illi discipuli Iesu crucifixi, qui in ea domo morabantur. *Multitudo autem* hæc erat (præter alios) ex illis diuersarum nationum Iudæis Ierosolymæ habitantibus de quibus dictum est v. præcedente. Nam vt etiam illorum hanc multitudinem fuisse, intelligamus; idcirco B. Lucas ista præmisit eo v. Quum ergo nunc dicitur, *Conuenit multitudo*, subauditur, illorum quoque Iudæorum ex omni natione quæ sub cęlo est, habitantium Ierosolymis.

ET *mente confusa est*. Interpres addit illud *mente*, lucis causa. Non enim de confusione partis sensitiuæ agitur; neque de confusione seu conturbatione voluntatis, sed mentis siue rationis. Ea confunditur, quando nesciunt homines quid de re quapiam, diuersis occurentibus, dicere seu iudicare debeant. Confunditur voluntas, quando ambigui sunt quid ex pluribus eligant, faciant, vel agant. Et hæc propriè est confusio. Impropriè autem pudefactio dicitur *confusio*, sicut dicitur erubescentia; quod facies rubore soleat perfundi in pudore. Confusio hæc mentis eorum, exprimitur illis ipsorum verbis, v. 12. *Quidnam vult hoc esse?* Qua autem de re esset hęc mentis eorum conturbatio; sequentia verba declarant hoc loco, ista; *Quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Vnusquisque*] illorum scilicet Iudæorum ex exteris nationibus progenitorum, sed nunc Ierosolymę habitantium, qui aderant. *Lingua sua*. Antecedens relatiui *sua* est istud, *vnusquisque*; vt tum sensus ipse docet, tum vero liquet ex v, 8. græcè e ò vtroque loco est ἰδίᾳ Pro eo autem quod tam hîc quam dicto v. 8 dicitur, *lingua*; in gręco est διαλέκτῳ quod amplius quiddam includit; nempe, in eadem etiam lingua, retenta eiusdem vocis substantia, diuersam proprietatem; quæ idcirco idioma appellatur. Quo fit vt in vna eademque lingua diuersæ sint dialecti, proprietates, seu idiomata: vt notum est etiam in linguis vulgaribus.

NVNC

Nvnc isti mirantur Apostolos non tantum fuisse loquutos diuersis linguis, sed etiam eiusdem linguæ diuersis idiomatis seu dialectis; Id quod admirationem augebat. Ita quidem u. 6. & 8. Nam v. 4. & 11. græcè est γλώσσαις *linguis. Illos loquentes.* Alium scilicet Apostolorum hac lingua, alium alia, alium rursus alia. Imo vnum eundemque nunc hac, nunc alia, nunc alia lingua; atque adeo vnius linguæ alia aliaque dialecto. Hoc totum merito illis audientibus ad mirationem faciebat; vt qui ex eo tempore quo Apostoli Iesum fuerant sequuti, totiesque cum eo Ierosolymis fuerant, in templo & alijs locis publicis; eos nossent; nec ignorarent solere esse idiotas & illiteratos; vt dicitur infra c. 4. v. 13. Atque hoc repetitur & explicatur per ista sequentia; *Apostoli diuersis dialectis loquuti.*

Vers. 7. Stupebant autem omnes, & mirabantur; dicentes, Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?

Stvpebant *omnes*] illius multitudinis de qua v. præcedente. *Stupebant*]. mente scilicet, non corpore, non sensibus corporeis. Mentis stupor est quãdo quispiam hoc patitur in intellectu, quod patitur in corpore, is cui membrum aliquod stupet: Id est quando attonitus hæret, nec præ rei cuiuspiam nouitate, habet quid de ea iudicet.

Et *mirabantur.* Admiratio est rei insolitæ cognitio, ignorata eius causa. *Dicentes.* Græcus codex, & quidam veteres latini nost. æ editionis, addunt, *ad inuicem*, quod & S. August. legit, lib. priore de Actis cum Felice, Manichæo, c. 5. & contra epistolam Manichæi c. 9. Si non legitur, subauditur. *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?* Non audiebant eos lingua aut dialecto Galilæa loquentes; Norant tamen eos Galilæos esse ex eo tempore quo Iesum, vt perpetui discipuli, assectabantur. Nam Galilæos fuisse, & in ipsa Galilæa adhærere Christo cœpisse, dicitur Matth. 4. ex Galilæa autem in Iudæam, in primis Ierosolymam, frequenter venerant vna cum Domino Saluatore. Et c. 1. v. 11. huius operis, angeli Apostolos simul omnes alloquuntur illo titulo, *Viri Galilæi.* Hunc locum supra ad v. 1. huius attulimus, ad docendum quod omnis hæc narratio huius 2. cap. sit de duodecim Apostolis, non de tota multitudine illorum centum viginti qui ad duodecimi Apostoli electionem conuenerant, c. 1.

Vers. 8. Et *quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram in qua nati sumus? Pro audiuimus*, græce est præsens, *audimus*, & credibile est ita scripsisse interpretem, quoniam etiam veteres quidam codices latini ita habent. Si retinetur *audiuimus*: subintelligendum est, iam nunc, & adhuc audimus; vt significetur actus perseuerans seu continuatus. Illud etiam monendum est, græca sic sonare; *Et quomodo nos audimus vnusquisque propria dialecto nostra in qua nati sumus?* vbi rectè, subauditur *istos loquentes*; iuxta id quod v. 4. dictum est, *cœperunt loqui alijs linguis.* Quod autem generaliter dixerant hi admirabundi; id enumeratione partium explicant, dicentes;

VERS. 9. Parthi, & Medi, & Elamitæ; & qui habitant Mesopotamiam, Iudęam & Cappadociã, Pontũ & Asiam,

VERS. 10 Phrygiam & Pamphyliam; Ægyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenen; & aduenæ Romani;

VERS. 11. Iudæi quoque & proselyti Cretes & Arabes: audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

EX Geographis, vel Dictionarijs græcis aut latinis, vel ex interpretatione peregrinorum vocabulorum sacris biblijs adiungi solita; petendum est quænam sit vnaquęque prouincia harum quindecim, & vbi sita ac quibus terminis externis definita. Huic loco sufficiat dixisse quod decem primæ cum decima quinta sint in Asia maiore, quæ veteribus tertia orbis pars censebatur; nobis quarta: vndecima vero & duodecima, sint in Aphrica; decima-tertia & decima-quarta in Europa. Sunt porro in hac enumeratione nonnulla quæ rudioribus scrupulum faciant, breuiter explicanda. Primum, quomodo hic dicatur *qui habitant Mesopotamiam, Cappadociam* &c. vsque ad duodecimam inclusiue: quum v. 5. dictum sit istos admiratores habitasse in Ierusalem. Est autem vtroque loco idem participium in græco codice κατοικοῦντες ne quis putet Interpretem aberrasse qui vtrobique idem reddidit. Resp. Qui hæc loquebantur, erant ex habitatoribus istarum prouinciarum, hactenus quod ipsi in ijs essent nati, quodque in ijs habitassent, & quod suos in ijs adhuc haberent commorantes. Valet enim totus hic sermo perinde ac si, ad formam præcedentium & sequentium, dictum esset sic; Et Mesopotamici, Iudæi, Cappadoces, Pontici, Asiani, Phryges, Pamphylij, Ægyptij, Lybyci.

Scrupuli aliquot.

Primus.

SECVNDVS scrupulus est, Quid hic intelligatur per Iudæam. Respondetur ex sententia Venerabilis Bedæ, quod *Iudæa* hoc loco non totam terrã quam olim possederat gens Israelitica significat, sed propriè ac strictè (vt etiam c. 1. v. 8.) eam dumtaxat quam tribus Iuda & Beniamin: ad distinctionem videlicet aliarum in Palesthina regionum, inter quas Galilęa. Quæ licet omnes vna lingua loquerentur: domesticam tamen singulæ dicendi speciem habuere distinctam. Vnde & Petrus in Domini passione, quod Galilæus sit, loquela sua proditur. Ita Beda. Nihil tamen videtur obstare, quin Iudææ nomen hîc generaliter sumatur, vt nomen Iudęorum v. 5. & 11. nam præter Galilæam complectetur alias diuersas prouincias, à quibus Galilæi (quales erant Apostoli) saltem dialecto differebant.

Secundus.

TERTIVS scrupulus Quid hic per Asiam intelligitur? Resp. haud dubie Asia proprie dicta, quæ vocatur Asia minor, ad distinctionẽ Asiæ maioris cuius ipsa est pars. Nec tamen intelligitur hæc Asia secundũ vulgarẽ modum, sed stricte, vt non includat Phrygiã & Pamphyliã, quæ hîc separatim recensentur. In vulgaribus enim tabulis geographicis hæ ponũtur eius partes: quũ Ptolemæus geographiæ lib. 5 c. 2. distinguat Pãphyliam ab Asia proprie dicta, faciatq; eius limitem orientalem. Et eadem ratio est de Phrygia maiore. Videatur ibi Ptolemęus,

Tertius.

mæis, & Tabula 1. Asiæ. Eadē obseruatio locum habet 1. Pet. 1. v. 1. vbi Pōtus, Galatia, Cappadocia, & Bithyniā recensentur tanquam diuersæ ab Asia, vtiq; minore. & infra, c 6. v. 9. vbi Cilicia videtur distingui ab Asia & c. 16. v. 6.

QVARTVS, Quid sibi velint illa verba, *Partes Libyæ quæ est circa* siue iuxta (nam græcè κατὰ) *Cyrenen*. Responsio. Sunt diuersæ prouinciæ qui e appellantur nomine Libyæ. Est apud Ptolemæum Libya interior, quam B. Hierony. videtur vocare Libyam æthiopum: est Libya altera, quam Ptolemæus vocat exteriorem; B. Hierony. huius scripturæ imitatione, & alij, vocāt Libyam Cyrenaicam; non quod prouincia Cyrenaica verè (vt quidem Ptolemæus distinxit,) sit eius pars, sed quia iuxta eam est. Est enim Libya ista media inter Ægyptum & Cyrenaicam prouinciam, interposita tamen Marmarica. Videatur tabula Aphricæ 3. & 4. apud Ptolemæum, & Geographiæ einsdem lib. 4. c. 4. & 5. Quæ ex B. Hierony. allegauimus, sunt in libello de nominibus Actorum apostolicorum, in 3. tom. operum eius. Hæc posterior est ea Libya quam hic B. Lucas designat. Sunt alij qui valde impropriè totā Aphricam, tertiā orbis partē, vocant Libyā, sed ea significatio nihil huc pertinet: vt pote generalissima. Tolerabilius sic si intelligatur Aphrica minor; nam eius fines attingunt. Cyrenaicam vt est videre Tab. 4. Aphricæ apud Ptolemæum, itemque 2 & 3.

QVINTVS. Quid illud significat, *Et aduenæ Romani*? Varij varia dicunt: sed omnibus consideratis videtur esse sensus; Et Romani, hoc est, homines Romæ nati, aut saltem habentes ius ciuitatis Romanæ, ij qui hic Ierosolymis habitant. Romanos non posse intelligi qui tunc Romæ habitarent, patet ex v. 5. vbi dictum est omnes istos qui hîc enumerantur, tunc Ierosolymis habitasse. Quod autem additur, *Iudæi & Proselyti*; id videtur appositum ad distinguendum istos de quibus hic sermo est Romanos, à militibus præsidiarijs, & generaliter à quibuscuis alijs Romanis, tunc Ierosolymæ degentibus, ijs qui vnū Deum non colebant. Nam de omnibus qui hactenus sunt enumerati, prius dictum fuit quod essent *viri religiosi*, hoc est, vnius veri Dei cultores. Quare istud complexum, *Iudæi & proselyti*, distributionem facit religiosorum (id est fidelium) Romanorum, Ierosolymæ tunc degentium, vt alij essent sanguine Iudæi, alij sola religione Iudæi. Dicebantur enim apud Iudæos *proselyti*, qui cum sanguine non essent Israelitæ, tamen vnum verum Deum colebant, idque secundum præscriptum legis Mosaicæ, seruantes nimirum circuncisionem & legis ceremonias, eodem modo quo Israelitæ. Quod ex Romanis tales, proselyti videlicet, tunc temporis habitarint Ierosolymæ; quidam argumentantur ex c. 6. huius, vbi inter reliquos qui aduersus B. Stephanum pro ceremonijs legis Mosaicæ disputarūt, nominantur Libertini, tanquam qui peculiarem illic synagogam, siue scholam studij sacri, habuerint; vt habebant & alij prouinciales illic nominati, Cyrenenses, Alexandrini, Cilices, Asiatici. Porro Libertinorum nomen illic etiam in græco codice legitur, tametsi sit planè romanum vocabulum. Sed ea de re differemus accuratius, Deo donante, ad illius cap. 6. v 9.

QVAMVIS autem nōnulli per istam conbinationem, *Iudæi & proselyti*, credant à S. Luca fieri distributionem omnium præcedentium: tamen id non admodum videtur verisimile; eo quod non sit probabile ex omnibus illis nationibus,

tionibus, tã diuersis, tam longinquis, habitasse Ierosolymæ aliquos proselytos. De Romanis est alia ratio, eo quod illi cũ Iudæis multã conuersationẽ, præ cęteris gentibus, habuissent & haberent, ex eo tempore quo Pompeius eos subegerat, annis ante Christum natum 60. vt dictum est supra ad v. 5. Non placet etiam quod nõnulli hanc complexionem *Iudæi & proselyti*, præcisè referant ad id quod sequitur, *Cretes & Arabes*. Nulla enim ratio est cur ex Creta & Arabia præ reliquis nationibus, imprimis autem præ Romanis, proselyti essent Ierosolymis. Proselyti, inquam. Nam Iudæos sãguine fuisse multos genitos in Creta vel Arabia, non est dubium: cum in vtraque prouincia, multi Iudæi tunc haberent. De Creta, id liquet legenti Epistolam Apostoli ad Tit. c. 1. De Arabia, dicere possumus ex cap. 1. ad Gal. nam Paulus Apostolus paulo post conuersionem ibi prædicauit euangelium, vt quidem Chrys. opinatur Comm. in v. 17. illius cap. 1. non prædicauit tamen nisi Iudæis, vsque dum reuelatione Spiritus sancti constitueretur doctor gentium c. 13. huius. & Gal. 2. 7. Atque hæc sufficiant pro istius etiam particulæ expositione. *Cretes & Arabes*. Qui autem Arabes intelligantur, an ex Arabia petręa, an ex deserta, an ex felice, non liquet, satius videtur accipi indistinctè. Arabia Petręa & deserta sunt apud Ptolemæum, Asiæ tab. 4 felix, 6 Creta est tab. 10. Europæ. Sexta quęstiuncula,

Sextum. An hæc enumeratio complectatur omnes prouincias ex quibus tunc Iudæi aliqui habitarint Ierosolymis R. sp. Non videtur; quoniam non numeratur Cyprus, è qua tamen erant hoc tempore aliqui Iudęi habitantes Ierosolymæ, vt facile docetur ex cap. 4. huius in fi. & ex cap. 8. v. 1. collato cum cap. 11. v. 20 (Cyprus est apud Ptolem. Tabula 1 Asiæ, itemque 3.) Verum S. Lucas non ipse enumerat; sed ipsorum Iudæorum verba recitat: neque necesse erat omnes omnino prouincias enumerare.

Amissæ omnes hæ prouinciæ. ILLVD vltimo loco dicendum est circa hanc enumerationem, lugubre ac longe indignissimum, has omnes terras (& vtinam solas) iam pridem teneri à vilissima gẽte Turcarum, excepta sola Creta, quam Veneti adhuc tenẽt, magnis impensis, perpetuoque cum metu. Nunc vocatur Candia. Quo modo penes Venetos manserit Creta, disci potest ex Meiero Anual. Fland. anno 1204.

PORRO hi admiratores, recensione ista facta repetunt quod prius dixerant v. 8. *Audiuimus.* (audiuimus, est græcè & in melioribus nostris, vt & v 8) *eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Magnalia* dixit Interpres imitatione gręci vocabuli μεγαλεῖα. Poterat dicere, *Magnifica Dei*. Sensus vero est quem supra diximus ad v. 4.

VERS. 12. Stupebant autem omnes, & mirabantur, ad inuicem dicentes; Quidnam vult hoc esse?

REPETITIO est eius quod S. Lucas dixit princip. v. 7. nisi quod hoc loco pro isto *mirabantur*, vox græca potius significat, *hæsitabant*, q.d. hærebant animo, & inter se disquirebãt, nescientes quid hæc de re dicerent. Id significat ille eorum sermo, *Quidnam vult hoc esse?* Est autem phrasis græcanica, (vtitur

tur & Philoſophus in c. de Enthym.) etiam noſtris linguis vulgaribus vſitata; pro, *Quidam eſt hoc?* Et dum hoc quærunt, non tam definitionem quærunt, quam genus rei; ſimul etiam cauſam, præſertim effectricem, & efficientiæ modum. ſicut & illi qui quærebant, *Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter prophetas?* 1. Reg. 10.

VERS. 13. Alij autem irridentes, dicebant; Quia muſto pleni ſunt iſti.

ALII] Nonnulli ſcilicet gentiles, imo etiam Iudæi quidam ſanguine & patria, diuerſi à Iudæis extraneis, id eſt, extra Iudæam natis. Quod hi irriſores ex parte fuerint Iudæi; liquet ex verbis B. Petri, proximis verſibus 14. & 15. Quod fuerint diuerſi à Iudæis illis extra Iudæam natis, ſed Ieroſolymæ habitantibus, facile apparet ex v. 7. & 12. vbi *omnes* illi dicuntur obſtupuiſſe & admirati fuiſſe.

Refutatio calumniæ de ebrietate diſcipulorum.

ERAT autem iſta calumnia varijs modis putidiſſima, & à re prorſus aliena. Primum, ea ratione quam v. 15. allegat B. Petrus, quod eſſet dumtaxat hora diei tertia; quam rationem illic Deo propitio expendemus. Secundo, quia eo tempore muſtum nondum erat, vtpote cum eſſet Pentecoſte. Hanc rationem ponit Chryſoſt. natus & educatus longoque tempore conuerſatus Antiochiæ in Syria; et audiendi non ſunt qui Ieroſolymis tunc muſtum fuiſſe, ob climatis ſitum dicunt. An enim certius ea de re quicquam nouerunt quam homo Syrus Chryſoſtomus? Erat quidem meſſis tempore Pentecoſtes, vt ad v. 1. dictum eſt, nam noui panes Deo offerebantur in Pentecoſte: ſed vindemia ac vuarum expreſſio circiter duobus menſibus, certe vno minimùm menſe, ſequitur meſſem. Tertio, quia etſi ebrij plerumque ſint loquaces: tamen ebrietas non poteſt efficere vt quis loquatur alijs atque alijs linguis quas nunquam didicerit. Ex quibus apparet, iſtos irriſores feciſſe quod ſolent tales homines, id eſt, ſine vlla veriſimilitudine, ac nihil ad rem effutiuiſſe per calumniam quod in buccam veniebat. Cæterum eſt hic locus piæ meditationi, quo pacto Deus maledicentiam iſtorum ita temperarit & direxerit, vt, extra mentem ſuam, altiore intellectu vera ac mira Dei opera prædicarent. Vere enim muſto pleni erant iſti, Deo in hos vtres ex veteribus nouos, nouum vinum ſuæ multiplicis gratiæ infundente: vt Chriſtus faciendum eſſe parabolicè dixerat. Matt. 9. v. 17.

Calumniæ in bonam partem interpretatio.

PRIVSQVAM autem ad ſequentia progrediamur, eſt hoc loco explicandum, vtro modo, die Pentecoſtes, Apoſtoli varijs linguis fuerint auditi: an ſcilicet diuerſarum nationum linguis & idiomatis fuerint reuera loquuti; an vero vna quadam dumtaxat lingua loquentes, viſi ſint diuerſarum nationum hominibus ſua cuiuſque lingua loqui, & fuerint ab ijs intellecti perinde ac ſi propria vniuſcuiuſque dialecto reuera loquuti fuiſſent. De hac q. alibi fuſe egimus, ad 2. ſec. q. 176. art. priorem: Nunc breuiter ſufficiat dicere, Omnes Apoſtolos eo die, aliquantiſper fuiſſe auditos varijs linguis, priore modo; id eſt loquutos linguis peregrinis, alijs atque alijs, pro diuerſitate Iudæorum & proſelytorum

Apoſtoli vtro modo ſint auditi diuerſis linguis.

selytorum ex varijs regionibus, Ierosolymæ tunc degentium, qui ad montem Sion confluxerant, illius magni sonitus & miraculi nouitate illuc inuitati. Deinde verò, B. Petrum, quando solus ad omnem illam miscellaneam multitudinem, elata voce est concionatus, ea quæ sequentibus huius cap. versibus commemoratur; posteriore modo varijs linguis auditum fuisse. Prior huius responsionis pars, euidenter probatur ex v. 4 & 6. atque 11. Nec tamen putandum est Apostos per donum linguarum fuisse omnino eleganter & propriè loquutos idiomata peregrina; sed iuxta communem modum, sic vt possent intelligi. Alioqui enim magnitudini diuinæ gratiæ conuertentis infideles, multum fuisset derogatum; quoniam elegantia & splendore sermonis, adeoque humana potissimum industria, visi fuissent hominibus persuadere fidem Christi. Dixit ea de re S. Th. dicto art. priore ad 1. Et nos ibidem peculiari annotatione latius expendimus.

POSTERIORI responsionis parti, quæ ex ipsa narrationis serie satis euidens est, duo obijci possunt. Prius est, Si hoc modo Petrus Apostolus fuit intellectus à diuersissimarum nationum hominibus: non in loquente fuit miraculum, sed in solis audientibus. Huic obiectioni facilè responderent boni Physici, negatione consequentiæ; ea ratione quod sensus non actiua solum potentia sit, sed & passiua; vt qui à suo obiecto alteratione patiatur per species sensibiles. Fuit igitur in loquente hoc miraculum, eo quòd eius sermo vna duntaxat lingua (verisimiliter hebræa) prolatus ita alterauerit diuersarum nationum auditum, ac si fuisset sermo cuique earum proprius.

POSTERIOR obiectio est, Non videri vllum miraculum hîc fuisse in B. Petro, si loquebatur hebraicè; illam enim linguam omnes qui huic concioni interfuerunt, tenuisse. Respondendum est negatione huius sumptionis. Inter erant enim etiam proselyti. Deinde, nec omnes qui sanguine erant Iudæi, linguam hebræam, siue genuinam illam, siue illo tempore vulgarem, id est, partim chaldaicam, partim syriacam, intelligebant: vtpote multi eorum nati & educati in exteris nationibus, neque vnquam docti idioma hebræum aut syriacum. Sicut hodie non omnes sanguine Iudæi tenent linguam hebræam, sed soli docti: reliqui duntaxat idioma nationis in qua viuunt, velut Italicum, hispanicum, germanicum & sic de cæteris.

HACTENVS à v. 5. expositum est quomodo Deus, ad nouellæ Ecclesiæ propagationem, suorum donorum Apostolis tunc collatorum, manifestationem fecerit alijs hominibus: qui partim admirati sint, partim calumniosè blasphemauerint; deinceps B. Petri concio quam ad vtrosque habuit, summatim à S. Luca describitur.

VERS. 14. Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis:

PETRVS *cum vndecim*] Quorum negotium agebatur, eatenus quòd dicerentur per ebrietatem facere quæ palam videbantur & audiebantur: Item quorum

quorum tanquam defensorum fidei & Ecclesiæ Magistrorum, erat honorem Dei tueri, contra istos qui donum Spiritus sancti musto ascribebant; quorum insuper erat ignorantes docere, & infideles conuertere. *stans*] vtique in propatulo vt ab omnibus audiri posset. Atque hîc sese manifestat donum fortitudinis illius magnæ, quam per hunc Spiritus sancti aduentum Apostoli acceperant: vt qui hactenus latuerant propter metum Iudæorum, nunc coram promiscua hac multitudine, profiteantur fidem Christi Iesu Redemptoris; ac peculiariter eius resurrectionem; quam inimici Iudæi omnibus modis tegere & obscurare laborabant, etiam de custodibus sepulchri dominici empto mendacio, hoc videlicet quod ipsis dormientibus fuisset per discipulos noctu sublatus. Matth. vlt. *Leuauit vocem suam*] vt ab omnibus exaudiretur. Simul hæc elatæ vocis sermocinatio declarat animi fiduciam in B. Petro reliquisque Apostolis; & materiæ de qua loquuturus esset, magnitudinem atque necessitatem. *Et locutus est eis; Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi; hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea.* His verbis attentionem parat; alloquitur autem omnes coram astantes, qui partim sanguine & natiuitate erant Iudæi, partim solo sanguine, partim vero proselyti, partim denique gẽtiles infideles. Nam ad rei nouitatem cõcurrentibus quibusdã, statim omne genus hominũ (vt fit in talibus) accurrit.

B. Petri & aliorum apostolorum fortitudo.

VERS. 15. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt; cum sit hora diei tertia.

AVSPICATVR concionem à refutatione illius putidæ calumniæ; quod alioqui cætera quædicturus esset, minorem fidem apud multos auditorũ, rudiores præsertim, viderentur habitura. Refutat autem hac vna ratione quòd esset hora diei tertia, id est, nostro supputandi more, hora noua antemeridiana. Quo tempore non solent viri honesti (etsi fortasse leuiter ientaculũ sumpserint valetudinis causa) refectionem sumpsisse; multo minus iam esse ebrij; præsertim tam multi simul, duodecim scilicet numero. Illud accedebat, quod esset dies festus, quo ista fiebant; solemnitas scilicet Hebdomadarum seu Pentecoste (de qua sup. ad v. 1.) Diebus antẽ festis erat consuetudinis apud Iudæos, vt non sumerẽt cibum ante meridiem; id quod Baronius tom. 1. Anno Christi 34. §. 243. 244 probat ex Iosepho; & inde illustrat quæ sunt huius libri cap. 10 v. 9. & 10. collatis cum v. 23 eiusdem cap. 10 Refutabat istam calumniam etiam res ipsa, vt supra diximus ad v. 13. Non enim ebrietas facit hominem sermocinari lingua quam non teneat. Sed præter hæc omnia, B. Petrus ipso facto refutat istam calumniam hac sua concione, dum ipse vnus ex ijs qui dicebantur musto pleni, hæc ad multitudinem istam concionatur tanta sapientia, tanta vocis claritate, quanta ab ebrio expectari non potest; & dum ipse vna lingua loquens intelligitur ab omnibus.

NON *enim*, ait, *hi ebrij sunt*] Hi, demonstrabat sibi astantes vndecim, qui iamiam fuerant alijs alijsque linguis locuti magnalia Dei, quum ipsi nullam tenerent nisi Galilæam. *Sicut vos æstimatis.*] *Vos, id est,* nonnulli ex vobis, non curantes quid dicant, modo noceant. *Æstimatis*

matis] *Existimatis* habet Missale Romanum feria 4. Pentecostes, quod melius est. *Cum sit hora diei tertia*. Ioannis 11 inquiebat Dominus, *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Et in parabola operariorum vineæ, fit mentio horarum tertiæ sextæ, nonæ & vndecimæ. Matth. 20. Et quum *sero* factum esset vt merces solueretur; dicebatur de his qui vndecima hora venerant, *Hi nouissimi vna hora fecerunt*; Vnde intelligitur quod & in illa parabola dies diuiditur in duodecim horas. Atque hinc discimus quod populari ratione loquendi, apud Iudæos, dies siue breuior esset siue prolixior, diuidebatur in duodecim horas. Vbi non possunt intelligi horæ æquinoctiales; nam dies breuiores qui sunt ab æquinoctio autumnali vsque ad vernum, non habent duodecim tales horas: & contrà, dies longiores qui sunt ab æquinoctio verno vsque ad autumnale, habent amplius quã duodecim tales horas. Quolibet enim die ciuili (qui cõplectitur noctem & diem naturalem) diuiso in viginti quatuor partes æquales; earum vnaquæque vocatur hora æquinoctialis aut ciuilis. Relinquitur ergo quod cum dies naturalis quacumque parte anni diuiditur in duodecim horas; non intelligantur æquinoctiales siue ciuiles horæ, sed naturales. Est autem hora naturalis tantum temporis spatium, quanto oritur medietas vnius signi Zodiaci; siue illud signum oriatur rectè siue obliquè. Cum igitur quolibet die naturali, quantumcumque sit longus aut breuis, oriantur sex signa, non plura nec pauciora: sequitur quod vnusquisque naturalis dies habeat horas tales duodecim. Vocatur autem dies naturalis tempus quod est ab exortu solis vsque ad eius occasum.

Horarum distinctio in naturales & æquinoctiales.

QVONIAM igitur hæc quæ hîc narrantur, acciderunt ad medium Maij iuxta nostram supputationem: satis apparet B. Petrum hîc non de hora æquinoctiali loqui, sed naturali. Non enim Ierusalem est sub æquatore sed citra Tropicum Cancri, in tertio climate Septentrionali; Ptolem. Tab. 4 Asiæ: estque æstatis longissimus dies Ierosolymæ plusquam quatuordecim horarum. Quatuordecim horarum esse, ait Genebrar in Calendario Hebræorum, mense Tamnuz; qui respondet nostro Iunio. Naturales autem horæ tunc intelligebantur, quando communi vsu, dies, quauis anni parte, apud Iudæos diuidebantur in duodecim horas. Quamuis Ierosolymæ minor sit diuersitas earum horarum ab æquinoctialibus; vt vix operæpretium sit hoc monere.

VERS. 16. Sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel.

MIRACVLI huius diuini declarationem sumit ex Ioele Propheta, qui illud prædixerat. Verba enim Ioelis, de hoc præsenti beneficio & miraculo, B. Petrus Apostolica authoritate & sapientia interpretatur. Et huic eius interpretationi fidem faciebant illa ipsa quæ tunc accidebant prodigia. q. d. Quod vestrum nonnulli calumniose & imperitè ascribunt temulentiæ, id Dei donum est, diuinum est beneficium ac miraculum, quod tempore noui testamenti esse dandum fidelibus, Spiritus sanctus per os Ioelis Prophetæ prænunciarat. Donum sapientiæ eo die auctum Apostolis, hîc in B. Petro elucet. Verba autem Ioelis ipse recitat hoc modo;

VERS. 17,

VERS. 17. Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus.

NOVISSIMIS] græcè est ἐσχάταις, sicut etiam apud Apostolum 2. Tim. 3. v. 1. & Heb. 1. v. 2. Significatur ea circumlocutione nouissima mundi ætas, totum scilicet tempus noui testamenti, quod protenditur ab aduentu Christi vsque ad vltimum iudicium, finemque mundi. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* *Effundam*] largitatem & varietatem significat donorum Spiritus sancti. *De spiritu meo*] Sermo est potissimum de illis donis Spiritus sancti quæ vocantur gratiæ gratis datæ: quale est donum linguarum, donum prophetiæ, donum sapientiæ. Id liquet ex sequentibus. *Nouissimi dies, qui.*

SVPER *omnem carnem*] Distributio est pro generibus singulorum, non pro singulis generum. q. d. Abundanter mei Spiritus dona effundam, non tantum super Iudæos, sed etiam super gentiles: nec tantum super viros aut senes; sed etiam in mulieres, in iuuenes, & puellas. De gentilibus, item de iuuenibus, vtriusque sexus, est exemplum in familia Cornelij centurionis c. 10. Item in quatuor filiabus S. Philippi Euangelistæ, c. 21. v. 8. & 9. Hæc explicatio innititur ex verbis seqq.

ET *prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ*] Prophetia non tantum est in prædictione futurorum contingentium; sed etiam in illa quæ alijs fit reuelatione occultorum; præsentium, aut præteritorum, eorum præcipuè tim quæ ad diuina mysteria pertinent; vt facile intelligitur ex 1. Corinth. 14. Confer. 2. sec. 171, 3. Dixi, *in prædictione*, & *reuelatione*: Nam etiam in notione prophetiæ, reuelationem, quæ alijs fiat, includi; docetur ead. q. articulo 1. Et hęc isto loco spectantur in verbo *Prophetandi*, iuxta id quod in hac historia suprà dicebatur, *loquebantur varijs linguis magnalia Dei.* Sequitur, *Et iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.* His verbis diuersi modi, diuersique gradus cognitionis Propheticę exponuntur. de quibus videndus S. Th eadem parte, q. 173. art. 2. & 3. & 174. itidem art. 2. ac 3. *Prophetia quid & quotuplex.*

VERS. 18. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.

AMPLIOR est explicatio illius quod dicebatur verbis superioribus, *super omnem carnem.* q. d. non tantum in liberos & ingenuos, sed etiam in eos qui inter meos fideles seruilis sunt conditionis, ideoque hominibus contemptibiles; ego Dominus omnium, qui nulla tangor personarum acceptione, Spiritus mei dona effundam: id quod effectu exteriore manifestũ erit, quando etiã tales per Spiritũ meũ insolito modo loquẽtur. Exemplũ huius est in sæpe dicta familia Cornelij, vbi erãt pro more regionis, & serui & seruæ. infra c 10. Sic hãc partẽ esse interpretãdã, vt à pręcedẽtibus sit diuersa, docemur ex originali apud Ioelẽ scriptura, vbi nõ sũt illa *meos*, & *meas*. Et quãuis 70. ibi apponãt; tamẽ id nõ obest huic expositioni, sed potius eã adiuuat: vt intelligamus hic ista, *seruos meos, & ancillas meas*, perinde valere quasi dictũ esset, Viros seruilis quidẽ conditionis

sed ex numero meorum fidelium: feminas itidem seruilis conditionis, sed meas fideles. Ad confirmationem huius expositionis etiam illud valet, quod, hoc loco græce pro isto, *Et quidem*, potius est, *sed &*, καίγε. Quod est in fine huius versus *& prophetabunt*; legitur in quibusdam exemplaribus 70. interpretum apud Ioelem: Hebraicè non est, sed ex præcedentibus facile subauditur.

VERS. 19. Et dabo prodigia in cælo, sursum; & signa in terra, deorsum; sanguinem & ignem, & vaporem fumi.

VERS. 20. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem; antequam veniat dies Domini magnus & manifestus.

HOS duos versus Ioelis sunt qui de his quæ vltimum iudicium præcedent signis, exponant; inter quos Theodoretus: sed quia versus qui deinde apud prophetam sequitur, iste nimirum, *Et erit, omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*, (hebraicè, euadet;) non præcise ad homines qui tempore vltimi iudicij reperientur, pertinet, sed ad vniuersam noui testamenti ætatem, vt ex interpretatione Apostoli Rom. 10. v. 13. manifestum est: idcirco videntur isti duo versus ita exponendi, vt, sicut præcedentes duo, ita & hi tempore prioris aduentus Domini intelligatur fuisse adimpleti. Quem sensum, argumento eodem alteri præponit S. Hierony. comm. ad illa verba Ioelis. Accedit, quod B. Petrus hæc Prophetę verba facit ansam sermonis sequentis, vt ex connexione apparet, ideoque ex sequenti parte concionis B. Petri, videtur petenda expositio horum duorum Ioelis versuum. Ait igitur Deus per Ioelem prophetam, *Dabo prodigia in cælo, sursum; & signa in terra, deorsum*: Vbi ociosum sit quærere quid intersit inter *prodigia* & *signa*: quoniam in originali Prophetæ scriptura & apud 70. non ponitur illud (*signa*:) legitur enim sic, *Et dabo prodigia in cælis, & in terra*. Quare quod sanctus Petrus aut S. Lucas recitans verba Ioelis, apponit illud (*signa*) existimandus est id accipere tanquam æquipollens ei quod præcessit, (*prodigia*.) Vnde hoc loco non est quærenda distinctio. Est tamen verum quod ratione differant signa & prodigia; quamuis subiecto conueniant nonnunquam: qua de re B. Th. 2. sec. 178. articulo priore ad 3.

DABO *prodigia in cælo, sursum*;] Expositio huius partis, iuxta B. Hier. est in verbis sequentibus, *Sol conuertetur in tenebras & luna in sanguinem*. Id factum fuit Domino Saluatore pendente in cruce, horis pomeridianis claro die; vt legitur in historia euangelica passionis Domini. tunc enim, quamuis esset plenilunium, ideoque luminarium oppositio; tamen luna motu infolito, sese subiecit Soli, eumque totum obscurauit. Ipsa quoque velut sanguine atro aut ferrugine infecta apparuit; quoniam pars eius

quæ

quę tunc terram aspiciebat erat tota sine lumine, vt est perpetuo tunc quando est eclypsis Solis, imo semper quum est punctum nouiluniј ipsum. Videatur S. Tho. 3. p. q 44. art. 2. sed responsio ad 2. restituatur veræ lectioni. Videatur etiam Epistola B. Dionysij 7. & 11. ex quibus epistolis & ex tota serie responsionis illius ad 2. facile apparebit, quod in ea responsione, duobus locis facieda sit correctio, etiam in nouissima impressione (vt hoc scitu necessarium obiter hic dicamus): Priore quidem paulo post medium responsionis, hoc modo, *sed tunc luna iam per transiuerat Solem, & distabat ab eo quasi per medietatem circuli, in oppositione existens; vnde oportuit quod reuerteretur ab Oriente versus solem* &c. & ipse textus communis paulo post ita habet, quando hoc repetitur. Posterior locus est paulo inferius, & debet corrigi ad hunc modum, *sed tunc luna miraculose ab Oriente versus Occidentem rediens, non pertransiuit Solem, vt esset eo occidentalior; sed postquam peruenit ad terminum solis, reuersa est versus Orientem: & ita partem Solis quam vltimo occupauit, primo dereliquit.*

DEDIT Dominus priore suo aduentu, prodigia in cœlo, etiam alio modo: in cælo quidem aereo, formando nouam stellam, quæ Magis in Oriente admirationem commouit, donec à Deo ipsis inspiraretur, quod regis Iudęorum natiuitatem ipsa significabat: quę stella & postea ipsos ex suburbano Ierosolymæ deduxit in Bethlehem, ac in domum nati Saluatoris. In cœlo autem æthereo; quando in suo corpore humano omnes cœlos transcendit, & sedit ad dexteram Patris. Hoc prodigium B Petrus ponit infra v. 34. & 35.

ET *signa in terra deorsum.* Inter signa quæ daturus esset Dominus in terra, temporibus Messiæ, prima fuerunt quod eius præcursor ex matre sterili natus est, quod ipse ex virgine; de qua dictum fuerat Isaiæ 7. *Dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo* &c. Deinde, in hoc genere sunt tam multa Christi miracula quæ ipse operatus est ad Dei patris gloriam, & ad fidem sui hominum animis ingenerandam, fundamentum salutis. Hoc quoque magnum fuit in terra signum quod Domino moriente velum templi scissum est à summo vsque ad imum; terra mota est; petræ scissæ sunt; monumenta aperta sunt; & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Matt. 27. v. 51 52. Signum magnum in terra dedit Christus etiam tunc, quando die tertia surrexit è sepulchro ad vitam immortalem. De quo signo ipse dicebat, loquens de Iudæis; *Generatio mala & adultera signum quærit; & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.* De hoc signo loquitur B. Petrus in hac sua concione paulo post, v. 24. & seqq. Aliud signum in terra dedit, quando descendit ad inferos, potestatem exercēs; non ipse quicquam patiens; & inde educens veteres iustos nihil purgandum habentes. Indicat hoc signum dicto v. 24. B. Petrus.

PRÆNVNCIAT etiam per Ioelem Dominus sese daturum, *sanguinem, & ignem, & vaporem fumi*; tanquam exemplum ponens prodigiorum quæ daturus foret in terra. De his autem tribus variæ sunt expositiones; sed nos conformiter ad nunc datam explicationem præcedentium, B. Hieronymi authoritate confirmatam, intelligimus hæc quæ his verbis prænunciantur, diuinitus euenisse ad priorem Domini aduentum: nimirum in horrendis illis calamitatibus quas Iudæi propter reiectum & interfectum Saluatorem, Deo vindice,

 sunt

sunt experti, tam horribiles, vt ne legi quidem sine tremore possint. Et huius expositionis ex parte habemus authorem Chrysost. & Oecumenium in hunc locum Actorum. *Sanguinem* igitur dedit Dominus in terra, tanquam signum magnum; quando Iudæorum tot milia, diuersis locis, sed in primis in ipsa Palæstina, diuerso & crudeli mortis genere, per Romanos, per alios gentiles, imo & per ipsos Iudæos bello intestino discordes, interfecit, non viros tantum sed & mulieres & paruulos.

DEDIT etiam Dominus *ignem*: quando Iudæorum multorum corpora, quando loca & ædificia publica atque priuata, nec profana solum, sed & templum illud vnicum, maximum, sumptuosissimum ac religiosissimum; fuerunt validissimis incendijs consumpta & vastata. Nam magnitudinem incendiorum videtur significare illud quod additur epitheti vice, *& vaporem fumi*, quasi dictum esset & ignem vaporosum atque valde fumosum. Tales enim sunt ignes largi & ampli, valideque extensi, vt plurimum fumi & caliginis habeant admistum sibique conuolutum. Vnde sunt illa in sacris literis, Apocalypsis 18. v. 9. de Babylone, *Flebunt* &c. *cum viderint fumum incendij eius*. Et de eadem c. 19. v. 3. *fumus eius* ascendit in sæcula sæculorum. Et Iosue 8. de vrbe Hai, *videntes fumum vrbis ad cælum vsque conscendere*. Et Iudicum 20. de Gabaa, *Viderent quasi colũnã fumi de ciuitate conscendere*. Quo eodem modo, id est, *columnas* (quod 70. *vaporem*) *fumi*, habet originalis scriptura in hoc loco Ioelis prophetæ: quæ lectio argumentum præbet ista verba esse proprie & corporaliter intelligẽda, vt diximus; de magnis scilicet & validis incendijs locorum & personarum.

NEC mirum videri debet, quod ista Domini per Ioelem verba *sanguinem & ignem & vaporem fumi*, de Iudæorum calamitatibus accipiamus cum bonis authoribus: quum in vindictam reiectionis & interfectionis Domini, eæ tam ingentes fuerint, vt ipse Dominus illas non solum prædixerit, sed etiam defleuerit. Lucæ 19. & 21. Matth. 24. Quæ calamitates non tunc solum fuerunt quando per Vespasianum & Titum fuit destructa Ierusalem; sed & diuersis locis & temporibus iam antea; vt ad vltimam illam desolationem, velut præludia varia essent. Videri poterit Baronius anno Christi 40. § 6. & seqq. ex Philone, de maximis calamitatibus quas in Egypto passi sunt Iudęi à Flacco pręfecto Ægypti & ab ipsis Ægyptijs idololatris. Item anno Christi 42 § 37 ex Iosepho docet in Seleucia à Syris & gentilibus conspirantibus, fuisse ex improuiso occisa supra quinquaginta milia Iudæorum virorum. Videatur idem anno Christi 68, §. 34. & multis seqq. vsque ad 48. ex Iosepho. Anno rursum Christi 69. §. 48. 49. 50. 51. Anno 70. §. 7. & 8 Anno 71 § 2. 10 11. 12. Et hæc quidem omnia antequam à Tito Vespasiani filio Ierusalem esset obsessa, nouissima illa obsidione qua deleta fuit. Qua obsidione durãte, quam miserabilia acciderint Iudæis intra eam vrbem conclusis, & inter se ferocissimè pugnantibus; ex Iosepho idem Baronius tradit anno Christi 72. § 1. vsque ad finem anni per §§. 30. & amplius. Addantur quæ sunt Anno Christi 73. § 3. 4. & seqq.

CREDERE autẽ licet B. Petrum hęc quoque terribilia memorasse ex Ioele, quę nimirũ sũt v. 19. & 20. vt auditoribus ijs qui rei erãt mortis Domini, timorẽ incuteret salutarẽ, quo ad pœnitẽtiã tãti sceleris adducerẽtur. Cõfer v. 22. 23. 36. 37.

HÆC

HAEc porrò omnia Ioel propheta prænunciat futura *antequam veniat dies Domini magnus & manifestus*. In græco additur articulus emphaticus & discretiuus, hoc modo, *Antequam veniat dies Domini, magnus ille & manifestus*. Pro isto autem, *manifestus* seu *illustris*, vel *clarus*, quod de ferunt 70. in hebræo apud Ioelem, prophetam est *horribilis*, seu *terribilis*. Quod epitheton effecit vt hanc sententiam de posteriore Domini aduentu ad vltimum iudicium, multi acceperint: sed quid videatur illi intellectui obstare, iam antea diximus, initio annotationis ad v. 19. Et ad eum nos non vrget epithetum illud *horribilis*: duabus de causis. Prior est, quod istud *horribilis* seu *terribilis* non omnino explet vim vocis hebrææ; qua generatim significatur quicquid magnitudine sua excitare potest timorem, reuerentiam, venerationem, admirationem: vt varijs exemplis probat Ribera ad hunc locum Ioelis. Quam generalē significationē etiam latini interdum vsurpant in epithero, *horrendus*; vt idem ibidem ostendit. Eandem generalem significationem vsurpant linguæ vulgares in epitheto *Terribilis*: Gallicè, Terrible, terriblement. Teuthonicè, veruaerlyken.

POSTERIOR causa est, quia etiam illud tempus Iudæorum fuit terribile, etiam is status Iudæorum fuit horribilis, quando non solum amiserunt templum, & patriam suam; nec non omnem formam regiminis, tam in spiritualibus quam in temporalibus; sed etiam maiore ex parte sunt deserti à Deo ac relicti in tenebris infidelitatis & perfidiæ suæ: atque ita, propter repudiatum & occisum Saluatorem terribiliter diuinitus punita fuit ipsa natio, duratura hac pœnâ vsque ad finem mundi; dicente Apostolo Rom. 11 *Cæcitas ex parte contigit in Israel donec plenitudo gentium intraret*. Et prius, *Electio consecuta est: cæteri vero excæcati sunt*.

PORRO *Dies Domini magnus*, generatim dicitur tempus quodcunque quo Deus aliquid supra communem modum facit; seu ipse status rerum, vel personarum quem sic facit: idque siue in lætis, siue in tristibus; siue in prosperis, siue in aduersis. Psal 117. *Hæc dies quam fecit Dominus*, id est, hic est salutis per Christum reparatæ status. Hic in lætis dicitur *Dies Domini*: In aduersis autem, sæpe alibi, vt Ioelis 2. v. 11. Sophoniæ 1 v. 14.

TEMPVS ergo illud quo Deus gentem iudaicam propter interfectum Saluatorem affecit pœnis illis temporalibus & spiritualibus; idque fecit & facit manifestè coram toto mundo; Tempus dico illud, ac ille infelix Iudæorum status in quo tot iam sæculis, Deo vindice, versati sunt & versantur; est *iste dies Domini magnus & horribilis ac manifestus*. Addit Ioel propheta,

VERS. 21. Et erit omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

QVOD dixerunt 70 *Saluus erit*, in originali scriptura est, *euadet*. Quasi enim rogaret quispiam Ioelem sanctum, Quinam igitur poterit euadere diem illum Domini magnum & horribilem? respondet *Omnis ille qui inuocauerit nomen Domini*. Quod qua ratione de Iudæis verum est, eadem de gentilibus, id est, hominibus alterius gentis quam Israeliticæ. *Non enim est distinctio Iudæi & Græci*

Græci (id est, Gentilis): *Nam idem Dominus omnium: diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Ita Apostolus ad Rom. 10. Et qua ratione hoc verum est de illo die Domini, de quo superiora exposuimus: Eadem verum est, de magno illo Domini die, quando iudicabit viuos & mortuos, & seculum per ignem. Sed scire oportet quid hoc loco sit *Inuocare nomen Domini*, cui operi salus promittitur. Id vero est, esse ac sese profiteri verum Dei cultorem; idque per mandatorum ipsius obedientiam, per gratiarum actiones & preces. Inuocatio enim hæc non in solo sermone consistit, ait B. Hierony. sed potissimum in affectu; illo scilicet quo per amorem Deo obediunt fideles, Huc nimirum pertinet quod Apostolus ait, Nemo potest *dicere* dominum, Iesum; nisi in Spiritu sancto. 1. Cor. 12. v. 3.

Inuocatio Dei, quid.

SANCTVS Petrus hunc versum Ioelis superioribus attexuit, vt quibus per superiora incusserat metum damnationis, eosdem in spem salutis erigeret, ostensa via qua illuc perueniri posset, etsi grauissimis sceleribus patratis. Atq; huic parti prophetiæ Ioelis in beati Petri concione respondet illud quod Iudæis conpunctis corde & dicentibus ad Petrum & reliquos Apostolos, *Quid faciemus viri fratres?* idem Petrus respondit, *Pænitentiam agite & Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum.* Infra v. 37. 38. Ecce, ex parte quadã explicatum à sancto Petro, quid sit *Inuocare nomen Domini*.

VERS. 22. Viri Israelitæ, audite verba hæc; Iesum &c.

POSTQVAM depulit calumniam ebrietatis, quæ fructui huius concionis poterat obstare; nunc aggreditur eos docere veritatem de Iesu quem interfecerant, fuisse scilicet virum Deo gratum; idque eos non potuisse ignorare; & ad tanti sceleris pœnitentiam ipsos prouocat. Itaque de nouo attentionem & docilitatem parat, imo & audiendi beneuolentiam; dum ait, *Viri Israelitæ, audite verba hæc.* Erant in illo numero multi proselyti: ipse tamen Israëlitas solos hic nominat, quoniam ad illos demum ea pertinent, quæ proxime est dicturus de interfectione Saluatoris.

IESVM *Nazarenum*] Hoc agnomine à patria sumpto, passim appellabatur Dominus noster, cum hîc in terris ageret; vt passim liquet in historia euangelica. *Virum approbatum à Deo in vobis;*) Hoc est, virũ quem Deus apud vos ac inter vos probauit sibi esse charum, esse à se vobis missum. Id vero probauit, *Virtutibus & prodigijs & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis.* Nam miracula quæ Christus Dominus fecit, eò destinabantur vt crederent Iudæi ipsum esse Messiam, diu expectatum, quem Deus pater ipsis misisset. Vnde inquiebat Nicodemus, *Rabbi, scimus quod à Deo venisti magister: Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ioan. 3. & ipse Saluator Ioan. 5. v. 36 *Opera quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea; ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me quod Pater misit me.* Et sæpius alibi in eandem sentẽtiam. vt Ioannis 7. v. 31. Et cap. 10 v. 25. & 37. Cap. 14. v. 11. 12 cap. 15. v. 24.

EST autem hoc loco obseruanda B. Petri prudentia, qui hoc sermonis initio apud istos Iudęos non plus dicat de Saluatore quàm, *Virum approbatum à Deo;*

Dei; nihil adhuc dicens de eo quod si vnigenitus Dei filius Patri æqualis. Quomodo & Paulus in sua apud Athenienses ethnicos concione, de Christo loquens, non aliter eum describit, nisi *esse illum virum per quem Deus sit iudicaturus orbem terrarum*. Et ipse Saluator Matt. 16. vetabat Apostolis tunc temporis ne cui dicerent ipsum esse Christum. Hoc totum idcirco, quod non quiduis quouis loco, & tempore, quibusuis & quomodocumque affectis, vel quomodocumque assuetis, dicendum est: sed gradibus quibusdam dogmata catholicæ religionis cuique, pro sua qualitate vel affectione sunt aperienda; initio facto à facilioribus, à magis obuijs, & minus longe à ratione naturali remotis; cętera vel inuoluendo generali sermone, aut suis causis vel effectis indistinctè includendo, si omnino aliquid de illis tunc dicendum sit, vel certe in aliud tempus illa reseruando, dum scilicet animus per istorum priorum assensionem fuerit præparatus. Videmus Apostolos post Christi ascensionem, initio suæ prædicationis inculcasse Christi resurrectionem, tam apud Gentiles quam apud Iudæos: quoniam eam confirmare ipsis facile erat per miracula ingentia quę ad eius de Christi resurrectione doctrinæ probationem, edebant; Infra cap. 4. v. 33. Et, quoniam illo fidei articulo constituto ac hominibus persuaso, facile deinde erat persuadere eius diuinitatem, vt qui seipsum è morte excitasset. Christi autem diuinitate per fidem suscepta; nullius difficultatis erat persuadere ijsdem, totam reliquam fidei doctrinam, totamque Christianam religionem; quippe cuius doctor esset ipse Deus, Dei filius vnicus, IESVS CHRISTVS. Exemplum aliud licet obseruare c. 8. huius, vbi S. Philippus Diaconus, occasione oblata vsus, initium prædicationis facit à morte & passione Saluatoris, eo quod prophetia Isaiæ quam legebat ille Eunuchus, de his loqueretur: sed inde delapsus est ad resurrectionem; quam etiam prędixisse prophetas, facile fuit ei demonstrare; deinde ad cætera præcipua ac summaria fidei capita, commodo ordine descendit, gradibus quibusdam; eousque vt Eunuchus intelligeret & crederet IESVM esse vnigenitum Dei filium, crederet præterea sese ad salutem indigere baptismo. Nam hoc arguit illa eius exclamatio, *Ecce aqua*; *quid prohibet me baptizari?* Notamus nonnulla, huc facientia, ad cap. 17. v. 3. Ex quibus omnibus discendum nobis est, quod cum hæreticis & alijs à fide catholica alienis, vt conuertantur, sit prudenter & certo ordine agendum; nec difficiliora vel magis odiosa infidelibus, statim inculcanda. Consulere licebit Origenem ad locum illum Matth. 16. superius allegatum.

VT reuertamur ad præsentis loci explicationem, ista tria quæ hic iunguntur, *Virtutes*, *prodigia & signa*, significant Christi miracula; sed maioris emphaseos causa, omnia tria coacervantur; quoniam ratione alia atque alia dicuntur. Qua de re iam superius monuimus esse videndum B. Thomam 2. sec. 178. artic. priore ad 3. *Sicut & vos scitis*] Illas scilicet virtutes, prodigia & signa quæ Deus per illum fecit, vtpote in medio vestrum facta. Non est autem necessarium subaudire, *Sicut & vos*

scitis, scilicet quod Deus, per illa miracula, demonstrauit illum ab ipso esse missum: propter ea quę leguntur cap. 3. v. 17.

VERS. 23. Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.

HVNC] Emphaticum est; q. d. hunc tantum & talem. *Vos interemistis, affigentes eum cruci per manus iniquorum.* græce, exlegum, ἀνόμων, hoc est impiorum, infidelium videlicet, idololatrarum, gentilium. Posset etiam verti, *per manus exleges* seu *impias*; eodem sensu. Extorserant enim Iudæi per clamores, per tumultum & seditionem, à Pilato, condemnationem Domini ad crucifixionem; & eam deinde ipsi sunt executi per milites Romanos. Iesum enim tradidit voluntati Iudæorum Pilatus. Matth. 27. v. 26. Luc. 23. v. 25. Ioan. 19. v. 16. Quod vero addit B. Petrus, *definito consilio & præscientia Dei traditum*; vbi illud (Dei) ad vtrumque præcedens, (*præscientia*) scilicet & (*consilio*) sine dubio pertinet: Id nonnulli adiectum putant extenuationis cuiusdam causa: sed potius videtur appositum ad occurrendum tacitę obiectioni, atque ad amoliendum scandalum crucis. Est enim infidelibus Iudęis scandalum crux Christi 1. Cor. 1. v. 23.

POTVISSENT Iudæi cogitare, Si IESVS fuisset Deo Patri tam charus quam tu, Petre, significas: non permisisset eum crucifigi. Occurrit huic tacitæ obiectioni Apostolus, negatione huius sumptionis; ac dicit quod Deus Pater pro salute humani generis eum in mortem *tradiderit*; id est, exposuerit furori inimicorum, reliquerit indefensum inter manus persecutorum. Nam hoc est illud (*tradere*) quatenus Deo Patri tribuitur. Est autem consequens quod & Spiritus sanctus eum sic tradiderit, & ipse Dei filius seipsum; quoniam opera Trinitatis sunt indiuisa. Et absque hac traditione nihil in Christum potuissent omnes Iudęi, omnes gentiles, & omnes dæmones cum principe suo diabolo, vniuersi simul iuncti. Huc pertinent scripturæ Ioan. 3. v. 16. c. 10. v. 17. 18. Rom. 8. v. 32. Lucæ 22. v. 53. Ioan. 19. v. 11.

AIT vero B. Petrus Iesum fuisse traditum *definito Dei consilio & præscientia.* vbi illud (*Dei*) personale nomen est, & verificatur de Patre in diuinis; quamuis oratio sit verissima etiamsi sumatur vt essentiale, significetque ipsam Trinitatem totam: iuxta proximè dicta.

PORRO (*consilium*) proprie Deo non conuenit, sed quadam catachresi, vel potius synecdoche totius pro parte. Nam quum prior consilij proprie dicti pars sit deliberatio; hæc Deo non conuenit: conuenit autem posterior quæ vulgo dicitur resolutio, id est, consilij conclusio, nimirum sententia seu decretum ac constitutio animi, qua hoc vel illud in particulari faciendum decernitur. Nec est nouum in sacris literis Deo consilium tribui hac significatione

ſignificatione. Infra cap. 4. v. 28. Epheſ. 1. v. 11. Heb. 6. v. 17. Iſaie 46. v. 10. & alibi.

Ex quibus locis etiam intelligitur quid ſibi velit illud epitheton quod hic Dei patris conſilio tribuitur, *definito*; græce τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ determinato conſilio, ſententia animi certa, firma conſtitutione, decreto non reuocabili. Vnde ad Heb. loco citato Apoſtolus vocat Dei *conſilium immobile*. Tale autem fuit Patris decretum quo ab ęterno conſtituit filium ſuum hominem factum dare in mortem pro generis humani redemptione & reconciliatione. Quod vero additur de *præſcientia Dei patris*; eiuſdem rei inculcatio eſt; nam Dei præſcientia in bonis non latius patet quàm eius prædeſtinatio; vt docet B. Auguſt. de dono perſeuerantiæ c. 18. Prędeſtinatio autem generaliter idem eſt quod prædefinitio, pręconſtitutio, prædecretum. Non differt enim à definitione, decreto, conſtitutione faciendi hoc vel illud, niſi in eo quod connotat ordinem durationis quo ipſa conſtitutio faciendi præcedat ipſam effectionem, ipſumque opus, quod ſuo tempore faciendum eſſe fuerat decretum. Hunc ordinem ſignificat Apoſtolus illis verbis 1. Cor. 2. v. 7. *loquimur Dei ſapientiam* (id eſt, diuinæ ſapientię operationem) in myſterio, quę abſcondita eſt, *quam prædeſtinauit Deus ante ſecula*.

MOVET hîc quidam neotericus difficultatem, vt ait, maximam, quo modo cum hoc Dei Patris decreto, cui Chriſtus infallibiliter obediuit, conſiſtat libertas arbitrij ipſius Chriſti; ſine qua vtique ipſe non meruiſſet. Et ſoluit ſatis ſtrigosè: quoniam retinet nouas hypotheſes quorundam recentiorum.

Ex Dei Patris præcepto, & ex Chriſti impeccabilitate, non ſequitur obeditionis Chriſti abſoluta neceſſitas; ſed ſolum conditionata. cum qua libertatem actionis illius conſiſtere, quis miretur? Vide Eſtium in 2. diſt. 7. §. 8. ad dubitationem. 2.

Pergit B. Petrus dicere de Chriſto;

VERS. 24. Quem Deus ſuſcitauit, ſolutis doloribus inferni; iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.

AD Chriſti reſurrectionem, quæ fundamentum eſt totius chriſtianæ religionis, vt paulo ante dicebatur, & Apoſtolus Paulus docet 1. Cor. 15. delabitur B. Petrus; eamdemque probat ſcripturæ teſtimonijs primùm, quoniam Iudæis loquitur qui habebant Scripturas; deinde, etiam ſuo ipſius, & collegarum ſuorum, reliquorum Apoſtolorum; quos Deus tantis prodigijs ibi demonſtrabat eſſe ſuos teſtes. Ait igitur, *Quem Deus ſuſcitauit*] Non ait, Qui ſeipſum reſuſcitauit, tametſi verum ſit, quoniam maiora quæ in Chriſto ſunt, adhuc reticet, faciens initium à credibilioribus; vt paulo ſuperius admonebamus.

SOLVTIS *doloribus inferni*] græce eſt, *ſoluens dolores*. Quare hæc ſolutio Deo Patri iſtic tribuitur; tametſi & Chriſto veriſſime competat

per trium personarum communionem operum quæ sunt ad extera. Et pro isto *inferni*, in græcis codicibus hodiernis, legitur τοῦ θανάτου, *mortis*. S. tamen Polycarpus B. Ioannis Apostoli discipulus, initio statim suæ ad Philippenses epistolę, legit *inferni*; ᾅδου quomodo & Syrus interpres habet: vt non mirum sit veterem nostrum Interpretem in suo græco codice ita habuisse. Ad sensum non multum interest.

DICITVR enim Deus Pater soluisse *dolores inferni*, quoniam post Christi passionem non permisit vllos iustorum quibus nihil purgandum adesset, detineri in inferno, vt detinebantur eousque, afflicti ob dilationem beatitudinis, degentes in pœnis tenebrarum: multo minus, permisit animam Christi illic detineri; quemadmodum peculiari testimonio S. Petrus statim confirmabit ex psal 15. Soluit etiam *dolores mortis* Deus pater, dum corpus Christi statim antequam inciperet resolui seu putrefieri, resuscitauit, omnemque ei mortalitatem abstulit; illud plane faciendo incorruptibile, imo exemplar & primitias resurrectionis omnium resuscitandorum ad vitam gloriosam.

IVXTA *quod impossibile erat teneri* (id est, sub potestatem redigi) *illum ab eo*. Id erat *impossibile*, propterea quod Christus & Deus erat & homo in quo peccatum nullum fuerat nec esse poterat: ideoque nec mors, nec ille calamitosus inferorum status in quo erant veteres iusti, potuit Christum tenere subiugatum; sed ipse seipsum ex statu mortis potuit liberare, ipse per se potuit animam suam ex inferno quo descenderat, eruere, & corpori in vitam gloriosam iungere. Sequitur huius probatio ex scriptura;

VERS. 25. Dauid enim dicit in eum.

ID est de eo, atque adeo in persona eius. locus qui citatur est psal. 15. nostri numeri; apud heb. 16.

Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commoueat.

VERS. 26. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea. insuper & caro mea requiescet in spe;

VERS. 27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem;

VERS. 28. Notas mihi fecisti vias vitæ, replebis me incunditate cum facie tua.

QVOD ex hac scriptura potissimum in seqq. B. Petrus ponderat, est v. 27. de cuius intellectu paulo post agetur v. 31. quum ad B. Petri verba

verba illa venerimus. Sed ante omnia ipse probat quod ista non in sua persona dixit Dauid, sed in persona Christi, quum subdit;

VERS. 29. Viri Fratres liceat audenter dicere ad vos de patriarcha Dauid, quod & defunctus est, & sepultus; & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.

SENSVS est, quem clarissimè expressit Paulus Apostolus Act. 13. v. 36. 37. Vbi hanc eandem ex psa. 15. scripturam adfert. Est inquam sensus; Dauid fuit vir magnus & Deo charus, ac vnus patriarcharum vestrorum: tamen liceat mihi apud, veritatis amantes, verum dicere; nempe quod eius caro vidit corruptionem, vt indicat eius mausoleum vsque hodie per tot iam sæcula in monte Sion conseruatum. Vbi sepultum fuisse constat ex 3. Reg 2. v. 10. Vbi dicitur sepultus in ciuitate Dauid; Illa autem pars Ierosolymæ vbi erat mons Sion, propriè vocabatur ciuitas Dauid, vt patet. 2, Reg. 5. v. 7. 9. *Patriarcha* dicitur qui generis propagatione multorum patrum ipse est pater, caput, ac princeps.

QVOD dicit B. Petrus, *sepulcrum eius apud nos est vsque in hodiernm diem*; videtur intelligendum sensu formali; vt velit dicere corpus Dauidis eousque in eo sepulcro asseruari. q. d. fuit sepultus, & manet apud nos sepultus vsque hodie. Id B. Petrus reuelatione diuina scire potuit, & tanquam Dei Apostolus affirmate: Potuit etiam fide humana cognouisse. Nam Herodes magnus, spe ingentium thesaurorum repiendorum in sepulcro Dauidis, illud aliquando noctu aperuit; & progressus longius vsque ad conditorium Dauidis, ibi duos satellites amisit subitanea morte. quo casu tristi absterritus, statim exiuit non ausus longius progredi. Narrat hæc Iosephus Antiq. Iudaic. lib. 16. c. 11. Hinc satis apparet corpus Dauidis tunc eo in loco adhuc fuisse.

SI roget quis, An igitur Dauid non fuerit ex numero illorum sanctorum qui die resurrectionis Domini, resuscitati sunt ad vitam (vix dubium) immortalem; de quibus Matt. 27: respondetur, nihil esse absurdi Dauidem ex ijs non fuisse. Certe euangelica ibi historia id manifeste narrat de ijs sanctis qui extra Ierusalem fuerant sepulti, quorum monumenta fuerant aperta tempore mortis Domini; & qui post resurrectionem Domini venerunt in sanctam ciuitatem, vt ibidem dicitur. Sanctus Hierony opusculo contra Vigilantium testatur quod sua ætate Arcadius Imperator ossa B. Samuelis prophetæ ex Palestina transtulerit Chalcedonem, maxima celebritate. Igitur Samuel non fuit ex numero illo resurgentiū de quibus Matth. 27. Neque ergo quicquā absoni est, dicere Dauidem quoq, ex eo numero non fuisse. De reliquijs trium puerorū dicit nōnulla ex fide dignis authoribus Baronius in notis ad Martyrol. Rom. die 16 Decembris. Ergo nec illi sunt in illo numero. Quid cogit de Dauide? Et tamē; vt fateri quis vellet, inter illos Dauidē fuisse; & quod S. Petrus hic

 ait de

ait de sepulchro eius quod in Sion esset vsque ad diem illum, id materialiter esse accipiendum; hoc nihilominus non obstaret argumentationi B. Petri, quæ vult concludere carnem Dauidis vidisse corruptionem; quoniam ex diuturnitate sepulturæ, quæ fuit minimum vsque ad Christi Domini resurrectionem, id bene concluditur. Ab obitu enim Dauidis vsque ad Christi Domini resurrectionem, sunt circiter mille anni. Vide. Martyrol. Rom. 25. Decemb. Pergit sanctus Petrus, & perficit suam ex psal. 15. probationem.

VERS. 30. Propheta igitur cum esset, & sciret quia (quod) iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius:

VERS. 31. Prouidens, loquutus est resurrectione Christi quia (quod) neque derelictus est inferno, neque caro eius vidit corruptionem.

QVASI dicat, Vaticinium quod protuli ex psal. 15. non ex persona Dauidis est dictum; quoniam caro eius vidit corruptionem: restat igitur vt ex persona Christi dictum sit; præsertim quum Dauid propheta fuerit, neque sit alius ex cuius persona id accipi possit esse dictum; illo etiam accedente, quod Deus iurasset Dauidi sese missurum Messiam ex eius posteritate qui sederet super regiam ipsius sedem. Psal. videlicet 131. Hæc regia sedes est spiritualis, principatus scilicet Ecclesiæ etiam ex gentibus colligendæ: & in hoc spirituali regno ipsum regnaturum perpetuò sine successore, prophetæ prædixerant, & Angelus Deiparæ nunciauerat, Luc. 1. *Dabit illi Dominus* &c. Cum autem isto regno eius perpetuo non consistebat quod ipse maneret in morte: Requirebat igitur status huius regni æterni, vt statim ex morte suscitaretur. Hoc Dauid vt propheta prænoscens; ea quæ dixit psal. 15. non de sua, sed de Christi, de Messiæ quem Deus foret missurus, celeri resurrectione, est loquutus; nimirum quod neque derelicta fuerit anima eius in inferno, quo ad consolationem piorum, & ad potentiam suam manifestandam, descenderat; neque caro eius fuerit corrupta: sed per celerem illam resurrectionem fuerit vtrumque horum auersum, sancta illa anima corpori denuo coniuncta, non amplius morituro. Vsus est hoc loco psalmi ad idem propositum Paulus Apostolus infra c. 13, v. 36. 37. vt & supra monuimus.

OBSERVANDVM est quod hoc v. 31. Apostolus Petrus manifeste, (vt in græco patet euidentius) tamquam duo diuersa commemorat, animam Christi non fuisse in inferno relictã, & carnẽ eius nõ vidisse corruptionẽ; & vt diuersas (dicit enim *neque* & *neque*) interpretatur illas duas partes psa. 15. quẽ recitat iuxta 70. Quod vnum debet sufficere refellendis nouis hæreticorum interpretationibus; qui priorem partem sic detorquent, vt secundum ipsos anima Christi nunquam fuerit in loco subterraneo. Hoc faciunt odio limbi vete-

Hæreticæ interpretationes Psalmi 15. refelluntur.

rum

rũ patrum,& purgatorij fideliũ animarũ:nimirum,vt hæc negare queãt;negẽt quicquid his eſt conſentaneum, etiam Chriſti ad inferos deſcenſum. Hi priorem huius verſus partem ex hebræo ſic interpretantur, *Non derelinques animam meam in ſepulcro*, Eodẽ modo(quod eſt abſurdius)interpretãtur hoc loco Actorum; quum græcè ſit ᾅδου. Ita videmus in nouo teſtamento gallicè impreſſo Rupellæ,& in alio,Lugduni. Et ad huius abſurdiſſimæ interpretationis defenſionem, dicunt quod vox hebræa *ſcheol* interdum ſignificat *ſepulcrum*: Quibus reſpondendum eſt,quòd difficulter reperient loca ſcripturæ,vbi ea vox debeat exponi per *ſepulcrum*: reperient autem multa vbi ſic reddi non poſſit, ſed debeat verti in vocem *inferni*. velut Geneſ. 37.v.35. vbi ponderandum eſt illud quòd Iacob ait *ad filium meum*;quem credebat non ſepultum ſed deuoratum à beſtijs. Et conferendus eſt iſte locus cum Gen. 15.v. 15.c. 35.v. 29, c. 49.v. 32. Rurſum Deuteron. 32. v. 22. Iob.14.v.13.Pſal.6. v.6. & 54. v. 16. quos duos locos B. Hierony. citauit, paulo poſt allegandus. Rurſum pſal.85.v. 13.Prouerb. 9.v.18. c.15. v. 24. Eccleſiaſtæ 9. v. 10. &,multis omiſſis, Oſee 13.v.14. Ero mors tua, ô mors; morſus tuus ero Inferne. In cuius loci Commentario, ſic. B. Hier. *Inter mortem & Inferos hoc intereſt, Mors eſt eſt qua anima ſeparatur à corpore: Infernus,locus eſt in quo animæ recluduntur*, ſiue in refrigerio,ſiue in pœnis, pro qualitate meritorum. Dixit multa in hanc rem Ioannes Lenſæus in lib. de Limbo Patrum c.4 ſed ex ipſis Rabinis veteribus,longe plura Petrus Galatinus de Arcanis catholicæ veritatis lib. 6. c. 7. & 8. Ex quibus Galatini capitibus,patebit quam impudenter hæretici, quam imperitè nonnulli catholici nimium fidentes Rabinis poſterioribus indoctis & Chriſti hoſtibus; hîc, in pſal. ſcilicet 15. vertant *ſepulcrum* pro *inferno*. De magna imperitia Rabinorum poſteriorum,paſſim Hiero.Oleaſter, Franc. Fererius, Franciſcus Ribera, & alij catholici; qui ſeriam operam dederunt linguæ hebraicæ, & eam didicerunt ex collatione ſcripturarum, ex antiquis item magiſtris Iudæorum, non ex dictionarijs dumtaxat recentiorum aut ex poſterioribus Rabinis. Addit B. Petrus,& perſpicuis verbis idem effert, cum noua probatione,

Rabini poſteriores indocti.

*V*ERS.32. Hunc Ieſum reſuſcitauit Deus:cuius nos omnes teſtes ſumus.

HVNC *Ieſum*] Iterum hoc emphaticè dicitur. *Ieſum*] talem ac tantum; quem vos manibus impiorum occidiſtis. *Reſuſcitauit Deus*] iam pridem, tertio ſcilicet die à morte;cuius rei vos hauddubiè famam aliquam iampridem (ſeptem enim hebdomadæ ſunt ex quo reſurrexit) accepiſtis, partim diſperſam à diſcipulis eius qui rediuiuum conſpexerunt,partim à militibus cuſtodibus ſepulcri,qui veſtris primoribus nunciauerunt terræmotum tunc factum,& lapidem nulla humana vi ſed angeli terribilis opera fuiſſe amotum à ſepulcro, illudque vacuum repertum. Et, vt hactenus nihil de reſurrectione eius audiſſetis: eum reſurrexiſſe *nos omnes teſtes ſumus*. Quum hoc dicit B.Petrus, demonſtrat haud dubie vndecim Apoſtolos ſibi aſtantes; quorum muneris apoſtolici

erat

erat pars illa singularis, annunciare Iesu resurrectionem; vt totius christianæ fidei fundamentum; quemadmodum iam sæpiuscule dictum est. De hac apostolici officij parte est supra c. 1. v. 8. & 22. cap. 3. v. 15. cap. 4. v. 33. & alia locis indicatis ad versum illum 8 cap. 1. Sed præterea quum ait B. Petrus, *Nos omnes*, haud dubiè simul inuoluit qualitatem qua Apostoli ad tantæ rei testimonium ferendum erant idonei. q. d. *Nos omnes*, quos Deus hodierna die tam insolitis prodigijs apud vos declarauit esse suos nuncios, esse suos legatos.

ATQVE hactenus quidem B. Petrus de Christo est loquutus apud istos rudes auditores; primum quidem tanquam de viro insigniter Deo charo; postea verò est eo progressus vt diceret esse Messiam illum quem promiserat Deus sese missurum. De Christi diuinitate nihil adhuc expresse dixit, apud istos necdum capaces: sed eam verbis sequentibus innuit, dum ait;

VERS. 33. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta à Patre; effudit hunc quem vos videtis & auditis.

IN huius versus principio illud est obseruandum, quod B. Petrus loquens Iudæis, penes quos erant sacræ scripturæ; tametsi, non forma citationis, vtatur tamen verbis earum; fortassis volens eis sic dare occasionem diligentius eas legendi; in quibus essent plura testimonia reperturi celeris Christi Domini resuscitationis à Patre factæ. Certe tale est illud testimonium, cuius particula est huius versus principium. Ita enim ex persona Christi legitur Psal. 117. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me; dextera Domini fecit virtutem: Non moriar* (id est, non manebo in morte) *sed viuam, & narrabo opera Domini. Castigans castigauit me Dominus*, ponens in humeros meos iniquitates humani generis; Isaiæ 53, 6.] *& morti non tradidit me*; scilicet vt ea me absorberet, sed potius ipsa est absorpta 1. Cor. 15. in fine. Illum enim psalmum de Christo esse intelligendum, liquet ex Matth. 21. v. 42. & cap. 4. huius v. 11. Obseruandum est præterea, quod per ista verba, *dextera Dei exaltatus*, S Petrus innuat Christi ascensionem in cœlum, & quod iam in cœlo degat. vt patet ex v. seq. Monuit hoc Chrysost. & ex eo Oecumenius.

ET *promissione spiritus sancti accepta à Patre*] hoc est, Et postquam à Patre accepisset spiritum sanctum, quem ipse suis Apostolis promiserat. Conferantur quæ diximus ad cap. 1. v. 4. ibi, *sed expectarent promissionem Patris*. Christus quatenus homo rogauit Patrem, vt spiritum sanctum Apostolis daret: Id à Patre obtinuit: & vt Deus vna cum Patre illis misit sanctum Spiritum: ait hîc Venerabilis Beda. Vnde sunt illa, *Ego rogabo Patrem, & alium paracletū dabit vobis*. Ioannis 14, v. 15. Et cap. 15. *Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis à Patre.* & cap. 16. *Si non abiero; paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.*

EFFVDIT *hunc quem vos videtis & auditis.* His verbis tacite innuitur Christi

Christi diuinitas, vt qui donet Spiritum sanctū. Subindicat enim hîc B. Petrus, à Christo, tanquam à Domino, esse impletum id quod superius ex Ioele propheta allegauerat, *Erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Hunc quem*] græcè est neutro genere, *hoc, quod*; sed illic potest subaudiri, τὸ πνεῦμα ex præcedentibus. Sensus idem. Nam in nostra lectione cum dicitur *hunc*, subauditur Spiritum sanctum, ex præcedentibus vtrique verbis: sed Spiritus sanctus intelligendus est poni pro dono suo, eoque multiplici; de qua multiplicitate aliquid dicetur infra post explicatum versum 36. licet dictum sit nonnihil ad v. 4. cap. 1. *Quem vos videtis & audistis*] Iudæi ista dona Spiritus sancti Apostolis tunc collata partim visu partim auditu percipiebant; visu quidem, conspicientes eorum tam paucorum, tam imbecillium & inopum audaciam & loquendi libertatem, coram tanta multitudine eorum qui Christum occiderant, omnibusque eius discipulis fuerant & erant aduersarij. Linguas igneas ipsos vidisse, non liquet. Auditu vero; quoniam eorum quos constabat esse illiteratos & idiotas (infra. c. 4. v. 13.) magnam sentiebant sapientiam in scripturarum expositione; sentiebant item eos diuersissimis linguis loquentes, quas non didicerant.

VERS. 34. Non enim Dauid ascendit in cælum: dixit autem ipse, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis,

VERS. 35. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

HIs duobus versibus probat B. Petrus id quod latebat in verbis illis suis, v. 33. de Christo, *dextera Dei exaltatus* &c. Id est, probat Christum esse in cælo, ac inde effudisse dona Spiritus sancti in discipulos. Probat autem ex verbis Dauidis psal. 109. hoc modo. Quod Dauid prædixit futurum psal. 109. verbis illis, *Dixit Dominus* &c. hoc vtique effectum suum habet. Prædixit enim id per spiritum sanctum; & ob certitudinem euentus vtitur verbo præteriti temporis loco futuri. Atqui euentus huius prędictionis non habuit locum in Dauide, (non enim ipse ascendit in cœlum:) ergo alius est in quo habeat locum: qui alius reperiri nullus potest, nisi Messias tot signis & prodigijs vobis à Deo declaratus. In cælo igitur est Iesus Nazarenus quem vos crucifixistis; & ipse est qui hæc insolita Spiritus sancti dona in suos misit. Quod hîc ait B. Petrus, *Non enim Dauid ascendit in cælum* inter multa alia scripturæ loca, confirmat catholicam doctrinam de aditu cælorum clauso vsque ad Domini Redemptoris ascensionem in cœlum. Negant hoc nonnulli horum temporum Sectarij; ne cogantur agnoscere locum animarum aliquem diuersum à cœlo & inferno damnatorum, in quem locum fuerint receptæ piorum animæ ante Christi passionem, quem nos limbum patrum dicimus. Hunc autem nolunt agnoscere: ne pari ratione co- *Limbus veterum iustorum.*

 gantur

gantur admittere locum purgatorium animarum. Ita fit vt vno absurdo dato, multa alia cogantur admittere, iuxta Philosophi sententiam. Nec enim aliter fieri potest. Diximus eâdem de re paulo superius ad v. 31.

Si roget quis, An eum hæc dicebat S. Petrus, Dauid nondum in cælum ascenderat, saltem secundum animam: Dicendum est, haud dubiè tunc in cęlo fuisse animam Dauidis; vt reliquorum iustorum quibus nihil purgandum adhærebat, Christo Domino ad inferos descente. *Ascendens enim Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem* psal. 67. Et nihilominus B. Petrus vere sumit illud, *Non ascendit Dauid in cælum*: loquens nimirum de tempore illo toto quod fuit à morte Dauidis vsque ad Christi passionem, imo ascensionem. Nam inde satis constat quod Dauid illa verba psal. 109. Non de seipso, sed de Messia dixerit; illo accedente, quod ne tunc quidem anima eius in cælum *ascenderit*, id est propria virtute cælos penetrarit; sed euecta per Christi potentiam & per dona gratuita animæ beatæ collata. Accedit & hoc, quod Dauid Deum patrem, hæc Domino suo ait dixisse; non erat autem ipse sui ipsius Dominus. Et præter hæc, quod hic sumit B. Petrus Dauid non ascendit in cælum; id vtique sumit tanquam inter Iudęos notum & confessum; qui iustorum animas in infernum descendere ante aduentum Messiæ, nouerant ex scripturis. q. d. Vosipsi creditis Dauidem non ascendisse in cælum: ipsum tamen scitis dixisse, *Dixit Dominus Domino meo* &c. ergo Messias est qui sedet ad dextram Patris; qui proinde habet authoritatem & potentiam mittendi hæc dona suis discipulis quæ videtis & auditis.

Sede *à dextris meis*] Christus, vt Deus, sedet ad dexteram Patris, quatenus est ab eo, ipsi consubstantialis, ac propterea per omnia æqualis. Idem, quatenus homo, sedet ad dexteram Patris, quatenus præ omni creatura est in potiorum sui patris bonorum possessione stabiliter collocatus. Attexit autem B. Petrus quod in psalmo sequitur, *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: Volens nimirum per hanc additionem (vt Chrys. obseruat) auditorum animis salutarem timorem incutere, dum ex his Dauidis verbis apud se cogitarent quantæ cum damnationis expectatione inimicus quispiam sit Christo Saluatori; conculcandus nimirum velut scabellum suppedaneum, planeque subigendus tormentis sempiternis. His omnibus ita explanatis, B. Petrus concludit suam concionem, hoc modo:

Vers. 36. Certissimè sciat ergo omnis domus Israël quia (quod) & Dominum eum, & Christum, fecit Deus; hunc Iesum quem vos crucifixistis.

Sensus; Quum igitur hæc quæ ex prophetis attuli, de Christo prædicta sint; cumque ea in Iesum Nazarenum tanquam in Christum seu Messiam Domini quadrare, per tanta miracula ab eo facta, & quæ hodie fiunt, Deus

Deus vobis declaratit ac declaret: debet vninersus populus Israeliticus (cui primò Messias mittitur) certissimè credere quod idem hic IESVS Nazarenus homo propter nos factus, sit à Deo patre constitutus Christus, id est Messias suus, quem in salutem humani generis miserit; idemque ab eo sit constitutus Dominus omnis creaturæ; sed peculiari titulo Dominus humani generis, vtpote quod ipse passione ac morte sua è captiuitate peccati & mortis redemerit. Hîc quoque S. Petrus aculeum infigit auditorum animis extrema suæ concionis clausula, dicens, *Hunc Iesum quem vos crucifixistis*. qui sermo plenus est emphasi, & exaggeratione sceleris; vt ad pœnitentiam salutarem incitarentur qui illud tantum parricidium commiserant.

VERS. 37. His autem auditis, compuncti sunt corde; & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?

TERTIA pars capitis ab hoc loco inchoatur, qua describitur multorum Iudæorum & proselytorum ad Christi fidem conuersio, eorumque iam cōuersorum admirabilis feruor in fide & charitate Ait ergo S Lucas, *His auditis compuncti sunt corde.*] Vera cordis contritio his verbis significatur; nam nomine *compunctionis* quoque illa solet designari, alia atque alia metaphoræ ratione. Dolor enim de peccatis, animum veluti pungit ac per Dei dilectionem vulnerat; & insuper qnodammodo comminuit. Ad hanc salutatem compunctionem animis eorum imprimendam, Deus vsus est externo B. Petri concionantis ministerio: sed ipse intrinsecus sua misericordia & potentia fecit animorum conuersionem, flectendo eos ad detestationem suorum scelerum, & ad amorem iustitiæ. Sic enim Deus dat hominibus veram penitentiam. Infra c. 11. v. 18. 2. Timot. 2. in fine. Alioqui, homo potius conuerteret seipsum quam Deus.

OBSERVAT Chrysost & post eum Oecumenius, modestiam & mansuetudinem Petri Apostoli, qua vsus fuit in tota hac concione, plurimum momenti ad istorum conuersionem habuisse; atque hoc exemplum Ecclesiasticis & pastoribus imitandum proponit.

ET *dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos;*] Nimirum sese ipsis curandos tradentes, tanquam spiritualibus medicis, à Deo missis, & per tanta prodigia diuinitus manifestatis. *Quid faciemus, viri fratres? Quid faciemus?* vt à tantorum scelerum culpa & reatu liberemur, Deoque reconciliemur. Viderunt enim se (ait B. August.) ingenti crimine impietatis astrictos; quando illum occiderant quem venerari & adorare debuerant: & hoc putabant esse inexpiabile. Magnum enim facinus erat: cuius consideratio illos faceret (id est, facere posset) desperare. Tract. 31. in Ioan: *Viri fratres*. Ita compellant Apostolos tanquam Iudæos; ac præterea, cupientes eos inuitare ad sui curam gerendam, qualem decet fratrum geri à fratribus. Insuper, iam ex animo

pænitentes, vicem reddere volunt Apostolis hac ciuili compellatione; quoniam B. Petrus ipsos vocauerat *fratres*; supra v. 29.

VERS. 38. Petrus vero ad illos; Pænitētiam (inquit) agite; & Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum; Et accipietis donum Spiritus sancti.

POENITENTIAM *agite*] Iam erant compuncti corde vt, dictum est v. præcedente: tamen B. Petrus illis ait, *Pænitentiam agite*, hortans nimirum ad continuandum & augendum contritionem quam habebant. Sermo est de pænitentia baptismali, id est, ea quam ante baptismum agere oportet. de qua Concil. Trid sess. 6. c. 6. & perfectius c. 14. & sess. 14. c. 1. Est alia pænitentia peccatorum mortalium post baptismum admissorum; de qua ijsdem locis duobus Concilij posterioribus, & tota sess. 14. Denique est alia peccatorum venialium. De qua triplici pænitentia, omnino legendus est B. August. homilia tota 27. & 50, in opere quinquaginta homiliarum. Videnda etiam homilia 11. & 41. eiusdem operis; & epistola eiusdem 108. sub finem. *Et baptizetur vnusquisque vestrum*] Hęc verba declarant quod ad remissionem peccatorum obtinendam, ijs non sufficiebat contritio; sed insuper sacramentum baptismi erat actu suscipiendum. Hic enim effectus exprimitur verbis sequentibus, *In remissionem peccatorum*. *Vestrorum*] non est in originali; sed facile subanditur, ideoque noster interpres expressit.

OBSERVETVR hic locus pro sacramentorum nouæ legis efficacia, quam illis detrahunt sectarij: facientes ea sigilla remissionis peccatorum per fidem acceptæ; & non aliud. Quod vero interponitur, *In nomine* IESV CHRISTI; non est putandum quod B. Petrus voluerit sacramentalem formam baptismi per hoc exprimere; quum ipsas sacramentorum formas studiosè celauerint Præsules Ecclesiarum antiquis temporibus, eos qui non essent christiani; vt ex veteribus Ecclesiæ scriptoribus notum est: sed per hæc verba significat, professionem de Iesu quod ipse sit Christus, debere fieri ab omnibus qui sunt baptizandi; & super hanc professionem demum esse baptizandos. Id quod hucusque in Ecclesia obseruatur, & semper obseruabitur, vt inter reliquos fidei principales articulos, is qui baptizandus sit, profiteatur sese credere in Iesum Christum, filium Dei patris vnicum, Dominum nostrum &c. prout in symbolo Apostolorum continetur. Ita quidem ista clausula hoc loco accipienda videtur, quum græcè sit ἐπὶ τῷ ὀνόματι: sicut est eadem præpositio in hac phrasi multis alijs scripturæ locis; vt infra c. 4. v. 17. 18. c. 5. v. 28. 40. & in Euangelijs Matth. 24. v. 5. Marci 9. v. 37. c. 13. v. 6: Luc. 9 v. 48. 49. c. 21. v. 8. 24 v. 47. Alijs locis, in hac locutione, est præpositio ἐν, multis est εἰς. singulis locis conuenienter explicanda est vtraque. Expositio huius loci quam dedimus, eo magis recipienda est quod B. Petrus hæc verba dicat non his qui essent istos baptizaturi; sed ipsis baptizandis,

baptizandis; quorum erat credere, pœnitentiam agere, fidem Iesu Christi profiteri.

QVAMVIS autem isti Iudæi fuissent in sua infantia circumcisi, ac iam antea à peccato originali liberati: tamen Apostolus Petrus eos iubet baptizari; eo quod Christo nondum essent insiti. At semel baptizato nihil iterum de baptismo dicit, infra c. 8. v. 22. Anabaptismus enim semper fuit detestabilis Ecclesiæ Dei.

ET *accipietis donum Spiritus sancti*:) Valde verisimile est his verbis designari effectum sacræ confirmationis, quem Apostoli eo die sine sacramento acceperant per alia sensibilia signa, de quibus dictum est initio huius capitis. Isti vero eundem effectum erant accepturi, per impositionem manuum apostolicarum; licet id hic non exprimatur. Debemus enim hoc colligere ex cap. 8 huius. Quando igitur isti accepturi erant gratiam iustificantem? Tunc sane quando per baptismum accepturi remissionem peccatorum; quæ sine gratiæ iustificantis infusione non datur: iuxta ea quæ traduntur 1. sec. q. 113. 1. & 2. Et idcirco, quia do parte præcedente B. Petrus nominauit *remissionem peccatorum*, sub ea intelligenda est collatio gratiæ iustificantis. Per donum igitur spiritus sancti quod hic nominatur, accipienda est fortitudo animi ad profitendum nomen Christi, & augmentum charitatis, qui est effectus sacramenti confirmationis.

VERS. 39. Vobis enim est repromissio, & filijs vestris; & omnibus qui longe sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster.

VOBIS *enim est repromissio*] Dubitatur an hæc probatio à B. Petro adferatur ad confirmandum dumtaxat vltimam partem præcedentis sententiæ, an vero etiam ad partem anteriorem qua significauerat istos accepturos remissionem peccatorum per baptismum. Rectè dicas, vtroque. *Repromissio*] Illa scilicet quam protuli ex Ioele propheta; Supra v. 17. & aliquot seqq. *Et filijs vestris.*] Quoniam Iudæis primum missus est Christus: ideo beneficiorum per Christum præstandorum promissiones diuinitus quondam factæ, ad gentem Israeliticam primò pertinebant, & in ea ipsa habuerunt effectum, pro illa eius gentis parte quæ fidem Christi suscepit. *Quid enim, si quidam Israelitarum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit?* Rom 3. Pertinebant autem eędem ad gentiles, id est, reliquos homines à gẽte Israelitica extraneos; siue quod generales essent eæ promissiones, siue quod nominatim earum facerent mentionem. Velut Ioelis 2. v. 32. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit*: generalis est sententia, comprehendens etiam gentiles, ita exponente Apostolo Rom. 10 v. 13. Idé significat Petrus Apostolus his suis verbis, *Et omnibus qui longe sunt*. Nam hæc est circumlocutio gentilium. Hi idcirco dicuntur longe esse, eo quod adhuc colerent idola, ideòque ne Deum quidem verum vtcumque cognoscerent, multo minus Messiam à Deo missum. Ad hos tamen

pertinebant promissiones illæ salutis per Christum dandæ; & erant habituræ effectum in eis, *quoscunque aduocauerit* (ait S. Petrus) *Dominus Deus noster*. Id est, quoscunque interna vocatione donabit munere veræ fidei, qua *cognoscant vnum verum Deum, & quem ipse misit, Iesum Christum*. Ioannis 17. Atque ita his verbis, B. Petrus, gentilium quoque ad fidem Christi conuersionem futuram, istis Iudæis iam pœnitentibus, & Christi fidem suscipientibus, prædixit; ea fortassis de causa, vt minus desperarent de salute, postquam intelligerent etiam idololatris per fidem & pœnitentiam, Dei dono ipsis dandam, esse aditum ad salutem.

VERS. 40. Alijs etiam verbis plurimis testificatus est & exhortabatur eos, dicens; Saluamini à generatione ista praua.

TESTIFICATVS *est*] Docens eos præcipua fidei christianæ capita, ea præsertim quæ sunt de Domino Iesu, tanquam Deo &, homine, ac redemptore humani generis, denique Iudice viuorum & mortuorum *Et exhortabatur eos*] Duo enim sunt officia præcipua boni doctoris euangelici, rectam fidē docere & ad bonos mores exhortari: & ad ista referri debet omnis labor instituendi homines, monendi, dehortandi, consolandi, obsecrandi Potest autem vox græca pro qua nos habemus *exhortabatur*, etiam verti *obsecrabat*; est enim ambigua: & posteriore modo intellexit Chrysost. admirans hac in parte Petri modestiam sese dimittentis ad istos rogandos & obsecrandos vtique ad ipsorum animas lucri faciendas.

SVMMA vero exhortationis & obsecrationis erat hæc, *Saluamini à generatione ista praua*. Quod tribus diuersis modis recte accipitur. Nam *generatio ista praua* potest intelligi infidelis gens Iudaica; vt Matth. 12 saluator inquiebat, *Generatio hæc mala & adulterina signum quærit; & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ prophetæ*. Quo intellectu posito: S. Petrus his verbis, hortatus fuerit istos pœnitentes Iudæos, vt separarent sese à turba infidelium Iudæorum; sicut generaliter quibusuis pœnitentibus & conuersis necessarium est relinquere omnem prauam societatem. Corporaliter facienda est hæc separatio, quando est periculum subuersionis à malis, inter quos viuendum sit; quod periculum est infirmis plerumque. Alias, quando scilicet abest & periculum & scandalum; sufficit à malis seiungi fide, iudicio, animo & affectu; si pacifice cum illis conuiuere possimus Nam & hi Iudæi conuersi, Imo ipsi Apostoli Domini, non statim omnino corporali conuersatione, certe non templo, sunt separati ab incredulis Iudæis; vt constat ex c. 3. & seqq. huius libri. Sicut etiam senex ille Simeon sanctus, & Anna prophetissa (de quibus Lucæ 2.) non desinebant frequentare templum Domini; quamuis mali essent mores pontificum & sacerdotum qui in eo versabantur. Obseruare hoc deberent nostre ætatis Sectarij, qui prætextu malorum morum quos vident, aut fingunt, aut credunt esse, in sacerdotibus & laicis multis ecclesiæ romanæ; eam schismate vel hæresi deserunt:

runt: similes Donatistis; aduersus quos B. August. tot libris disseruit.

EODEM intellectu huius particulæ posito; potest sententia ipsa sic accipi, *Saluamini præ generatione ista praua.* Nam hebraismo ponitur (*à*) loco *præ* non semel in sacris literis; velut Lucæ 18. *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* Sensus ergo fuerit, Curate vos salutem animarum vestrarum, præ ista infidelium Iudæorum turba; hoc est, diligentius quam ista praua generatio; quæ scilicet id plane non facit.

SED *generatio* sæpe ponitur pro ipsa vita, pro moribus & actionibus. Gen. 6. *Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis; cũ Deo ambulauit.* Lucæ 16, *Filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt*, id est, in vita sua, in suis negotijs & actionibus. Iacobi 3. v. 6. *lingua maculat totum corpus, & inflammat totam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna. Natiuitatis*] græce est γενέσεως, sicut hoc loco est γενεᾶς. Quod ergo dicit B. Iacobus, *inflammat rotam natiuitatis nostræ*, perinde est ac si diceret, Inflammat totum orbẽ, totum veluti circulum ac circuitum vitæ nostræ, siue actionum nostrarum. Iuxta hũc *generationis* intellectum, sensus huius loci planus est iste; Saluamini, velitis esse salui ac liberi à vita ista pessima quam hactenus egistis. Ex his tribus expositionibus, quam vnam reliquis præferam, non habeo: nisi quod prima pulchrè consentit cum his quæ sunt v. 42 & magis 44.

VERS. 41. Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.

QVI *ergo*] ex tota illa multitudine quæ erat ex maiore parte, Iudæorum; quadam vero proselytorum, iuxta prius dicta, v. 10. & 11. *Receperunt sermonem eius*] fide nimirum (qua crederent vera esse ac diuinitus sibi reuelari, quæ ipse dixerat) & obedientia qua vellent facere quod ipse dixerat illis esse faciẽdum. *Receperunt* verò *sermonem eius* tali modo, per liberum suum arbitrium; sed Dei gratia præuentum & efficaciter motum. Nam & fides & pænitentia salutaris, Dei dona sunt. *Nemo enim potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Ioannis 6. *Baptizati sunt*] Non à solo Petro Apostolo, sed ab alijs quoque apostolis. Imo & ab alijs discipulis, ex apostolorum mandato, vix dubium esse multos horum baptizatos: eodem modo quo Petrus Apostolus iussit per alios baptizari familiares Cornelij. Infra c. 10. in fin. Nec est credibile fuisse baptizatos antequã plenius catechizati essent de præcipuis fidei christianæ articulis; ac præsertim de ijs quæ Christi Domini personam concernunt, atque redemptionem humani generis per eum factam.

DIXERAT enim ijs B. Petrus supra v. 38. baptizari eos oportere in nomine seu super nomen (vt græcè legitur) Iesu Christi; id est, super professionem eorum quæ de Christo Iesu credenda sunt. Hæc autem profiteri non poterant, nisi plenius edocti, quam per vnam illam B. Petri concionem fieri potuerat.

ET *appositæ sunt in die illa animæ*] Quod dicitur *in die illa*, non videtur de die vno naturali vel ciuili dictum, propter ea quæ proximè allata sunt: sed *diei* nomen pro tempore positum est; vt sæpissime alias, non solum in sacris literis, sed etiam apud prophanos scriptores, Velut cum dicitur initio cap. 8. huius libri, *Facta est in illa die persecutio magna in Ecclesiam quæ erat Ierosolymis. In illa die*] id est, illo tempore. Nec enim intra 24. horas facta persecutio tanta significatur, vt ex sequentibus colligitur. Vnde cessent quæstiones quas hîc nonnulli absque necessitate mouent, An hi omnes fuerint baptizati immersione, an multi eorum ablutione duntaxat; imo an nonnulli sola aspersione. Et, An vnius guttæ aspersio suffecerit ad Baptismum. quod non videtur, nec est cur factum credatur in baptismo horum Iudæorum & proselytorum; etsi fuerint tria circiter millia. Potuerunt enim omnes baptizari immersione vel ablutione.

ET *appositæ sunt in die illa animæ*] *Animas* pro hominibus, per synecdochen, esse positas, nullum est dubium: dixit tamen B. Lucas potius *animas* quam homines, hoc quidem loco, etsi proxime de hominibus loquutus fuerat, *Qui ergo receperunt* &c. hac (vt videtur) de causa, quoniam nunc dicit istos fuisse *appositos*; appositio audem de qua loquitur, est hominum secundum animam potius, quam secundum corpus. Vult nimirum dicere istos fuisse adiunctos ad numerum discipulorū Christi, ad numerum Christianorum; fuisse insitos corpori Christi quod est Ecclesia; adhæsisse Apostolis tanquam Ecclesiæ magistris, & tanquam vicarijs atque legatis Domini Saluatoris. Omnia enim hæc sese consequuntur. Poterat simpliciter dici, *has animas fuisse appositas Christo Domino*, sicut infra c. 11 v. 24. *Apposita est turba multa Domino.* Sed hoc in idem redit cum prædictis. Qui enim baptizantur apponuntur Christo, tanquam capiti: apponuntur alijs fidelibus tanquam membra commembris. *Circiter tria millia*] De hoc numero ternario nnnulli hîc philosophantur & mysticas istius numeri causas scrutantur: sed id necesse non est; neque verisimile est istorsum hoc commerorare B. Lucam, sed potius huius numeri multitudine nobis indicare voluisse diuinæ gratiæ beneficentiam & potentiam; qua factum sit vt per vnam B. Petri concionem extrinsecus adhibitam, conuerterentur tria millia talium hominum, manifestissimorum scilicet Iesu Christi aduersariorum, qui non conquieuerant donec eum ignominiose occidissent affixum cruci. Est autem probababile quod ex quindecim illis prouincijs quæ commemoratæ sunt supra versibus 9. 10. 11. quod (inquam) ex singulis earum fuerint aliqui in hoc numero trium millium; nam istius rei causa factam ibi fuisse istarum prouinciarum enumerationem, credere possumus. Et potest non nihil confirmari ex c. 8 v. 1. & 4. collato cum cap. 11. v. 19. 20.

CVR ex tanta multitudine non plures tunc temporis facti sunt christiani? Quia reliqui noluerunt. Quomodo potuerunt nolle, visis & auditis talibus signis, quæ illo die iam fecerat Dominus? Quia non sufficiunt miracula ad conuertendos homines, nisi Deus sua gratia præueniente eos conuertat. Sine culpa igitur sua non crediderunt cæteri? Nequaquam quia debebant credere, & non crediderunt. Defuit illis gratia necessaria ad credendum? Ipsorum culpa defuit

desuit; qui gratiæ ponebant impedimentum per peccata sua. Et Deus nulli debet donum fidei aut pænitentiæ.

VERS. 42. Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.

QVÆ sequuntur vsque ad finem capitis, non sunt tam aperta quam prima fronte appareat: sed diligenti collatione facta cum his quæ sunt cap. 4 v. 32. & seqq. & cum alijs scripturis quę suo loco indicabuntur, nec non cum his quæ hîc habet Chrysost. & post eum Oecumenius: Deo duce ad germanam omnium intelligentiam speramus peruenire. Ad quam hoc etiam nonnihil valere poterit, si aduertamus quod v. isto 42. græcus codex non habet, *& communicatione fractionis panis*; sed sic, *& communicatione & fractione panis*.

ITAQVE, quoniam B. Lucas verbis præcedentibus dixerat, illo tempore fuisse conuersos Iudæos, & proselytos, ac per baptismum fuisse additos, imo insitos nouellæ Ecclesiæ Christi, circiter tria millia: hic videtur narrare voluisse quibus rebus factum sit vt in fide Christi tyrones isti perstiterint, idque in illa ciuitate, Ierusalem, in qua erant tam multi & magni hostes Iesu Saluatoris; quem occiderant, & cuius nomen atque nouellam Ecclesiam cupiebant extinctam. Ait ergo, istos Iudæos & proselytos Christi neophytos perstitisse in fide & professione Iesu Christi super quam fuerant baptizati; perstitisse, dico, per hoc quod perseuerauerint in doctrina Apostolorum, & communicatione seu communione, & fractione panis, & orationibus. Nempe his, tanquam medijs, vijs & instrumentis, fuisse in Christi fide retentos.

PRIMVM itaque istrumentum quo hi nouelli christiani retinebantur in fide, tametsi degentes in ciuitate adeo hostili, Ierosolyma; erat *doctrina Apostolorum*. *Vbi doctrina* propriè sumitur pro ipso docendi actu. græcè est, τῇ διδαχῇ. Ac primum ex his verbis discere debemus (vt semel iterumq; te admonet Chrysost.) quod Apostoli his nouellis christianis (sicut & alijs quicumque vellent audire; Infra cap 5. in fine) concionabantur vel catechismum adhibebant, quotidie; idque longo tempore. Nimirum plenius instituebant istos neophytos in mysterijs fidei christianę; & eos exhortabantur ad constantiam, ad vitæ sanctitatem, dignam Christi discipulis; simulque aduersus tribulationes siue præsentes siue ingruentes illos animabant & consolabantur, Exemplum imitandum his qui conuerterint hæreticos, aliosue infideles, aut peccatores: videlicet ne semel conuersos semelque baptizatos aut reconciliatos, deinde sibi relinquant: sed vt tenellas istas plantas continuo irrigent, donec adoleuerint. Confer. 1. Cor. 2. & 3. 1. Petri 2.

SECVNDO, ad persistendum in suscepto christianismo, valebat quod hi

Neophyti in communicatione perseuerabant, seu communione, mutua scilicet; id est, per hoc quod non conuersabantur deinceps cum alijs quam cum christianis, non cum Iudæis infidelibus, quantumuis vicinis, vel consanguineis, vel affinibus, vel quauis alia necessitudine coniunctis. Et hoc putamus significatum per illa verba v. 44. *Omnes qui credebant, erant pariter*. sicut illic amplius declarabitur, Deo donante. Similis loquutio est 2. Cor. 6. *Quæ societas luci ad tenebras?* vbi pro *societas* est. κοινωνία idem vocabulum quod hic redditur *communicatio*. Vbi manifestum est referri ad personas, seu ea quæ pro personis sunt; non ad res quæ participentur à diuersis. Quamquam id quoque hic erat; sed significatur per sequentia.

Tertio, perseuerabant hi Neophyti *in fractione panis*: id est, in mutua inter sese beneficentia, qua quotidie alij ab alijs frugaliter alebantur, tanquam fratres à fratribus. Et hoc est quod explicatur v. 46.

Qvarto, quod in fide Christi semel suscepta persistebant, id fiebat per hoc quod perseuerabant *in orationibus*; quibus scilicet Deum quotidie rogabant vt daret ipsis augmentum fidei, charitatis, fortitudinis, adeoque perseuerantiam. Sed sub *orationibus*, vt comprehenduntur Dei laudes, (de quibus infra v. 47.) & gratiarum actiones: ita non est dubium comprehendi etiam sacrificium, seu quatenus Eucharisticum, seu quatenus propitiatorium; quod Apostoli haud dubie offerebant quotidie. Et sic accipienda sunt illa verba cap. 6. huius libri. *Nos orationi & ministerio verbi instantes erimus*. Quoniam vero, oratio est gratiæ testificatio, vt solet dicere B. Augustinus: idcirco per ista verba, *& orationibus* tacitè nobis innuitur principalis causa effectrix qua hi nouelli christiani, in medio nationis prauæ degentes, perseuerauerint in Christi religione; potentia scilicet diuinę gratiæ, quam & hi & Apostoli, atque alij fideles pro ijs ardentibus & continuis orationibus à Deo rogauerint. Doctrina enim adhibebatur propter liberum arbitrium: Sacramenta, sacrificia, & orationes, propter diuinam gratiam consequendam.

Qværet aliquis, An hi nouelli christiani non fuerint assidui in sumptione sacræ Eucharistiæ. Respondetur, non esse dubitandum eos frequenter Eucharistiam sumpsisse; Apostolis quotidie sacrificantibus: An quotidie sumpserint omnes, non liquere. Non liquere etiam an in tota hac narratione a v. 42. vsque ad finem capitis, sit vlla significatio sumptionis Eucharistiæ. Chrysostomus sane non videtur de illa intellexisse quicquam huius narrationis: vt neque Venerabilis Beda; non taciturus si intellexisset; quum ne verbum quidem de Eucharistia in suo Com. loquatur; vt neque Occumenius. Noster etiam Interpres tam 42. quam 46. versu, vbi fit mentio *fractionis panis*; non videtur aliud quam corporalem per alimenta refectionem accepisse; ideoque v. illo 42. ita vertisse, *& communicatione fractionis panis*. Nam communicationem seu communionem videtur intelligere mutuam ciuilem conuersationem, mutuamque participationem, de qua dicitur v. 44. & 45. quod illi fideles habebant omnia communia;

& quod

& quod ex bonis in commune collatis diuidebatur vnicuique quantum opus erat.

Non est tamen ignorandum, esse bonos authores qui fractionem panis, saltem illam quæ commemoratur v. 42. de sacræ Eucharistiæ distributione & sumptione intelligant. Inter quos est interpres Syrus, qui in sua versione, Eucharistiæ græco nomine vsus est, dum reddit, *Et communicationem habebant in oratione & in fractione Eucharistiæ*. Hugo Card. Liranus, & ante eos glossa interlinealis vtroque modo interpretantur istam fractionem panis; scilicet tam de pane Eucharistico quam de pane communi. Sensui de pane Eucharistico videri potest fauere locus ille 1. Cor. 10. v. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam Vnus panis, Vnum corpus, multi sumus; omnes qui de Vno pane participamus*. Nihil tamen horum (si verum dicendum est) conuincit quod in his locis v. 42. & 46. ex mente B. Lucæ sit Eucharistiæ distributio & sumptio accipienda, Imo posset argumentum in contrarium suppeditari ex verbis ipsis, quatenus fractio panis hic tribuitur istis Neophytis christianis; cum fractio seu distributio Eucharistiæ non fieret per laicos, sed per sacerdotes, vti ipse Apostolus etiam indicat verbis allegatis. Illud de Interprete Syro, potest solui, dicendo, eius interpretationem non esse maioris authoritatis quam alicuius expositoris. Item, Eucharistiam & quæ sunt ei nomini coniugata, interdum non plus significare quam consecrationem aut benedictionem rei (qualem hic forte fecerunt Apostoli) cuiuspiam, etiam extra sacramentum. vt Lucæ 22, v. 17. 1. Tim. 4. v. 4. in græco. Vide Billium ad Irenæi lib. 1. c. 9 apud Feuardentium. Fractio autem panis, sæpe in pane communi intelligitur. vt Isaiæ 58. Lucæ 24 v. 30. Act. 20. v. 11. vt nihil conuincat locus citatus ex Apostolo.

Hæc idcirco ita monemus: quoniam sunt nonnulli qui aduersus hæreticos disserentes, quiduis arripiunt quod aliquid coloris habeat; numero scilicet argumentorum pugnantes, non viribus; argumentorum multitudine, non pondere, aduersus Sectarios vtentes. Id quod noxium est: quia si hæretici imbecilliora argumenta catholicorum soluerint, vt sane possunt: videntur infirmis omnia catholicorum argumenta soluisse aut soluere facile posse. Quare non est probandum quod nonnulli vrgent hunc locum aduersus hæreticos, ad probandum sumptionem Eucharistiæ sub sola panis specie. Non desunt ad hoc firma argumenta: ijs vtantur, relictis incertis. Nam vel vnicum argumentum, quamuis in re, si efficaciter concludit; tantum valet quantum mille.

VERS. 43. Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia & signa per Apostolos in Ierusalem fiebant; & metus erat magnus in vniuersis.

ILLA duo verba (*in Ierusalem*) non sunt in græco, sed facile subaudiũtur. Illa etiam sententia, *& metus erat magnus in vniuersis*, non est eo loco in græco codice. Nec mirum: Est enim alia interpretatio latina eius quod est in principio huius versus, vbi dicitur quod *omni animæ oboriebatur timor*. Ad rem quod attinet; videtur hoc loco B. Lucas occurrere tacitæ siue quæstioni siue obiectioni, quæ moueri poterat contra proximè dicta; Huic scilicet, Quur principes sacerdotum & primores populi Iudaici non disturbabant nouellam hanc congregationem christianorum ex Iudæis & proselytis; sed sinebant eam sic quotidie magno numero conuenire, tam ad audiendos apostolos docentes, quam ad preces & laudes Dei, nec non ad simul prandendum vel cœnandum? Mirum enim, quod non impediuerint has eorum congregationes, quas tamen infensè oderant. Respondet S. Lucas, timore fuisse compressos ne id auderent tentare. In hunc sensum videtur Chrysost quatenus istud vniuersaliter dictum, *fiebat omni animæ timor*; manifeste sic exponit, vt etiam infideles Iudæos compræhendat, qui Christi religionem oderant.

CÆTERVM, intelligendum est hunc timorem fuisse ijs diuinitus incussum; nec ad eum tam malis hominibus immittendum suffecisse vel miracula quæ per Apostolos fiebant multa & magna; vel eam quæ in ipsis relucebat authoritatem & quandam maiestatem: nec gratiam populi Iudaici fauentis his Neophytis, ob vitę nouitatem & sinceritatem; vt dicetur v. 47. Nam omnia hæc hisque similia non reuocauerant primores illos & ab ijs seductos populares, à cæde Saluatoris; Neque paulò post hoc tempus, eos reuocauerunt ab illa immani persecutione fidelium quæ describitur infrà initio cap. 8. Non sufficiebant igitur illa quæ diximus: sed Deus tamen pro suorum fidelium, ac præsertim istorum Neophytorum consolatione, illorum hostium animis, per ista ipsa, tanquam media quædam, tunc temporis hunc metum iniecit; donec adolesceret nonnihil ista noua plantatio.

MVLTA *quoque prodigia & signa per Apostolos fiebant in Ierusalem*; id est, multa veri nominis miracula. Nam ea diuersa ratione dicuntur signa, dicuntur & prodigia: vt docuit B. Th. 2. sec. q. 178. articulo priore ad 3. Monuimus idem supra, ad v. 19. item 22. huius capitis. Idem porro quod hîc de Apostolis dicitur, repetitur infra cap. 5. v. 12. Hinc discimus quod ad veram religionem alicubi plantandam, & plantatam irrigandam seu corroborandam; sit opus miraculis; neque sine illis Deus eam plantet vel confirmet.

QVARE meritò nos catholici à Sectarijs nouam religionem inuehentibus exigimus

exigimus miracula, quibus probent se à Deo missos esse, veraque docere. Ea vero hactenus nulla ediderunt, quum (vt Erasmus dicere solebat) ne claudum quidem equum sanare vsquam potuerint.

VERS. 44 Omnes etiam qui credebant, erant pariter: & habebant omnia communia.

HOC v. & seqq. vsque ad finem c. admirabilis in fide feruor, & charitas describitur istorum nouellorum ex Iudæis & proselytis christianorum, Imo (vt videtur) & reliquorum ex Ierosolymitis christianorum, eorum scilicet qui tempore Christi Domini nobiscum versantis erant in Ierusalem facti fideles. Ita videtur, propter ea quæ postea dicentur cap. 4. v. 32. & seqq. cap. 5. v. 11. & c. 8. in principio. *Erant pariter*] græcè est, ἐπὶ τὸ αὐτό; quod v. 1. huius cap. Interpres noster vertit, *in eodem loco*. Quare videtur plus eo verbo hic significari, quàm illo quod hîc paulo post (v. 46) sequitur ὁμοθυμαδὸν, *vnanimiter*, eodem animo, pari mente. Quæritur ergo quomodo verum sit quod hîc dicitur, Omnes illius temporis in ea ciuitate fideles, fuisse *pariter*, *seu in eodem loco*. Quæ enim domus capere potuisset tria milia istorum Neophytorum? vt nihil dicatur de prioribus Christi in ea ciuitate discipulis. Et qui istorum habebant coniuges vel liberos, vbi relinquebant vxores & filios suos? Respondetur, non debere sic intelligi quod hîc dicitur; sed (vti annotauimus ad v. 42) sensum esse, quòd omnes illius vrbis fideles conuersabantur cum solis fidelibus, non cum alijs Iudæis, in incredulitate adhuc permanentibus. Ac videntur illi in hunc modum accepisse, & opere ipso effectui mandasse, quod Apostolus Petrus dixerat (supra, v. 40.) Saluamini à generatione ista praua. Hanc expositionem obscure videtur innuere Chrys. homil. 7.

QVOD autem non fuerit tota ista fidelium multitudo in vno aliquo certo loco (nisi forte singulis diebus in templo aliquot horis, infra v. 46) præter argumentum quod allatum est, potest probari etiam ex sequentibus, vbi dicitur quod ex bonis in commune collatis, *diuidebatur omnibus vt cuique opus erat*. Item ex eo, quod per domos, alias atque alias, frangebant panem quotidie, alij apud alios; vt fratres cum fratribus: non vero tota illa multitudo in vna aliqua domo quotidie refectionem poterat sumere. Probatur & ex superioribus, vbi dictum est eos fuisse perseuerantes auditores doctrinæ Apostolorum. Apostoli enim dum quotidie docerent & concionarentur; non vtique id faciebant omnes in eodem simul loco: sed vel in diuersis partibus templi aut porticuum eius, vel in diuersis domibus ei negotio aptis; vt tum res ipsa loquitur, tum est in fine cap. 5. Addetur aliquid huc pertinens, in Commentatio ad cap. 4, Deo propitio, v. 32. & seqq.

ET *habebant omnia communia*.] Idem ijsdem pene verbis est cap 4. 32. v. *Nec quisquam, eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*. Sensus vero est, quod fidelium ex Iudæis vel Proselytis, Ierosolymæ degentium ij qui bona habebant mobilia vel immobilia, ipsa vertebāt in liberalem

aliorum vſum eiuſdem ciuitatis chriſtianorum qui indigebant. Quando ergo dicitur hic, *habebant omnia communia*: illud *habebant* eſt accipiendum ſecundum *vſum*, vt ſæpe alibi; Non vero eſt accipiendum ſecundum dominium ſeu proprietatem: quia dicitur vniuerſaliter quod habebant *omnia communia*; conſtat autem quod iſta multitudo non habebat *dominium omnium* bonorum mobilium & immobilium quæcunque erant vel fuerant penes quempiam diuitum eiuſdem illius multitudinis. Dico *dominium*; dico *omnium*. Quod non habebat, facile probatur, quia multæ domus manebant in dominio priuatarum perſonarum fidelium ex iſta multitudine; alioqui non potuiſſent quotidie per domos alias atque alias agitari refectiones chriſtianorum turmatim congregatorum. Deinde probatur ex verbis iam recitatis ex cap. 4. illis; *eorũ quæ poſſidebat*. Declarat ſane ſanctus Lucas eo ſermone quod tametſi quoad vſum, diuitum iſtorum bona quibuſlibet Hieroſolymitis chriſtianis communia eſſent: poſſeſſio tamen & proprietas multorum bonorum remanebat penes veteres ſuos Dominos. Et hoc expediebat ita fieri ad ſolamen pauperum. Neque vlla neceſſitate conſtringebatur quiſquam ſua bona donare aut vendere, vt communitatis huius proprietati aut uſui cederent vel ipſa vel pecunia ex venditione conflata. Id patet ex c. 5. huius vbi Petrus Apoſtolus Ananiam ſic alloquitur, *Nonne manens tibi manebat; & venundatum in tua erat poteſtate? Tibi* (ait) *manens manebat*; Id eſt, ſi nihil promiſiſſes; prorſus & omnino manebat tibi, omnino erat in tuo arbitrio & dominio, tam ager ipſe antequam venderes, quam pretium eius poſtquam vendidiſti. S. Auguſt. ſer. 10. de diuerſis, illa B. Petri verba ſic exponit; Si nolles vendere; quis te cogeret? ſi velles offerre dimidium, quis exigeret totum? Si dimidium offerendum erat: dimidium dicendum erat. Pro toto, dimidium; hoc erat puniendum mendacium. Hæc Aug. Itaque ſi quærat quiſpiam cur Deo vltore interfectus fuit Ananias: Reſpondendum, quia afferens partem pretij mentitus fuit Spiritui ſancto; vt ibidem dicitur. Hoc eſt, Quia cum cuperet viuere ex bonis illis communibus, ideoque ſancte promiſiſſet vendere illum agrum, totumque pretium conferre in commune: ipſe conſcia vxore ſua partem precij ſibi ſeruauit. Ita quod Deo promiſerat, Deoque iam conſecratat, retinuit; fallens fidem ſpiritui ſancto; qui hanc fraudem Apoſtolo Petro reuelauit; ac inſuper mentiens ſpiritui ſancto in B. Petro reſidenti, cum illum interrogaret de quantitate pretij. In hunc fere modum Chryſoſt. hom. 12. in iterata expoſitione. S. Auguſt. dicto ſermone 10. ad finem, & ſer 15. de verbis Apoſtoli ad finem, & alij quos recitat Bellar. lib. de Monachis cap. 20. Quibus ſic conſideratis, facilius intelligentur ſequentia.

VERS. 45. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant: & diuidebant illa omnibus prout cuique opus erat.

HIs pene ſunt eadem illa cap. 4. v. 34. 35. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes* (id eſt, cum vendidiſſent quidpiam iſtorum) *afferebant precia eorum quæ uendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Ex quibus

quibus vtrisque inter se collatis, intelligi potest quod quicunque ex his primis Ierosolymæ christianis erant domini agrorum, prædiorum, domorum, aut aliarũ rerum; ea vẽdebãt omnes, sic scilicet, vt rara esset exceptio (nam & tunc materia est sermonis vniuersalis): Non tamẽ inde habetur quod omnes vendiderint sua omnia omnino. Nã hoc ista vniuersalis propositio B. Lucæ non significat. Et certe, si in ea ciuitate nulli christiani habuissent quicquam proprium: non potuissent per domos alias atque alias congregari, siue ad orationes siue ad doctrinam apostolorum audiendam; (Infra cap. 5. in fine.) siue saltem ad frugalem refectionem accipiendam, tanquam fratres à fratribus. de qua v. seq. Vide exempli causa, infra, c. 12. v. 5. 12. Illud ergo (*Vendentes*) restringit subiectum huius vniuersalis propositionis: q. d. Omnes possessores agrorum aut domorum, qui vendiderant aliquid istorum; afferebant eius precium ad pedes Apostolorum. Nemo enim credet istos omnes vendidisse domos proprias in quibus habitabant. Vbi enim mansissent deinde? nam precium in commune conferebatur.

ET *diuidebant illa omnibus prout cuique opus erat*] *Illa*] quæ vendiderant seu eorum precia; & quidem integra, vt colligitur ex cap. 5. v. 2. argumento à dissimili; præsertim si in communionem nihil proprium habentium recipi volebant. *Diuidebant*] per manus nimirum Apostolorum, vt accipimus ex cap. 4. verbis allegatis. Istorsum enim ponebant precia ante pedes Apostolorum; vt ibi dicitur, & in fine eiusdem cap. 4. repetitur, ac in principio quinti. Non est tamen dubium quin Apostoli ad hanc distributionem faciendam vsi fuerint notitia & subsidio aliorum bonorum fidelium; sed ipsi, toti distributioni præerant cum authoritate & superintendentia.

QVAMVIS autem superiora ita se habuerint vt dictum est, & variè probatum: tamen fuerunt multi ex illis primitiuis Ierosoymæ christianis, qui nihil omnino proprium retinuerint, sed vixerint solum ex communibus illis bonis quæ Apostolis erant oblata. Et hæc est illa facies primitiuæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ sub sanctis Apostolis; quam illorum collegium antea habuerat sub Christo Domino nobiscum versante; quam diuersi ordines Monachorum cœnobitarum seu conuentualium, deinde sunt imitati: vt sæpe annotant veteres nostri Doctores. B. Hierony. Catal in Marco, & in Philone; qui Philo de ijs, sub nomine suæ gentis, librum laudatorium scripsit titulo, De vita contemplatiua Precatorum. Sanctus August. serm. 10. de diuersis, & sermonibus duobus de vita communi suorum clericorum, Et alij complures.

HÆc tamen communis Laicorum vita, vt apud Christianos ex gentibus vix fuit in vsu, neque apud Iudæos extra Ierusalem; ita nec Hierosolymæ potuit longo tempore durare; propter scilicet multitudinem fidelium, propter impedimenta vxorum & liberorum; propter item atroces persecutiones factas à Iudæis infidelibus in suos ciues christianos. Quare nihil mirandum est quod Paulus Apostolus, longe post ea Hebræis scripsit, epistolę cap. 10. v. 34. *Vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*. Quæ eadem scribit de Iudæis christianis 1. Thess. 2, v. 14. Non etiam mirandum quod prædictæ ad Heb. Epistolæ c. 13. v. 16. idem Apostolus ijs scripserit,

scrit,

serit, *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci.* Benefici autem esse & sua alijs communia facere non poterant, si nihil proprij habuissent.

SED quamuis ista vita communis inter promiscuos christianos Ierosolymæ fuerit dumtaxat temporaria: tamen (vt iam tetigimus) iam inde ab exordijs ecclesiæ fuerunt & Ierosolymæ & alibi Monachi, qui cum obseruatione consiliorum euangelicorum vitam cœnobiticam exercerent; vt alij, Monachi itidem, anachoreticam seu solitariam. De illis prioribus sub nomine Essæorum, Philo Iudæus agit, ex mente B. Hierony. in Catal. in Philone. Eodem modo Philonem intelligit Eusebius lib. 2. c. 16. & Epiphanius hæresi 29. De quibus etiam sanctus Dionysius Areopagita luculentissimè, ecclesiasticæ hier. cap. 6. Videre licet & alios apud Beliar lib. de Monachis c. 1. & 5. Fuerat olim quædam imago huius generis vitæ, in filijs prophetarum; id est, Iunioribus prohetis, aut prophetarum discipulis sub Samuele. 1. Reg. 10. v. 5. 10. 11. cap. 19. v. 20. & seqq. sub Helia, 3. Reg. 18. v. 4. & c. 19. v. 10. Sub Helia & Helizæo, 4. Reg. 2. v. 3. & 5.

ILLVD hoc loco, ex Notis Estij addendum est de Sectarijs nostri temporis, quod cum sese iactitēt suas ecclesias earumque gubernationem & administrationem componere ad formam primitiuæ Ecclesiæ, nimirum creantes & ipsi quos dicunt Diaconos, & pauperum veluti curam quandam suscipientes: tamen huius communis vitæ, tantopere Apostolis Christi probatę, nullum apud eos vestigium est. Nimirum eorum vel superbia ac fastus, vel gastrimargia, vel incontinentia, hoc genus vitæ ferre omnino non potest. De Sectarijs horum temporum id dicimus: Nam (vt nunquam in medio consistit vitium) olim fuerunt hæretici qui vitam istam communem nimium extollerent, adeo vt solos eos qui cœlibes viuerent & nihil proprium possiderēt, docerent saluos fore; adeoque seipsos Apostolicos nominarent, tanquam soli ipsi Apostolos imitarentur. De his ita B. August. lib. de hæres. c. 40. Apostolici dicuntur, qui hoc nomine se arrogantissime vocauerunt, eo quod in suam communionem non acciperent vtentes coniugibus, & res proprias possidentes. Quales habet catholica ecclesia & Monachos & clericos, plurimos: sed ideo isti hæretici sunt, quia se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere qui vtuntur his rebus quibus ipsi carent. Et S. Bernar. serm. 66. in Cantica, meminit etiam ipse quorumdam illius temporis hæreticorum, seipsos vocantium Apostolicos: qui inter cætera dicebant illicitum esse coniugium. Pelagiani quoque inter alia multa docuerunt diuitem retinentem diuitias, etsi eleemosynas faciat, saluari non posse. Testis B. August. epistola 89. q. 4.

VERS. 46. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebāt cibum, cum exultatione & simplicitate cordis:

PERDVRANTES *vnanimiter in templo*] Haud dubie sermo est de templo Iudaico Ierosolymitano: sed eo vtebantur Apostoli & hi Iudæi christiani,

non Iudaicè, verum christianè. Non enim in eo audiebant lectionem Moysi & prophetarum, vt fiebat in synagogis Iudæorum; multo minus ibi offerebant sacrificia iuxta legem Moysi: sed illuc conueniebant quotidie (vt hic dicitur à S. Luca) causâ orationis, item causa audiendi Apostolos docentes fidem Christi. Nam quod Apostoli non solum in priuatis domibus capaciori-bus, sed etiam in templo concionabantur & docebant; manifestum est ex cap. 3. v. 11. & cap. 5. v. 21. 42. Id quod faciebant siue in diuersis templi partibus muro inter se distinctis, siue in diuersis illius porticibus. De quibus vtrisque est apud Iosephum Antiq. Iud. 16. c. 14. & de bello Iudaico lib. 6. cap 6. Et contra Appio. lib. 2.

An autem Apostoli illic etiam obtulerint sacrificium christianum & Eucharistiæ sacramentum distribuerint fidelibus; merito potest ambigi: & videntur sane hæc potius in priuatis ædibus, aut in monte Sion, vbi Spiritum sanctum die Pentecostes acceperant, fecisse; ne scilicet aliquod periculum esset sacramenti per impios violandi. Nam si ex porticu Salomonis, Imo ex ipso templo Apostolos abduxerunt; vt est cap. 3. v. 11. collato cum c. 4. v. 3. & cap. 5. versibus 12. 18 21. 26. inter se collatis: certe & sacrificium celebrantes potuissent inuadere, ipsumque sacrificium & sacramentum dehonestare.

Cvr autem permitterentur in templo vel eius porticibus orare & verbum Dei populo annunciare, nec vi maiore inde excluderentur; partim efficiebat metus popularis resistentiæ, partim magnitudo & multitudo miraculorum. Confer] quæ notantur infra ad cap. 5. v. 12. & quæ dicta sunt ad v. 43.

Et *frangentes circa domos panem.*] *Circa domos*. Græce est. κατ' οἶκον. sicut pro isto *quotidie*, quod est in fronte huius versus, & versus item sequentis, est græce, καθημέραν. & pro eo quod legimus ad Titum c. 1. v. 5. *per ciuitates*, illic est κατὰ πόλιν Ex quorum locorum collatione patet non male nostrum Interpretem hîc reddidisse pluraliter *domos*. Tametsi rectius (quorundam iudicio) ei casui addidisset præpositionem *per* quam *circa*; sic enim illa superiora redduntur, *per dies, per ciuitates*; & ipsemet illo loco ad Titum, ita vertit. Sed cum constet eam præpositionem græcam iunctam quarto casui, etiam *circa* valere: credendus est Interpres optimè sententiam & rem expressisse. Considerabat enim tantam multitudinem ad singulas ditiorum domos confluxisse, vt intra domos recipi non posset; ideoque iuxta ac circa domos fuisse congregatam, refectionis causa. In quo nihil erat incommodi: quoniam æstate hæc fiebant, & raræ pluuiæ per æstatem sunt in Palestina. 1. Reg. 12. v. 16. 17. Denique frugalem refectionem breuissimo tempore absoluebant. Idem iudicium de eius versione in fine cap. 5. Illud peculiare Oecumenio, quòd hîc per *domum* ipsum templum intelligit, ac iuxta illud seu in porticibus eius eos communem cibum sumpsisse. Interpretatur igitur singulariter *iuxta domum*, Dei scilicet, quę templum fuit nominata verbis proximis.

Porro istam frugalitatem victus Chrysost. nobis indicatam putat per istam *fractionem panis*: sicut & Oecumenius. Dixit (inquit) B. Lucas *fractionem panis*: vt tenuitas ac simplicitas victus eorum appareat. Panem

 enim

enim frangentes, vna cibum sumebant, genio non indulgentes Ita illi.

SVMEBANT *cibum*] manifestum est vocem græcam τροφὴ non cibum dumtaxat significare, sed generaliter *alimentum*, *victum*. Et pro illo *sumebant*, græce est μετελάμβανον quo significatur (ponitur enim cum patrio casu τροφῆς) quod accipiebant victum, ab alijs suppeditatum; videlicet quod participes fiebant victus per domos ditiorum, aut ex communibus bonis quæ fuerant oblata Apostolis; vt proximè dictum est.

CVM *exultatione & simplicitate cordis*. Dubitari posset, istud totum complexum cuius sit determinatio, An sequentis illius, *collaudantes Deum*; an proxime præcedentis, *sumebant cibum*; an totius orationis præcedentis à principio huius versus, *Quotidie quoque* &c. Quod tertium nobis maxime verisimile est: vt significetur, quod isti quotidie in templo, certis horis perseuerarunt; ac deinde ex aliena liberalitate per domos christianorum diuersas, frugali refectione pasti fuerunt; id totum eos fecisse *cum exultatione & simplicitate cordis*. *Cum exultatione* (græcè ἐν ἀγαλλιάσει.) id est, cùm tanta animi lætitia, vt ea foras sese proderet, gestibus similibusque externis motibus. Tantam vero lætitiam animo concipiebant, pluribus de causis. Primo, propter nouum beneficium Dei in ipsos collatum, quod scilicet suscepissent fidem Christi, & per pænitentiam ac baptismum accepta remissione peccatorum, essent positi in statu salutis; sentirentque sibi diuinam gratiam continuari & augeri.

SECVNDO, quod tanto beneficio insuper Deus illos affecisset vt ipsius causa omnia sua multi reliquissent, nihilque nisi Dei laudes & preces curandum haberent. Tertio quod viderent quotidie aliquos ad fidem Christi conuerti, vt dicitur verbis vltimis huius capitis; atque ita Dei honor & salus proximorum quotidie augeretur atque latius diffunderetur.

ET *simplicitate cordis*:] Sensus est, quod in istis quæ dicta sunt faciendis, habebant puram & sinceram intentionem Deo seruiendi, suamque salutem promouendi: Non vero quicquam horum faciebant simulatè, exterius præ se ferentes Dei honorem, reuera autem in animi secreto sese efferentes, vel quærentes gloriam hominum, vel temporalia aliqua commoda, titulo christianę religionis vel abdicationis suorum bonorum. In hunc fere sensum abeunt quę de hac simplicitate cordis dicunt expositores. Licebit videre D. Tho. 2. sec. q. 109, 2, 4, 111. 3, 2.

VERS. 47. Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.

COLLAVDANTES *Deum*; illis nimirum de causis propter quas eos exultasse, paulo superius iam diximus.

ET *habentes gratiam ad omnem plebem*] seu, apud totum populum; vt sonat Græcus codex. Erant vero hi gratiosi apud populum Hierosolymitanum (quamuis primores nouellam Christi Ecclesiam oderant) etiam apud multos eorum qui nondum conuersi erant ad fidem Christi, si tamen aliquid bonę

bonæ naturalis indolis habebant: his de causis quas Chrysost. & Oecum. & alij colligunt; nempe propter vitam innocentissimam, qua illi fidem Christi condecorabant, mores habentes conformes fidei suæ. Deinde, propter mirabilem illum feruorem quo conueniebant quotidie ad Deum colendum, & ad doctrinam sacram audiendam; ac in his ipsis incredibili constantia & animi deuotione, versabantur, Tertio propter inauditam illam inter ipsos charitatem, qua sua faciebant omnibus alijs christianis communia, siue proprietate siue vsu: vt expositum est in superioribus v. 42. 44. 45.

QVARTO propter suauitatem morum, qua vtebantur etiam erga illos qui nondum ad fidem Christi erant conuersi. Denique, quia Apostolorum erant discipuli, videbantque eos illis esse charos: qui Apostoli in maxima erant apud populum authoritate & veneratione, propter miracula & prodigia quæ Deus assidue per ipsorum manus exercebat, præsertim in morbis & dæmonibus depellendis. sup. v. 43. huius cap. Infra c. 5. v. 12. 13. 14. 15. 16.

VERS. 48. Dominus autem augebat qui salui fierent quotidie in idipsum.

PRO illo *in idipsum*, græcè est ἐπὶ τὸ αὐτό, atque illud græci codices faciunt initium sequentis sententiæ, vt sensus illius sit, Petrum & Ioannem coniunctim ascendisse in templum &c. Nostri Interpretis codex habuit eam particulam in fine huius sententiæ. Vbi sane collocari potest; & fortassis melius maioreque significantiâ quam in principio sequentis. Valet enim ea clausula, *in eodem loco*, vt iam aliquoties dictum est. quare sensus esse poterit hic, quod *in eodem loco*, nempe in eadem ciuitate Ierusalem, Dominus quotidie augebat numerum christianorum, quotidie scilicet conuertendo nonnullos ad fidem Christi: qua suscepta, in statum salutis reponebantur, per pœnitentiam & baptismum accepta remissione peccatorum, cum gratia iustificante; ac deinde, per sacramentum confirmationis, spirituali fortitudine ad profitendum fidem Christi: quæ omnia nouelli illi christiani, de quibus hactenus, iam acceperant. supra v. 38. Quare per ea quæ nobis hoc loco dedit Interpres latinus, optimè sententiam ipsam verborum græcorum expressit; nec de illa diuersitate verborum, est quicquam disceptandum. Græca huius versus ita sonant ad verbum, *Dominus autem quotidie ipsi Ecclesiæ addebat qui salui fierent*. Suspicari liceat illa verba τῇ ἐκκλησίᾳ hoc loco esse additititia, neque à S. Luca scripta; tum quod Interpres noster non reddat, vetustissimus certè; tum quia in simili sententia v. 41. huius cap. ne græcè quidem legantur.

OBSERVANTIVNCVLA.

EX his que à v. 38. hucusque dicta sunt, obseruare debemus quis sit verus modus intrandi in Ecclesiam Christi, ac in ea permanendi; & cõsequenter

quæ sit vera illa vnica Christi in terris Ecclesia; & quomodo certo designari etiam sensibiliter queat, & à quibusuis alijs congregationibus nomen Ecclesiæ christianæ sibi arrogantibus, manifeste discerni. Nempe, quo tempore Christus ascendit in cælum, tota ipsius Ecclesia consistebat in duodecim Apostolis, in septuaginta duobus discipulis, & in reliquis fidelibus qui, Christo prædicante ac miracula faciente, crediderant, & credebant eum esse vnigenitum Dei filium verum Saluatorem mundi, Messiam seu Christum Dei Patris; ac baptismum Christi susceperant. Huic multitudini Ierosolymis nunc ad prędicationem primam B. Petri, additi sunt tria millia; idque visibiliter ac coram omnibus conspicuè. Additi enim sunt, & in corpus Ecclesiæ nouellę christianę cooptati, per fidem in Christum, eiusque fidei professionem & baptismi visibilem susceptionem; quo vtique acceperunt remissionem peccatorum, gratiam iustificantem, & characterem christianitatis. ac deinde perseuerauerunt in doctrina Apostolorum, tanquam legatorum Christi; & in vsu sacramentorum ipsius; atque in fraterna charitate colenda: ac diligenter cauerunt ne quid admitterent propter quod ex Ecclesia ab Apostolis pellerentur. Itaque in illam quæ Christo in cœlum ascendente fuerat ipsius nouella Ecclesia; hæc tria millia ingressa sunt, & incorporata; atque in ea permanserunt, modis dictis. Deinde ibidem quinque millia; de quibus cap. 4. v. 4. Ac deinceps omnes illi & soli ingressi sunt in Christi Ecclesiam, & in ea permanserunt, qui ad illos primos, longo ordine, sese adiunxerunt, inque hunc cœtum sunt recepti, modis dictis; ac postea inde non recesserunt per hæreses aut schismata, neque inde à præfectis, Apostolorum successoribus, sunt expulsi. Bonam horum partem diximus verbis Bellarmini; eo quod satis commode sint enunciata: libro priore de Ecclesia militante, c. 12.

Observandum est & hoc, quòd B. Lucas narrationem inchoatam v. 42. & hucusque perductam, necessaria quadam digresione interrumpit c. 3. toto & bona parte cap. 4. eamque resumit ac prosequitur à v. 32. illius quarti capitis, vsque ad v. 12. capitis 5.

ARGUMENTUM.

CAPITIS III.



PETRUS Apostolus quendam vtraque tibia claudum natum, atque iam quadragenario maiorem (Infra cap. 4, v. 22.) subito sanat in nomine Domini Saluatoris; populumque eo miraculo attonitum hortatur ad fidem de Iesu quod ipse sit vnicus & verus Dei Messias, suscipiendam; simul ad pænitentiam; vt hoc modo obtineant remissionem peccatorum.

VERS. I. Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.

POSTREMAM istius versus partem, hæretici tam Lutherani quam Caluinistæ, in nouo testamento conuertendo siue vernaculè siue latinè, infideliter transtulerunt; tali fere modo; *ad orandum, hora noua*. Vel sic, ad horam orationis, quæ erat hora noua. Hoc faciunt ne catholici ex hoc loco exemplum queant sumere sacrarum precum certis quibusdam temporibus Deo offerendarum, quas horas canonicas passim nominamus. Quasi vero, etiam si hîc exemplum nullum esset; omnibus exemplis & testimonijs nos destrueremur. Nō volunt scilicet meminisse quòd in veteri lege Deus iusserat singulis diebus mane offerri agnum vnum; singulis diebus vespere, agnum alterum. Exod. 29. in fine. Similiter quod thymiama in altari, ad hoc iussu Dei appropriato, offerretur quotidie certo tempore mane; certo, vespere. Exodi 30. in princ. Vnde est illud Luc. 1. v. 10 *Omnis multitudo populi erat orans foris, horâ incensi*. Non meminerunt isti eius quod est psal. 54. *Vespere & mane, & meridie narrabo & annunciabo; & exaudiet vocem meã*. Et psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*. Et eius quòd tribus certis tēporibus Daniel orare solebat, & quidem certo situ; videlicet versus templum Domini conuerso corpore. Danielis 6. Sed profectò etiam hîc est earum precum exemplum: quoniam B. Lucas non ita scripsit vt isti conuertunt; sed omnino sic quomodo noster vetus & fidelis Interpres dedit, *ad horam orationis nonam*.

ILLVD ibi quæri potest, An intelligatur hora orationis nona per Apostolos constituta seu præscripta; an vero iam Iudæis vsitata & in more posita. Illud prius videri potest ex v. 42. & 46. præcedentis capitis, & ex fine cap. 5. Nam cùm christiani Ierosolymis agentes, quotidie in templum conuenirent, Deum orandi & laudandi, nec non Apostolos audiendi causa; res ipsa loquitur, Apostolos certas horas ijs conuentibus habendis præscripsisse, vt sine confusione, sine temporis detrimento, à singulis in templum iretur. Sed ex huius capitis versibus 9. 10. 11. 12. 13. & seqq. 19. & seqq. magis fortasse alicui apparebit, fuisse horam orationis nonam Iudaicam. Nam qui populus in templum tunc confluxerat, erat infidelium adhuc Iudæorum, vt ex illis versibus inter se collatis facile liquet. Sed responderi potest eum populum tunc illic fuisse per priuatam cuiusque deuotionem: mox autem ad rumorem huius miraculi plures vndique confluxisse, adhuc tamen infideles seu Christo nondum credentes, ad quos B. Petrus sit concionatus in porticu Salomonis.

VERS. 2. Et quidam vir) *ætate maior quadragenario*,

Infra, c. 4. v. 22. *Qui erat claudus ex vtero matris suæ*] Claudus vtroque crure; vt colligitur ex v. 7. huius cap. Potest etiam colligi ex verbo hic addito, *baiulabatur*.

QVEM *ponebant quotidie ad portam templi*] Siquis nonnihil excurrere in populares

pulares exhortationes hoc loco vellet; posset hic monere superiores, tam in spiritualibus quam in temporalibus, ne sinant pauperes tempore Missæ, Concionis, vel cuiuscumque alterius officij diuini, obambulare per templa vel sacella aut oratoria, stipem mendicantes. Causas quilibet facile intelligit cur id non sit permittendum. Quibus causis motus Pius 5. tametsi maximus pauperum amator & patronus, seuere tamen prohibuit ne id fieret, diplomate quodam suo, cuius initium, *Cum primum apostolatus officium diuina nobis dispositione commissum suscepimus, &c. In quo ita statuit; Pauperes mendicantes seu eleemosynas petentes, per Ecclesias, tempore missarum, prædicationum aliorumque diuinorum officiorum, ire non sinant* (cathedralium vel collegiatarum Ecclesiarum capitula, & Parochialium Ecclesiarum rectores) *sed eos ad valuas Ecclesiarum stare faciant*: sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos eijci curauerint; & Parochis, dimidij aurei. Religiosis etiam claustralibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ vt in Ecclesijs suis deputent aliquē qui tales eijciant; & si negligentes fuerint, grauissimè ab Ordinario corripiantur. Quod si illi parere recusauerint, grauissimas pœnas incurrent, & pro qualitate personarum, etiam corporaliter puniantur, arbitrio nostro siue Superiorum. Datum fuit diploma Anno Christi 1566. Kalendis Aprilis. Concilium prouinciale Cameracense Montibus Hannoniæ celebratum anno Domini 1586, partem huius interdicti renouauit, tit. 2. cap. 7. Renouauit vero totum, Synodus prouincialis mechliniensis, habita anno Domini 1607. Tit. 12. cap. 17.

Et hæc quidem de pauperibus ijs quibus necesse est mendicare: Nam validi mendicantes ne ad valuas quidem Ecclesiarum permittendi sunt consistere, neque per ciuitates aut pagos oberrare eleemosynam petentes. Est contra eos antiqua constitutio christianorum Imperatorum Gratiani, Valentiniani & Theodosij: Extat autem Codicis Iustiniani lib. 11. Tit. 25. l. vnica. & prius, Codicis Theodosiani lib. 14. Tit. 18. qui illic legitur, De mendicantibus non inualidis; lege item vnica. Qualis lex tum ab alijs Principibus fuit renouata, tum non ita pridem à Principibus Belgij per Brabantiam publicata, & seuere iussa obseruari, Anno videlicet 1599. 13. Iulij.

QVÆ *dicitur speciosa* Non est operæpretium inquirere quæ ex omnibus portis templi fuerit ista; & quare Pulcra seu speciosa fuerit vocata. Illud vero dignum est obseruatu quod S. Lucas vtatur quidem participio λεγομένην noster tamen Interpres verbo præsentis temporis (quum posset verbo præteriti imperfecti) id reddat, quum vertit, *quæ dicitur.* Id quod probe fecit. Nam sane quando hæc scripsit S. Lucas, adhuc subsistebat templum illud Iudaicum, adeoque ista porta speciosa. Destructum enim fuit templum anno demum Christi 72. scripsit vero hæc S. Lucas circiter annum Domini 61. vt ex vltimis huius libri verbis colligi potest, collatis cum Baronio Tom. 1. Annalium Anno Christi 61. § 1. & cum S. Hier. catal. in Luca, vbi ratiocinatur hunc librum compositum Romæ intra illud biennium quo Paulus Apostolus fuit captiuus priore captiuitate.

VT *peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum,* Talia fiunt magna cum spirituali

spirituali vtilitate euntium in templum; vt scilicet ipsi petituri à Deo misericordiam, prius misericordiam exerceant in miseros pauperes. Ait enim Saluator Matt. 5. *Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

VERS. 3. Is cum vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum:

INCIPIENTES *introire in templum*] Id est, iam ingressuros in templum. Græcè est, μέλλοντας εἰσιέναι. q. d. futuros intrare debentes intrare. Noster etiam alibi sic reddidit vt hic; Velut Ioan. 4, v. 47. *Incipiebat enim mori* hoc est, erat iamiam moriturus. Et huius lib. c 23, v. 27. *Rogabat vt eleemosynam acciperet.*] Vnde colligere possumus, Apostolos etsi plane pauperes, fuisse tamen honesto habitu, vt à pauperibus eos non cognoscentibus existimari potuerint saltem mediocris fortunę, qui possent dare eleemosynam.

VERS. 4. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne.

INTVENS *in eum*] græce paulo significantius legitur, *defigens in eum oculos.* Vtique oculos blandos & qui compassionem ac beneuolentiam indicarent. *Dixit, Respice in nos.*] Cur hoc iusserit Petrus Apostolus huic claudo, alij aliam causam adferunt: sed ij videntur optime dicere, qui hoc ideo iussisse dicunt, vt claudus attente animaduerteret quo modo & ordine hoc miraculum circa eũ exerceretur. Videlicet ne magnitudine eius stupefactus, minus obseruaret quopacto id accidisset; atque ita alijs postea non posset exponere rei veritatem de hoc miraculo. Sicut sane exponebat veritatem de miraculo circa se facto, ille cæcus natus. Ioan. 9 1. 15.

VERS. 5. At ille intendebat in eos, (*id est attente illos aspiciebat;*) sperans se aliquid accepturum ab eis.

ALIQVID] pecuniæ nimirum, vt solet dari pauperibus ad ianuas templorum. Nam quum ad ostia domorum mendicant, panem sæpe vel aliud esculentum accipiunt. Concipiebat hanc spem iste claudus ex eo quod Petrus iusserat eum in ipsos duos defigere oculos. Non intelligebat videlicet quid in animo is haberet.

VERS. 6. Petrus autem dixit; Argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do:

ARGENTVM *& aurum non est mihi*] hoc est, Neque penes me habeo pecuniam; neque vllam pecuniam possideo: sed neque administrator sum pecuniæ communis.

QVOD

QVOD *autem habeo hoc tibi do*. Corporalem integritatem tibi do; vtique tanquam minister Domini, non tanquam author beneficij. Et hoc sequentia B. Petri verba exprimunt; *In nomine* &c. Hanc corporis alieni integritatem ac reformationem dicebat S. Petrus se habere; *Quod habeo*, quod (inquam) *habeo, hoc tibi do*. Habebat nempe illam, non ipsam secundum se, sed secundum suam causam; quoniam habebat diuinum donum miraculorum, & specialiter gratiā curationū seu sanitatum, vt nominatur ab Apostolo 1. Cor. 12. v, 9. 28. 30.

SED quoniam, vt S. Th. docet 2. sec. q. 178. art. priore, ad primum, gratia miraculorum non est donum aliquod habituale, in anima permanens, sed habet sese per modum passionis transeuntis (quum sit ipse vsus quo Deus homine aliquo vel re quapiam ad hominem pertinente, vtitur ad effectum supernaturalem): quæritur quomodo B. Petrus verè dixerit id quod dabat claudo isti, se habere saltem in sua causa. Respondendum est autem, ipsum, illud in causa sua habuisse, quoniam veluti ad manum & in promptu habebat Christi Domini potentiam & benignitatem ad miracula facienda; eo quod speciali ratione in Apostolis tanquam Christi vicarijs ac legatis, tanquam nouellæ Ecclesiæ Magistris, impleta fuerit Christi promissio, *Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam*. Item, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ioannis, 14. v. 12. 13. Item, à Christo Apostolis quum ad euangelizandum mitterentur, data erat potestas curandi omnem languorem & omnem infirmitatem. Matth. 10. v. 1. & 8.

OBSERVANDA sunt ista B. Petri verba; vt sciamus non male dici quod sancti faciunt miracula; & non tantum quòd Deus per hunc vel illum sanctum miracula facit. Sed oportet semper meminisse discriminis paulo ante positi, de causa principali & de ministeriali vel instrumentali, vel etiam imperatoria. quomodo infra v. 16. dicitur *fides dedisse hanc sanitatem*.

OBSERVANDA sunt eadem verba etiam istorsum, vt cogitemus quod vnusquisque debet miseris succurrere, eo modo quo potest. Qui non habet substantiam huius mundi, qua eos subleuet; saltem det verba consolationis, compassionis, exhortationis; vel certè commendet eos Domino, siue vocali siue mentali precatione.

QVID & quomodo huic claudo B. Petrus, vna cum dicto daret; ipse exprimebat, subdens eodem sermonis tenore; *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. In nomine Iesu Christi Nazareni*] id est, per potentiam Iesu Nazareni veri Messiæ á Deo nobis missi, ac per eius pro nobis passi meritum, quam eius potentiā ac meritū nos Apostoli celebramus, & ego super te nūc inuoco. Totum hoc latet in illis paucis verbis, vt patet ex collatione aliarum multarum scripturarum, vbi aliquid peti vel fieri dicitur, *In nomine Iesu Christi*. Ioannis 14. 15. 16. passim in hoc opere B. Lucæ, in euangelijs, in epistolis apostolicis. Hæc abit & expositio Oecumenij in cap. 4. v. 10. vbi dicitur, *In nomine Iesu Christi Nazareni iste astat coram vobis sanus*. Et in huius cap. v. 16. & cap. 4. v. 30. dicitur. *Per nomen Iesu*; in orig. Liquet autem ex his verbis quod B. Petrus hæc dicens, intendebat significare, istud miraculū fieri in confirmationē doctrinæ apostolorum, qua docebant Iesum Nazarenum esse Christū.

surge

SVRGE *& ambula.* Poſſunt hæc verba accipi vt ſint optantis ſeu bene precantis, vt cum nos alter alteri dicimus, Vale, aut ſalue: ſed melius eſt vt accipiantur velut imperantis, ipſoque imperio efficientis quod imperatur. Melius inquam, ſic intelliguntur: quoniam B. Petrus dicebat, *Hoc tibi do.* & ſic intellexit B. Ambroſ. lib. 3 de fide cap. 3. Verba igitur B. Petri iſta, ſicut & contactus (cuius narratio eſt v. ſeq.) quo hunc claudum tetigit, fuerunt operatoria eius quod dicebatur, fuerunt inſtrumentum efficax per quod Chriſtus Dominus hunc miraculoſum effectum, verbis ſignificatum, eſt operatus. Quemadmodum & ipſe Chriſtus ſuis ipſius verbis, aut ſuo ipſius contactu, vel vtriſque ſimul, tanquam inſtrumentis diuinitatis ſuæ, vtebatur in curandis morbis, aut in mortuis ſuſcitandis. Exempla ſunt paſſim in euangelio. Obſeruandi ſunt tales Scripturarum loci; ad confirmandum quod formæ ſacramentorum nouæ legis, habeant inſtrumentalem vim effectiuam, ex Chriſti Domini potentia, à quo ſunt inſtitutæ.

ILLVD etiam ex hoc loco diſcimus quod non ſolum ſpiritualia ſed etiam corporalia beneficia nobis dantur propter meritum Chriſti. Quare nos, etiam illa à Deo per Chriſtum petere poſſumus; & de datis gratias agere per Chriſti meritum debemus. Errant itaque qui in oratione Dominica, quum dicitur, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; negant intelligi poſſe huius corporalis vitæ ſubſidia; quaſi videlicet indignum ſit nos illa à Deo petere, vel ſaltem non per Chriſti meritum debeamus illa petere.

VERS. 7. Et apprehenſa manu eius dextera, alleuauit eum: & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ.

CREDIBILE eſt B. Petrum vtraque manu ſua apprehendiſſe dexteram huius claudi, eumque ſic alleuaſſe & erexiſſe. *Et protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ. Baſes*] retinuit noſter Interpres vocem græcam αἱ βάσεις. ſed quoniam *baſes* iſtæ vel in primis videri poſſunt eſſe ipſæ plantæ pedum; de quibus tamen expreſſe ſubdit Interpres, *& plantæ*: idcirco in noſtra verſione per *baſes iſtas* intelligere poſſumus (ne idem bis dicatur) tibias & talos. Quæ omnia ſubitò ſunt conſolidata. Atque hoc eſt quod paulo ante dicebamus, & ſermonem B. Petri, & eius hunc contactum atque alleuationem claudi, operatoria fuiſſe huius mirandæ incolumitatis, tanquam ſcilicet inſtrumenta, per quæ Chriſti potentia à Petro inuocata, principaliter efficiebat hoc miraculum. Monuit hoc & Chryſoſt. illis verbis, *Os & manus ſimul operabantur.*

SOLENT nonnulli quærere, quare ſucceſſores B. Petri non dicant etiam ipſi cum effectu *ſurge & ambula.* Sed inofficioſa eſt quæſtio:

magis etiam inofficiosa illorum responsio qui dicunt id ea de causa euenire, quod successores non possint cum veritate dicere, *Argentum & aurum non est mihi*. Nam profecto vsque ad tempora Constantini potuerunt propemodum summi Pontifices dicere, *Argentum & aurum non est mihi*. Deinde, non est peccatum summo Pontifici habere aliquid proprium; imo esse diuitem.

PRAETEREA, ad miracula patranda non est opus tanta sanctitate quanta fuit B. Petri: Imo simpliciter non est opus sanctitate. Nam & per malos Deus facit miracula. Matth. 7. v. 22. 23. & Matth. 10. quum misit Dominus Apostolos & eis dedit potestatem miracula faciendi, ac specialiter sanandi omnem languorem; inter eos fuit etiam Iudas Ischariotes.

DICENDVM est igitur quod non est necessarium per summos pontifices, etiam sanctos, miracula fieri; fide Christi iam longè lateque diffusa & firmata. In principio autem Ecclesiæ ad fidei propagationem & stabilimentum, erat opus miraculis. Responsio est beati Gregorij, quam ipse confirmat verbis Pauli Apostoli dicentis 1. Cor. 14. Linguę (idem iudicium de alijs miraculis) in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus; nimirum vt eo signo ad fidem adducantur. Deinde, est dicendum, multos fuisse B. Petri successores per quos Deus miracula, & specialiter curationes infirmitatum & morborum, quando ipsi fuit visum, sit operatus: eos tamen non solitos vti ista verborum forma qua B. Petrus hîc vtebatur; deferentes nimirum hanc prærogatiuam B. Petro, vt non tentarent miraculosum effectum edere, specie imperantis; sed precibus demum ad Deum fusis.

Homilia 29. in Euang.

VERS. 8. Et exiliens, stetit; & ambulabat: & intrauit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

HIS verbis & vv. duobus seqq. manifestatio huius (ad salutem infidelium adhuc) miraculi, & hominis curati gratitudo declaratur. *Et exiliens*] scilicet ex grabato in quo à suis quotidie portabatur ad portam Templi speciosam, vt dictum est. v. 2. *Stetit*] rectus in pedes, nullo iam sustentante. *Et ambulabat*, similiter per se, nulli innixus. *Et intrauit cum illis*] Nolens deserere curatores suos, per quos Deus eum sanauerat. *In templum*] Primam habens curam Deo agendi gratias pro tam magno & inexpectato beneficio. Chrysost. *Cum illis*] non dubium & Apostolos hos Deo gratias egisse de tanto miraculo, & largas preces effudisse pro illo & pro omnibus, more suo. Diutiuscule enim eos in templo fuisse occupatos, arguit quod legitur c 4. v. 3. collatum cum v. 1. huius capitis. *Ambulans*] id est incedens huc & illuc; iam primum sciens quid esset ambulare, ideoque seipsum admirans in ipso incedendi experimento. *Et exiliens*] hoc est, præ gaudio magno subsiliens per interualla. Ita Chrysost. *Et laudans Deum*] Quemadmodum oportet nos facere pro beneficijs etiam in alios collatis: multo magis

magis pro his quæ in nosipsos contulerit. Laudabat autem Deum, etiam clara voce, & religioso gestu adhibito; vt patet ex v. seq.

VERS. 9. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.

OMNIS *populus*, scilicet qui forte tunc in templo priuatæ orationis causa, copiosus aderat, vt in populosissima illa ciuitate. Est autem sermo de nondum ad Christum conuersis Iudæis (tametsi vnius veri Dei cultoribus) vt ex sequente concione B. Petri manifestum est. Quod quidam credunt populum hunc adfuisse ob sacrificium vespertinum agni & thymiamatis: non videtur rectum. Vespere enim offerebantur illa, non hora nona, id est tribus horis ante occasum solis.

VERS. 10. Cognoscebant autem illum quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad speciosam portam templi.

ERAT nimirum omnibus notus, quoniam multos iam annos quotidie ad illam templi portam sederat. supra. v. 2. Infra cap. 4. v. 22. *Et impleti sunt stupore & ecstasi in eo quod contigerat illi. Stupore*] id est admiratione tam grandi, quæ ipsos velut obstupefaceret, & extra sese raperet. Nec mirum sane: suis enim ipsorum oculis videbant quid in eo homine factum esset; erat omnibus euidens hoc tantum miraculum. *In eo*] Id est, per id; more hebræorum.

VERS. 11. Cum teneret autem Petrum & Ioannem;

ID est, Quum is qui iam sanatus erat adhæresceret Apostolis his duobus sub tempus vespertini sacrificij (credibile est) iam è templo digredientibus in porticum templi; nec ab eis quoquam diuerteret; imo (credibile est) eos subinde complectens, reuerenter præhensaret & oscularetur manus eorum; ageretque illis post Deum gratias; per hæc ipsa omnibus significans se ab illis sanatum: in hunc fere modum Chrysost. *Cucurrit omnis populus ad eos, ad porticum quæ appellatur Salomonis, stupentes. Omnis populus*] qui illic tunc erat, & qui continuo affluebat, rumore huius miraculi statim diuulgato. *Ad eos*] Petrum & Ioannem scilicet, illos cum admiratione magna intuens, vt dicitur v. seq. *Ad porticum quæ appellatur Salomonis*,] Alibi quoque in noui testamenti libris fit huius porticus mentio Infra cap. 5. v. 12. Ioan. c. 10. v. 23. Erat autem vna (& quorumdam opinione, prima) ex quatuor templi porticibus seu appendicibus illis amplis, valdeque capacibus, quas Iosephus describit 15 Antiq. Iud. c. vlt. Cur dicta fuerit Salomonis ista porticus, non valde liquet: Ex Iosepho tamen Antiq. 20. c. 8. probabilitatem accipit eorum opinio qui putant ita dictam quod eam Salomon quondam ex-

trux esset, neque vnquam interea fuisset plane destructa; sed nonnihil labefactata, & hic illic lacerata, instauratione solum eguerit, non integra reædificatione. In hac opinione est & Oecumenius. In hanc igitur porticum cum (oratione sua in templo finita) secessissent Apostoli Petrus & Ioannes, viro isto sanato ipsis adhærente; in eandem porticum ad ipsos concurrerant plurimi ex Ierosolymitano populo, *stupentes*, ait B. Lucas; id est, præ admiratione tam magni operis, tam insolitæ curationis, velut obstupefacti.

VERS. 12. Videns autem Petrus, respondit ad populum; Viri Israelitæ, quid &c.

VIDENS *Petrus*] scilicet hunc populi concursum, & admirationem; *Respondit ad populum*] Hebraismus est, pro, dixit ad populum. Quamquam, seruata verbi proprietate, respondit Sanctus Petrus populi cogitationibus, & ibi præsentium inter se mutuo disquisitioni, & admiratorijs interrogationibus.

VIRI *Israelitæ, quid miramini in hoc? aut nos quid &c.* Admiratio est ex ignoratione causæ, cuius tamen effectus certo scitur. Igitur quod S. Petrus, hanc populi admirationem vertens in occasionem salutis eorum, hic dicit; hunc sensum habet; *Viri Israelitæ*, Hunc hominem, vobis notum, & quem ab infantia scitis hucusque fuisse claudum; nunc esse incolumitati restitutum videtis omnes: ita tamen vos geritis ac si ignoraretis tanti beneficij authorem. Non est autem vestrum, ipsum ignorare. Non decet vos ista admiratio, qua parte huius euidentis operis quæ causa effectrix sit, ignorationem continet. Quod si nos huius beneficij authores putatis, ideoque miramini quî hoc præstare potuerimus: ne id quidem rectè habet. Vnde sequitur,

AVT *nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare?* Pro (*pietate*) quod habent optimi quique codices latini, conformiter græco, vbi est εὐσεβείᾳ libri minus correcti legunt (potestate,) non bene Et istud, *nostra virtute*, græcè est ἰδίᾳ δυνάμει *propria vi*, seu *propria potentia*. Sensus itaque horum verborum est, non possumus negare hunc esse sanitati restitutum per nos; sed non ideo authores beneficij possumus censeri; quoniam ministri tantum & instrumenta fuimus Domini IESV CHRISTI in hoc miraculoso opere. Nihil enim hic fecimus per potentiam aut pietatem quæ nobis sit ex nobisipsis, ideoque nobis propria. *Pietate*] Interpretatur Chrys. dignitatem seu bona merita: Rectè, omnia enim opera virtutum quum ad Dei cultum ordinantur, religionis in Deum officia sunt, Imperat enim ea tunc religio. Dicit ergo B. Petrus, neque per potentiam propriam ipsos hoc effecisse neque bonis meritis proprijs ex religione erga Deum profectis, dignos fuisse per quos Deus id operaretur. Propriam videlicet potentiam hujus rei nullam habebant: nulla item

merita

re etiam propria. Agnoscit his verbis S. Petrus ipsos fecisse, sicut & infra. v. 16. sed non virtute propria. Cuius autem virtute seu potentia; id exponit ve b.s seqq. & hac via annunciat ipsis Christi meritum & diuinitatem.

V ERS. 13. Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum,

GRÆCI codices hodierni non habent istud (*Deus*) secundo & tertio loco: habet tamen Irenæus 3, 12. habet etiam Chrys. cum nostro Interprete consentiens. Neque idcirco plures Dij significantur, nihilo magis quam significentur ijsdem verbis à Domino repetitis bis terue Exodi 3. & inde à Saluatore Matt. 22. Sensus enim est iste; Qui vnus idemque est & Deus Abrahæ, & Deus Isaac, & Deus Iacob, verus (inquam) vnicusque Deus, quem coluerunt patres nostri. Per hæc autem verba, quibus Apostolus Petrus sese ex Israelitica gente esse declarat, eundemque cum Israelitis vnum verum Deum colere, quem & veteres illi Patriarchæ coluerant, qui de Saluatore mittendo promissionem ab eo acceperant: mirificè beneuolentiam sibi conciliat in hoc sermonis exordio. Notauit hoc Chrys. & post eum Oecumenius.

GLORIFICAVIT *filium suum Iesum. Glorificauit*] scilicet per gloriosam resuscitationem, de qua paulo post. v. 15. Glorificauit item, per hoc miraculum huius claudi sanati: vt dicitur v. 16. Quoniam autem gloria est clara, cum laude, notitia: Quod dicitur Deus pater filium suum glorificasse, idem est ac si diceretur, quod in claram cum laude notitiam deduxerit apud eos, filium suum Iesum. Voluit nimirum per hoc miraculum in nomine Iesu factum, omnibus declarare Iesum esse filium suum vnicum, esse humani generis saluatorem, quondam ab ipso promissum, nunc vero inter ipsos exhibitum. *Filium*] τὸν παῖδα quod Oecumenius intelligit *seruum* (est enim amb.) in humana natura. Sed hunc seruum qui simul erat consubstantialis filius, Deus Pater clarificauit, varijs modis hoc ipsum declarans quòd sit vnicus suus filius. Conuertit deinde Apostolus Petrus miraculi huius notitiam, non solum ad fidem de Iesu, quod ipse sit Christus, animis ingenerandam; sed etiam ad excitandam in Iudæorum cordibus veram pœnitentiam de paricidio, quod Iesum occiderant. Eaque de causa, circunstãtiarum explicatione magnitudinem illius sceleris ipsis ostendit, vt acrius doleant secundum Deum. Huc nempe pertinent illa sequentia.

QVEM *vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti.* Duo crimina illis impingit; inquiunt Chrys. & Oecum. Prius, quod studio interficiendi Christum, tradiderint eum Pilato Præsidi Iudææ; specie iustitiæ cupientes aliena manu occidere quem non poterant ignorare innocentem, imo sanctum & iustum. Alterum, quod cum Pilatus, etiamsi qui iniustus, & mala fide in Iudicatu versari solitus, censeret esse absoluendum & dimittendum; vt pote iudicans innocentem: Iudæi obstiterant liberationi Christi, *Negantes eum coram Pilato*, id est recusantes eius dimissionem, quum Pilatus optionem

optionem illis faceret eligendi vel Iesum vel Barabbam insignem seditiosum & homicidam atque latronem.

DICVNTVR hæc isti Iudæi fecisse, quia populus Ierosolymitanus suis primoribus hac in re consenserat, & cooperatus fuerat, currens & ipse ad tribunal Pilati, & coram Pilato clamans tumultuose vt crucifigeretur Iesus. Notum est ex historia euangelica passionis Domini.

VERS. 14. Vos autem sanctum & iustum negastis; & petistis virum homicidam donari vobis; authorem vero vitæ interfecistis.

EXAGGERATIO est vtriusque criminis; non supra verum, vt solent rhetores exaggerare; sed plane ex vero. q. d. Sanctum illum (nam græce additur articulus τὸν qui videtur emphaticus) & iustum Iesum, quem talem esse ex miraculosis operibus & ex modo illa faciendi, atque ex omni conuersatione sua, non poteratis ignorare: hunc talem vos recusastis, & præ illo petiistis vobis dimitti homicidam Barabbam: & insuper Iesum authorem vitæ, quem sciebatis mortuos resuscitasse; interfecistis vestro consensu, imo vestro impulsu & veluti imperio, adigentes Pilatum ad eius condemnationem. Eaque ratione etiam B. Stephanus Iudæis improperat quod homicidæ Christi fuerint Act. 7. v. 52. & Paulus apostolus 1. Thess. 2. de Iudæis loquens, *Qui & Dominum occiderunt; & nos persecuti sunt.* Est acris antithesis in his verbis B. Petri, qua magnitudo sceleris eorum ob oculos ponitur. Homicidæ, qui vitam eripit, vos vitam donastis; authorem vitæ, vita spoliastis. Porro in eo quod Christum vocat *authorem* seu principem & regem *vitæ*; ipsius diuinitatem innuit, potius quam diserte exprimat; paulatim scilicet illuc deuenturus apud hos qui vnicum verum Deum iam colebant: Monet hoc fere Chrysostomus.

VERS. 15. Quem Deus suscitauit à mortuis: cuius nos testes sumus.

CHRISTI resurrectionem Apostoli primo semper loco inculcauerunt, vt etiam alias monuimus, ad cap. 1. v. 8. & v. 22. ea de causa quod fides de resurrectione Christi, sit fundamentum totius religionis christianæ. Quum enim cōstaret omnibus Iudæis & Gentibus Iesum fuisse crucifixum & in cruce mortuum; nulli potuissent eo adduci vt ipsum crederent esse Christum, id est Saluatorem ac Redemptorem humani generis, si ipse in morte mansisset. Ergo ad amoliendum à Iudæis & Gentilibus scandalum crucis, id est offendiculum atque obstaculum ex crucifixione & morte eius acceptum, quod eos posset auertere ne crederent Iesum esse Christum: ante omnia erat infidelibus adhuc Iudæis & gentilibus persuadendum, eum tertia die resurrexisse. Ad hoc autem illis persuadendum nulla externorum subsidiorum via restabat, nisi testimonia fide dignorum qui eum rediuiuum conspexissent. Tales testes erant Apostoli:

Apostoli: & vt in eo quod affirmabant, omnes sanæ mentis viderent esse fide dignos; ideo per ipsos Deus miracula faciebat, omnibus conspicua. faciebat autem nonquouis modo, *sed in nomine Iesu Christi*, id est super professionem de Iesu quod ipse sit Christus; simul ad inuocationem potentiæ ac meriti ipsius, tanquam Saluatoris. Atque ita, Apostoli faciebant miracula, seu Deus per illos, ad confirmationem huius dogmatis, *quod Iesus resurrexit ex mortuis*; ipseque consequenter, & non alius, sit humani generis redemptor, quem Deus ab initio mundi humano generi promiserat. Huc facit illud cap. 4. v. 33. *Virtute magna* (id est, magnorum miraculorum patratione) *reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri*. Et hoc est quod S. Petrus nunc subdit;

C V I V S *nos testes sumus. Cuius*; refert orationem præcedentem qua dicebatur quod Deus pater Iesum suscitauit ex morte. *Nos*] Illud (nos) valde emphaticum est; Sensus enim est, Resurrectionis Domini Iesu, nos qui hîc sumus, & collegæ nostri reliqui Apostoli, ab ipso Domino specialiter electi vt simus eius legati in annunciando nouo hoc statu regni Dei; imo, per quos Deus pene quotidie inaudita miracula inter vos operatur (supra c. 2. v. 43. Infra 4. v. 33. cap. 5. v. 12.) ad ipsius Domini Iesu inuocationem & professionem: Nos, inquam, tantis signis apud vos à Deo declarati quod simus veraces; quodque ipse nos vobis & omnibus hominibus mittat doctores salutis: Nos vobis testamur Iesum die tertia à morte surrexisse.

V E R S. 16. Et in fide nominis eius, hunc quem vos videtis & nostis confirmauit nomen eius: & fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

V E R S V 13. dixerat Apostolus quod Deus isto miraculo *glorificauit filium suum Iesum*; Id his verbis explicatur, quibusdam interea continuatæ orationi interpositis ad salutarem repræhensionem Iudæorum hæc audientium. *Et in fide*, id est, per fidem, more hebr. *Nominis eius*, scilicet Iesu, de quo est sermo præcedens *Nominis*] intelligatur sicut expositum fuit v. 6. ibi, In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. *Confirmauit*, id est, consolidauit. Est enim idem verbum quod supra v. 7. ibi, *protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ*. Quare in eo quod additur, *nomen eius*, istud (*nomen*) tam latinè quam græcè, τὸ ὄνομα esse primi casus (quicquid nonnulli ambigant) satis certum videtur. Et sic omnino Oecumenius.

E T *fides quæ per eum est*] ἡ δι' αὐτοῦ, quod posset etiam verti, *quæ per illud est*, vt fiat relatio ad τὸ ὄνομα, sed videtur melius quod dedit interpres noster & alij plerique omnes. In superioribus verbis oportet obseruare quod istius claudi sanatio tribuatur & *nomini Iesu*, & *fidei de Iesu ac de nomine eius*. Christi enim Dei potentia ab Apostolis inuocata, erat causa efficiens primaria: eiusdem Christi hominis meritum, causa efficiens gradu inferiore, causa nimirum impetratoria.

impetratoria, sed in hoc ordine prima. At *fides nominis Christi*, id est, de ipsius potentia & merito, erat causa impetratoria, in eodem illo genere secundaria; eratque huius fidei professio, & ex ea fide procedens inuocatio, quoddam medium quo vtebatur Christus ad huius miraculi effectionem. Qua de re diximus ad v. 6. & 7.

Quod hic de *fide* dicitur, explicare oportet an de fide Apostolorum Petri & Ioannis accipiendum sit, an de fide ipsius claudi. Certè non videtur fides huius intelligi, quum non appareat eum ante hoc miraculum habuisse fidem qua crederet Iesum esse Christum seu Messiam; quamuis (vt credibile est) fidem in Iesum non auersaretur more Iudaizantium. Et hanc eius qualemcunque ad fidem dispositionem, rectamque in vnum Deum fidem, Petrum in spiritu vidisse; & credidisse quod ad impetrandum sanitatem apud Deum valeret. Simile est de Paulo, infra cap. 14. v. 9. Intelligenda est igitur de Iesu fides horum Apostolorũ, eiusque professio; qua Petrus Ioanne astipulante dicebat, *In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Nec tamen dubium quin iste sese videns in nomine Iesu subito sanatũ, Dei dono statim fidẽ de Iesu Christo conceperit (etsi hoc Scriptura non exprimat): quam & professus fuit, Apostolis constanter adhærens, & vna cum ipsis datus in custodiam; quantũ apparet ex cap. 4. vv. 3. 10. & 14. inter se collatis. Et tunc fides huius sanati, impetrauit à Deo istius beneficij continuationem. Hæc responsio est apud Oecumenium, quatenus ad illa verba, *confirmauit seu consolidauit hunc nomen eius*, ait, *Etiam priusquam crederet, nomen solummodo Iesu inuocatum, consolidauit eum.* Et tamen dum exponit verba sequentia, *Et fides quæ per eum est* &c. agnoscit huius curati fidem.

ALIQVID obscuritatis videtur in illa particula, *fides quæ per eum est.* Quidam intelligunt, fides quam Iesus reuelauit & prædicauit. Debebant addere, & quam ipse animis infudit, vt Deus; & à Deo patre meruit (vt Deus homo) infundi animis hominum. Oecumenius nullam hic obscuritatem videtur sensisse: interpretans illud (*per*) tanquam habitudinem obiecti denotet. Ait enim, Quæ sit fides quæ per eum est, ipse Dominus declarat, vbi dicit, *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deũ verum, & quẽ misisti Iesum Christũ.* Ioannis 17.

OBSERVANDA hæc locutio, qua *fides dicitur dedisse istam integram sanitatem*, id est perfectam corporis incolumitatem: vt sciamus, non male etiam instrumentarijs, ministerialibus vel impetratorijs causis tribui effectum eundem quem causæ principali; sed singula esse intelligenda in suo ordine.

IN *conspectu omnium vestrum*] His verbis infigitur aculeus animis horum qui B. Petrum ista concionantem audiebant. q.d. Nemo vestrum est qui magnum istud miraculum queat vertere in dubium: omnes vos estis testes, qui hunc hominem iampridem nostis, & nunc videtis incolumem. Quod cum ei sit præstitum *in nomine Iesu Nazareni*, quem vos crucifixistis: videtis quam horrendo parricidio vosipsos contaminaueritis. Ne tamen in desperationem salutis prolaberentur, suum scelus considerantes: prudentia B. Petri huic malo occurrit, dum addit sequentia,

VERS. 17.

VERS. 17. Et nunc, fratres, ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.

ILLVD (fratres) beneuolentiam conciliat, quum declaret Apoſtoli in ipſos amorem. His verbis videtur B. Petrus eorum crimen nonnihil extenuare; vt ſcilicet ſpem aliquam veniæ conciperent, & ad ſalutarem pœnitentiam adducerentur. Ignorabant nimirum iſti plebæi, Ieſum eſſe Meſſiam. Nec tamen eos ignorantia niſi pauxillum excuſabat; quoniam erat ſupina. Debebant enim ex tot tantiſque miraculis, & ex modo quo Dominus ea faciebat, nempe imperio & poteſtate; debebant (inquam) credere ſaltem hoc, quod ipſe eſſet Meſſias à Deo promiſſus.

IN eo quod additur, *ſicut & principes veſtri*; non eſt neceſſe ſubaudire iſtud, ſcilicet, *fecerunt per ignorantiam*: ſed poteſt hæc pars abſolutè accipi, vt ſenſus ſit, In tradendo Ieſu & ad mortem depoſcendo; quod faciebãt Principes veſtri, idem & vos per ignorantiam ab illis ſeducti (Matt. 27. v. 20.) feciſtis. Et ſic, ex hac particula non poteſt concludi quod Iudæorum principes iſta fecerint per ignorantiam. Neque neceſſum eſt verba S. Petri iſta ſic accipere, quaſi aliquatenus excuſet Principes. Ad hunc modum iſta verba intellexit Caietanus alicubi ad B. Th. Et tunc nec commate ſeparanda ſunt à præcedentibus. Sane B. Petrus cap. 4. huius v. 11. non plebi ſed ſacerdotibus improperat quod Chriſtus lapis ſit ab ipſis ædificantibus reprobatus. Et B. Thom. in 1. Timot. 1. ad illud *quia ignorans feci*; ait quod Iudæi non per ignorantiam, ſed ignorantes dumtaxat, occiderint Chriſtum. Videtur autem loqui maxime de principibus. Et tamen eſt verum ipſos quoque principes Iudæorum per ignorantiam procuraſſe mortem Domini Ieſu: ſed talem ignorantiam quæ nullo modo peccatum diminueret, verum augeret potius; quoniam erat ignorantia affectata. Ignorabant videlicet, non quidem Ieſum eſſe Meſſiam; ſed eſſe vnigenitum Dei filium: quod tamen ex prædictionibus prophetarum, & ex Domini Ieſu miraculis, quæ huius dogmatis confirmandi cauſa faciebat, cognoſcere debebant, ſed ambitione, auaritia, hypochriſi, ſuperſtitione impediti ſimul & odio quod in eum vitia iſta ipſorum reprahendentem concipiebant; non admittebant in animos ſuos ipſum eſſe vnigenitum Dei filium; ſed neque ſerio ipſum eſſe Meſſiam conſiderabant. Id quod non de omnibus Iudæorum primoribus, ſed de principibus ſacerdotũ, reliquiſque ſacerdotibus & leuitis in lege paulo doctioribus, deque Legiſperitis pleriſque dictum ſit. Nam de alijs ipſorum principibus, Herode, Pilato, cæteriſque qui politico tantum regimine eos gubernabant, idem dici poteſt quod de plebæis iam dictum eſt; ſcilicet eos ne hoc quidem ſciuiſſe quod Ieſus eſſet Meſſias, tametſi ea ignorantia, vt diximus, eſſet ſupina; ideoque non in totum, ſed tenuiter tantum excuſaret peccatum. Et quoniam non ſatis liquet, de vtris principibus Apoſtolus Petrus hic loquatur: ideo iuxta ſuperiorem diſtinctionem hæc pars erit exponenda; ſicut & verba Pauli Apoſtoli, infra cap. 13. v. 27. *Qui habitabant Ieruſalem & principes eius, hunc ignorantes & voces pro-*

phetarum quæ per omne sabbatum leguntur &c. Conferatur diligenter B. Tho. 3. p. 47, 5, o. & in 1. Cor. 2. lectione 2. ad illa verba, *Quam nemo principum huius sæculi cognouit. Si enim cognouissent; nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* Breuiter etiam & bene Liranus hoc loco, in eandem sententiam.

VERS. 18. Deus autem quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum; sic impleuit.

SVNT qui hæc etiam verba ad quandam extenuationem peccati Iudæorum dicta putent à S. Petro; q. d. Potest vos in spem veniæ erigere, & aliquam consolationem vobis adferre, quod Deus vestro scelere vsus est ad humani generis redemptionem, quam per vnigeniti sui passionem & mortem faciendam decreuerat, ac per suos prophetas prædixerat. Sed multo rectius videtur quod Chrysost. innuit potius quam exprimat, Apostolum Petrum, quoniam superioribus verbis fidem in Iesum Nazarenum crucifixum commendauerat apud hos adhuc infideles Iudæos; nunc tacitæ obiectionis occupatione ab ijs amoliri scandalum crucis. quale quid diximus eum fecisse etiam v. 15. Potuissent enim isti Iudæi auerti à suscipienda fide de Iesu quod ipse sit Christus, id est ille Messias ac Saluator à Deo olim promissus; auerti (dico) hac similiue cogitatione: Si hic homo quem nos crucifiximus, esset Christus Dei: quomodo Deus permisisset eum tam dura tamque ignominiosa pati? Quemadmodum & pendenti in cruce Saluatori exprobrabant, *Si filius Dei es: descende de cruce.* Et iterum. *Confidit in Deo: liberet eum nunc, si vult eum, dixit enim quia filius Dei sum* Matt. 27. Huic igitur cogitationi sic occurrit B. Petrus vt dicat, Deum patrem voluisse omnia illa dura & ignominiosa pati Christum; eaque illum passurum, prædixisse per suos prophetas. Itaque, si illa passus non esset; argumentum fuisse efficax futurum quod non sit ipse Christus: contra plane quam carnalis illa & stulta cogitatio ipsis suggereret. Ex vtraque hac interpretatione liquet illud (*quæ*) quod est in fronte huius sententiæ pendere à verbo (pati) non à proximo illo verbo (prænunciauit.)

PATET ex his verbis S. Petri quod Deus ad salutem suorum electorum procurandam, vtatur etiam peccatis immanibus vel ipsorum vel aliorum. Nam generaliter verum est quod Deus summe bonus & summe sapiens summeque potens, nulla mala esse sineret nisi ex ijs aliquid boni eliceret; siue salutem suorum electorum siue manifestationem suæ potentiæ, sapientiæ, benignitatis aut iustitiæ.

OBSERVANDA est etiam ingens B. Petri sapientia, diuinitus ei infusa, qua tenebat quicquid veteres prophetæ de Christo prænunciauerant, siue scripto, siue viua voce dumtaxat. Ait enim, *Quæ Deus Christum suum esse passurum per os omnium suorum prophetarum prænunciauerat*; *eum sic* (id est per scelus ipsorum Iudæorum, in quod eos vtique non impulerat, sed tantum illud permiserat) *impleuisse. Per omnium prophetarum os*, inquit, loquens ex scientia. Cum hoc versu sunt conferenda quæ diximus ad v. 23. cap. præcedentis.

VERS.

VERS. 19. Pœnitemini igitur, & conuertimini; vt deleantur peccata vestra.

CONCLVSIO est huius adhortationis. q. d. Quoniam igitur tam grandi scelere interfectionis Christi vos teneri videtis: illud vnũ si salui esse vultis, vobis reliquũ est, vt veram agatis pœnitentiam istius & omnium aliorum peccatorũ vestrorum, ac sincere conuertamini, id est, vosipsos cõuertatis (hortatorius enim est sermo, non optatiuus tantum) ad fidẽ in Iesum quẽ abnegastis & occidistis, ad dolorem super peccatis vestris, ad amorem Dei & iustitiæ. *Vt deleantur peccata vestra.* græcè, *in hoc*, seu ad hoc, *obliterari*, extingui, *deleri* peccata vestra. Hoc dicitur ratione maculæ quæ animam inficit, & ei inhæret, postquam actus peccati transiuit. Obseruandus iste locus propter Sectarios, qui per iustificationem non tolli peccata docent, sed remanere, & non imputari hominibus à Deo ad pœnam: quasi scilicet in sola remissione peccatorũ consistat aut cõsistere possit vera iustificatio; aut quasi Deus remittat homini peccata in sordibus manẽti. Remissionis peccatorũ meminit S. Petrus c. præc. v. 38. hîc addit peccatorũ extinctionem seu deletionẽ. Illic, addebat, baptismum esse suscipiendũ: hic baptismi non fit mentio. Vnde intelligimus scripturã non omnibus locis omnia exprimere quæ ad rem aliquam salutarem consequendam vel efficiendam sint necessaria: sed alibi aliud, esseque diuersas scripturas simul iungendas vt totum quod oportet intelligamus.

VERS. 20. Vt cum venerint tempora refrigerij à conspectu Domini, & miserit eum qui (antè) prædicatus est vobis, Iesum Christum.

TOTA hæc sententia pendet à proxime præcedẽte, ostendens fructum veræ pœnitẽtiæ & remissionis peccatorũ, percipi atq; sentiri potissimum in vita futura. *Tempora refrigerij*, sunt sæcula vitæ futuræ: Tunc enim demum iusti sunt in refrigerio, in refocillatione, in quiete, in tranquillitate; non autẽ quamdiu agunt vitam istam mortalẽ. Istud verò refrigerium iustis est *à conspectu Domini*: quoniam beatitudo ipsorũ est in ipsius Dei contemplatione: Ita fit vt Domini facies, quando ipsa illa conspicitur, eos refrigeret planeq; beatificet. Est sciẽdum quod istud (Domini) videtur hoc loco verificari de Deo Patre; propter verba proxime sequentia: sciendum quoque quod vox græca προσώπου quæ hic est pro isto (conspectu), nunc personam significet, nunc faciem: quarum significationum posterior huic loco magis conuenit; tametsi Tertull. de resurrectione carnis c. 23. eligat priorem. Ex quibus simul iunctis patet hæc verba non rectè accipi de facie seu conspectu Christi hominis gloriosa & pijs iucundissima, quoniam scilicet de eodem isto Domino dicuntur sequentia.

ET *miserit eum*] Is autem est Deus Pater, qui in fine mundi mittet Iesum Christum in forma humanitatis gloriosa vt iudicet viuos & mortuos. Significatione hac futuri iudicij, acrius ad pœnitentiam eos hortatur B. Petrus, sicut & infra c. 10. v. 42. Et Paulus Apostolus cap. 17. v. 31.

QVI *prædicatus est vobis*] Græci codices sonant, *qui antea prædicatus est vobis*; illi quidem qui hoc loco legunt προκεκηρυγμένον: Nam sunt nonnulli qui legant προκεχειρισμένον, quod sonat *præparatus*, quomodo est apud S Irenæum 3. v. 12. Per metonomiam significat *prædesignatus*; vt legitur apud Tertull. de resurrectione carnis c. 23. Sensus non multum dissidet. Quod dicitur (*vobis*) dicitur populo Iudaico, non præcise his qui tunc aderant. Nam loquitur B. Petrus de prædicatione & promissione Christi aliquando venturi, quæ facta fuerat sæculis præcedentibus; vt patet v. 22. huius & seqq.

EST autem manifestum sententiam huius versus relinqui imperfectam; deest enim redditio: sed ea quæ esse debeat, facile intelligitur ex propositione ipsius sententiæ; nempe hæc redditio subauditur, *tunc in refrigerio sitis*. q. d. Eos qui ex vobis vestraque gente non suscipiunt fidem Christi, non agunt pœnitentiam; manent sempiterni cruciatus, quantumuis glorientur sese esse filios Abrahæ. Fortassis hanc redditionem B. Petrus reliquit Iudęorum animis supplendam, vt magis incitarentur ad fidem Christi & pœnitentiam. Sæpe enim commouent animos magis ea quæ tacitis cogitationibus auditorum relinquuntur, quam quæ planè exprimuntur.

VERS. 21. Quem oportet quidem cœlum suscipere, vsque in tempora restitutionis omnium quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum à sæculo prophetarum.

OPORTET, pro *oportebat*, dictum est, ait Oecumenius græcus author. δεῖ pro ἔδει. Cuius sententiam si sequamur, vt certè possumus; confirmat enim eam simili exemplo locutionis B. Petri ex 1. epistolæ c. 1. v. 17. magis etiam insolitæ, vbi dixit *accipiens*, pro *accepit*: hanc igitur Oecumenij sententiam si sequamur: tunc huius versus poterit esse sensus iste; Deus quę per os omnium suorum prophetarum de Christo prænunciauerat, nunc demum, temporibus his vestris, impleuit. Oportebat enim vt Christus vnigenitus Dei filius cœlum teneret, nec humanam naturam susciperet, antequam plenitudo temporis à Deo prædefinita venisset. quo quidem tempore restituenda per Iesum hominem factum, erant omnia, quę Deus per sanctos suos omnium pręcedentium sæculorum prophetas, prænunciauerat esse per eum restituenda.

ITAQVE tempora ista *restitutionis*, id est, reparationis, repositionis in pristinum bonum statum, erunt, iuxta hanc expositionem, sæcula noui testamenti, quando reuelatus est Christus, & eius gratia prædicatur omnibus gentibus, atque adeo per omnes gentes diffunditur & salutem hominibus præstat. Etiam Chrysost. altera expositione, sic intelligit. Ait enim, Quem oportet cœlum accipere. Adhuc accipere? Et quare non dixit, Quem cœlum suscepit? Hoc vt de superioribus temporibus differens, dixit. Sic dispensatum est, inquit: sic est constitutum. Congruit ista expositio sequentibus, ibi, *annunciauerunt dies istos*, v. 24. & ibi, *misit eum benedicentem vobis*, v. 26. Item ibi, v. 25. *Vos estis filij prophetarum*. q. d. Vos in primis debetis Christum fide & pœnitentia amplecti, qui estis

estis filij prophetarum illorum quibus hæc vestra tempora olim prędicebantur à Deo; quibus Christus olim promittebatur, qui nunc vobis missus est.

Q V O D autem ista *restitutio* seu reparatio rectè intelligatur facta per priorem Christi aduentum, doceri potest ex euangelio Matt. 17. v. 10. 11. 12. & Marci 9. v. 10. 11. 12. vbi Dominus de Helia dicebat, *Helias venturus est, & restituet omnia: Dico autem vobis quod Helias iam venit, & non cognouerunt eum; sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.* Helias, inquiebat, *restituet omnia*: Quibus verbis vtique Dominus repetiuit quod in Ecclesiastico (c. 40. v. 10.) ad Heliam per apostrophen dicit illius libri author; *Qui scriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini; conuertere cor patris ad filium; & restituere tribus Iacob.* Quod si Heliæ aut Ioanni Baptistæ mystico Heliæ Scriptura tribuit restitutionem istam: multo magis tribuenda est Christo, per incarnationem in mundum venienti. Iuxta hanc expositionem, cum dicitur: *Quem oportebat cœlum suscipere*, accusatiuus (quem) à fronte infinitiui (suscipere) construetur; accusatiuus (cœlum) à tergo. nam & græcè & latinè ambiguum est, vter vtrò debeat per intellectum mitti.

N O N potest tamen reijci communis expositio, qua verbum *oportet* sumitur vt sonat; & ista restitutio omnium quæ restituenda Deus prædixit, accipitur futura in consummatione sæculi: quando Deus suos electos perfectè reparabit, etiam secundum corpus; quando & ipse mundus restituetur in meliorem statum. Etiam Chrys. in iterata exposit. sic intelligit. Iuxta quam expositionem, erit huius versus talis intelligentia; Fuit vobis missus à Deo Patre Christus: sed non vt toto decursu huius nouissimæ mundi ætatis, quod est tempus gratiæ & noui testamenti, ageret nobiscum in terris: sed vt ex morte rediuiuus ascenderet in cœlum, sederetque illic ad dexteram Patris; ac è cœlo mitteret varia Spiritus sancti dona, Ecclesiæ ipsius ędificandæ, propagandæ, conseruandæ, gubernandæ, protegendæ necessaria. Id quod facturus est, & in cœlo corporaliter mansurus, vsque ad diem vniuersalis iudicij; quando corporaliter inde descendet conspicuus omnibus, finem impositurus cursui huius mundi, perfecteque repositurus in statum optimum suos electos.

A M B I G V V M est, tam græce quam latinè, quum dicitur, *Quem oportet cœlum suscipere*, vter accusatiuus regatur à fronte infinitiui, vter à tergo: sed conuenientius est vt istud (quem) intelligatur à tergo; iuxta istam communem expositionem; vt sensus sit: Oportet quod cœlum suscipiat Christum vsque ad &c. Probat hunc sensum esse meliorem Bellar. lib. 3. de Christo c. 12. in responsione ad primam Illyrici.

S E D iam duæ exoriuntur obiectiones ex hoc loco, iuxta communem expositionem intellecto. Prior, Christum igitur postquam ascendit in cœlum, nunquam corporaliter in terris fuisse, aut futurum, ante mundi consummationem. Cui obiectioni Guilhel. Estius oratione theologica sua 12. satis respondit.

A L T E R A obiectio est Caluinistarum, qui hoc loco abutuntur vt ex Eucharistiæ sacramento Christum auferant. &, vt fucum addant suæ obiectioni, ipsa verba prauè vertunt in linguam vulgarem; hoc modo, *Oportet vt cœlum ipsum contineat. Lequel il faut que le ciel contienne;* vt nos vidimus in nouo testamen-

 to im-

to impresso Rupellæ, 1591. Fecit olim ex hoc loco eandem obiectionem Berengarius, quum tandem in Caluinianam hæresim deflexisset, prius Lutheranus. Testis Guimundus lib. 2. contra eundem Berengarium. Ipse his verbis Berengario respondet; Nos credebamus, Christum in cœlo regnare; Iste vero ita incarcerari, vt etiamsi velit, corporaliter, vsque in finem miseras non possit terras videre. Et August. lib. de ciuit. Dei (22 c. vltimo) dicit vnumquemque sanctorum ad tantam gloriam peruenturum, vt vbicunque volet suus spiritus, continuo sit & corpus. At Berengarius asserit Christum ad tantam impotentiam deuenisse, vt qui de terra suum corpus eleuauit ad cœlum; non possit illud, vsque in finem, vel ad horam reddere terris. Hæc Guimundus: quæ tamen priori obiectioni confutandæ potius seruiunt.

Posteriori autem obiectioni illa potius seruiunt, quæ paulo post subiicit idem author, hæc: Absit hoc à christianorum prudentia, vt sic dicamus Christum in terris sacrificari vel manducari, vt interim necessario deserat cœlos. Ipse namque in cælis totus est, dum totum corpus eius vere manducatur in terris. Quod non esse habendum incredibile; ex virtute diuinæ potentiæ, & ex supradictis exemplis, scilicet vocis & animæ, satis facile comprobari potest. Ita Guimundus. Ex quibus facillime soluitur Caluinistarum obiectio. Dicimus enim male concludi, Christum non esse realiter in sacramento, quod eodem tempore sit in cœlo: nec eam consequentiam vnquam probabunt Caluinistæ. Impertinens est huic obiectioni illa quæstio, An vnum corpus possit eodem tempore esse in diuersis locis, circumscriptiuè; quod S. Thom. negat, alij boni scholastici admittunt: ad veritatem enim Eucharistiæ sufficit, posse esse corpus in vno loco circumscriptiue; in alio, vel alijs pluribus sacramentaliter.

Vsque *in tempora restitutionis omnium quæ locutus est Deus.* Relatiuum (*quæ*) sunt qui ad istud (*omnium*) referri negent, referentes ad istud (*tempora*): mirum qua ratione moti. Nam Chrysost. manifestè refert ad proximum illud, *omnium*; expositione priore. Neque quicquam habet incommodi sententia ritè intellecta. Vult enim, Christum restituturum omnia, quæ restituenda esse Deus prædixit per omnes suos ab initio mundi prophetas: siue ea restitutio iam facta sit & fiat adhuc per priorem Christi aduentum (quæ est prior huius v. expositio, magis quadrans sequentibus) siue facienda sit posthac aduentu eius posteriore, in consummatione sæculi. Quod dixit B. Petrus generatim de prophetis omnibus; deinceps explicat enumeratione particulari; incipiens à Moyse, quem Iudæi in maxima habebant auhoritate; & merito.

Vers. 22. Moyses quidem dixit, quoniam &c.

Locus est Deuterom. 18. quem B. Petrus apostolica scientia & authoritate de Iesu Nazareno interpretatur; eumque à Moyse fuisse prænunciatum, tanquam Messiam Domini, sua interpretatione Iudæos docet.

Prophetam *suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris. Suscitabit.*] Non significatur hic resuscitatio ex morte; sed sensus est, *stare* vel *oriri*

oriri faciet, constituet; vt sæpe alibi in scripturis. Illud dicitur ad exponendum quæ sint *tempora restitutionis*; nempe quando Messias veniet è cœlo per incarnationē. *Vobis*] quia primo ad Iudæos missus est Christus; imo in solis Iudæorum terris ipse per se solebat annunciare regnum Dei. *Non sum missus*, inquiebat, *nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Mat. 15. Atque adeo quo tempore hic in terris versabatur, ne discipulos quidem suos permittebat apud alios prædicare quam apud Iudæos; cum diceret; *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad perditas oues domus Israel.* Matth. 10.

D E *fratribus vestris*] hoc est, ex vestris consanguineis. Promittebatur enim Christus nasciturus ex ipsa gente Israelitica: & idcirco euangelistæ Matt. & Lucas genealogiam Domini Iesu texuerunt; vt ostenderent eum esse ex posteritate Abrahæ, Isaac & Iacob; & inter filios Iacob ex posteris Iudæ patriarchæ, & Dauidis.

T A N Q V A M *me*: Istam clausulam esse iungendam præcedentibus, liquet ex Deuter 18. v. 15. & 18. Significatur non æqualitas, sed similitudo, sicut & ibi exprimitur: similitudo autem, in officio, in actionibus, & in passionibus, ac tribulationibus. Vbi latus campus aperitur collationi Christi Domini cū Moyse, tam in munere seu præfectura, & operibus varijs; quā in his quæ vterque passus est; idque non tantū ab externis, sed etiam ab ipsis Iudeis. Sed hæc collatio ita faciēda est, vt semper meminerimus Moysen fuisse tantum figuram quādam Christi, fuisse ministrum Dei dumtaxat: quum Christus sit ipsa veritas, sit filius Dei. De qua inæqualitate Apostolus ad Hebr. c. 3. Qui multiplicem illam comparationem videre desiderat, legere poterit Eusebium demonstrationis Euangelicæ lib. 3. c. 2. bene prolixo; & Oecumenium in comment. huius loci.

I P S V M *audietis* (Id est, audite) *iuxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis.* Auditur Christus quando ei obeditur in his quæ iubet aut vetat.

V E R S. 23. Erit autem; omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de (ex) plebe.

HOc ad sensum potius quam ad verbum citat B. Petrus ex illo c. 18. Deuteron. v. 19. Nam pro eo quod hic habemus *exterminabitur è plebe*, in heb. & apud 70. illic est, *ego vltor existam.* Vnde intelligimus notari exterminium sempiternū eius qui incredulus vel inobediens fuerit Christo. Nam sic demum Deus vindictam de illo sumet: sicut ipse Dominus dicebat Iudæis, Ioannis 8. v. 24. *Si non credideritis quod ego sum: moriemini in peccatis vestris.* & Ioan. 3. in fine, *Qui incredulus est filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Porro illam Moysi prophetiam propriè & germano sensu litterali esse de Christo accipiendam; vel sola hæc B. Petri interpretatio nobis debet sufficere. Sed nihilominus idem probatur ex verbis Domini Salvatoris Ioan. 5. v. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi: de me enim ille scripsit.* Non est autem locus euidentior in libris Moysi de Christo. Vnde & Nathanaeli dicebat Philippus, Ioan. 1. *Quem scripsit Moyses in lege, inuenimus Iesum filium Ioseph. à Nazareth.*

Nazareth. Ipse etiam populus Iudaicus eum prophetam quem verbis illis Deus per Moysen prædixerat venturum, intelligebat esse Messiam. Vnde dicebant & plebeij homines, visis Christi miraculis; *Hic est vere ille propheta qui venturus est in mundum.* Ioan. 6. v. 14. Accedit, quod sicut per Moysen, in verbis recitatis, iubebat Dominus illum prophetam audiri: sic, iisdem verbis Pater cælestis iussit nos Iesum ipsum audire; iussit, his verbis nimirum, in eius transfiguratione; *Hic est filius meus dilectus: ipsum audite.*

VERS. 24. Et omnes prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt; & annunciauerunt dies istos.

QVASI dicat, Non solus Moyses ea quæ his vestris temporibus partim iam euenerunt, partim eueniunt quotidie, & euentura sunt post hac, prædixit; sed & cæteri prophetæ post eum, à Samuele nimirum & deinceps.

VBI statim occurrit quæstio, Vbi extet Samuelis prophetia de Christo, & rebus per eum gerendis. Responderi potest bifariam: Priore modo, quod verba B. Petri non necessario sic capiuntur vt significent Samuelem fuisse in numero prophetarum eorum qui de Christo prænunciauerint: sed possunt sic accipi, Omnes prophetæ qui fuerunt à tempore Samuelis deinceps, & prælocuti sunt res futuras; etiam annunciauerunt ista nostra tempora quibus exhibitus est Saluator.

SECVNDO potest responderi, quod etiam si non extet scripto vlla Samuelis de Christi temporibus prophetia; tamen viua voce prænunciauerit ea quę Christus esset facturus & passurus. Nec enim verisimile est tantum prophetam illa ignorasse: non etiam verisimile, ea quæ de Christo præsciebat, nullis alijs saltem sermone, declarasse ac reuelasse. Prior responsio conformis est his quæ V. Beda ad hunc locum dixit, his verbis: Quamuis patriarchæ & sancti priorum temporum de Christo, dictis factisque prophetauerint: tempus tamen proprie prophetarum, eorum dico, qui de Christi Ecclesiæque mysterio *manifeste* scripserunt, à Samuele (sub quo & Regum in Iudæa, tempora cœperunt) exordium sumpsit, & vsque ad Babylonicæ captiuitatis solutionem permansit. Ita Beda; & concordant quę S. Thom. habet 2. sec. q. 174. a. 6. Propheticas reuelationes quanto fuerunt propinquiores aduentui Christi, tanto fuisse manifestiores & pleniores de hoc ipso mysterio.

VERS. 25. Vos estis filij prophetarum, & testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros; dicens ad Abraham,

QVÆ S. Petrus à v. 19. hucusque dixit, & dicet vsque ad finem capitis, ideo dicta sunt vt istos Iudæos qui Christum interfecerant, auerteret à desperatione salutis, & ad fidem ipsius amplectendam, incitaret. Argumentum

eo pertinens attulit, ductum ex necessario; periturum scilicet in æternum qui fidem de Iesu Nazareno quod ipse sit Messias Domini, non receperit: eo quod ipse, & non alius, sit ille Messias à Deo quondam promissus, & prænunciatus per Moysen & alios sanctos prophetas. Addit nunc argumenta alia, ducta ex honesto seu decoro. Vnum, *Vos estis filij prophetarum*, Id est, Estis discipuli prophetarum, profitemini vos credere prophetis: Atqui prophetæ omnes prænunciauerunt hunc Iesum Nazarenum fore Messiam; idque vobis Deus declarauit per ea omnia quæ ipse gessit, fecit & passus est. Debetis igitur Iesum agnoscere esse Christum Domini; alioqui aduersatuti prophetis, quorum vos profitemini discipulos dociles & obsequentes. Non est nouum *filios* vocari discipulos in sacris litteris. Ita vocantur filij prophetarum 4. Reg. 2. bis terue. & c. 4. v. 38. Et hoc verificatur de populo Israelitico ratione potissimum eorum qui ex illo populo erant doctiores sacrarum litterarum; tanquam prophetarum scripturis velut nutriti. Quorundam prophetarum isti erant filij, etiam secundum carnem: vt Abrahæ, Isaac, Iacob.

ALIVD argumentum addit B. Petrus, *Vos estis filij testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros.* Sensus, Illius promissionis & constitutionis qua nostris patribus Deus quondam promisit & constituit, dare salutem omnibus gentibus per Christum suum: illius (inquam) promissionis, seu rei tantæ illis promissæ, & veluti testamento legatæ, vos debetis esse hæredes; vos vel in primis operam dare debetis vt sitis participes; vtpote qui patribus illis quibus promissio olim facta fuit, succeditis non tantum religione qua vnicum verum Deum colitis, sed etiam propagine corporali, qua vos estis illorum secundum carnem filij. Interpretatio habetur ex Chrysostom. & Oecumenio.

QVID vero Deus apud Patres velut testamento constituerit, deinde exponit Petrus Apostolus, dum addit; *Dicens ad Abraham, Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Itaque quod Deus promisit ipsi Abrahæ, quod iam olim constituit, & velut testamento, per mortem Redemptoris obuenturum, legauit; est spiritualis benedictio omnium gentium, ipsis danda à Deo Patre per meritum passionis & mortis Domini Iesu, qui est semen Abrahæ. Hæc spiritualis *benedictio*, id est, beneficium spirituale (nam benedicere cum Deo attribuitur, benefacere est; cui non differunt dicere & facere) consistit in eo quod Deus dat hominibus fidem, spem, dilectionem iustitiæ, pœnitentiam, veniam, obedientiam mandatorum diuinorum, perseuerantiam in bono, vitam æternam. Hæc istius diuinæ promissionis & constitutionis explicatio, est apud Apostolum Gal. 3. v. 8. 15. 16. vt non sit requirenda alia, petita ex Glossis Rabinorum vel aliunde. Extat autem promissio hæc Gen. 22. v. 17. *Omnes familiæ terræ.* Siue dicatur omnes gentes terræ, omnes nationes, omnes tribus, omnes familiæ terræ; idem sensus est; scilicet non Iudæos tantum, sed & quasuis alias nationes ab Israelitis diuersas esse benedicendas per Christum. Ita requirit hæc vniuersalis locutio; ita exponit Apostolus Paulus, loco allegato Gal. 3. Tum subdit B. Petrus.

VERS. 26. Vobis primum Deus suscitans filium suum; misit eum benedicentem vobis, vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua.

QVIBVS in verbis sanctus Apostolus dum ait, *suscitans vobis filium suum*; resumit verba quæ ex Deuter. citauerat, & applicat ea Iesu Nazareno: dum autem ait, *benedicentem vobis*; resumit verba proxime nunc citata ex Gen. 22. & eidem Domino Iesu attribuit. Sensus itaque est; Quum Deus prophetam illum olim per Moysen vobis promissum, exhibere seu præstare vellet; excitauit vobis non vulgarem aliquem prophetam, sed filium suum: & quamuis iuxta promissionem Dei factam Abrahæ, sint per illum ipsius filium benedicendæ omnes nationes totius orbis terrarum: tamen primò omnium ad vos filium suum Deus misit, qui per se & per suos Apostolos vobis, ante alias omnes nationes, annunciaret salutem; imo benediceret præstando salutem. Conferantur dicta ad v. 22. Vbi expenditur illud (*vobis.*) Quare vos à Deo hac prærogatiua cohonestati, præ cæteris omnibus fidem Iesu Christi obuijs vlnis amplecti debetis; si vel tenuiter diuinæ erga vos dignationi vultis respondere.

IN quo autem posita sit hæc benedictio quam per Christum Deus Iudæis attulit, primis ante alias nationes; Apostolus Petrus hîc ex parte declarat, dum priores illius benedictionis partes (sunt enim complures, vt liquet ex proxime dictis ad finem v. 25.) commemorat, fidem, pœnitentiam, & emendationem vitæ. *Vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua.* Conuertit peccator seipsum ab amore peccati ad peccati detestationem & iustitiæ amorem: sed hoc non facit nisi Deo ipsi per Christum benedicente, id est beneficium præstante, illam ipsam scilicet animi conuersionem. Nam Deus principaliter hominem conuertit; homo enim non conuertit seipsum nisi Deo faciente vt sese cõuertat. sicut legitur Ier. 31. v. 18. *Conuerte me; & conuertar: quia tu Dominus Deus meus.* quod in originali scriptura ita sonat, *Conuerti me fac; & conuertar: quia tu Dominus Deus meus.* Tum sequitur ibidem, *Postquam enim conuertisti me; egi pœnitentiam.* Græca quidem huius loci ita sonant ad verbum; *in hoc, auertis vnumquemque à malitijs vestris*: id quod potest bifariam reddi; vno modo quo noster Interpres, sic, *In hoc, vt auertat se vnusquisque* &c. altero modo sic, *In hoc, seu hac in re, vt ipse auertat vnumquemque* &c. Et fortassis iste posterior modus est præferendus, vt aperte exprimatur benedictio qua Christus benedicit ijs quos vocare dignatur. De benedictione enim illa agitur, qua per Iesum Deus benedicit etiam incredulis & peccatoribus, eos conuertendo.

ARGV-

ARGVMENTVM.

CAPITIS IV.


POSTOLI Petrus & Ioannes abrepti ex porticu Salomonis, includuntur custodiæ; postero die adducti in frequentem primorum Iudaicorum consessum, libertime profitentur fidem Christi; dimittuntur cum minaci interdicto ne deinceps Iesum Nazarenum prædicent vt Christum Domini. Redeunt ad coapostolos: omnes simul Deum orant pro fiducia euangelizandi Iesum Christum, & pro miraculorum patratione quibus hæc euangelica prædicatio confirmetur, atque animos permoueat: exaudiuntur. Describitur primorum Ierosolymæ christianorum concordia in fide, in charitate, in exteriorum bonorum communione.

VERS. I. Loquentibus autem illis, Petro & Ioanne:

AD *populum*, Iudaicum, nondum fidem Christi tenentem; sed rumore miraculi in porticum Salomonis magno numero congregatum Loquebantur autem ea quę iam recitata sunt summatim à v. 12. capitis præcedentis.

SVPERVENERVNT *sacerdotes, & magistratus templi, & Sadducæi. Superuenerunt*] illic scilicet in ipsa porticu Salomonis, coram tota multitudine, atque eo fine vt populum perterrefacerent, & à fide Christi auerterent, videntem istos Apostolos ignominiosè comprahendi & abduci. Sed plane contrarium accidit, vt dicetur v. 4. *Sacerdotes*] siue illic forte præsentes propter sacrificium vespertinum in templo; siue potius ex condicto, vna cum potestate laica, de improuiso irruentes. *Et magistratus templi.*] Pro illo (*Magistratus*) græce est ὁ στρατηγὸς. Vnde liquet istud nostrum (*Magistratus*) esse singulare, & de vno quopiam homine dici, nec esse hîc vocabulum collectiuum; vt nec græcum *strategus*. Quod vocabulum græcum quamuis propriè sit militare nomen, significetque ducem militum: tamen transfertur vt significet cum etiam qui præest politiæ & regimini ciuili, vt tam late pateat quam latinis *Magistratus*. Hoc doceri potest ex huius lib. c. 16. v. 20. 22. 35. 36. 38. Atque ita, *Magistratus templi* dicitur Is cui potestas publica erat curandi ne quid accideret templo, ac ne quid fieret in templo secus quam deceret. Erat ei commissa templi tutela. Quam ad rem haud dubie erat ei satellitium adiunctum, quo pro ratione officij sui vteretur. Vnde V. Beda, ait hoc loco in alia quadam editione latina haberi; Prætor templi. Erant autem plures eiusmodi *strategi*, vt liquet ex Lucæ 22, v. 52. siue vicibus quibusdam (quod verisimilius est) siue vno eodemque tempore hoc suum officium exequerentur. Horum igitur templi strategorum seu prætorum vnus quispiam cum suo satellitio, nunc sese iungit sacerdotum turbæ, & ex improuiso irruit in apostolos. *Et Sadducæi:*] Horum mentio est Matt. 22. vbi de illis dicitur quod negant resurrectionem mortuorum: & huius libri c. 23. v. 8. additur quod

O 2 neque

neque angelum neque spiritum esse concedunt. Erant igitur manifesti hæretici, sub Iudaismo, isti Sadducæi.

VERS. 2. Dolentes quod docerent populum. Hoc ad omnes iam commemoratos pertinet: Et annunciarent in Iesu resurrectionem ex mortuis;

HOc proprie pertinet ad Sadducæos, propter causam dictam. Sacerdotes alij à Sadducæis dolebant quod docerent populum Iesum esse Christum quem ipsi repulerant: Prætores templi ægrè ferebant, eos in templo aut porticibus templi docere; cuius & quarum ipsi curam habebant, ne quid illic gereretur illicitum.

In Iesu resurrectionem mortuorum.] id est, de Iesu quod resurrexisset ex morte, & quod per eum eiusque exemplo nos quoque sumus resurrecturi. De Christi resurrectione aperte fuerat locutus S. Petrus v. 15. cap. præcedentis. De resurrectione generali aliorum potest accipi quod dixit v. 21. de restitutione omnium prædictorum à prophetis. Ac præterea, non tota concio B. Petri est descripta à S. Luca, sed summa dumtaxat. Fuisse prolixiorem, patet ex v. proxime hîc sequente, vnde intelligitur durasse vsque ad vesperam, ab hora pene tertia.

VERS. 3. Et iniecerunt in eos manus.

VIDETVR ex v. 9. 10. & 14. huius cap. quod etiam in hominem qui sanatus fuerat manus iniecerint. Nam postridie in magno Iudæorum conuentu astabat Apostolis Petro & Ioanni eo productis ex custodia. Nam, vt hîc sequitur, *Et posuerunt eos in custodiam, in crastinum. Erat enim iam vespera.* Quasi dicatur; Quia iam vespera erat, non potuit illo die conuentus haberi primorum Iudæorum: ideoque incluserunt Apostolos custodiæ, sistendos postero die magno conuentui.

VERS. 4. Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia.

CREDIDERVNT] scilicet Iesum Nazarenum esse Christum; & consequenter quæ is docuit esse tenenda; quæ præcepit esse facienda. Quare non dubium, hos omnes necessaria pœnitentia præuia fuisse baptizatos; licet id hîc non peculiariter exprimatur; sicut fuit expressum de alijs, c. 2. v. 41. Crediderunt hi magno numero, non obstante eo quod suos doctores viderent abripi in custodiam. Mouebat enim eos magis, prædicatio eorum; confirmata tanto miraculo. Mouebat item constantia, ait Chrys. quam in his apostolis conspiciebant dum comprehenderentur: sed præ his omnibus mouebat & valebat speciale Dei auxilium, præueniens humanam voluntatem, quo ad fidem Christi fortiter & suauiter flectebantur. Vides manifeste diuinam efficaciam; inquiunt Chrys. & Oecum.

ET

ET *factus est numerus virorum quinque millia.* Quod cap. 2. v. 41. fuit additum, *circiter*; etiam hic græcus codex addit, ὡσεί: sed quoniam communi loquendi consuetudine talis particula facile subauditur, in exprimendo præsertim numero aliquo maiore; idcirco noster Interpres hic omittit.

Est hoc loco quæstio, An in his quinque millibus comprehendantur illa tria millia, de quibus v. illo 41. cap. 2, an vero sint separatim intelligenda hæc quinque millia virorum. Sunt authores & rationes pro vtraque parte: sed videntur prævalere qui sunt pro posteriore. Chrys. st. sane plures tradit fuisse conuersos hac concione B. Petri, quam illa quam habuit die Pentecostes. Idem habetur ex hom. 11 in Morali. Pro eadem sententia est August. tract. 39. in Ioannem. & reuera B. Lucæ verba satis aperte præ se ferunt illum loqui de his demum qui ista B. Petri concione sunt diuinitus ad fidem Christi conuersi.

IN contraria opinione videtur esse Arator ecclesiæ Romanæ subdiaconus, qui Acta apostolorum carmine heroico vertit, tempore Vigilij Papæ, & alij nonnulli quos sine nomine commemorat Liranus, ipse contrarium tenens. Ratio vna potest pro hac opinione adferri, quod die pentecostes grandi miraculo tota quasi ciuitas Ierusalem esset conuocata in vnum locum: hic autem fuerint congregari longe pauciores, eo quod sanitas miraculosa huius claudi non confestim tota ciuitate esset nota, sed conuenerint ad hanc B. Petri concionem ij demum qui in vicino habitantes rumorem statim acceperant. Ita videri pauciores conuersos hac concione quam illa habita die Pentecostes. Responderi potest, in euangelio legi quod Dominus septem panibus satiauerit quatuor hominum milia: quinque autem panibus, quinque milia virorum, exceptis mulieribus & paruulis. Illic collegerunt Apostoli septem cophinos fragmentorum: hic vero duodecim. Marci 6. v. 41. 42 c. 8. v. 6. 7. 8. 19. 20. Et tamen contrà potius oportebat; si ratiunculas sequeremur. Ita etiam in proposito. nihil mirum si hac concione B. Petri plures sint conuersi, quam die Pentecostes; Deo volente fortassis significare quod persequutionibus ecclesia non diminuitur sed augetur. Nam hic quidem B. Petrus & Ioannes ex ipsa concione abripiuntur in carcerem; illic, scilicet die Pentecostes, nihil tale acciderat Apostolis. Accedebat quòd post diem Pentecostes erat magnopere aucta Apostolorum gratia & authoritas, nec non reuerentia & metus; per crebra miracula quæ Deus per ipsos operabatur: vt dictum fuit c. 2. v. 43. & repetitur idem de tempore subsequuto, v. 33 huius & cap. 5. v. 12.

VERS. 5. Factum est autem, in crastinum vt congregarentur principes eorum, & seniores, & scribæ, in Ierusalem:

VERS. 6. Et Annas princeps sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali.

PRINCIPES *eorum*] Principes Iudæorum, principes populi iudaici, siue essent principes sacerdotum siue primates in regimine ciuili. Tam generaliter

raliter enim videtur accipi hoc loco, vt cap. 3. v. 17. Sequentia autem videntur per partium enumerationem explicare quod hîc semel dictum est, *Principes*. quod ex lectione græca magis videtur apparere, vbi articuli absunt à sequentibus duobus nominibus, tanquam sufficiat semel positus articulus ad nomen *principum*. Nam ita sonant græca. Euenit autem, in crastinum congregari eorum Principes & Seniores & Scribas.

ET *Seniores*, ϰ πρεσβυτέρους. Quoniam hoc loco videtur describi à S. Luca conuentus Concilij Iudaici magni quod græcè συνέδριον dicebatur (Thalmudici Rabbini vocant Sanedrin, græcæ vocis vestigijs:) per illos *seniores* videntur intelligi illi 72. Senatores ex omnibus tribubus Israel selecti (siue pari siue impari ex tribubus numero) qui cum authoritate (subordinata tamen summo Sacerdoti, aut Regi, vel Iudici generali) essent magistri populi; ad subleuandum onus gubernationis; instituti à Deo Num. 11. v. 16. 17. Simile quid prius fecerat Moyses consilio soceri sui Exod. 18. v. 17. & seqq. vsque ad finem cap. Hi vocabantur *presbyteri*, id est, *Seniores*; quod instar senum prudentia & morum grauitate pollerent aut pollere existimarentur ab his qui eos deligebant: sicut apud Romanos *Senatus* & *Senatores* eadem ex causa dicebantur; illo accedente quod prima eorum institutione sint delecti qui etiam ętate seniores essent, valentes experientia & tranquillitate morum compositi; vt patet ex illo loco Numerorum. Vnde successoribus quoque, illis etiam qui nondum senectutem attigerant, idem nomen, tametsi ab ætate originatum, mansit. Simili quadam ratione apud Teutones, parentes cuiusque vocantur *seniores ipsius*; *syn ouders*; etiamsi à senectute adhuc longe absint. Dicuntur & in Rebusp. *Maiores*; *Les Maieurs*, gallicè; *den Meyer, den Meyr*, teutonice. Et *Seniores* in lingua Italica, hispanica, gallica, vocantur Toparchę locorum maiorum, vel qui maioris sunt authoritatis: sicut qui minorum, *Sieurs*.

ET *scribæ*, ϰ γραμματεῖς. Hi apud Iudæos vocabantur ij, qui legis per Moysen traditæ, ac reliquæ sacræ scripturæ habebant intelligentiam præ cęteris hominibus: ex quacumque demum tribu Israel essent. Vocantur passim in euangelio *Legisperiti, Legisdoctores. Legisperiti* nomen est Lucæ 7. v. 30. c. 10. v. 25. c. 11. v. 45. 46. 52. 53. c. 14. v. 3. vbi græcè est νομικὸς, omnibus locis: excepto postremo. ibi est idem quod hîc, γραμματεῖς; sed eodem significatu, quo νομικὸς, vt patet ex præcedentibus eodem cap. Idem liquet ex Lucæ 5. v. 17. collato cum v. 21. *Legisdoctor* est Matth. 22. v. 35. græce νομικὸς. Item Lucæ 5. v. 17. huius libri c. 5. v. 34. Quod autem ij essent scribæ quos diximus; doceri potest ex alijs locis scripturæ Matth. 13. v. 52. c. 17. v. 10. cap. 20. v. 18. c. 23. v. 2. 34. Imo ex Leuit. 10. vv. 9. 10. 11. Nam quamuis ex qualibet tribu fuisse videntur; tamen maximam partem ex tribu Leui fuisse probabile est, ex illo loco Leuitici collato cum Malachiæ cap. 2. v. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam; & legem requirent ex ore eius.* An ijdem fuerint Iudæorum *Scribæ* & *Pharisæi*, siquis rogauerit; dicendum est, non fuisse eosdem, nisi per accidens. fuisse scribas qui non essent Pharisæi; fuisse Pharisæos qui non essent scribæ; fuisse nonnullos qui vtrique essent. Atque ita nihil miri quod sæpe in euangelio tanquam distincti ponantur scribæ & Pharisæi: interdum vt ijdem.

Huius

Huius exemplum est Matt. 22. v. 41. collato cum Marci 12. v. 35. Sicut se habent etiam hæc duo: *Pharisæus, & sacerdos Iudaicus; Pharisæus, & Leuita Iudaicus.* Confer Ioannis 1. v. 19. collato cum v. 24.

In *Ierusalem.* Græce εἰς Ἱερουσαλήμ. Vnde liquet, nobis istud *Ierusalem* esse quarti casus, ac significari quod ex his Iudæorum primatibus (qui extra ciuitatem haud procul aberant, vel in locis vicinis aut suburbanis habitabant, fuerint omnes vocati Ierosolymam, vt magno illi concilio interessent. Porro inter principes Iudaicos eminebant ij qui deinceps nominatim recensentur.

VERS. 6. Annas princeps sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander; & quotquot erant de genere sacerdotali.

TEMPORE passionis Christi, summus Iudaicus pontifex erat Caiphas, vt notum est ex historia euangelica: oportet igitur tempore inter passionem Domini & inter ea quæ nunc aguntur, medio, fuisse expletum annum pontificatus Caiphæ, & vices nunc fuisse Annæ, soceri ipsius. Alternis enim annis aliquandiu hi duo summum pontificatum gerebant; vt colligitur ex Lucæ 3. v. 2. collato cum Ioannis 11. v. 51. Fiebat id contra legem, qua summum sacerdotium erat perpetuum vsque ad mortem pontificis (Num 35. v. 25. Iosue 20. v. 6.) & permanere debebat (Num. 20. in fine c. 25. v. 13. Iosue vlt. in fine collato cum Iudicum 20. v. 28.) in familia Eleazari prioris filij Aaronis, postquam scilicet duo primi erant occisi à Domino propter ignem alienum illatum tabernaculo ad thymiama. Num. 10.

SED postquam externi reges, vel Respublicæ dominatæ sunt Iudæis; ij temporarios præfecerunt pontifices, ex posteritate quidem Aaronis, sed viliores, aut eos qui largitionibus alios superabant. Hoc factum quo tempore Reges Syriæ dominatu suo oppresserunt Iudæam; Deinde, interposito tempore quo Assamonæi ducentes genus paternum ab Aarone, maternum vero ex tribu Iuda, sacerdotio & reipublicæ præfuerunt; Herodes magnus, & post eum Romani, idem fecerunt quod fecerant Reges Syriæ, & annuum quodammodo vendiderunt pontificatum. *Et Caiphas.*] Is de quo dictum est, genero Annæ, Ioannis 18. v. 13. *Et Ioannes.*] Creditur fuisse vnus quinque filiorum Annæ, quos omnes ille viderit gerentes summum Pontificatum. *Et Alexander.* Creditur is fuisse cuius Iosephus meminit Antiquit. lib. 20. c. 3. *Et quotquot erant de genere sacerdotali.* Pro illo sacerdotali, græce est ἀρχιερατικοῦ vt sensus sit; *Et quotquot erant ex genere principum sacerdotum*: Quo loco non est necesse per Principes sacerdotum intelligi summos pontifices Iudæorum; sed rectè accipiuntur ij qui sæpe in euangelio principes sacerdotum dicuntur, Capita videlicet illarum viginti quatuor familiarum sacerdotalium, de quibus familijs seu classibus est. 1. Paralipomen. 24. Erant earum sexdecim ex posteris Eleazari prioris filij Aaronis; octo reliquæ ex posteris Ithamar, filij posterioris. Fit mentio talium principum sacerdotum sæpe in euangelio; veluti Matth. 2. v. 4. c. 16.

c. 16. v. 21. cap. 20. v. 18. cap. 21. v. 15. cap. 26. v. 3. 47. 59. cap. 27. v. 1. 3. 12. 41. & alibi sæpissime.

Ex his quæ hactenus dicta sunt his duobus versibus satis liquet frequentissimum fuisse hunc consessum procerum Iudaicorum, partim ex sacerdotali, partim ex politico ordine: adeo vt ipsa multitudo tot magnatum Apostolos hos duos vel aspectu solo concutere potuisset; nisi maiore Spiritus sancti robore firmati fuissent; qua de re sunt sequentia.

VERS. 7. Et statuentes eos in medio, interrogabant; In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?

STATVENTES *in medio*.] totius consessus magni, vt tali etiam modo timorem vulgaribus istis, vt credebant, hominibus incuterent. *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Hæc interrogatio terminis generalibus proposita, non vno modo intelligi potest; fortassis studio illaqueandi Petrum & Ioannem, ita generalibus & ambiguis verbis concepta. Nam vno modo potest hic esse sensus; Hoc quod fecistis id virtute seu potentia vestra ipsorum fecistis, an aliena? Quod si aliena: cuius tandem alienæ potentiæ inuocatione, id fecistis? Hoc enim valet istud *in quo nomine*: vt prius expositum fuit. Nam in illius nomine, hebraismo dicitur aliquid fieri, cuius potentia inuocata palamque professa, ipsum fit. Repetantur quæ sunt dicta ad c. 3. v. 6. Altero modo potest esse sensus; Ea potentia qua hoc fecistis, qualis tandem est ex Deo, an à Satana? seu, Virtus illa aliena cuius inuocatione hoc fecistis, est diuina, an magica, & innixa contubernio diaboli? Hæc expositio posterior sumitur ex græca voce quæ pro nostro (*quo*) duobus his locis legitur, ποίῳ, quæ non minus valet *qualis*, quam, *quis*. Congruit etiam ista posterior expositio moribus eorum qui hanc faciunt interrogationem; nempe Iudæorum nonnulli adeo peruersi erant vt miracula ipsius Christi Domini ascriberent principi tenebrarum. Erat eorum illa vox, *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia*. Luc. 11. & illa, *Samaritanus es tu, & dæmonium habes*. Ioan. 8.

INTERROGABANT.] Non poterant ignorare in quo nomine hi Apostoli istud fecissent. dixerant enim disertis ac claris verbis, *In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula*. Deinde, populum qui huius miraculi occasione confluxerat ad porticum Salomonis Petrus Apostolus palam docuerat quòd in nomine Iesu Christi Nazareni, quem ipsi interfecerant, hic claudus esset subito sanatus. supra c. 3. v. 6. & v. 12. cum aliquot seqq. Quorsum igitur interrogant? Respondet Chrysost. & ex eo Oecumenius, quod istos duos Apostolos, tenuis conditionis homines in medio tot magnatum collocatos, sic interrogauerint, cogitantes quod præ timore forent negaturi ipsorum ministerio hoc opus esse factum; atque ita via aperienda foret istis magnatibus obscurandi hoc miraculum, aut saltem obscurandi nomen Iesu, ac negandi quod ipsius inuocatione tantum opus esset patratum. Verùm longe aliter euenit atque hi miseri & impij atque ambitiosi primores expectauerant. Nam.

VERS.

VERS. 8. Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos:

REPLETVS *Spiritu S.*] id est, nouo præsenteque spiritus S. instinctu & & robore impulsus ac roboratus. Speciali enim Dei auxilio opus erat Petro & Ioanni vt sapienter & intrepide responderent istis proceribus tanto numero & pompa illic congregatis. Nimirum vt Chrysost. admonet, etiam hic exemplum est de Christi Domini promissione effectui demandata, illa qua dixerat Matt. 10. v. 19. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini; sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Et Lucæ 21. v. 15. *Ponite in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiã cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.*

PRINCIPES *populi & Seniores Israel.* Istud *Israel* est in melioribus libris latinis, vt in græcis. Minoris notæ sunt ij libri latini, qui hic addunt verbum *audite*. Quod tamen etsi non exprimatur, subauditur vtique in hoc genere sermonis.

VERS. 9. Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est:

SI.] Quia, quandoquidem; vt sæpe alias. *Dijudicamur*] ἀνακρινόμεθα. Iuridicè examinamur, Iudicij forma interrogamur, coram vobis tanquam Iudicibus sistimur, & quæstione agitamur. *In benefacto hominis infirmi.* græcè ἐπὶ εὐεργεσίᾳ. q. d. Examinamur non super scelere aliquo, sed super beneficio collato in hominem tot iam annos infirmum, claudum ab vtero matris. *In quo iste saluus factus est*] Hoc est, per quem, per cuius virtutem, aut per cuius nomen iste sanatus sit. Illud *quo* non est relatiuum; sed est sextus casus *aquis* vel *quid*: græcè ἐν τίνι. *Iste*] demonstrat hominem sanatum, ipsis Apostolis astantem. Infra v. 14 Omnino enim videtur ex his inter se collatis, quod pridie huius diei ipsum istum vna cum sanctis Petro & Ioanne compegerant Iudæi in custodiam: vt & supra monuimus ad v. 3. huius.

VERS. 10. Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel.

HIs verbis ostendit sese paratum profiteri nomen Iesu coram toto mundo. *Quia*] quòd ὅτι, *In nomine Iesu Christi Nazareni*] expositum est v. 6. c. 3. & huius cap. v. 7. *In hoc*] (*Hoc*) siue refert siue demonstrat quod præcessit, *nomen Iesu Christi Nazareni. Iste astat coram vobis sanus.* Itaque quæstioni quam proposuerant primores, ita distinctè respondet B. Petrus, vt nihil desideretur. q. d. Hic vir tot annos infirmus repente sanatus est, non potentia nostra, non potentia dæmonum aut vlla magica arte: sed potentia ac merito Domini Iesu Christi, quem nos in sanitatem huius hominis inuocauimus. Quod vero interponit Apostolus illa, *Quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis:* id facit vt

cij vt animos eorum metu concutiat, qui Messiam Dominum ante fecerant, eoque metu ad veram pœnitentiam adducat; & hoc quidem prioribus verbis. Imo & posterioribus: vt intelligant sese contra Deum niti qui interfecerint virum Deo tam charum vt eum resuscitarit ad vitam immortalem. Monet hoc Oecumenius. Simul autem dum ista posteriora de resuscitatione Iesu dicit; ipsorum conscientias tacite conuenit; qui aduersus Christi resurrectionem à militibus custodibus sepulcri mendacium emerant. Posterioribus tamen istis etiam agit vt scandalum crucis remouear à cordibus istorum carnalium Iudæorum. Nam *Iesus crucifixus Iudæis est scandalum*, vt ait Apostolus 1. Cor. 1. v. 23. Mundanè enim & carnaliter de Messia promisso opinantes quod temporaliter esset dominaturus, vt Principes huius mundi; non verò considerantes quid prophetæ de illo prædixissent; multo minus arcanum diuinitatis consilium pene rantes, quod per mortem vnigeniti filij Dei redemptio hominum esset facienda: *Iesum* Nazarenum Mariç filium esse promissum Saluatorem, idcirco noluerunt credere quod passus est sese crucifigi; quum ex aduerso deberent cogitare hoc fuisse prænunciatum diuinitus per ipsorum prophetas. Cogitare item, quòd non fuerit relictus in morte, sed tertio die resuscitatus ad vitam immortalem. Ergo eadem opera sanctus Petrus hîc & amolitur illud offendiculum crucis, & fundamentum collocat fidei de Christo. Sæpe enim iam dictum fuit, totius christianæ religionis basim esse Iesu resurrectionem. Ea enim Deus Pater singulariter declarauit quod ipse sit vnicus ille Messias suus, generis humani redemptor & saluator. Addit verò S. Petrus.

VERS. 11. Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus; qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus.

VERSICVLVM ex psal. 117. allegat, & de Christo interpretatur authoritate & sapientia Apostolica: quem versiculum meminerat ab ipso Domino sic expositum fuisse, Matth. 21. v. 42. Et de Messia ad litteram esse capiendum versiculum illum, ait hoc loco Liranus consentire non solum christianos doctores, sed etiam hebræos. Notum est diuersis locis Christum in scriptura per metaphoram vocari lapidem. Isaiæ 8. v. 14. c. 28. v. 16. Dan. 2. v. 34. Matth. 21. v. 42. vbi hunc versiculum Dominus de seipso exponit, & v. 44. vbi est illa terribilis sententia; *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.* Et horum locorum imitatione Christum lapidem vocant Apostoli sancti. B. Petrus hic & 1. epistolæ c. 2. princip. Paulus Apostolus Rom. 9. sub finem. Imo *&* *lapidem angularem* dixit idem Paulus Eph. 2. v. 20. vbi non simpliciter *angularem* sed *summum angularem* nominat, imitatione eius quod est Isaiæ 28. v. 16. quod significantius nobis diceretur *extrem-angularis*; quoniam græcè est apud Apostolum, ἀκρογωνιαῖος. Nec male tamen Interpres ibi dixit, *summum angularem*, *ponens* scilicet (*summum*) pro (*extremo*;) sicut & Matth. 24. v. 31. vbi legimus *à summis cælorum*

cælorum vsque ad terminos eorum: Ibi enim pro isto *summis* & isto *terminos*; vtrobique est ἄκρων: & sensus est, ab vnis extremitatibus cælorum vsque ad alteras extremitates oppositas. *Summum* pro *extremo ac vltimo* dixerunt optimi authores; Maro,

Venit summa dies, & ineluctabile fatum
Dardaniæ: fuimus Troës, fuit Ilium &c. Flaccus,
Primâ dicte mihi, summâ dicende camena, &c.
Mecænas &c. Simile est illud Epigrammatographi,
Summum nec metuas diem, nec optes.

Et quando dicitur summa manus operi alicui addita. Hęc propter sciolos dicta sint, qui veterem Interpretem latinum facilè repræhendunt, longe ipsis doctiorem.

Ait ergo B. Petrus Iesum Nazarenum à Iudæis crucifixum, à Deo Patre resuscitatum, per cuius nomen iste infirmus erat repente sanatus; esse illum lapidem spiritualem, lapidem fundamentalem in spirituali ædificio domus Dei, quod est Ecclesia; qui lapis ponendus in hoc fundamento fuerat clarissime prænunciatus per Isaiam locis allegatis: & tamen à *vobis* Iudæis *ædificantibus* (ait) *est reprobatus*, id est vilissimè contemptus, pro nihilo habitus, vt vox græca sonat, ὁ ἐξουθενηθεὶς q. d. annihilatus, nihili factus. Hic lapis est à vobis abiectus tanquam inutilis spirituali ædificio domus Dei. *A vobis ædificantibus*. Quid ædificantibus? & quomodo? Domus Dei est populus ille qui vera sanctitate veraque iustitia Deum colit, ideoque Deum habet inhabitatorem. Et non solum totus ipse populus; sed etiam vnusquisque ex illo populo; seu vniuscuiusque fides, spes, charitas, vita bona coram Deo, simul iuncta sunt istud spirituale Dei ædificium, spiritualis domus Dei: vt nos docent Apostoli, Paulus Ephes. 2. in fine. Petrus 1. epistolæ c. 2. in princip. Ergo primores Iudæorum, quorum erat officium, quorum professio, imo & gloriatio, quod se & alios ad veram Deoque gratam sanctitatem seu iustitiam adducerent; ipsi in primis hanc spiritualem domum ædificabant, id est ædificare conabantur, Imo etiam ędificabant, vt ipsi quidem credebant. Verum reipsa nihil agebant: non domum Dei, sed vilia dumtaxat mapalia extruebant, omni suo labore. Quare? Respondet Apostolus Rom. 9. in fin. *Israel sectans legem iustitiæ, in legem iustitiæ* (id est, in iustitiam lege Dei præceptam ac à nobis requisitam) *non peruenit: quia non ex fide* (qua crederent Iesum esse Christum,) *sed quasi ex operibus. offenderunt enim in lapidem offensionis*. Et cap. 10. princ. *Testimonium illis perhibeo quòd æmulationem Dei habent; sed non secundum scientiam. Ignorantes enim iustitiam Dei* (id est, quæ à Deo est) *& propriam iustitiam quærentes statuere; iustitiæ Dei non sunt subiecti*. Quæ generalia Apostoli verba non tantum primores Iudæorum, sed omnes Iudæos verberant, illos qui Christum non receperunt, & nihilominus credebant se coram Deo iustos & sanctos esse posse suis proprijs viribus; neque ad hoc supernaturali Dei dono quod hominibus merito Redemptoris detur, indigere: sufficere cognitionem agendorum (quam quidem habebant per legem naturalem, & per leges positiuas iudiciales ac ceremoniales quas Moy-

 ses Dei

ses Dei minister illis tradiderat) cum libero suæ voluntatis arbitrio, propositis pœnis & præmijs, & bonorum exemplis.

Eodem planè modo quo ethnicorum philosophi morales,& eorum discipuli sese sine vllo apud Deum mediatore bonos viros effici posse existimabant. Quod idem postea tradiderunt perniciosissimi hæretici Pelagiani; subuertentes totum mysterium redemptionis & salutis humani generis. Hi omnes istud sanctitatis & iustitiæ ædificium extruunt super arenam; ideoque debile ac planè caducum: non super petram Christum; quoniam non credunt diuina gratia, merito Christi diuinitus ipsis danda, sibi esse opus ad hoc vt verè coram Deo iusti sint, atque ita saluentur. Lapidem igitur Christum omnes hi reijciunt, tanquam vel superfluum vel inutilem ad extructionem spiritualis ædificij quod moliuntur. Non censent hi Christum fundamentum iustitiæ, fundamentum salutis: sed suum liberum arbitrium cum præceptis legis & cum morali doctrina; cum exhortationibus & suasionibus extrinsecus adhibitis.

Quod vero isti omnes lapidem hunc spiritualem Christum reijciant cum certissima pernicie salutis suæ; B. Petrus verbis sequentibus dicit, *Qui factus est in caput anguli; & non est in alio aliquo salus.* Prior huius sententiæ pars est Psalmistæ,loco prius allegato Psal. 117. Posterior est S. Petri exponentis ipsa Psalmistæ verba. *Factus est est in caput anguli.*) Hebraismo ita dictum est, pro eo quod nostro more dicimus, *factus est caput anguli.* Porro pro isto, *caput anguli,* quod ibi hebraicè & apud 70. legitur, Symmachus (Theodoreto teste) ex hebræo reddidit ἀκρογωνιαῖος, quod est ipsissimum nomen quo ad Ephes. vtitur Apostolus de Christo loquens; vt supra diximus. Siue autem dicas *caput anguli*, siue *extrem-angularem*: significatur lapis extremus in angulo fundamenti, firmus & amplus, ita vt sustineat & connectat ambos parietes, alterum hinc, alterum inde, venientes, ac in angulum desinentes. Talis amplus & validus lapis est Christus Dominus metaphoricè: quoniam duos populos, Iudaicum & gentilem, prius atrociter dissidentes religionis & morum causa, ipse in vnam veram sui fidem, in vnam spem salutis, in vnam diuinæ charitatis concordiam, copulat, connectit, & connexos conseruat. Quo de argumento multa Paulus Apostolus Rom. 11. v. 15. Ephes. 2. & 3. Et hanc istius loci interpretationem huc adferunt expositores: Ven. Beda, Oecum. & posteriores vniuersi. Nec mirum: quum apostolum habeant magistrum, locis dictis.

Et *non est in alio aliquo salus.* Salutem hoc loco quidam corporalem sanitatem intellexerunt, qualis erat collata isti claudo: sed multo melius est intelligere salutem animæ tam præsentem quæ in sanctitate & iustitia consistit; quam futuram, quæ in æterna beatitudine. Subsequens enim probatio de animæ salute haud dubie loquitur. Sensus igitur est quod nemo hominum salutem consequutus sit aut consequutus vnquā, per alium aliquē, quam per hunc Iesum Nazarenum. Ipse solus est cuius, tanquam Mediatoris Dei & hominum, merito, cuius redemptione & satisfactione, Deus Pater placatus; saluauerit & saluet, quoscunque saluat ex hominibus; gratuito propter Christum inspirans

inspirans eis fidem, spem, dilectionem Dei & iustitiæ, veramque pænitentiam; & horum intuitu remittens eis peccata propter eundem Iesum redemptorem, eos iustificans, in iustitia eos vsque in finem vitæ conseruans; denique beatificans. His itaque verbis B. Petrus (quod significat Chrysost. priore expositione) iterum conscientias istorum primatum conuenit, & salutari terrore concutit; dum apertissime dicit non posse alicui salutem obuenire, nisi per hunc Iesum quem ipsi crucifixerant; ac proinde esse credendum in eum.

VENERABILIS Beda ex hoc loco colligit, id quod inter Theologos certum est, iam inde ab exordio mundi post humani generis lapsum, nulli hominum salutem obuenisse, nisi qui fide, saltem implicita, crederet in Mediatorem Dei & hominum, qua de re est apud S. Tho. 2. sec. q 7. Confer quæ dicimus infra ad cap. 15. v. 11. sub finem annot.

VERS. 12. Nec enim aliud nomen est sub cœlo, datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

HOMINIBVS] græcè additur præpositio (in) vt sensus sit, inter homines, *Datum*] vtique à Deo.

Ex his quæ dicta sunt ad cap. 3. v. 6. & huius cap. v. 7. ac 10. facile liquet quis horum verborum sit sensus; & quod non est hic sermo de ipso sensibili nomine *Iesus*, siue voce prolato siue litteris signato. Nam tota hæc sententia vera foret, etiamsi Redemptor noster non fuisset proprio nomine dictus *Iesus*, sed alio quocunque. Sensus enim est, Præter Iesum Nazarenum non est alius quispiam cuius virtutem ac meritum Deus Pater inter homines celebret & velit innocari: per quam virtutem ac meritum, ipse eos quos ex hominibus saluare decreuit, saluauerit ac sit saluaturus deinceps. Etiam Oecumenius hoc loco *nomen* exponit venerandam gloriam.

OBSERVANDVM est illud *hominibus*, nam angeli sancti vtique sunt saluati, non per meritum Iesu Nazareni, id est, Non per meritum passionis & mortis Vnigeniti filij Dei incarnati. Illud vero *oporteat*, significat necessitatem ex hypothesi, præsupposito scilicet illo Dei decreto, quod neminem ex humano genere esset saluaturus, nisi accepta iusta satisfactione pro ipsius generis humani offensa. Nam hæc satisfactio præstari non poterat nisi per Deum hominem factum, patientem & morientem, in redemptionis precium Deo patri exoluendum. *Nos*] dictum est ex persona fidelium & electorum. Quicunque enim saluantur, non nisi per hunc Iesum, vt mediatorem, saluantur; nec aliter possunt, præsupposita illa videlicet hypothesi quam diximus.

VERS. 13. Videntes autem Petri constantiam & Ioannis;

CONSTANTIAM] græce est τὰς παρρησίας, id est, in loquendo libertatem, loquendi audaciam. sed, si *constantiam* hanc in loquendo accipimus; sensus eodem

eodem redit. Nam qui in verbis suis sunt inconstantes, nunc affirmantes, nunc negantes aut dubitantes; non solent libere ac fidenter loqui.

COMPERTO quod homines essent sine literis, & idiotæ;] Idiota dicitur qui nullum nouit idioma nisi proprium suæ gentis. *Illiteratus* dicitur qui non nouit legere ac scribere. Itaque non idem valent hæc duo; sed possunt coniungi in eodem subiecto. In hunc modum Chrysost. altera expositione. Apostolos tamen non fuisse ignaros legendi & scribendi, etiam antequam accepissent die Pentecostes Spiritum sanctum, doceri potest ex Ioannis 1. v. 45. cap. 20. v. 9. Lucæ 24 v. 45. sed hi primores vocant eos illiteratos, quod satis constaret priuato studio eos nosse quod norant; non fuisse doctos sub aliquo legis doctore, vt Paulus sub Gamaliele. *Admirabantur, & cognoscebant eos quoniam cum Iesu fuerant. Admirabantur*] tantam sapientiam illiteratorum, tantam loquendi gratiam idiotarum, tantamque in loquendo libertatem. Mirabantur quoniam nesciebant non ipsos loqui, sed Spiritum sanctum per os ipsorum; sicut promiserat iis Christus Dominus Matth. 10. v. 20.

ET *cognoscebant eos quod cum Iesu fuerant.* Sæpissime Dominus fuerat in templo concionatus Ierosolymæ, sæpissimè versatus in ciuitate illa, duodecim Apostolis semper ei adhærentibus: itaque nunc bona pars illorum procerum eos duos Petrum & Ioannem agnoscebant fuisse ex familia Domini Iesu. Quidam intelligunt significari quod hos duos agnouerint esse eos qui cum Iesu iam captiuo fuerant ingressi in atrium pontificis Caiphæ: sed non liquet alterum illorum duorum fuisse Ioannem apostolum, imo magis probabile est, non fuisse: vt bonis rationibus ostendit Iansenius in cap. Ioan. 19. v. 15. & copiosius Franciscus Lucas, in eundem Ioannis locum scribens Et vt fuisset: non propterea tamen iste Commentarius probandus esset; quoniam satis certum videtur, quod illa nocte neque Petrus neque alius ille discipulus fuerit conspectus primoribus; qui conuenerant in penitiorem ædium partem, illis in atrio hærentibus apud ministros. Quoniam autem agnoscebant illos fuisse perpetuos Domini Iesu asseclas; idcirco non dubitabant quin per nomen Iesu istum sanassent, sicut ipsi affirmabant.

VERS. 14. Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat.)

IAM antea ad v. 3. & 9. diximus, videri quod istum sanatum primores in custodiam transtulerint vna cum Petro & Ioanne: siue prætextu quod vellent accuratius examinare qualis prius fuisset, qualis esset nunc, quod ad integritatem membrorum attinebat, siue quauis alia ex causa.

NIHIL *poterant contradicere.* Id est, Neque poterant negare istum hominem veram integritatem ac sanitatem corporis esse adeptum, sed imaginariam duntaxat, vt fit præstigijs, neque poterant eius sanitatem ascribere arti magicæ, vel alioqui dæmonibus. Nam ipse ille qui curatus fuerat sufficiebat ad redarguendum, etiamsi Apostoli conticuissent; quia poterat testari sese fuisse sanatum per nomen Iesu Nazareni.

NIHIL

NIHIL *poterant contradicere.*] Innuit hic sermo istos primores habuisse voluntatem negandi quod iste per nomen Iesu esset sanatus, si vllo colore id negare potuissent. Non negasse igitur quia summam impudentiam toti mundo prodidissent, si rem sensibus ipsorum proprijs expositam, negauissent.

VERS. 15. Iusserunt autem eos foras, extra concilium, secedere; & conferebant ad inuicem,

VERS. 16. Dicentes: Quid faciemus hominibus istis?

DELIBERANT & consilia conferunt quo modo nouellam Christi Ecclesiam in ipso suo ortu extinguant: id est quo pacto efficere queant ne plures deinceps credant in Iesum Nazarenum; atque adeo ne Apostoli deinceps prædicent nomen eius. Id quod efficere cupiuissent eorum interfectione; si ausi fuissent tantum scelus aggredi, neque metu popularis multitudinis, minimè hoc laturæ, fuissent impediti. Hoc significant ista verba: *Quid faciemus hominibus istis?* q. d. Videmus inualescere fidem in Iesum Nazarenum quem nos crucifiximus; inualescere autem per doctrinam & miracula Apostolorum ipsius: quo tandem modo crescenti huic religioni & sectatorum eius quotidiano augmento, ponemus obstaculum? An interficiemus Apostolos, aut grauiore aliqua pœna corporali plectemus? Non est tutum. causam hæsitationis suæ subijciunt, dicentes;

QVONIAM *quidem notum signum factum est per eos; omnibus habitantibus Ierusalem manifestum est, & non possumus negare.* Hanc huius hemistichij distinctionem nos in duobus latinis codicibus vidimus, quæ est & græcorum codicum; sensu plano. Fauet eidem Clementina editio quatenus post illud, *per eos*, comma ponit. Sensus est, Quod enim notorium miraculum per eos editum sit in sanatione istius claudi, manifestum est omnibus huius vrbis incolis, neque possumus negare aut in dubium vertere. Ideoque non est tutum quicquam durius statuere in istos; ne populus tanti miraculi effectione Deum laudans, & hos venerans, in nos insurgat. Infra v. 21.

CONSIDERANDA est hæc istorum procerum deliberatio, & conferenda cum illa quam eorumdem primorum Iudaicorum describit Ioannes euangelista c. 11. *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit,* &c. Debebant vti his miraculis, & Christi atque apostolorum prædicatione ad salutem suam procurandam scilicet ad credendum quod Iesus sit Christus, & ad euangelio eius obediendum: quum nunc omnia faciant contraria, scilicet ambitione, auaritia, odio & inuidia semel excæcati. Vnde, hoc loco, quum fateantur ipsi, omnibus esse manifestum quod per nomen Iesu istud miraculum tam ingens tam propatulum sit factum: tamen suam deliberationem ista conclusione terminant;

VERS.

VERS. 17. Sed ne amplius diuulgetur in populum,

SCILICET hoc signum, vel nomen Iesu, per quod illud signum seu miraculum fuit factum; *Comminemur eis.*] In græco est hebraica conduplicatio, *minis minemur*, seu comminando comminemur. qualis conduplicatio repetitur infra cap. 5. v. 28. Sensus est, etiam atque etiam ijs minemur, seuerissime comminemur illis. Id vero est, sæuissimis pœnis propositis ijs interdicamus,

NE *vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum. In nomine*] potest verti *super* (*seu de*) *nomine hoc*. Posset etiam verti, *Authoritate nominis huius*. Intelligunt autem *nomen Iesu*; vt patet ex præcedd. & v. proxime seq. Sed per *nomen* intelligitur ipsa res nominata, vt sæpe iam expositum est. Conferantur dicta ad v. 12. huius, & quæ ibi citantur. Hic exemplum est hominum extremè impiorum, qui veritatem etiam cognitam planeque manifestam, quantum possunt obscurant, tegunt, opprimunt.

VERS. 18. Et vocantes eos denunciauerunt ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Iesu.

DENVNCIAVERVNT] id est, propositis pœnis quæ ipsos manerent, prohibuerunt. Ita istud *denunciauerunt* retineri potest. Alioqui, poterat simpliciter vertere Interpres, *præceperunt*: vt eandem vocem reddidit cap. 5. ver. 28.

NE *omnino loquerentur neque docerent.*] Græca vehementius sonant, sic; *prorsus ne hiscere* (mutire; minimum quid sonare) *quidem, neque docere*. Volebant autem hoc interdictum esse ipsorum etiam collegis. Infra. c. 5. v. 28. *In nomine Iesu,* id est, de nomine, seu de potentia ac dignitate Iesu. Vel etiam, Authoritate seu potestate ipsius Iesu, tanquam eius legati.

VERS. 19. Petrus vero & Ioannes respondentes, dixerunt ad eos, Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum; iudicate.

ILLA clausula, *in conspectu Dei*, est determinatio istius, *iustum*: vt sensus totius orationis sit, Vosipsi iudicate an coram Deo, seu an Dei iudicio iustum sit (hoc est an sit vere iustum ac licitum) vobis, contrarium diuino iussui præcipientibus, obtemperare, & non ipsi Deo. Idem enim hic dicunt Petrus & Ioannes, quod c. 5. v. 29. omnes Apostoli ijsdem Iudæorum primoribus dixerunt, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Vnde liquet, quod hoc loco, istud, *vos*, emphaticum est, vel potius discretiuum, explicandum secundum circumstantias negotij præsentis. q. d. *Vos*, ista nobis præcipientes, contraria iussis diuinis. Eodem modo cap. 5. in eo quod citauimus, illud *hominibus*, simili modo discre-

discretiuum est & similiter explicandum. Nam quando Superiores aliquid iubent quod non liquet esse Deo contrariū: non habet locum comparatio ista, seu aduersatiua ista enunciatio qua hîc & cap. 5. vtuntur Apostoli, dicentes, obediendum esse Deo, & non hominibus. Tunc enim, eo ipso quòd obedimus hominibus, obedimus Deo: cuius Dei præceptum est, *Obedite præpositis vestris*, Heb. 13. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit me spernit*. Lucæ 10. v. 16. Rursum, *Si Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Matth. 18. Quare valde magna est improbitas sectariorum, abutentium hac aut ea quæ est c. 5. apostolorum sententia, aduersus legitimorum siue in spiritualibus siue in temporalibus superiorum, præcepta, & ijs debitam obedientiam. Catholici contrà potius eâ vtantur aduersus impia hæreticorum, per vim dominatum occupantium, edicta & statuta quocunque nomine censeantur, diuinis legibus & institutis cōtraria. Porro Apostoli Petrus & Ioannes, dū ita hic loquuti sunt, declarauerunt tam iustum ac sanctum esse quod faciebant, nomen scilicet Domini Iesu annunciando; vt ipsos suos aduersarios non formidarent Iudices, si iuxta conscientiam propriam vellent censere. Addunt interim;

VERS. 20. Non enim possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.

SENSVS est, Non licet nobis tacere ea quæ nos tacere iubetis. *Quæ vidimus*] In Domino Iesu propter nos homine facto. *Vidimus autem gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*. Ioan. 1. Eam gloriam nos vidimus præcipue in magnitudine miraculorum quæ fecit, & in modo quo ea fecit, videlicet propria authoritate. Item, in eo quòd vidimus eum rediuiuum, vidimus ascendentem in cœlum. *Et audiuimus*] Hisce nostris auribus, illum docentem, illum præcipientem quæ vellet seruari.

HÆC *non possumus non loqui*] Id est, sumus obligati ad ea loquendum. obligati porro erant, partim lege naturali; partim lege positiua diuina ipsius Christi Domini, quæ extat Matt. 28. *Euntes docete omnes gentes* &c. Marci. 16. *Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ*. Lucæ 24. *Oportet prædicari in nomine Christi pænitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Ierosolyma*. Actorum 1. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*.

HÆC Apostolorum responsio nihil iuuat sectarum disseminatores, qui prosiliunt ad noua dogmata, sub titulo verbi Dei, hominibus proponenda & suadenda; quum interim nullo testimonio probēt sese ad id à Deo mitti. A prælatis enim Ecclesiæ eos non mitti, manifestum est: à Deo immediate sese mitti, nullis miraculis probant; quod tamen oporteret. Quoniam nec Apstoli illi primi, sine miraculorum testimonio erant idonei, quibus oporteret credi: vt ex cap. secundo & sequentibus hucusque, discimus. Conferatur specialiter cap. 2. v. 43. cap. 3. v. 6 & 13. huius cap. v. 30. 33. cap. 5. v. 12. Habuerunt igitur Apostoli efficax suæ missionis testimonium: ideoque non poterat illis concionibus & prædicationibus interdici. Potest autem & debet,

ijs, qui sese legitimè missos sufficientibus testimonijs nequeunt docere. Vnde & Ioanni baptistæ potuissent Iudæorum principes sacerdotum, concionibus & baptismo interdicere; nisi ille sese diuinitus missum ad præparandum viam Messiæ seu Christo iamiam apparituro, docuisset per testimonium Isaiæ prophetæ. Ioan. 1. v. 6. & seqq. v. 19. 23. 26. 27. & nisi præcessisset miraculum in eius ortu.

VERS. 21. At illi comminantes, dimiserunt eos: non inuenientes quomodo punirent eos; propter populum: quia omnes clarificabant id quod factum fuerat, in eo quod acciderat.

COMMINANTES] scilicet istis Apostolis pœnam aliquam grauiorem, si non parerent interdicto. *Non inuenientes quomodo punirent eos*] id est nullam reperientes viam qua eos nunc punirent. Non enim poterant eos punire clam, eo quod totus populus sciebat esse productos in conuentum. Non audebant palam; veriti oppositionem populi isto magno miraculo commoti. Hoc significant illa verba, *Quia omnes clarificabant* &c. Quæ græcè ita leguntur; *Quia omnes glorificabant Deum de eo quod factum fuerat*. Vnde liquet, in nostra editione esse eiusdem clausulæ duas interpretationes latinas; esseque verisimile, nostrum Interpretem non plus vertisse quam hoc, *quia omnes clarificabant id quod factum fuerat*; quasi non habuerit in suo codice istud τὸν θεόν. Sensus est apertus.

VERS. 22. Annorum enim erat amplius quadraginta, homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

IN his verbis est duplex probatio; vna illius quod præcessit, *omnes*; altera illius quod ei adiunctum fuit, *clarificabant* seu *glorificabant*. Nam quoniam hic homo, claudus fuerat ab vtero matris suæ; & quotidie portabatur à suis ad portam templi Speciosam, vt dictum est initio cap. 3. eratque iam quadraginta amplius annorum vt hic dicitur: nullus erat ciuis Ierosolymæ, cui tam longo temporis tractu non esset notus, ideoque eius sanati fama statim totam ciuitatem peruasit, omnesque ad Dei laudem commouit, etiam illos qui nondum crediderant in Iesum, sed ad fidem eius adhuc inuitabantur duntaxat. Insuper quoniam hoc ipsius malum tanti temporis erat, annorum videlicet amplius quadraginta: ideo valde illustre erat hoc miraculum, tantoque maiore celebritate Deus propter illud glorificabatur.

VERS.

VERS. 23. Dimissi autem, venerunt ad suos.

ID est ad reliquos apostolos, simul tunc congregatos; vt patet ex v. seq. *Et annunciauerunt eis quanta*] id est, quam valde atrocia, quantarum minarum plena. Videtur Interpres legisse πόσα, quum græci codices hodie legant ὅσα, *quæcunque*. *Principes sacerdotum*] id est capita viginti quatuor familiarum sacerdotalium, de quibus diximus ad versum 6. ibi, *& quotquot erant ex genere archieratico*. *Et seniores*] potest accipi vt v. 5. *Dixissent ad eos*. supra v. 18. & 21.

VERS. 24. Qui cum audissent: vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum;

EXEMPLVM insigne orationis vocalis; quam frequentat ecclesia; non contenta solis mentalibus precibus, laudibus, gratiarum actionibus. Exemplum item quod in necessitatibus & persequutionibus sit ad Deum confugiendum per deuotas orationes. Chrys.

ET *dixerunt*] Deum laudantes partim à potentia, partim à sapientia omniumque rerum præscientia; idque vt seipsos ad fiduciam excitent; deinde ab illo petentes continuationem gratiæ multiplicis, ad officium euangelicæ prædicationis rite & vtiliter explendum. Potentiam Dei laudant istis verbis, *Domine tu es qui fecisti cælum & terram, & mare; & omnia quæ in eis sunt*. Porro Dei sapientiam & præscientiam laudant istis;

VERS. 25. & 26. Qui spiritu sancto per os Patris nostri Dauid pueri tui, dixisti, Quare fremuerunt gentes.

PVERI *tui*] Id est famuli tui. *Puer*, latinis tria significat; duo valde vsitatè, vnum non tam vsitate, rectè tamen, videlicet prolem. Porro quæ hic recitantur ex psal. 2. producuntur iuxta versionem 70. ad verbum. Ex qua liquet, illud *quare* significare causam finalem q. d. quo fine, ad quid consequendum? ἱνατί, vt quid? scilicet consequantur. Pro illo *fremuerunt* legitur ἐφρύαξαν, quum vox hebræa paulo plus significet, q. d. conglobatæ sunt cum fremitu & tumultu. Et verbis sequentibus vbi legitur, *Astiterunt*, vox hebrea propriè significat, *sibi mutuo astiterunt*, *coierunt*, *conspirauerunt*. Itidem cum sequitur *conuenerunt*; vox hebræa ibi quoque paulo plus significat, q. d. simul consultauerunt, consilia contulerunt. *Patris nostri*] Fuit Dauid vnus patriarcharum gentis Iudaicæ, vt eum nominauit Petrus Apostolus c. 2. v. 29. Deinde, quidam Apostolorum ex tribu Iuda fuerunt, adeoque ex stirpe Dauidis, ij præsertim qui sanguine contingebant Saluatorem. Hæc duo sufficiunt ad hoc vt chorus Apostolorum Dauidem hic nominet patrem suum: ne quis hinc argumentetur omnes ex tribu Iuda éque posteritate Dauid fuisse; quod constat esse falsum, ex Matth. 4. v. 13. & seqq.

collato cum Isaiæ 9. in princip. & cum psal. 67. v. 28. In græco codice hæc clausula non legitur, forte studio omissa à scribis, ad obiectionem vitandam quam diluimus.

PORRO vaticinium illud Dauidis, Dei inspiratione fuisse prolatum, ex ipso euentu argumentantur Apostoli; vtpote cum iam tum euenissent illa penè incredibilia, quæ de aduersarijs Christi Domini prædixerat Dauid. Hoc volunt ista v. seq.

VERS. 27. Conuenerunt enim verè in ciuitate ista, aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti;

PVERVM *tuum*] Id est seruum seu ministrum tuum. Id conueniebat Christo quatenus homo erat. Et hoc nomen ei tribuitur, vt homo est, in scriptura; Isaiæ cap. 42. v. 1. cap. 43. v. 10. cap. 49. v. 6. cap. 52. v. 13. cap. 53. v. 11. Zach. 3. v. 9. Poterat verti, *filium tuum*, vt idem nomen vertit Interpres v. 30. παῖδός σου. *Quem vnxisti.*] His verbis explicant illud psalmi iam recitatum, *aduersus Christum eius*; quod in hebræo legitur *Meßiam* (id est, vnctum) *eius*. Fuit vnctus à Deo patre, oleo spirituali singulariter, id est, plenitudine gratiæ, vt ex eius plenitudine omnes nos accipiamus. Ioan. 1.

HERODES *& Pontius Pilatus*] Per hoc verificatur illud allegatum ex psal. 2. *Reges terræ & principes.* Quod Herodes iste aduersarius fuerit Christi, quem & illusit; patet ex Lucæ 23. Conferri potest quod legitur Lucæ 13. v. 31. & seq. *Cum gentibus*] id est cohortibus Pilati & Herodis, quæ constabant hominibus gentilibus, præsertim cohors Pilati. *Spreuit illum Herodes cum exercitu suo.* Lucæ 23. *Et populis Israel*] quia ex omnibus tribubus Israel fuerunt inimici Christi Domini. Ita verificatum fuit quod priore parte allegati testimonij dicebatur, Fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania.

VERS. 28. Facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.

FACERE.] Pendet a verbo præcedentis versus, *conuenerunt*. Omnes isti conuenerunt aduersus Iesum, tuum Christum, vt facerent, *quæ* (græce est *quæcunque*) *manus tua*] id est tua potentia ait Chrysost. & passim, ita in Scriptura sumitur *manus Domini*; vt infra v. 30 & cap. 11. v. 21. *Erat manus Domini cum eis* (qui Antiochiæ concionantes, Iudæis Hellenistis annunciabant Dominum Iesum) *multusque numerus credentium conuersus est ad Dominum.* qui locus (vt hoc obiter addam) inter alios infinitos, manifeste exprimit quod hominum ad fidem vel ad pœnitentiam conuersio, sit opus diuinæ potentiæ, & non tantum prudentiæ cuiusdam, qua sic ab eo inuitentur quomodo secuturos præuiderit; vt nonnulli nuper dicere cœperunt.

ET *consilium tuum*] ἡ βουλή σου. Iam antea ad cap. 2. v. 23. (qui locus cum isto est conferendus) diximus quod impropriè Deo tribuitur *consilium*, tametsi in scripturis sit frequens, similiter hic videtur poni pro ordinatione diuina inquit

Liranus,

Liranus, vel potius pro ipsa prudente voluntate diuina: quoniam tribuitur ei *prædecernere*. Pro verbo enim plurali (*decreuerunt*) græcè est singulare; & pro simplici est compositum, προώρισε; id est *prædefiniuit*, *prædeterminauit*, *prædecreuit*, *præconstituit*, seu *prædestinauit*; vt hic legunt S. August. de prædest. sanct. c. 16. & S. Prosper ad capitulum 13. Gallorum. Omnia enim hæc idem valent. Conferantur quæ diximus ad illum v. 23. c. 2.

SENSVS itaque horum verborum est, quod Herodes & Pilatus cum filijs Israel & cum gentilibus, Iesum Nazarenum Messiam à Deo patre missum, varijs tormentis & ludibrijs vexauerint, crucique adfixam interfecerint; quæ omnia Christo fieri, ipsumque obedienter & humiliter pro redemptione generis humani illa omnia pati; iam olim ab æterno, diu antequã res ipsa euenirent, Dei Patris potentia & prudens voluntas cõstituerat, decreuerat, determinauerat, definierat, destinauerat. Christo hæc fieri, erat prædefinitum à Deo patre: sed non propterea erat ab eo prædefinitum istos ea facere; at solummodo præscitum. Quod Oecumenius ita dicit hic in Cõment. Non potuissent ipsi, sed tu permittebas; & rem omnem ad finem deducebas, prudens ac sapiens. Illi conuenerunt tanquã inimici & truculenta volũtate: sed faciebant que tu fieri volebas. Tu illorum malitia in bonum vsus es, tua sapientia. Chrys. Videantur S. August. & B. Prosper locis allegatis, & alibi sæpissimè: quoniam præscientia Dei complectitur etiam ea quæ Deus neque facit homines facere, neque facit ipse solus; sed quæ per liberi arbitrij defectibilitatem ipsi faciunt contra legem Dei. Subiungunt Apostoli suam petitionem;

VERS. 29. Et nunc Domine respice in minas eorum:

BENE annotat Oecumenius post Chrysost. Apostolos non petere vt Deus perdat istos filij sui aduersarios; sed vt minas eorum inefficaces reddat, disturbando eorum consilia & molitiones, quibus nitebantur extinguere nomen Domini Iesu Nazareni, eiusque nouellam Ecclesiam, quæ ipsum esse Christum, id est Messiam Dei patris, ac Saluatorem mundi credebat. Rogant hic itaque Deum vt eam partem allati vaticinij opere ipso compleat, qua dictum est *meditatos esse inania*. Chrys. *Et da seruis tuis*, id est nobis, tuis apostolis, *cum omni fiducia*.] Est eadem vox græca quam v. 13. Interpres vertit constantiam, παρρησία; quæ propriè significat libertatem, audaciam, fiduciam in loquendo. Eadem est v. 31. *Loqui verbum tuum*; Intelligunt specialiter illam partem verbi Dei, id est veritatis diuinitus reuelatæ, qua docetur quod Iesus sit Christus, sit vnicus ille Saluator mundi à Deo in hoc missus. Hunc sensum accipimus ex verbis seqq.

VERS. 30. In eo quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa & prodigia fieri per nomen sancti filij tui Iesu.

SENSVS est, per hoc quod tua potentia vtaris ad faciendum miraculosas sanationes, aliaque miracula, per inuocationem virtutis & meriti filij tui vnigeniti Iesu, in humanitate assumpta propter nos passi & mortui. Vera

miracula dicuntur & *signa & prod. g. 4*, diuersa ratione, licet subiecto sæpe sint eadem. qua de re S. Th. 2. sec. 178. art. priore ad 3.

VERS. 31. Et cum orassent; motus est locus in quo erant congregati: & repleti sunt omnes Spiritu sancto; & loquebantur verbum Dei cum fiducia.

MOTVS *est locus in quo &c.* Diuinitus motus est, ad significandum apostolis, ipsorum orationem esse exauditam, inquit Beda & Oecumenius post Chrysost. Illo etiam fine Deus hunc terræmotum fecit, vt infideles Christi & Apostolorum aduersarij terrerentur, & vel metu comprimerentur ne exquerentur terribiles illas minas suppliciorum quę Apostolis erant interminati. supra v. 17. 18. 21. Hoc ijdem Chrysost. & Oecum. tradunt.

EXAVDITAM fuisse Apostolorum orationem declarat id quod sequitur hoc loco, *Et repleti sunt omnes spiritu sancto.*] Capite 2. v. 4. dicebatur de Apostolis, *Repleti sunt omnes spiritu sancto*; nec interea temporis fuerant vacuati illo Spiritu quem tunc acceperant: quomodo igitur nunc dicuntur repleri Spiritu sancto? Facilis est responsio, eos nunc accepisse augmentum charitatis & gratiæ tunc acceptæ. Ita Lir. Addi potest quod nunc noua auxilia specialia, nouos actuales gratiæ impulsus acceperint, ac specialiter actualem fortitudinis impulsum, ad fidenter annunciandum Iesum Nazarenum, quod ex morte surrexerit, quod ipse sit verus & vnicus Messias, à Deo olim promissus, nunc exhibitus. Hic commentarius habetur ex verbis sequentibus, *Et loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Eum sensum vniuersum Chrysost. indicat, dum ita ait homil. 11. priore expositione; Quid est, *Repleti sunt?* reaccensi sunt Spiritu sancto. Etenim reaccensum est in ipsis charisma; & loquuti sunt verbũ Dei cum fiducia. Ita Chrys.

QVOD vero dicitur, *Loquebantur verbum Dei*, non est intelligendum præcise de illo tempore quo hæc eorum ad Deum oratio fuit exaudita; sed est sensus, quod quotidie, partim in templo, partim alijs locis opportunis, Apostoli annunciabant ea quæ de Iesu Nazareno, vt Saluatore, sunt credenda. Nam hoc discimus ex cap. 2. v. 42. & ex verbis vltimis cap. quinti.

ATQVE hactenus quidem à principio cap. 3. hucusque, videtur interrupta narratio de moribus primorum Ierosolymæ christianorum, quam B. Lucas inchoauit cap. 2. v. 42. Nunc post interpositam historiam illius miraculosæ claudi sanationis, & eorum quæ illius occasione subsecuta sunt; redit sanctus historicus noster ad eam quam cap. 2. à versu illo 42. vsque ad finem eiusdem cap. auspicatus fuerat, narrationem, eamque producit vsque ad ver. 12. c. 5. Nihil miri hîc est, si cogitemus sacros scriptores non distinxisse ipsos capita librorum, sed posterius id factum. Ait igitur hîc;

VERS.

VERS. 32. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna:

PRo commentario eorum quæ sunt ab hoc loco vsque ad cap. 5. v. 12. præsupponere oportet quæ diximus ad cap 2 v.44.& seqq.vsque ad finem capitis illius. *Erat cor vnum.*] id est, vna mens, vna voluntas. Nam vtrumque horum nomine *cordis* in sacris literis accipitur, prout fuerint ea quæ adiunguntur. *Mentem* hîc nomine *cordis* intelligi, satis patet; quia sermo est de credentibus; creditur autem mente seu intellectu. Intelligi tamen etiam *voluntatem* seu *animum*; liquet ex seq. proxime, ibi, *Erant illis omnia communia.* Erat igitur multitudini illi fidelium *cor vnum:* quia summa concordia in fide, in fidei professione; in vna spe futurorum bonorum; in pura dilectione Dei & ipsorum inter sese mutuo; in charitatis officijs mutuo præstandis; in simplici obedientia erga Apostolos tanquam suos in Ecclesia superiores. *Et anima vna.*] Videtur non esse diuersum à præcedente; sed eiusdem rei, ad maiorem expressionem, inculcatio. Nam quum 1. Reg. 18. vers. 1. ita legitur, Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid: nihil diuersum significatur ab eo quod illic sequitur, *Dilexit eum Ionathas quasi animam suam.*

ILLVD explicandum restat cum dicitur hic, *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna:* an sermo sit præcisè de illa fidelium multitudine quæ eousque ad fidem Christi erat conuersa per Apostolos, initio facto à die Pentecostes; an vero de tota multitudine christianorum, saltem Ierosolymæ habitantium, illorum etiam qui ante passionem Domini fuerant facti christiani. Et quamuis de tota hac multitudine verum sit quod his verbis dicitur: tamen probabilius videtur non de ipsa tota, sed de illa dumtaxat per Apostolos à die Pentecostes, hactenus conuersa, hîc loqui S. Lucam. & ita Chrysostom. manifeste homilia 11. in Morali, accipit. Quod recte dici, apparebit consideranti præcedentem proxime sententiam, itemque proxime sequentem. Præcedit illa de Apostolis Christum annunciantibus, *Loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Quo fructu autem loquerentur, indicat iam quod de motibus eorum qui illis credebant, subiungitur. Innuit hoc Chrysost. Sequitur enim illa sententia, *Nec quisquam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.* Nam hoc non de tota christianorum multitudine quæ tunc erat Ierosolymæ, dici, aut verum esse, facile docetur per ea quæ allegauimus ad cap. secundi v.43.& 45. Certe enim nulla probabilitate dici potest quod (exempli causa) Nicodemus tunc temporis tam aperte fuerit Christi fidem professus, vt omnia sua faceret christianis communia; fuisset enim eiectus è synagoga confestim. Atqui non expediebat nouellæ Christi Ecclesiæ, quod in ipsa synagoga inter primores nulli essent christiani. qui reliquorum furorem suis consilijs temperarent: vt videmus fecisse Gamalielem cap. 5. huius. de quo Gamaliele idem iudicium est; scilicet fuisse vere christianum, nec tamen fecisse sua omnia christianis Ierosolymitis communia; ne citra necessitatem

sese

sese tam manifeste proderet, eaque re omnem apud reliquos primores perderet authoritatem & gratiam, imo pelleretur conuentu: id quod obfuisset statui ecclesiæ illius. Annotauit hoc de Gamaliele Venet. Beda ad eum locum cap. 5. Idem iudicium de Iosepho ab Arimathia, qui cum Nicodemo vnguentis delibutum corpus Domini sepeliuerat; Ioan. 19. in fine. Idem de alijs possimus ratiocinari, nunc temporis fuisse verè christianos, etiam ex numero primorum Iudaicorum; de quibus idem Ioannes euangelista, c. 12. sub finem. Quod ergo hic dicitur, *Nec quisquam* &c. hunc habet sensum, Nec quisquam ex ista credentium multitudine quæ fidem Christi erat amplexa, prædicantibus post Spiritus S. aduentum Apostolis;

EORVM *quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat:* Istud *eorum* pendet ab illo *aliquid*, vt manifestum est ex origin. ideoque commate debet separari à præcedente, *quisquam*. Pro illo *suum* græce est ἴδιον, *proprium*, sensu paulo manifestiore.

QVIS sensus sit horum verborum, vtcumque expendimus ad v. 44. c. 2. vbi dicebatur de his credentibus Ierosolymitis, quod *habebant omnia communia*; quod ipsum hic dicitur verbis proximis, *sed erant illis omnia communia.* Nunc autem breuiter dicimus, perpendendum esse hoc loco istud verbum *possidebat*, dum dicitur *aliquid eorum quæ possidebat* (pro quo græce est, τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ) quo videtur significari, quòd proprietas & possessio rerum manebat penes veteres dominos, sed quod tamen fructus & vsus per eos fiebat communis alijs christianis, egentibus. Id quod per proxima verba innuitur, *nihil suum esse dicebat*, id est, non censebat esse sibi proprium, non se gerebat sic vt videretur ei quicquam proprium: *sed* (quod attexitur) *erant illis omnia communia.* nempe vsu & fructu; quomodo vetus prouerbium est, Amicorum omnia esse communia: quod non de proprietate aut possessione, sed de fructu & vsu, suis temporibus percipiendo, dictum esse constat. Ac certè Chrysostom. & post eum Oecumenius, non nisi in vsu & fructu hanc communionem videntur intelligere. & Ven. Beda in fine commentarij ad c. 2. & in hoc cap. ad illud, *Virtute magna reddebant Apostoli* &c. non plus videtur hîc agnoscere; certe nihil vrget eius verba ad plus extendi. Baronius quoque anno Christi 34. §. 267. ita hanc historiam reddit; Erat omnium sicut vna voluntas, idemque animus; ita *temporalium bonorum vsus communis.* Quotquot enim (inquit Lucas) possessores &c. vt v. 34. Videatur idem Baronius anno eodem §. 271. Et sane S. Cyprianus testimon. 3. c. 3. ita citat hunc locum, Nec quicquam suum iudicabant ex bonis quæ illis erant: sed fuerunt illis omnia communia. Res ipsa loquitur, non omnes illius temporis christianos ab Apostolis conuersos, Ierosolymæ degentes, omnium suorum bonorum proprietatem abdicasse, & vitam communem fuisse amplexos, id est, vitam ex bonis in commune collatis sustentasse, nulla penes quemquam illorum retenta proprietate. Nempe quando alter coniugum fiebat christianus, altero manente in Iudaismo: non poterat coniux christianus fraudare alterum proprietate bonorum. Quod si ambo coniuges fiebant christiani: non poterat tamen alter eorum amplecti vitam communem & ab opere coniugali omnino abstinere, nisi altero consentiente. Quod si etiam de ab-

de abstinentia operis coniugalis alter consensisset: non propterea tenebatur etiam ipse omnia sua relinquere, & vitam pauperem agere sine omni rerum proprietate. Præter hæc, si coniugibus erant liberi; tenebantur patrimoniũ aliquod ijs relinquere: quod non poterãt, si ipsi nullorum bonorum retinuissent proprietatem, omniaque in communitatem contulissent. Neque enim poterãt etiam ipsæ proles in hanc vitam communem recipi, nisi plenè maturæ iudicio & ætate, suaque voluntate. Insuper, ex cap. 5. principio manifestum est quod nemo istorum christianorum tenebatur sese exuere omnium bonorum suorum proprietate: non est autem credibile *omnes* istos eius temporis christianos, spontaneè, statim ab initio susceptæ fidei, ad tantam sese perfectionem contulisse vt nihil proprium habere vellent; sed omnes omnino, iam tum, perfectionem euangelicam in voluntaria paupertate (præter cætera) constitutam, amplecterentur. Nam & his primis christianis quibusdam suas imperfectiones fuisse, vt sunt res mortalium; patet ex initio cap. *6*.

His adde quod si omnes omnia reliquissent: vtique & proprias domos in quibus habitabant. Vbi igitur deinceps habitassent? An conduxissent alias domos? Atqui non habuissent vnde conducerent; quando pretium rerum venditarum conferebatur in commune. Ad hoc tamen bene respondetur quod qui domos suas relinquebant, non eas quidem possidebant vt proprias, sed fratribus fecerant communes, & ipsi ijsdem domibus vnà cum illis vtebantur. Confer cap. 21. vers. 8. Non vendebant igitur, sed ipsis faciebant communes: ita vt singulæ essent parua cœnobia, nondum extructis cœnobijs. Quod his posset obijci ex vers. 34. & 35. huius capitis, ibi expendetur Deo propitio.

VERS. *33*. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri.

HÆc verba videntur quasi per parenthesim interijci huic de moribus primorum Ierosolymæ christianorum narrationi. Nam proxima deinde sequentia verba, *Et gratia magna erat in omnibus illis*: non de Apostolis dicuntur, sed de hisipsis primis Ierosolymæ credentibus; vt patet ex serie sermonis illius, & ex communi sensu expositorum.

AIT igitur hîc S. Lucas, quod *Apostoli reddebant testimonium resurrectionis Domini Iesu, virtute magna*] id est, doctrinam suam de Christi resurrectione (quæ est fundamentum totius christianæ religionis, vt sæpe iam dictum est) confirmabant ac testatam faciebant per multa & magna miracula, in eam rem diuinitus per ipsos facta. Nam illud, *virtute*, græce est δυνάμει; & miraculorum *potentiam* significat. Idem dictum fuit cap. 2. vers. 43. & infra dicetur cap. 5. vers. 12. & hoc ipsum erat quod Apostoli à Deo petiuerant, huius cap. vers. 29. 30. Videtur autem B. Lucas hanc de Apostolis sententiam hîc interijcere, vt tacitè nobis innuat, quod (post diuinam gratiam) Apostolorum tanquam doctorum ac magistrorum, authoritati fuerit asscribendum, quod

R tales

tales quales hîc describuntur, essent primitiui isti christiani eorum discipuli & clientes. De quibus primis Ierosolymæ Christianis, sequitur,

Et *gratia magna erat in omnibus illis.* græcè ἐπὶ πάντας αὐτούς. quod verti potest, *super omnes illos.* vt recitat hunc locum B Augustin. serm. 2. de vita communi suorum clericorum; in libris melioribus. Id quod videtur conuenire iuxta sensum, cum eo quod noster Interpres dedit. Potest etiam verti, *in omnes illos*; ad siue erga omnes illos. Cæterum ex subiuncta probatione, & ex collatione huius sententiæ cum vers. 47. cap. 2. satis apparet hic *gratiam* intelligi vel ipsam gratiositatem, qua hi erant gratiosi apud populum Ierosolymitanum; vel, vice versa, ipsius populi Ierosolymitani fauorem quo in illos ferebatur. Vtriuis intellectui conuenit subsequens probatio.

Vers. 34. Neque enim quisquam egens erat inter illos.)

Nam quod qui inter eos erant ditiores sua faciebant pauperibus communia, idque ita liberaliter vt nemo istorum christianorum egestate premeretur; id tam dantibus quam accipientibus, adeoque toti isti multitudini apud alios ciues Ierosolymæ, tametsi nondum christianæ, eos saltem qui paulo meliore indole erant præditi, magnam admirationem magnumque conciliabat fauorem: adeo vt hoc ipsum via quædam esset, qua & illi ad fidem Christi paulatim adducerentur. Ita fere Chrysostom. Conferantur quæ diximus ad v. 47. c. 2. ibi, *Habentes gratiam ad omnem plebem.*

Non dicit B. Lucas, neminem inter eos fuisse pauperem; sed neminem eguisse. Est pauper cui desunt propriæ facultates; est egenus cui desunt necessaria. Itaque potest esse pauper qui non sit egenus; potest contra esse egenus, qui non sit pauper, veluti diues cui est bonis interdictum; vel qui nondum est sui iuris. In istorum christianorum numero erant multi reuera pauperes; etiam ex ijs qui diuites fuerant antea, sed facti christiani omnia sua in communitatem hanc contulerant, nulliusque rei sibi seruauerant proprietatem: sed non omnes diuites id fecisse, iam antea ad v. 32. dictum est. Neque contrarium probari potest ex verbis quæ hîc subijciuntur; istis, quibus redditur ratio quare nemo istorum esset egenus:

Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant; vendentes, afferebant precia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.

Non inquam probatur. Supra enim ad vers. 45. cap. 2. vbi hunc locum expendimus, & paulo antehac ad vers. 32. huius, varie probatum est quod qui ex primis illis Ierosolymæ christianis erant diuites, *non omnes omnium* bonorum proprietate sese exuerint; neque hoc iste B. Lucæ sermo significat: sed quod istorum diuitum plerique omnes bonam partem suorum bonorum immobilium vendiderint, & precium in communitatem per manus Apostolorum contulerint.

Cvr plerique id facerent, causæ erant diuersæ, quas ponunt Estius in Notat. & Baron. anno 34. §. 271. Vna, vt deinceps minus implicarentur curis & solici-

folicitudini rerum temporalium. Altera, ne à primoribus Iudæorum Christo aduersantibus, diriperentur & occuparentur ea bona. Hoc contigit fidelibus Iudæis à suis contribulibus, ijs fidelibus dico, de quibus Apostolus. 1. Thess. 2. v. 14. & Hebr. 10. v. 34. Tertia, vt ad fugam essent expeditiores, quando fugiendum esset, siue persecutionis declinandæ causa, vt cap. 8. huius in princip. siue obsidionis intra Ierusalem euitandæ gratia; quam sciebant obsidendam & vastandam; ex verbis Domini. Lucæ 19. v. 43. 44. & cap. 21. v. 20. & seqq. Quarta, vel primo loco ponenda; vt qui horum diuitum re aliqua impediebantur (de qualibus impedimentis supra ad v. 32.) vt non possent ipsi sese iam nunc dare in vitam communem; interea tamen eos qui illam iam erant sub Apostolis, vt ducibus & Magistris, amplexi, iuuarent rerum necessariarum suppeditatione; ita partem meriti in illorum perfectiore vita habituri. Nam bonam partem istorum primorum Ierosolymæ christianorum, sine vllius rei proprietate, vitam communem, seu ex communibus dumtaxat bonis, egisse, vt faciunt veri monachi; negari non potest: vt & supra admonuimus sub finem annot. ad vers. 45. cap. 2. Atque hinc est quod dici solet, in his primis christianis omnia habentibus communia, fuisse originem omnis vitæ religiosæ cœnobiticæ seu conuentualis. Quamquam non tam origo illic fuit, quam progressus. Nam eadem vita iam antea fuerat in collegio Apostolorum, cum Christo Domino adhuc mortali conuersantium. Vnde etiam talis vita, Apostolica solet appellari: omninoque existimare licet quod Apostoli inter hos vitam istam communem instituerunt & promouerunt, ad exemplum vitæ suæ, quam ipsi egerant sub Christo Domino. Voluntariam paupertatem in hac vita agnoscimus facilè: quoniam, sicut Apostoli reliquerant omnia (Matth. 19.) sic & isti de quibus nunc loquimur, nihil proprium habebant. Et rursum sicut Apostoli sine vxoribus viuebant (nam quando dicebant Matth. 19. *reliquimus omnia*; etiam vxores suas intelligebant, ij qui habebãt, vt Petrus Apostolus; quod patet ex verbis Domini quibus respondet illis hoc dicentibus, v. 29. ibidem:) ita & hi sine dubio; quia vita communis esset plena turbarum, rixarum & querelarum perpetuarum, si in eam admitterentur viri cum vxoribus: idque tum propter vxores ipsas, tum propter proles, quibus esset suppeditandum alimentum, & prouidendum de necessarijs vitæ in futurum. Iam quod attinet ad voluntariam obedientiam; Apostoli eam Christo Domino obtulerant, quando dicebant, *Sequuti sumus te*. Sic & isti de quibus agimus, Apostolis ipsis præstabant integram obedientiam sine dubio; à quibus toti pendebant, ad quorum pedes precia rerum vẽditarum multi posuerant, totam illorum distributionem ipsis relinquentes. Et per se liquet; quod sine eiusmodi obedientia non poterat subsistere illa vita communis.

Possit quæri An isti de quibus agimus, ea tria iam commemorata in quibus religionis substantia consistit, seruauerint ex voto aliquo. Et quanquam nulla expressa mentio sit voti, neque hîc neque sub finem cap. secundi, vt ibi obseruat Caietanus: tamen est verosimilius, eos voto coram Apostolis emisso, ista obseruasse. Hoc suadent rationes quibus vtitur B. Thom. 2. 2. q. 186. art. 6. Nam profectò isti christiani, non ad tempus dumtaxat, sed quamdiu

viuerent, in hoc genere vitæ versari cupiebant. Vnde in istis elucet vitæ monasticæ cœnobiticæ, non simpl'ex quædam imago, sed verum exemplar potius. Et huic concordāt dicta veterum Ecclesię Doctorum, de origine monastices & cœnobiorum; quorum nonnullos citauimus sub finem annot. ad v. 45. c. 2. quibus addi possunt S. Basilius reg. 19. & 32. fusior & multis aliis locis(cite eos Lor. ad v. 44. c. 2.) S. August. epistola 109. quæ epistola est regula monastica à sancto Augustino præscripta. In psal. quoque 83 ad titulum illius psalmi. Et in psal. 94. ad illum versic: *Non repellet Dominus plebem suam.* S. Hier. epistola 8. vbi manifeste votum hic agnoscit, saltem de conferendis bonis in commune. Cassianus de Institut. lib. 2. c. 5. Et Coll. 18. c. 5. (dignum lectu totum caput) Cœnobitarum disciplina (ait) à tempore apostol cæ prędicationis sumpsit *exordium.* Et mox, Talis erat tunc Ierosolymis Ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobijs inuenire difficile est.

OBSERVANDVM est ex hoc loco, Illos etiam qui bona sua conferunt *alicui* monasterio, in quo ipsi se se religioni deinde mancipāt, exequi consilium Domini Saluatoris, dicentis, *Si vis perfectus esse; vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & veni sequere me.* Nam ex his quorum meminit S. Lucas, erant nonnulli qui omnia sua venderent ac venditorum precium adferrent coram Apostolis in commune, ex quo comuni viuerent deinceps etiam ipsi. Vtrum vero melius sit, te illi monasterio dare in quo ipse victurus sis, an aliis pauperibus: problematice disputat Lorin. in fine annot. ad v. 34. huius.

VERS. 35. Et ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.

QVANDO dicitur istos fideles precia rerum venditarum *attulisse & posuisse ante* (παρὰ est græcè) seu *iuxta pedes Apostolorum*; ambigi posset, an singuli Apostoli sint intelligendi, an vniuersi, id est, ipsum Collegium; Apostolorum: nisi ex principio cap. 5. bene perpenso, liqueret satis quod hæc depositio preciorum fiebat coram ipso Collegio, id est, coram Apostolis simul congregatis. Id ab ijs fiebat, primo per singularem erga Apostolos reuerentiam. Secundo, ad declarandum quod harum pecuniarum integram atque omnimodam dispensationem relinquebant iudicio Apostolorum, tametsi non essent eam facturi suis manibus, sed per viros fideles atque industrios, quos quidem Apostolis quam sibi credebant notiores Atque harum causarum priorem explicuit Chrys. Tertia causa tropologicum habet sensum; scilicet istos fideles eo facto demonstrare voluisse quod bona huius mundi sint calcanda & contemnenda. Ea redditur à S. Hier. epistola 8. & ab Aratore in paraphrasi huius loci.

DIVIDEBATVR *autem singulis prout cuique opus erat*] *Diuidebatur*] authoritate quidem Apostolorum tanquam præfectorum; sed opera & ministerio bonorum ex toto illo numero, virorum, qui notitia, industria & diligentia ei officio essent idonei. Idem dictum fuit cap. 2. v 45.

VERS.

VERS. 36. Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum Filius consolationis) Leuites, Cyprius genere, &c.

QVARE S. Lucas specialiter subtexat exemplum Barnabæ, qui fecerit quod generatim iam v. 34. dictum est fecisse illos primitiuos Ierosolymæ christianos; variæ redduntur causæ. Chrysost. & Oecum. putant adferri, vt per antithesin magis elucescat indignitas facinoris quod commemorabitur initio capitis proximi, de Anania & Saphira. Alij credunt hæc de Barnaba nunc referri, vt intelligatur quibus gradibus ad apostolicam dignitatem postea perueneerit. Conferantur quæ sunt infra c. 9. v. 27. c. 11. v. 22. & seqq. vsque ad finem. cap. 12. in fine. c. 13. in princ. Nam quum esset vir egregie doctus, ac plenus fide ac reliquis Dei donis, (infra c. 11. v. 24.) hoc factum quod nunc narratur effecit vt Apostoli eum specialiter haberent notum & commendatum ad euangelici muneris officium ei iniungendum.

FORTASSIS autem, quia de S Barnaba sæpius in hoc opere sermo recurret, maxime à fine cap. 11. vsque ad cap. 16. ideo B. Lucas nunc, occasione accepta ex generali narratione præcedente hæc isto loco specialiter de illo putauit dicenda. Vel forte (vt quibusdam apparet) ideo: quia cum reliqui domos & agros eos tantum venderent quos habebant in Iudæa; ipse vendiderit agrum amplum & insignem quem habebat in insula Cypro; cuias erat ipse, vt hîc dicitur. Nunc verba videamus.

IOSEPH *autem*] Græci codices habent *Ioses*. id audaces scribæ nostri videntur mutasse in vocabulum ipsis notius, *Ioseph*. quod idem accidit in euangelio Matth. c. 27. v. 56. & Marci 15. v. 40. Vtroque loco græcè est patrius casus, Ἰωσῆ. *Qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis.*] Hinc liquet istum virum esse diuersum ab illo Ioseph cognomento Barsaba, qui Domino fuit oblatus vna cum Matthia, cap. 1. ad finem, etiamsi nonnulli putarint esse eundem, sed malè. Interpretationem huius cognominis addit B. Lucas, dicens, *Quod est interpretatum Filius consolationis.* Quæ oratio potest vel actiue vel passiue exponi: vt sit, Filius consolans. aut Filius consolationem accipiens. Passiuè exponit V. Beda, his verbis: Merito filius consolationis vocatur, qui præsentia contemnens, spe futurorum consolatur. Nam Spiritus sanctus in mundo pressuram habentibus, per internam sui muneris infusionem, consolationem cælestium præstat gaudiorum. Credibile est, potius actiuè exponendam hanc orationem, vt sit *Filius consolans seu consolator*, quod cum et tum hoc facto, tum alijs etiam modis, siuam in pauperes aut alio modo afflictos, pietatem & compassionis affectum, declarauerit; idcirco vocatum fuisse ab Apostolis *Virum consolatorem.* Conferantur loca huius libri paulò superius allegata. Actiua ista expositio est apud Oecumenium. *Leuites*] natus ex tribu Leuitica. *Cyprius genere.*] natus in Cypro insula, quo maiores eius fuerant profugi.

VERS. 37. Cum haberet agrum, vendidit eum &c.

SCRVPVLVS oritur quomodo Barnabas habuerit agrum, cum Leuitis non licuerit habere possessiones: lege id prohibente, Num. 18. v. 20. Deut. 10. v. 9. cap. 18. v. 1. & seqq. Sed facilis est responsio, Tribui Leui non esse assignatam certam aliquam portionem terræ promissionis, vt reliquis tribubus: sed extra terram promissionis habere possessiones rerum, etiam immobilium, non fuisse Leuitis prohibitum. Ager autem hic potuit in Cypro fuisse, quæ est longe extra Palesthinam. Quanquam & in ipsa Palesthina seu Terra promissionis Leuitas habuisse ex Dei ordinatione ciuitates, per omnes tribus alias, quadraginta octo, suæ habitationi: & earum suburbana, ad pecora sua alenda: liquet ex Num. 35. & ex Iosue 21. Potuit igitur ager iste Barnabæ Leuitæ esse in suburbanis alicuius ciuitatis terræ promissæ.

ARGVMENTVM.

CAPITIS V.



ANANIAS & vxor eius, ob fraudem factam in oblatione precij ex venditione conflati, diuinitus morte repentina puniuntur. Apostoli multis & magnis miraculis coruscant: carceri includuntur; ab angelo Domini liberantur; sistuntur concilio primorum Iudaicorum, à quibus increpantur propter prædicationem fidei Christi: refutant increpationem; versantur in periculo mortis, sed prudentia Gamalielis euadunt, verberati tamen; & pergunt quotidie intra vrbem Ierusalem annunciare, Iesum esse Christum.

VERS. 1. Vir autem quidam nomine Ananias cum Saphira vxore sua vendidit agrum.

AGRVM] græce est κτῆμα, possessionem: sed recte noster Interpres dixit *agrum*, speciem exprimendo; quoniam sic est infra v. 3. & 8. etiam græcè, vbi legitur τὸ χωρίον, τοῦ χωρίου; *prædium*. Ager autem varia significat; & terram arabilem, & pascua; nec solum ipsum fundum, sed etiam ædificia quæ in eo sunt, vt totum prædium *ager* dici queat.

VERS. 2. Et fraudauit de precio agri, conscia vxore sua;

FRAVDAVIT] seposuit, dempsit, abstulit, sibi retinuit. *Conscia vxore sua*] Hoc nunc additur, propter ea quæ narrabuntur v. 7. & seqq. *Et afferens partem quandam, ad pedes apostolorum posuit*. Illud (*quandam*) videtur habere vim minuendi; vt intelligamus maiorem partem precij istos coniuges sibi reseruasse; ac nihilominus simulasse quod adferrent totum. Quanquam futurum erat peccatum eorum non multo leuius, etiamsi minorem sibi partem retinuissent, simulantes interim sese adferre integrum precium. Cassianus collat. 6. c. 11. sub finem,

sub finem, intelligit eos quiddam exiguum sibi reseruasse: sed alter intellectus apparet melior.

AD *pedes Apostolorum posuit*] Ipso facto suo (quod erat simile facto reliquorum qui integra venditarum rerum precia Apostolis offerebant) significans, forte etiam inter offerendum sermone exprimens, esse agri sui venditi solidum precium. Sed Apostolus Petrus, reuelante Spiritu sancto, istam simulationem & occultam precij imminutionem, detexit; Deo ita volente, ad terrorem reliquorum. Vnde sequitur:

VERS. 3. Dixit autem Petrus; Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de precio agri?

PETRVS] patefaciens eorum occultum peccatum, iussu Dei; qui prophetico lumine illud, eo fine, ipsi reuelabat: idque totum ad terrorem & salutem cæterorum.

ANANIA] Credibile est B. Petrum antea ignorasse nomen huius viri, in tanto numero fidem Christi profitentium: sed ipsum quoque eum nunc scire per Spiritum Dei.

COR Vocat *ipsum principale cordis*, vt nominat Beda, more veterum ecclesiæ scriptorum: hoc est animam quatenus rationalis est. Confer dicta ad c. 4. v. 32.

CVR *tentauit Satanas cor tuum.*] *Propter quid*, græcè. & significatur causa vel finalis, vel mouens. διὰ τί. *Tentauit*. Videtur Interpres latinus in suo codice græco habuisse ἐπείρασεν pro ἐπλήρωσεν, *impleuit*; vertens *tentauit*. *Impleuit*] legit S. August de tempore barbarico cap. 3. Fulg. epistola 1. c 8. Sed sensus eodem redit: nam istud nostrum *tentauit*, iuxta vim originationis suæ debet accipi, vt sit, *tenuit, occupauit*; quæ est propria significatio. Sensus igitur est, Quare satanæ suggestionem in cor tuum admisisti? hoc est, Quare diabolo solicitanti ad malum, consensisti eousque vt mentireris Spiritui sancto? Non poterat Satanas hoc malo implere cor huius viri, nisi illo consentiente suggestioni, & per talem consensum aperiente cor suum Satanæ. Vnde v. 4. dicit ei Apostolus Petrus, *Quare posuisti in corde tuo hanc rem?* Ex quo intelligitur quod qui Diabolo tentanti consentiunt, ipsimet in suo corde ponant illud quo cor eorum implet ille. *Mentiebatur Ananias Spiritui sancto*; quoniam Apostolis Spiritu Dei repletis, Apostolis in quibus Spiritus sanctus residebat, mentiebatur; significans se non pluris agrum suum vendidisse quam tanti quantum ipse adferebat. Hunc sensum accipimus ex v. 8. & 9. huius cap. Ex quibus cum hoc loco collatis, discimus, quod Ananias quidem hoc mendacium committebat sui facti significatione, siue per suum agendi modum: vxor vero eius, expresso sermone idem mentiebatur, vt quæ B. Petro quærenti, *dic mihi*, *An tanti agrum vendidistis?* *Respondit*, *Etiam*; *tanti*. Videtur tamen in eo quod sanctus Petrus ait illum mentitum fuisse Spiritui sancto, amplius quiddam includi, iuxta ea quæ ad cap. 2. v. 4 1.

v. 44. in fine annot. diximus. Sequentia enim huius loci verba, quando adiungit B. Petrus *& fraudare de precio agri*, collata cum illis v. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo:* significant, Ananiam in hoc quoque fuisse mentitum, quod clanculum aliquid sibi seruasset ex precio agri venditi. Id quod intelligendum est, iuxta expositionem à nobis ad v. illum 44. ex Patribus traditam. Nimirum, clancularia ista reseruatione violabant hi suam promissionem, qua (cum cuperent viuere ex bonis communibus) vendito iam agro, Apostolis sancte promiserant totum precium conferre in commune; atque ita illud Deo vouerant. Huc facit quod B. August. ser. 10. de Diuersis, hic votum fuisse agnoscit; quo scilicet totum illud precium vouerant Deo. Si (ait) Deo displicuit detrahere *de pecunia quam vouerant Deo*: quomodo irascitur Deus, quando vouetur castitas & non exhibetur? Plane sic & Chrysost. hom. 12 in iterata expositione. Pecunias (inquit) suas accepit, *quas consecrarat*. Et prius, Deprehensus est Ananias *rerum propriarum fur*. Sanctus quoque Hierony. epistola 8. Ananias & Saphira dispensatores timidi, imo corde duplici, & ideo condemnati quia *post votum obtulerunt quasi sua, & non eius cui semel ea vouerant, partemque sibi iam alienæ substantiæ reseruauerunt*: præsentem meruere vindictam, non crudelitate sententiæ, sed correptionis exemplo. Addit S. Hieronymus, Denique, Apostolus Petrus nequaquam imprecatur eis mortem, vt stultus Porphyrius calumniatur: sed Dei iudicium prophetico spiritu annunciat; vt pœna duorum hominum sit doctrina multorum. Etiam Oecumenius istud precium Deo fuisse oblatum intelligit: ideo sacrilegium fecisse hos coniuges. Præcessisse aliquam talem promissionem, ipsa etiam B. Petri verba nobis indicant; quibus pergit alloqui Ananiam, ista scilicet,

VERS. 4. Nonne manens tibi manebat; & venundatum in tua erat potestate?

SENSVS est, Ager iste si mansisset, nonne mansisset tibi? hoc est, si non fuisset venditus, nonne pleno dominio tuus fuisset, sicut fuit antequam eum venderes? Et postquam vendidisti, nonne venditi precium in tua erat potestate, vt illud retineres si velles? Summa istius sermonis eo tendit vt significetur, Ananiam nemine compellente vel vrgente agrum suum vendidisse, & venditi totum precium Deo vouisse. Ex quo intelligitur sacrilegium eius, qui partem decerpsit ex pecunia quæ iam Dei erat per ipsius votum.

SVNT qui in priore huius sententiæ parte, hebraismum putent esse, conduplicationem scilicet hebraicam, maioris asseuerationis causa: sed hi non considerant quod istud (*manens*) non sit pars attributi sed subiecti. Oporteret autem eiusdem extremi esse ambo ea quæ congeminantur vt foret illa conduplicatio. Nos Hentenium hic sequimur, qui hanc expositionem innuerat parenthetica clausula in versione huius textus ad Oecumenij Commentarium. Addit itaque Apostolus Petrus;

QVARE *posuisti in corde tuo hanc rem*? Vbi, obseruandum est quod (vt & sup. monuimus ad v. 3.) nunc B. Petrus dicat Ananiam in suo corde hoc facinus posuisse,

posuisse, quo paulo ante dixerat cor eius fuisse impletum à Satana: vt intelligamus homines libera sua voluntate facere ea scelera quæ suggestore & tentatore diabolo faciunt; Ipsos sibi illud idem persuadere, quod eis persuadet Satan. *Posuerat Ananias hoc facinus in corde suo*, prius quidem illud mente reuoluendo, quod debuerat statim à sua cogitatione repulisse; deinde verò, voluntate sua in ipsius facinoris patrationem consentiendo. Magnitudinem facinoris ipsi aperit Apostolus, simulque punitionem à Deo esse metuendam, significat; dum adiungit,

NON *es mentitus hominibus, sed Deo.*] *Hominibus*; nobis scilicet Apostolis, coram quibus promiseras totum agri venditi precium conferre in commune, vt vidisti facere alios multos nouos christianos. Non principaliter *hominibus mentitus es; sed Deo.* Hoc ipsum erat quod iste mentitus dicebatur Spiritui sancto, v. 3. q. d. Deo promiseras & consecraras totum precium; dempsisti bonam partem, & adfers residuum, simulans id esse totum: ita fidem fallis Deo, & studes illudere seruis Dei.

ISTE locus à plerisque omnibus patribus obseruatus est & allegatus aduersus Pneumatomachos, Spiritus sanct. diuinitatem negātes: quum hîc extra numerum creaturarum ponatur Spiritus sanctus, per hoc, quod negatur Ananias mentitus fuisse hominibus, affirmatur autem fuisse mentitus Spiritui sancto, fuisse mentitus Deo. Cur autem peculiariter dicatur Ananias mentitus Spiritui sancto, quum toti sanctæ Trinitati fidem datam falleret: illa ratio reddi potest, quod diuinæ gratiæ dona solent appropriari Spiritui Sancto, sicut eidem appropriatur bonitas: donum autem prophetiæ quo cognoscuntur futura vel alioqui occulta, dabatur Apostolis, ac nominatim B. Petro. Ita fiebat vt peculiari quadam ratione hæc fraus, hæc promissionis violatio, hoc mendacium, esset contra Spiritū S. Deinde illa pacifica conuersatio, vita in ista communi, propriabatur Spiritui sancto; eadem ratione qua charitas, amor, concordia: Aduersus autem vitæ communis vinculum, erat ista fraus Ananiæ & vxoris.

VERS. 5. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expirauit.

TRIA circa hunc locum quæri possunt; Primum, An faciente aut quoquo modo cooperante Petro Apostolo, extinctus sit Ananias. Alterum, Quæ peccata eius hanc pœnam commeruerint. Tertium, An æterna morte perierit. Et quod de Anania quæritur, de Saphira similiter quæsitum intelligitur.

AD *primam* quæstionem, etsi nonnulli veterum, interdum sic, quadam sermonis improprietate, loquantur, vt dicant Petrum Apostolū verbo occidisse Ananiam & Saphiram: tamen si proprie loqui velimus, negandum est potius; ac dicendum non esse cooperatum ad mortem eorum, ne quidem tanquam Dei ministrum; sed dumtaxat peccatum eorum increpasse; mortem ipsis neque intulisse neque imprecatum aut comminatum fuisse, sed per Spiritum Dei solummodo prænunciasse; si non vtrique, saltē Saphiræ. Huc faciunt illa B. Hieron. verba, ex epistola 8. *Apostolus Petrus* &c. vt supra in fine annot. ad v 3. huius cap.

 Et con-

Et conformiter S. Thom. 2. sec. q. 64. art. 4. ad 1. inquit B. Petrum non sua authoritate eos occidisse, sed magis diuinam de eorum morte sententiam promulgasse. Quæ responsio confirmari potest ex similibus quibusdam. Elias vtique non occidit regem Israel, quando ei dixit, *De lectulo super quem ascendisti, non descendes; sed morte morieris*: 4. Reg. 1. Neque Ieremias propheta occidit pseudoprophetam Ananiam, quamuis ei dixerit quod eodem anno esset moriturus Ier. 28. ad finem.

HABEBANT Apostoli gratiam miraculorum: sed non expediebat ea vti ad homines occidendos, sicut ad resuscitandos aut sanandos. Gratiæ euangelicę & mansuetudini Christianæ illud non conueniebat: ac male audisset apud omnes christiana religio, si illud factum fuisset. Et sane ne aduersarij quidem Christi & Ecclesiæ eius, primores Iudæorum, hanc de Petro Apostolo opinionem habuerunt quòd esset cooperatus ad mortem istorum. Nam hoc ipso capite Petrus cum reliquis Apostolis producitur in eorum conuentum: & nihil tale ei objiciunt. Est igitur multo probabilius quod Deus sine vllo humano ministerio eos subitanea morte interfecerit. Id quod illa etiam verba B. Fulgentij significant epist. 1. c. 8. *Ananiam & Saphiram non solum vox Apostolica tanquam diuini iuris inuasores increpauit; sed etiam seueritas iustitiæ cælestis occidit.*

AD secundam quæstionem respondetur fuisse sacrilegium ab his coniugibus admissum, in eo quod pecuniam iam Deo ab ipsis dedicatam & consecratam, ad sese retraxerint, dum eius bonam partem sibi decerpserunt. Sacrilegij condemnatum Ananiam, ait S. August. serm. 25. de verbis Apostoli, quod Deum in pollicitatione fefellisset. Eodē pertinent verba Hieronymi epistola 8. supra citata. Chrysost hom. 12. in iterata expositione: Qui sacra diripit, sacrilegus est: Pecuniæ illæ iam erant sacrę. Igitur qui iterum ex illis sibi accepit, sacrilegus erat. Sanctus etiam Greg. lib. 1. epistola 33. Ananias pecunias Deo vouerat. & paulo post. Si ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos Deo abstulit; considera quanto periculo dignus in diuino iudicio eris, qui non nummos, sed teipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti! Oecumenius quoque Commentario ad hunc locum, verba B. Petri ad Ananiam dicta sic exponit: Non inuitos vos trahimus: sed cum vltroneè vobis placuerit offerre Deo victimam; rursus vos ipsos ad proprium vsum insumere, sacrilegium indubiè est. Tum addit Oecum. Ideo & sacrilegorum pœna sunt percussi, morte. Sacrilegium igitur videtur fuisse peccatum illud quod hic directè & principaliter fuerit punitum. Concurrebant tamen & alia. De auaritia satis apparet; nam ex hac profectum est istud sacrilegium. Ananias semel ab auaritia excæcatus, perniciem illam suo capiti conciliauit. Chrys. Fuit & diffidentia quædam erga diuinam benignitatem: quod diffiderent necessaria vitæ sibi futura deinceps, nisi tali artificio sublegerent partem Deo dicatæ pecuniæ.

AGNOSCIT B. Hierony q. 1. ad Hedib. in his coniugibus etiam cenodoxiam; quòd vanam gloriam sectabantur quasi perfectè renunciantes sæculo, reseruantes interim necessaria victui suo. Nempe volentes videri dare totum; interim reseruabant clanculum bonam partem. Iuxta quem Commentarium

Cenodoxia;

Cenodoxia ijs istam hypocrisim seu perfectionis simulationem persuaserit. Imo ex Chrysost. commentario initio hom. 12. apparet eum sensisse quod isti coniuges non solum statum perfectionis simularint, sed etiã ipsum christianismum; nec fuerint vere fideles; simulasse dumtaxat fidem Christi; & partem bonorum, alia retenta, obtulisse; vt hac via in vitam cum alijs communem admitterentur, nullaque re deinceps egerent, exiguo quodam in commune collato.

SVBORITVR hic humanis cogitationibus admiratio, Cur tam atroci pœna mulctatum fuerit hoc quicquid fuit peccati. Sed huic carnali humanæ mentis admirationi opponendum est, Deum nulli facere aut facere posse iniuriam, quum sit ipsa Iustitia. Meminisse idcirco oportet eius sententiæ Apostoli ad Rom. 3. *Numquid iniquus est Deus, qui infert iram?* & cap. 9. v. 14. *Numquid iniquitas apud Deum?* Et postea v. 19. *O homo, Tu quis es qui respondeas Deo?* Bene S. August. Enchiridij cap. 78. Quæ sint leuia, quæ grauia peccata; non humano sed diuino pensandũ est iudicio. Vtuntur plerique expositores hoc loco terribili illo exemplo quod legitur Num. 15. v. 32 & seqq vbi iubente Deo lapidatus est à multitudine populi Israel is qui die sabbati ligna collegerat. Sed in historia illa recte obseruat S. Isidorus Pelusiota lib. 1. epistola 181. illud peccatum accidisse statim post latam legem decalogi; ideoque seuere iussum puniri, ne scilicet ipsa lex in ipsis suis primordijs conculcaretur. Ita censet & hoc loco seueram pœnam istam diuinitus adhibitam fuisse, ad terrorem cæterorum; ne quis tali simulatione in vitam communem illorum primitiuorum Ierosolymæ christianorum irrepere tentaret. Et hunc spiritualem fructum hic sequutum fuisse, semel iterumque insinuat S. Lucas, scilicet hoc ipso versu, & 11. huius eiusdem cap.

AD tertiam quæst. dicendum est hominibus esse ignotum an æterna morte perierint an non. Ex scriptura sacra huius loci non liquet eos egisse veram super peccatis istis suis pænitentiam; non etiam affirmatur contrarium. quo fit vt in medio relinquenda sit ista tertia quæstio. Nam & Patrum sententiæ variant; alijs opinantibus negatiuam, alijs affirmatiuam quæstionis partem. S. August. serm. 10 de diuersis ita loquitur, Credendum est quod post hanc vitam ijs pepercerit Deus; magna est enim eius misericordia. Et postea; Correpti sunt mortis flagello, ne supplicio punirentur æterno. At apud eundem Augustinum serm. 25. de verbis Apostoli, legitur quod Ananias pariter pecuniam perdidit & salutem. Sed is sermo potius S. Maximi est Taurinensis episcopi, vt notarunt Louanienses theologi, tomo 10. operum Augustini. Nos pluribus sententijs veterum recensendis abstinemus; quoniam & omnibus vtrimque allatis atque collatis, dubia manet responsio. Nam ne August. quidem serm. illo 10. diuersorum, plane affirmat; sed in dubio relinquit. Cum enim protulisset illa Apostoli verba ex 1. Cor. 11. *Si nosipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur; dum iudicamur autem, Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur; subijcit, Quid si* ergo huic viro & vxori eius tale aliquid contigit?

SVBIICIT B. Lucas, *Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt.*

Timor] vtique salutaris, absterrens à peccatis: & eius gratia in cordibus hominum excitandi, edebatur diuinitus istud seueritatis exemplum, vt dictum iam fuit in solutione quæstionis secundæ.

VERS. 6. Surgentes autem iuuenes.)

EX numero fidelium vtique. *amouerunt eum*, Id est cadauer eius corripuerunt & inde abstulerunt. *&* *efferentes*] extra scilicet ciuitatem, *sepelierunt*. Tum sequitur narratio de vxore eius.

VERS. 7. Factum est quasi horarum trium spatium; & vxor ipsius, nesciens quod factum fuerat.)

QVONIAM scilicet (vt in talibus fieri solet) nemo illi adhuc tristem casum mariti nunciauerat; etsi interuallum iam esset trium horarum. Ita post Chrysost. Oecumenius. *Introiuit*.] Quo? Videtur quod in eum locum vbi erant Apostoli congregati, coram quibus Ananias partem pecuniæ attulerat, vt dictum fuit v. 2. Illuc *introiuit*, Fortassis declaratura quod suo consensu facta esset donatio quam fecerat maritus. Et huic coniecturæ fauet aliousque verbum *respondendi*, quod est v. seq. Videtur autem ex v. 6. quod & alij nonnulli præsentes ibi fuerint cum Apostolis. Vnde enim alioqui isti iuuenes, qui statim surrexerunt & amouerunt cadauer Ananiæ?

VERS. 8. Respondit autem ei Petrus,

RESPONDIT] sic est in melioribus libris latinis conformiter græco. Potest autem intelligi, Quum mulier ista incepisset dicere de donatione pecuniæ factæ per suum maritum: Apostolus Petrus, diuino iussu detexit fraudem coram ipsa quoque; sed antequam id faceret, eam interrogauit, vt occasionem illi præberet resipiscendi, & culpam agnoscendi. Quęsiuit ergo, *Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis?* hoc est, An non pluris prædium vestrum vendidistis, quam quantum scis esse coram nobis allatum à tuo marito? Hîc misera mulier debebat apud se cogitare, quod non sine causa id rogabat Petrus Apostolus; vir quem spiritu Dei plenum esse non poterat ignorare ex tot miraculis per eum (vt & per alios Apostolos) hucusque factis: iuxta ea quæ iam aliquoties dicta sunt: supra cap. 2. vers. 43. cap. 4. vers. 33. At illa, per auaritiam excæcata (quod ait Chrysost.) vel inutili muliebri pudore occupata, mentitur Apostolo Petro; & dicit, *Etiam, tanti*. Pro illo (etiam) græcè est ναὶ, quod affirmat asseueranter. q. d. Verè non pluris vendidimus, quam maritus meus attulit.

VERS. 9. Petrus autem ad eam, Quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini?

SENSVS, Quare inter vos consentitis de eo vt tentetis Spiritum Domini? Tentabant isti Spiritum sanctum; quoniam scientiam quam is Apostolis dederat,

dederat, quodammodo voluerunt explorare, num scilicet cognituri essent per Spiritum Dei, si ipsi pro toto agri precio, partem dumtaxat adferrent in commune ærarium. Hanc spiritus S. tentationem fecerint isti si non omnino formaliter & expressè; saltem æquiualenter & interpretatiuè: iuxta ea quæ de Tentatione Dei tradit S. Thom. 2. sec. q. 97. art. 1. c.

ECCE *pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium*; subauditur, adsunt: *& efferent te*. in sepulcrum scilicet. Denunciatio est iam iam instantis mortis diuinitus infligendæ. Conferantur dicta ad v. 5. in solutione quæstionis 1.

VERS. 10. Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit. Intrantes autem Iuuenes, inuenerunt illam mortuam: & extulerunt & sepelierunt ad virum suum.

DE hoc versu nihil dicendum peculiariter, quia eadem sunt cum his quæ dicta fuerunt de Anania. Sequitur,

VERS. 11. Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc.

ETIAM hoc dicebatur v. 5. Conferantur quæ illic dicta sunt in solutione quæstionis secundæ. Pergit B. Lucas & dicit.

VERS. 12. Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe.

HOc ipsum iam dictum fuit c. 2. v. 43. c. 4. v. 33. Et hoc Apostoli à Deo petiuerant ad confirmationem doctrinæ ipsorum de resurrectione Saluatoris; atque adeo totius doctrinæ ad fidem Iesu Christi pertinentis. supra c. 4. v. 29. 30. Quare hoc ipsum ad consolationem pertinebat Apostolorum quod Deus quotidiana pene miracula per eos edebat: vt admonet Chrysost. & ex eo Oecumenius. Simul his verbis innuit S. Lucas, quòd magnus timor magnaque reuerentia erga Apostolos, occupauit animos omnium quibus aliquid bonæ indolis esset, non tantum propter terribile illud exemplum editum in Ananiam & Saphiram; sed etiam propter quotidiana pene miracula quæ per illos edebantur, ad beneficentiam pertinentia; ad depulsionem præsertim morborum, & dæmoniorum humana corpora obsidentium; vt specialiter exponitur infra, v. 15. & 16. Atque hinc iam intelligitur qui factum sit vt Apostoli nunc permitterentur libere agere in locis publicis, videlicet in templo; in porticu Salomonis. Nam cunctis erant terrori, propter multitudinem miraculorum. Hæc post Chrysostom. Oecumenius. Addit igitur B. Lucas de Apostolis,

ET *erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis*. Nam quod istud *omnes* de solis Apostolis sit intelligendum, de quibus sermo præcessit: ex v. proximè sequente est manifestum, vbi dicitur, *Cæterorum nemo audebat se coniungere illis*,

 Erant

Erant igitur omnes Apostoli vno animo summaque mentium coniunctione *in porticu Salomonis:* illa scilicet vtentes pro domo, ibiq; commanentes; nisi quempiam illorum huc vel illuc certum negotium inuitaret, aut nisi in ipsum templum prodeundum esset, orationis vel prædicationis causa. Quamquam & extra templum concionabantur, alius alibi; vt ex fine huius capitis doceri potest. De porticu Salomonis, satis dictum videtur ad cap. 3. v. 11.

VERS. 13. Cæterorum autem &c.

ETIAM bonorum fidelium, *Nemo audebat se coniungere illis*; hoc est, cum illis familiariter versari; præ reuerentia scilicet apostolicæ dignitatis, quam Deus miraculorum gloria continuo augebat & illustrabat. Accipimus eum commentarium ex Chrysost. nam alij aliter hoc intelligunt, non valde probabiliter. *Sed magnificabat eos populus*. Sensus, Populus Ierosolymitanus eos absentes magnifice collaudabat; sed & præsentes vspiam, magno in honore habebat. Id quod de illa parte populi quæ iam fidem Christi susceperat, indubitatum est: quin & de illa quæ nondum, sed tamen non gerebat animum hostilem in Christi fidem, & in Apostolos eius annunciatores; quales erant ij qui hærebant animo, mirabantur, paulatim fidei propinquabant. Nam quod ista erga Apostolos reuerentia accessum ad fidem Christi aperiebat, docetur ex his quæ subiungit sacer historicus noster, inquiens,

VERS. 14. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum:

AVGEBATVR] quotidiana accessione eorum qui fidem Iesu Christi suscipiebant. Grandius quiddam sonat ista pars in originali, hoc modo: *Magis autem multitudines & virorum & mulierum apponebantur, credentes Domino. Apponebantur istæ multitudines*, Apostolis & Ecclesiæ illi primitiuæ conuersæ per Apostolos. Sic enim loquitur author hic noster, supra cap. 2. extremis verbis, præsertim in originali.

VERS. 15. Ita vt in plateas.)

KATÀ τὰς πλατείας, per plateas, plateatim; vel potiùs, *secundum seu iuxta plateas*: & pertinet ad vtrumque verbum subsequens. *Eijcerent*] exportarent, efferrent.

INFIRMOS; *Et ponerent in lectulis ac grabatis*; scilicet iuxta ipsas plateas. Quorsum? *Vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quempiam illorum*. Passim in hoc opere est obseruandum, quòd B. Petrus capitis officium & ipse exercet, & à fidelibus habere intelligitur. Obseruanda est & connexio, qua B. Lucas istam clausulam, *Ita vt in plateas* &c. connectit præcedenti proximè sententiæ; vt intelligamus venerationem Sanctorum, eorum inuocationem, nec non fiduciam qua catholici sperant intercessione ipsorum sese per Deum liberandos à suis malis, & salutaria bona consequuturos; proficisci ex vera fide

qua

qua in Deum creditur, Hoc de connexione est nobis dictum aduersus Erasmum, temerarium censorem in multis, vt & hîc.

CÆTERVM quod hîc addunt nonnulli codices, *& liberarentur omnes ab infirmitatibus suis*; id abest à melioribus libris latinis, vt & à græcis: ideoque censendum est non esse de textu; licet vnusquisque facile apud se hoc subintelligat, vtpote congruens cum extrema parte versus seq. vbi dicitur, *Qui curabantur omnes.* Sic enim sequitur.

VERS. 16. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem; afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes.

VEXATOS *à spiritibus immundis.*] Non significat eos solos qui corporaliter à dæmonibus obsidebantur, sed etiam illos qui corporaliter ab illis affligebantur, tametsi non obsessi. Vexabat B. Iob, Satan; vexabat S. Antonium, & quidem ita vt corpus eius variè laceraret, intantum vt doloris magnitudo & motum ei auferret & vocem; ait S. Athan. in vita Antonij: Neutrum tamen horum ille corporaliter obsedit. Varijs igitur modis vexari possunt homines à spiritibus immundis, si Deus eis permittat. Cur autem dæmones vocentur *spiritus immundi*; illa ratio est, quoniam & ipsi omni munditia, sanctitate, omni intellectuali puritate priuati sunt, suo ipsorum vitio; & omnem sanctitatem hominibus eripiunt & auertunt, si possunt. Nec enim propter solam quam hominibus suggerant, carnis impuritatem, dicuntur spiritus immundi: vt facile docetur ex Marci 3. v. 22. collato cum v. 30. eiusdem. *Qui curabantur omnes*] *Curabantur* Id est, sanabantur seu liberabantur, causa pro effectu. Et hoc in nomine Iesu Nazareni; id est, Apostolis super eos inuocantibus potentiam & meritum Domini Iesu crucifixi, sicuti curatus fuerat ille claudus de quo c. 3 in principio.

AN ad expulsionem dæmonum Apostoli vsi sint imperio; hîc non exprimitur: sed non est improbabile factum in multis. Ita enim videmus fecisse & Apostolum Paulum, infra cap. 16. v. 18. *Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea*, dicebat ille spiritui malo pythonico obsidenti puellam eo spiritu diuinatricem.

Esse duos modos eijciendi dæmones è corporibus obsessis; vnum per imperium, vtendo potestate quam Christus suæ Ecclesiæ reliquit; alterum, per preces ad Deum, qui Dominus est omnium, suas, vt dignetur creaturam suam à tali infestatione liberare, ipse qui est Dominus etiam spirituum istorum malorum quamuis ei rebellium: monuit Martinus Rythonius in Manuali Iprensis ecclesiæ. Vtrumque modum est obseruare in vitis sanctorum Antonij & Hilarionis, scriptis per Athanasium & Hieronymum.

QVÆRI posset An omnes illi de quibus hic dicitur quod sanati fuerint; item an omnes qui illos apportabant, aduehebant vel adducebant Ierosolymam ad Apostolos, fuerint vere fideles. Responderi potest, fuisse sine dubio

vnius-

vnius veri Dei cultores: non liquere autem an iam tum omnes illi habuerint fidem Christi, id est qua crederent Iesum esse Christum; illi tamen fidei non fuisse aduersarios, & his ipsis corporalibus beneficijs ad eam fuisse inuitatos, & plerosque perductos. Sicut regulus ille de quo Ioan. 4. sub finem, non habebat veram de Iesu fidem, antequam is absens sanasset filium ipsius: sed eo miraculo Iesum esse Christum *credidit ipse & domus eius tota*; vt dicitur ibidem.

QVAMVIS autem Deus Apostolos suos magnis & frequentibus miraculis claros redderet, essentque plerisque omnibus venerationi: tamen Princeps tenebrarum illos in primis excęcauit & aduersus apostolos, ideo quod fidem Iesu Christi annunciarent, commouit, qui præ cæteris huic euangelio de Iesu credere debebant; principes scilicet sacerdotum, & primores populi Iudaici; de quibus iam sequitur narratio.

VERS. 17. Exurgens autem Princeps sacerdotum & omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo.

PRINCEPS *sacerdotum*] intelligitur summus eo tēpore Iudæorum Pontifex, vtpote ad quem cura religionis pertinebat. Videbantur autem Apostoli nouam religionem inuehere: quum non inueherent nouam, sed veterem per prophetas quondam annunciatam adferrent, & miraculis confirmarent, hunc scilicet Iesum Nazarenum crucifixum esse Messiam Domini; eundemque ex morte rediuiuum regnare in cœlo & in terra. Verisimile est autem istum summum Pontificem fuisse Annam: si quis conferat hæc cum c. 4. v. 9.

ET *omnes qui cum illo erant*] Id est, omnes qui præcipuè cum summo pontifice sentiebant, de impedienda hac noua doctrina Iesum Nazarenum esse Christum Domini, esse resuscitatum ex morte. Cuius autem conditionis ij essent, sanctus Lucas exprimit dum adiungit, *qua est hæresis Sadducæorum.* Sadducæi enim conabantur propria quadam ratione impedire doctrinam Apostolorum; quia scilicet annunciabant & miraculis confirmabant resurrectionem Iesu Nazareni iam esse factam; omnium hominum aliquando futuram: resurrectionem autem mortuorum negabant isti hæretici Sadducæi. Conferantur dicta ad cap. 4. v. 1. & 2. *Repleti sunt Zelo*: Rectè fecit Interpres quod græcam vocem nobis reliquit; vt scilicet ambiguitatem illius nobis exhiberet; quod semper est Interpreti cuique faciendum, nimirum vt locum verè ambiguum, ipse ambiguum relinquat.

VALDE varia significat nomen ζῆλος: huic tamen loco duæ significationes potissimum videtur quadrare, iræ scilicet *& Inuidiæ. Iram* in Apostolos concipiebant isti eo quod non parerent interdicto quo ipsis prohibuerant ne deinceps vllis hominibus annunciarent nomen Iesu Nazareni; minis etiam additis si cōtra facerent. Supra c. 4. v. 18. & 21. Non erat hæc iustæ iræ materia: quoniam Apostoli

Apostoli nulla iniuria afficiebant istos primores in eo quod huic interdicto non obedicbant; vt pote quod esset contrarium præcepto diuino, quod ipsi acceperant à Deo, de prædicando Iesu Nazareno Iudæis & Gentibus, tanquam vero & vnico saluatore mundi. Id quod istis ipsis primoribus, clare responderant Apostoli dicti cap. 4. v. 19. & iterum respondent infra v. 29. huius. Accedebat quòd qui hic inflammabant summum pontificem, præcipuè erant Sadducæi, contra quorum hæresim Apostoli docebant & miraculis confirmabant, Iesum surrexisse è morte. Hinc altera ira, alter zelus, pro sua hæresi. *Inuidiam* vero credibile est concepisse istos primores ex eo quod viderent quotidie fieri auctiorem nouellam istam Christi ecclesiam, accessione ciuium Ierosolymitarum, & aliorum qui extra Ierusalem sedes habebant; vt proximè dictum est. Viderent item in quanta authoritate essent Magistri nouorum istorum fidelium, Apostoli nimirum; tum concionum & doctrinæ causa, tum miraculorum gloria quæ per eos à Deo edebantur, tum sanctitatis ratione. Itaque *repleti sunt zelo*, id est feruida ira, feruidaque inuidia; aduersus quidem totum istum gregem nouellarum ouium Christi, sed peculiariter aduersus gregis magistros, Iesu Christi Apostolos. Atque hoc zelo accensi, fecerunt id quod sequitur,

VERS. 18. Et iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica.

CVR in publicos carceres eos detruserint, diuersæ causæ occurrunt: siue quòd firmiores essent ij carceres, siue quod magis infames; vt viderentur scilicet Apostoli esse è numero maleficorum; siue quod magis molesti & ærumnosi. Cupiebant enim carceris molestia adducere Apostolos ad confessionem delicti quasi iussis eorum inobedientes præuaricati fuissent, seque ipsos præuaricatores agnoscerent: Vtque hanc ab ijs confessionem extorquerent, ideo molesto carceri eos mancipabant. Ita Oecumenius. Accedebat quod metu populi non audebant eos subito interficere: sed specie iudicij eo peruenire cupiebant.

MIRVM videretur quod Apostolos suos Deus permiserit hac afflictione humiliari, nec miraculo aliquo eos aduersus vim hostilem protexerit: nisi ex hac ipsa eorum humiliatione, maior Dei gloria fuisset exorta. Nam

VERS. 19. Angelus autem Domini, per noctem, aperiens ianuas carceris & educens eos, dixit:

CVM expresse dicat B. Lucas angelum Domini *aperuisse* ianuas carceris: satis mirum videtur nonnullos expositores sentire quod clausis ianuis sint educti Apostoli. Fuit interim supra humanas vires quod ianuæ carceris sine clauibus, sine vllo strepitu, sine vlla ruptura, aperirentur. En hic exemplum aliud Dei erga suos, temporibus dubijs, benignitatis; quodque eam tunc potissimum exercet, quando secundum humanum iudicium, res videntur deplo-

ratæ. Vt hic sane; omnibus simul Apostolis comprehensis: quum prius Petrus dumtaxat & Ioannes captiui fuissent. Porro Angelus, ipsius Dei mandato, iubet liberatis vt non desinant annunciare doctrinam de Christo; tametsi habeant tantos aduersarios. Quæ iussio vtique magnam illis addebat fiduciam adiuturi diuini auxilij. Angelus itaque educens eos, dixit:

VERS. 20. Ite, & stantes loquimini in templo, plebi, omnia verba vitæ huius.

IN *templo*] Nomine *templi* comprehenduntur, etiam porticus templo adhærentes. Non enim in eodem vno loco simul loquebantur omnes Apostoli; sed alij alijs in partibus templi & porticuum adhærentium.

OMNIA *verba vitæ huius*] πάντα τὰ ῥήματα. Videtur illud (*verba*) hebraismo poni pro rebus ipsis: vt sensus sit, omnes partes, omnes articulos, *vitæ huius*, id est, vitæ christianæ. Eius vitæ prima pars est fides de Iesu Nazareno quod ipse sit Christus, quodque ex morte surrexerit. Est enim vera spiritualis vita per quam in Deo & secundum legem Dei viuitur: quare *verba vitæ huius* sunt doctrina fidei christianæ & morum salutarium. Conferatur quod dicit S. Petrus ipsi Domino, Ioan. 6. v. 69. Quod vero ait angelus *omnia verba*] intelligendum vtique est secundum principalia totius doctrinæ christianæ capita. q. d. tam ea quæ ad rectam fidem pertinent, quam quæ ad mores & actiones Deo gratas, ideoque saluti sempiternæ facientes. Vel potius, est distributio per tacitam subauditionem; vt sit sensus, Omnia verba quæ loqui vos iubeo, loquimini de vita ista. q. d. Illi vos prohibuerunt annunciare nomen Domini Iesu: vos quicquid in templo concionaturi estis, loquamini de illo. Confer supra cap. 1. v. 1.

VERS. 21. Qui cum audissent)

ANGELVM Domini ista sibi præcipientem. *Intrauerunt diluculo in templum.*] Solebat enim populus multus in templum confluere orationis causa, simul atque valuæ templi & porticuum essent apertæ. *Et docebant.* Simpliciter obedientes præcepto Domini sibi per angelum facto; non ignari interim instare sibi tribulationem à primoribus, sed exitum committentes diuinæ prouidentiæ & benignitati. Exemplum est hoc nobis, obediendum esse Deo aliquid iubenti, neglecto periculo quod eius causa nos manere possit. Docebant autem ea vtique quæ iussi erant docere, pertinentia scilicet ad fidem Christi & ad vitam christianam.

ADVENIENS *autem princeps sacerdotum*] de quo v. 17. *Et qui cum eo erant*] Id est, qui præcipue illi in hoc negocio aderant, ad impediendum scilicet doctrinam & conciones Apostolorum; nempe Sadducæi, de quibus eodem v. 17. *Adueniens* porro, seu accedens, intellige in locum vbi solebat haberi conuentus primorum Iudæorum numerosior. Id enim accipimus ex verbis seqq. *Conuocauerunt concilium*] græce est τὸ συνέδριον. q. d. consessum. sed intelligitur eo nomine concilium numerosissimum. *Et omnes seniores*] καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν.
q. d.

q d. vniuersam senectutem, id est, totum numerum seniorum. Quod sequitur *filiorum Israel*] videtur ad vtrumque præcedens pertinere, id est, non solum ad istud *seniores*; sed etiam ad illud, *concilium*. Cum his sunt conferenda quæ dicta fuerunt ad v. 5. & 6. capitis 4. Satis apparet hunc conuentum fuisse habitum summo mane; ex seqq. quoniam nondum peruenerat ad quemquam istorum rumor Apostolos stare in templo.

ET *miserunt ad carcerem vt adducerentur*. Quum iam iusto numero conuenissent isti primores; facta est hæc missio apparitorum, qui è carcere adducerent Apostolos.

VERS. 22. Cum autem venissent ministri, & aperto carcere non inuenissent illos: reuersi, nunciauerunt dicentes;

VERS. 23. Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentia; & custodes stantes ante ianuas: aperientes autem, neminem intus inuenimus.

VIDETVR prima fronte hæc narratio repugnare his quæ sunt v. 19. vbi dicebatur quod angelus Domini noctu aperuit ianuas carceris. Sed facilè respondetur quod Angelus Domini, sicut sine strepitu aperuerat ianuas; ita & sine strepitu eas clausit eductis Apostolis. Et fortassis idem factum fuit de porta ferrea, quæ aperta fuit per angelum, dum Petrum Apostolum educeret. Infra cap. 12. v. 10. Nam & illa videtur deinde fuisse clausa ab Angelo; siquis bene consideret quæ illo capite sequuntur, v. 18. Neque enim vsque ad claram diem latuisset Petri liberatio, si porta ferrea quæ ducebat ad ciuitatem, mansisset aperta.

VERS. 24. Vt autem audierunt hos sermones Magistratus templi, & principes sacerdotum:

MAGISTRATVS. est singularis numeri, sicut etiam cap. 4. v. 1. Videantur quæ ibi dicta sunt. Græce est ὁ στρατηγός. *Et principes sacerdotum*] Quoniã pontifex Iudæorum vnicus erat: ideo per istos principes sacerdotum sunt intelligendi præcipui quique illarum vigintiquatuor familiarum sacerdotalium, de quibus 1. Paralip. 24. & hoc modo sæpe capiuntur Principes sacerdotum in historia euangelica. Confer quæ dicta sunt ad cap. 4. v. 6. in fine annot.

AMBIGEBANT de illis quidnam fieret. Sensus. Erant ancipites animo, hæsitabant apud se, quidnam rei hoc esset quod sine humana opera Apostoli essent educti ex carcere; & quonam euasissent. Ne sic quidem (ait V. Beda) fidei sese dare volebant isti primores. Tanta enim erat malitia, vt cor perfidum, etiam in manifestis signis, obduraret. Ita ille nimis vere.

VERS. 25. Adueniens autem quidam nunciauit eis; Quia ecce viri quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes & docentes populum.

QVASI dicat ne sitis perplexi quonam diffugerint viri isti: *ecce in templo stant* non quærentes latere; stant omnes & docent populum suam de Iesu Nazareno doctrinam, quod ipse à morte resurrexerit, quodque sit vnicus ille Saluator mundi.

VERS 26. Tunc abijt Magistratus.)

ID est, Præfectus ille, ac veluti prætor templi, vt v. 24. *Cum ministris*) hoc est, cum suis satellitibus, qui illi subseruiebant in officio curandi & seruandi templi. Et quia eius officium erat curare honorem & dignitatem templi: idcirco is cum suo satellitio copioso, vadit ad adducendos è templo Apostolos, tanquam qui non legitima authoritate ibi docerent. *Et adduxit illos sine vi*] Hoc est, neque ligauit eos neque fecit captiuos: sed ciuiliter cum ijs egit, dicens quod magnus primorum conuentus iam cōgregatus, cuperet ipsis loqui, ideoque petere vt ad se veniant, vel simili quodam modo blande illos alloquens. Cur non ceperint eos captiuos, ignominiæ causa, quos tamen tanquam sceleratos incluserant carceri publico: causam reddit B. Lucas, dum subdit, *Timebant enim populum, ne lapidarentur.* Iam dictum fuit. v. 13. quod populus magno in honore habebat Apostolos; vt per quorum manus fiebant signa & prodigia multa in plebe: Merito igitur metuebant Prætor templi & milites eius, populum non laturum vt ipsi Apostolos ignominiose tractarent.

APOSTOLI non recusauerunt vna cum Præfecto militari ipsius templi, ipsiusque militibus, accedere ad concilium primorum; quoniam id non erat illicitum. Neque opposuerunt exceptionem, etsi legitimam, quod non essent subditi illis primoribus: non opposuerunt inquam, ad populo demonstradum exemplum obedientiæ. Simul voluerunt ostendere bonitatem causæ suæ, securitatem conscientiæ propriæ, & fiduciam quam habebant de diuino auxilio sibi adfuturo.

HIC addit Chrysost. Insipientiam fuisse magnam istorum, qui timebant populum, Deum autem non timebant; qui tamen tot modis declarabat istos viros sibi gratos esse, & à se missos.

VERS. 27. Et cum adduxissent illos; statuerunt in concilio.)

IN medio nimirum totius conuentus, primoribus in corona circumsidentibus. *Et interrogauit eos princeps sacerdotum*] summus eo tempore Iudaicus pontifex; quoniam scilicet agebatur negotium religionis.

VERS.

VERS. 28 Dicens; Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto:

NIHIL inquirit pontifex iste quomodo ex carcere euasissent; quod ante omnia (ait Chrysost.) interrogandum erat; si sincerè negotium istud tractassent primores; sed quasi nullo miraculo fuissent ex carcere liberati, primis statim verbis cum eis expostulant, tanquam cum rebellibus, & tanquam cum calumniatoribus. Tanquam cum rebellibus; dum dicunt, *Præcipiendo præcepimus vobis &c. & ecce repleistis Ierusalem doctrina vestra.* Loquuntur autem de minaci illo interdicto quod fecerant Petro & Ioanni, & in eorum persona reliquis Apostolis: supra c. 4. v. 18. 21. nempe vt neque docerent, neque vlli mortalium loquerentur, Iesum Nazarenum esse saluatorem mundi. *Et ecce repleistis Ierusalem doctrina vestra*, qua scilicet docetis Iesum istum esse vere Messiam, esseque à Deo resuscitatum ad vitam immortalem. q. d. fecistis plane contrarium eius quod prohibueramus. Tanquam vero calumniatores incusant Apostolos, dum addunt, *Et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.* Sensus, Et reos nos dicitis ob mortem istius Iesu Nazareni; quasi scilicet ille fuerit iustus, & nos iniustè curauerimus eum crucifigi. Hoc Apostoli iam ijs, salutis ipsorum causa, obiecerant cap. 2. v. 23. 36. cap. 3. v. 13. 14. 15. 17. cap. 4. v. 10. 11. 27.

VERS. 29. Respondens autem Petrus & Apostoli, dixerunt; Obedire oportet Deo magis quam hominibus.

IDEM responderant Petrus & Ioannes cap. 4. v. 19 Illud (*magis*) significat quis sensus sit huius responsionis, videlicet, Obediendum est Deo, & non hominibus, quando non potest & his & illi simul obediri. Significant Apostoli iniustam fuisse prohibitionem sibi factam; Imo sibi esse illicitum abstinere ab eo à quo abstinere ipsos iusserant primores. q. d. Debemus obedire Deo, nobis iubenti vt annunciemus Iesum Nazarenum esse Christum, esseque resuscitatum ad vitam immortalem: & non licet nobis obedire hominibus hoc ipsum nobis prohibentibus, ideoque contrarium Deo iubentibus. Conferantur quæ diximus ad v. 19. c. 4. Apostoli in summa, respondent, non licuisse sibi obedire illi minaci interdicto, eo quod esset Deo contrarium. Quod vero esset Deo contrarium, exponunt per sequentia, quibus declarant sibi à Deo iussum vt docerent id quod docebant de Iesu Nazareno. Et eadem opera respondent posteriori expostulationi, ostendentes quod isti primores verè essent rei mortis Domini, vt qui immane paricidium commiserint tradentes morti Saluatorem. Pergunt igitur, & addunt Apostoli;

VERS. 30. Deus Patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.

SVSCITAVIT *Iesum.*] Sic adhuc loquuntur Apostoli, nec dicunt quod Iesus seipsum ex morte suscitarit: quoniam diuinitas Christi nondum his ita affectis erat aperte exponenda; sufficiebat dicere hominem sanctissimum ac Deo patri vnicè charum fuisse & esse, vt quem ex morte ad vitam immortalem excitasset. Idque ita esse, Deum testari per tot tantaque miracula quæ in confirmationem huius doctrinæ, per ipsorum ministerium, in luce omnium, Ierosolymæ, inter ipsos quotidie fiebant. Ita fere Chrysost. & eius relator Oecumenius. Et quamuis vox græca quæ hîc est pro nostro *(suscitauit)* ἤγειρεν, generaliter significet excitare, facere oriri, constituere: tamen de suscitatione ex morte rectè accipi, suaderi potest ex cap. 3. v. 15. & cap. 4. v. 10. vbi in originali est idem verbum græcum, ἤγειρεν.

QVEM *vos interemistis*] vox græca amplius quiddam sonat. *Quem vos manibus violentis occidistis.* Atque his verbis Apostoli depellunt à se crimen calumniæ. q. d. Criminamini nos tanquam calumniatores, quod reos vos dicamus mortis Messiæ: non est calumnia, sed iusta reprehensio; quia reuera ingens peccatum admisistis dum per manus Pilati & militum eius vos affixistis cruci Saluatorem mundi: quem Deus deinde statim è morte suscitauit. Eâdem itaque operâ Apostoli & respondent expostulationi primorum istorum, & coram ijs profitentur fidem Christi, tum officij sui explendi gratia, tum verò istos ad eandem fidem saluti necessariam adducendi. Nam eò pertinent & sequentia Apostolorum de Iesu Nazareno verba.

VERS. 31. Hunc principem & Saluatorem Deus exaltauit dextera sua;

DEXTERA *sua*] Id est, sua potentia; vt sæpe alibi. Græce est talis verborum ordo, Hunc Deus &c. quod eo valet vt sciamus in nostris codicibus non esse appositiue iungenda ista, *hunc & principem*; sed illud *hunc* quodammodo à fronte verbi *exaltauit*, alterum à tergo esse intelligendum, quod magis apparebit si oratio ex actiua vertatur in passiuam. vt sensus sit, Hunc Iesum Nazarenum Deus pater dextera sua exaltando fecit Principem & Saluatorem. Intelligitur autem in regno spirituali, in salute animæ danda: de quo principatu suo, ipse ad Pilatum Ioan. 18. & Angelus Deiparæ Lucæ 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum.* Spiritalem principatum istum ex parte sequentia exponunt. *Ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.* Hi sunt enim effectus, hi fines aduentus & passionis ac mortis Christi, hæc est pars spiritualis regni Christi, videlicet pœnitentiæ donum cordibus diuinitus inspiratæ, remissio peccatorum, & quæ illi est coniuncta, iustificatio, qua perueniatur ad salutem æternam.

PORRO

PORRO tam græce [ubi legitur δοῦναι, dare] quam nobis, est ambiguum vtrum à Deo Patre, an à Iesu Nazareno Apostoli sentiant dandam Israeli pœnitentiam & remissionem peccatorum. cum enim sic dicitur, *dare seu vt daret*, potest subaudiri suppositum verbi ex præcedentibus, vel *Deus*, vel hic *Iesus*. Et fortassis sacer scriptor ipseque Spiritus sanctus vtrumlibet horum voluit â nobis intelligi, quoniam rectè se habet sensus vtroque modo. Oecumenius manifeste intelligit hoc dici de ipso Iesu: & bene quadrat quod verbis præcedentibus ipse nominatur Saluator. Dat ipse pœnitentiam ac remissionem peccatorum, merito suo nobis eas obtinens; quatenus quidem homo est: quatenus autem Deus, ipse principaliter hæc dat, vna cum Deo patre & Spiritu sancto; quoniam indiuisa sunt Trinitatis opera in extera.

OBSERVANDVS hic locus propter Pelagianos, qui remissionem peccatorum Deo cogebantur tribuere, quoniam nemo eam sibi facere potest: sed fidem & pœnitentiam, bona opera, & in ijs perseuerantiam, non credebant egere diuina gratia, sed liberum arbitrium sibi ad hæc sufficere. Hostes Christi & salutis humanæ.

OBSERVANDVM etiam quorsum Apostoli attexant ista de pœnitentia danda Israeli, & remissione peccatorum: nempe vt istos primores, quos tanti parricidij arguebant, nihilominus seruarent à desperatione salutis; & viam ostenderent qua ad huius quoque tam ingentis sceleris veniam peruenire possent; suscipiendo scilicet fidem de Iesu quod sit Christus Domini, pœnitentiam agendo, & sic per baptismi sacramentum remissionem peccatorum accipiendo; vt expressit idem S. Petrus. supra. c. 2. v. 38. licet hic nihil adhuc de baptismo exprimat; vt neque cap. 3. v. 19. Addunt Apostoli;

VERS. 32. Et nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.

HOC Apostoli adiungunt tanquam assumptionem ad illam propositionem, Obedire oportet Deo magis quam hominibus. q. d. Nemo ignorat Deo esse obediendum, & non hominibus aliquid Dei præcepto contrarium iubentibus: atqui vos primores quando prohibetis ne annunciemus Iesum Nazarenum esse Saluatorem mundi, ac die tertia ex morte surrexisse; contrarium diuino præcepto iubetis, quoniam Deus nobis iussit idipsum prædicare omnibusque annunciare. Paulo significantius legitur hæc sententia in Græco, vnica vocula addita, hoc modo; *Et nos sumus ipsius testes horum verborum.* Id est, & nos ipse delegit atque constituit vt simus ei testes harum rerum quas commemorauimus. De hac testificationis iniunctione Apostolis facta, est supra c. 1. v. 8. Infra cap. 10 v. 39. & seqq. Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes* &c. Marci 16. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ.* Lucæ 24. *Quoniam sic scriptum est; Etiam sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes;*

Iosephus ait. Verba Iosephi sunt ista, Fado Procuratore (Iudææ scilicet) apud Iudæam præstigiator quidam, nomine Theudas, persuasit magnæ multitudini vulgi vt assumptis suis facultatibus sequerentur se ad Iordanem fluuium: propheta enim se iactabat, promitte[ns] sese verbo diuisurum fluuium,& facilem transitum præbiturum. talique promissione permultis imposuit. At Fadus effecit vt nihil lucri facerent ex sua insipientia, immissis in eos turmis equitum; qui ex improuiso irruentes, ex his multos interfecerunt, multos viuos ce. erunt, & inter hos ipsum Theudam; cuius caput abscissum reportarunt Ierosolymam. Ex hac Iosephi narratione, facile iam intelliguntur verba sequentia Gamalielis, quibus ait,

Cvi *consensit* id est adhæsit, adiunctus fuit, *numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est; & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.* In hoc tamen errat Iosephus quod hæc ponat accidisse sub Cuspio Fado procuratore Iudææ, qui sub Claudio demum Cæsare illi genti præses fuit; vt ex eodem Iosepho patet lib. 19. Antiquitatum cap. vlt. in fine, & initio c. 1. Libri 20 Errat, inquam; cum hæc nunc de Theuda, tanquam præterita narraret Gamaliel, viuente adhuc Tiberio Cæsare, anno eius imperi 18. quia Christi Domini anno 34. ita vt inter hanc Gamalielis narrationem & tempus quod ponit Iosephus intercesserint anni facile 11. aut duodecim. Conferatur Baronius anno Christi 34. §. 277. Anno item 46. §. 8. Errantem Iosephum sequutus est Eusebius hist. lib. 2. cap. 10. aliàs 11. Sæpe alias Iosephus in temporum ordine præposterus est, vt norunt vel mediocriter in historia versati, & non raro admonet Baronius Tom 1. Annalium. Vide exempli causa Apparatus § 82. & seqq. Vide etiam additiones quæ sunt Tom. 10. eas quæ seruiunt anno Christi 3. & 16.

Qvo autem tempore definite acciderit id quod hic de isto Theuda narratur, non valde liquet. Origenes tradit contigisse ante Christi Domini natiuitatem; quod probabile est modo intelligas sub imperio tamen Augusti contigisse. Nam omnino per Romanos fuisse disturbatum Theudam cum suis, est existimandum. Dixit hoc Origenes Lib. 1. contra Celsum sub finem.

Probabilis & illa opinio qua quis diceret istud accidisse paucis annis post Christi natiuitatem. Vtraque enim probari potest verbis B. Lucæ proxime iam sequentibus, *Post hunc extitit Iudas Galilaus &c.* propriè intellectis, scilicet de ordine temporis; vt hactenus intellexerunt plerique omnes, donec Gagneius & eum sequuti quidam recentiores narrationis tantum ordinem significari crediderunt; eo quod Theudam putarent Iuda isto posteriorem, male moti verbis Iosephi,& eum sequentis Eusebij, quos errare ostendimus.

Nec huic quorumdam recentiorum opinioni suffragatur quod Gamalielem inducit B Lucas ita loquentem de Theuda, *Ante hos dies extitit Theudas*; quasi tunc temporis recens id factum fuisset: nam illud; *ante hos dies*, non plus valet quam ante hæc tempora; quum (dies) sæpe pro tempore generatim ponatur. Vnde sunt illa toties in sacris literis, In diebus illis, id est temporibus illis. In diebus Dauid regis, id est, tempore quo Dauid fuit rex. Nec non apud prophanos scriptores, *longa dies*, pro longo tempore. Id quod hoc loco tanto facilius

facilius recipiendum est, quod cum hæc de Theuda narraret Gamaliel, vix essent 30. anni ex quo is turbas dedisset & pœnas: vt ex sequentis versus expositione facile intelligetur. Is ita se habet;

VERS. 37. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum (multum, ἱκανόν, addunt græca) post se: & ipse perijt; & omnes quotquot consenserunt ei dispersi sunt.

POST *hunc.*] Non exprimitur quanto temporis interuallo Iudas iste fuerit posterior Theuda: ideoque quamuis de certo tempore huius Iudæ fortassis constare possit; non propterea de certo tempore Theudæ constat; vt & paulo superius indicauimus, quum diceremus non constare an ante Christi Domini natiuitatem, sub tamen imperio Augusti, an paulo post eam, fuerit iste Theudas.

IN *diebus professionis.*] Interpres noster nunc *professionem*, nunc *descriptionem* dicit quod græce eodem vocabulo semper dicitur ἀπογραφή, tam hic quam Lucæ 2. vv. 1. 2. 3. 5 Erat nimirum catalogus quo per prouincias describebantur incolæ capitatim, & facultates vniuscuiusque. Eadem vero opera censebatur vnusquisque quantum pro sua parte esset contributurus, ac reipsa exactoribus Romanis contribuebat. Neque vero putandum est vnicam fuisse Iudæorum descriptionem seu recensionem eiusmodi tributariam: variæ fuerunt; initio facto à sexagesimo circiter anno ante Christi aduentum, quando eos domuit Pompeius, vsque ad euersionem Ierosolymæ factam sub Vespasiano Imperatore. Nempe quinto quoque anno istæ prouincialium descriptiones, & tributi collectiones, fiebant more Romano; vnde nomen inditum *Censui lustrali*, quod singulis lustris recurreret. Ostendit hæc Baronius in suo ad Annales apparatu, § 87. & 88. Quod igitur legimus Lucæ 2. *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino*; solum significat, eam descriptionem Iudææ, qua durante natus est Christus Dominus, fuisse primam inter eas quas fecit P. Sulpitius Quirinus (quem Græci Cyrenium vertunt) Præses Syriæ; sub qua Syria compræhendebatur Iudæa. Is Quirinus diuersis temporibus egit Præsidem Syriæ, minimum bis, fortassis ter: vt demonstrat Baronius vbi supra, § 85. 86. & in Additionibus Tom. 10. ijs quæ sunt ad annum Christi 3. Quare merito quæritur hoc loco, an ista professio seu descriptio de qua loquitur hic Gamaliel, sit ea quæ commemoratur à S. Luca euangelij cap. 2. Dicendum vero est, non esse; sed eâ videri quindecim annis posteriorem. Iosephus enim istas turbas datas fuisse scribit à Iuda Galilæo, tempore illo quo Quirinus præfecerat Syriæ, Procurator autem Iudææ quidam Coponius Romanus; idque Archelao Herodis magni filio (cuius Archelai est mentio in euangelio Matth. 2.) iam in exilium misso Viennam Galliæ per Cæsarem, & eius bonis fisco addictis; ac Iudæa in prouinciam redacta, atque Syriæ attributa. Hæc tradit Iosephus antiq. lib. 17. extremis verbis, & initio lib. 18. Idem vero quod Iudas iste fecerat, fecisse eius filios Iacobum &

Iosephus ait. Verba Iosephi sunt ista, Fado Procuratore (Iudææ scilicet) apud Iudæam præstigiator quidam, nomine Theudas, persuasit magnæ multitudini vulgi vt assumptis suis facultatibus sequerentur se ad Iordanem fluuium: propheram enim se iactabat, promittens sese verbo diuisurum fluuium, & facilem transitum præbiturum. talique promissione permultis imposuit. At Fadus effecit vt nihil lucri facerent ex sua insipientia, immissis in eos turmis equitum; qui ex improuiso irruentes, ex his multos interfecerunt, multos viuos ceperunt, & inter hos ipsum Theudam; cuius caput abscissum reportarunt Ierosolymam. Ex hac Iosephi narratione, facile iam intelliguntur verba sequentia Gamalielis, quibus ait,

Cvi *consensit* id est adhæsit, adiunctus fuit, *numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est; & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.* In hoc tamen errat Iosephus quod hæc ponat accidisse sub Cuspio Fado procuratore Iudææ, qui sub Claudio demum Cæsare illi genti præses fuit; vt ex eodem Iosepho patet lib. 19. Antiquitatum cap. vlt. in fine, & initio c. 1. Libri 20. Errat, inquam; cum hæc nunc de Theuda, tanquam præterita narraret Gamaliel, viuente adhuc Tiberio Cæsare, anno eius imperi 18. quia Christi Domini anno 34. ita vt inter hanc Gamalielis narrarionem & tempus quod ponit Iosephus intercesserint anni facile 11. aut duodecim. Conferatur Baronius anno Christi 34. §. 277. Anno item 46. §. 8. Errantem Iosephum sequutus est Eusebius hist. lib. 2. cap. 10. aliàs 11. Sæpe alias Iosephus in temporum ordine præposterus est, vt norunt vel mediocriter in historia versati, & non raro admonet Baronius Tom 1. Annalium. Vide exempli causa Apparatus § 82. & seqq. Vide etiam additiones quæ sunt Tom. 10. eas quæ seruiunt anno Christi 3. & 16.

Qvo autem tempore definite acciderit id quod hic de isto Theuda narratur; non valde liquet. Origenes tradit contigisse ante Christi Domini natiuitatem; quod probabile est modo intelligas sub imperio tamen Augusti contigisse. Nam omnino per Romanos fuisse disturbatum Theudam cum suis, est existimandum. Dixit hoc Origenes Lib. 1. contra Celsum sub finem.

Probabilis & illa opinio qua quis diceret istud accidisse paucis annis post Christi natiuitatem. Vtraque enim probari potest verbis B. Lucæ proxime iam sequentibus, *Post hunc extitit Iudas Galilæus &c.* propriè intellectis, scilicet de ordine temporis; vt hactenus intellexerunt plerique omnes, donec Gagneius & eum sequuti quidam recentiores narrationis tantum ordinem significari crediderunt; eo quod Theudam putarent Iuda isto posteriorem, male moti verbis Iosephi, & eum sequentis Eusebij, quos errare ostendimus.

Nec huic quorumdam recentiorum opinioni suffragatur quod Gamalielem inducit B. Lucas ita loquentem de Theuda, *Ante hos dies extitit Theudas*; quasi tunc temporis recens id factum fuisset: nam illud; *ante hos dies*, non plus valet quam ante hæc tempora; quum (dies) sæpe pro tempore generatim ponatur. Vnde sunt illa toties in sacris literis, In diebus illis, id est temporibus illis. In diebus Dauid regis, id est, tempore quo Dauid fuit rex. Nec non apud prophanos scriptores, *longa dies*, pro longo tempore. Id quod hoc loco tanto facilius

facilius recipiendum est, quod cum hæc de Theuda narraret Gamaliel, vix essent 30. anni ex quo is turbas dedisset & pœnas: vt ex sequentis versus expositione facile intelligetur. Is ita se habet;

VERS. 37. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum (multum, ἱκανόν, addunt græca) post se: & ipse perijt; & omnes quotquot consenserunt ei dispersi sunt.

POST *hunc.*] Non exprimitur quanto temporis interuallo Iudas iste fuerit posterior Theuda: ideoque quamuis de certo tempore huius Iudæ forrassis constare possit; non propterea de certo tempore Theudæ constat; vt & paulo superius indicauimus, quum diceremus non constare an ante Christi Domini natiuitatem, sub tamen imperio Augusti, an paulo post eam, fuerit iste Theudas.

IN *diebus professionis.*] Interpres noster nunc *professionem*, nunc *descriptionem* dicit quod græce eodem vocabulo semper dicitur ἀπογραφή, tam hic quam Lucæ 2. vv. 1.2. 3.5 Erat nimirum catalogus quo per prouincias describebantur incolæ capitatim, & facultates vniuscuiusque. Eadem vero opera censebatur vnusquisque quantum pro sua parte esset contributurus, ac reipsa exactoribus Romanis contribuebat. Neque vero putandum est vnicam fuisse Iudæorum descriptionem seu recensionem eiusmodi tributariam: variæ fuerunt; initio facto à sexagesimo circiter anno ante Christi aduentum, quando eos domuit Pompeius, vsque ad euersionem Ierosolymæ factam sub Vespasiano Imperatore. Nempe quinto quoque anno istæ prouincialium descriptiones, & tributi collectiones, fiebant more Romano; vnde nomen inditum *Censui lustrali*, quod singulis lustris recurreret. Ostendit hæc Baronius in suo ad Annales apparatu, § 87. & 88. Quod igitur legimus Lucæ 2. *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino*; solum significat, eam descriptionem Iudææ, qua durante natus est Christus Dominus, fuisse primam inter eas quas fecit P. Sulpitius Quirinus (quem Græci Cyrenium vertunt) Præses Syriæ; sub qua Syria compræhendebatur Iudæa. Is Quirinus diuersis temporibus egit Præsidem Syriæ, minimum bis, fortassis ter: vt demonstrat Baronius vbi supra, §. 85 86. & in Additionibus Tom. 10. ijs quæ sunt ad annum Christi 3. Quare merito quæritur hoc loco, an ista professio seu descriptio de qua loquitur hic Gamaliel, sit ea quæ commemoratur à S. Luca euangelij cap. 2. Dicendum vero est, non esse; sed eã videri quindecim annis posteriorem. Iosephus enim istas turbas datas fuisse scribit à Iuda Galilæo, tempore illo quo Quirinus præses erat Syriæ, Procurator autem Iudææ quidam Coponius Romanus; idque Archelao Herodis magni filio (cuius Archelai est mentio in euangelio Matth. 2.) iam in exilium misso Viennam Galliæ per Cæsarem, & eius bonis fisco addictis; ac Iudæa in prouinciam redacta, atque Syriæ attributa. Hæc tradit Iosephus antiq. lib. 17. extremis verbis, & initio lib. 18. Idem vero quod Iudas iste fecerat, fecisse eius filios Iacobum &

 Simonem,

Iosephus ait. Verba Iosephi sunt ista; Fado Procuratore (Iudææ scilicet) apud Iudæam præstigiator quidam, nomine Theudas, persuasit magnæ multitudini vulgi vt assumptis suis facultatibus sequerentur se ad Iordanem fluuium: prophetam enim se iactabat, promittens sese verbo diuisurum fluuium, & facilem transitum præbiturum. talique promissione permultis imposuit. At Fadus effecit vt nihil lucri facerent ex sua insipientia, immissis in eos turmis equitum; qui ex improuiso irruentes, ex his multos interfecerunt, multos viuos ceperunt, & inter hos ipsum Theudam; cuius caput abscissum reportarunt Ierosolymam. Ex hac Iosephi narratione, facile iam intelliguntur verba sequentia Gamalielis, quibus ait,

CVI *consensit* id est adhæsit, adiunctus fuit, *numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est; & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.* In hoc tamen errat Iosephus quod hæc ponat accidisse sub Cuspio Fado procuratore Iudææ, qui sub Claudio demum Cæsare illi genti præses fuit; vt ex eodem Iosepho patet lib. 19. Antiquitatum cap. vlt. in fine, & initio c. 1. Libri 20. Errat, inquam; cum hæc nunc de Theuda, tanquam præterita narraret Gamaliel, viuente adhuc Tiberio Cæsare, anno eius imperii 18. quia Christi Domini anno 34. ita vt inter hanc Gamalielis narrationem & tempus quod ponit Iosephus intercesserint anni facile 11. aut duodecim. Conferatur Baronius anno Christi 34. §. 277. Anno item 46. §. 8. Errantem Iosephum sequutus est Eusebius hist. lib. 2. cap. 10. aliàs 11. Sæpe alias Iosephus in temporum ordine præposterus est, vt norunt vel mediocriter in historia versati, & non raro admonet Baronius Tom 1. Annalium. Vide exempli causa Apparatus § 82. & seqq. Vide etiam additiones quæ sunt Tom. 10. eas quæ seruiunt anno Christi 3. & 16.

QVO autem tempore definite acciderit id quod hic de isto Theuda narratur, non valde liquet. Origenes tradit contigisse ante Christi Domini natiuitatem; quod probabile est modo intelligas sub imperio tamen Augusti contigisse. Nam omnino per Romanos fuisse disturbatum Theudam cum suis, est existimandum. Dixit hoc Origenes Lib. 1. contra Celsum sub finem.

PROBABILIS & illa opinio qua quis diceret istud accidisse paucis annis post Christi natiuitatem. Vtraque enim probari potest verbis B. Lucæ proxime iam sequentibus, *Post hunc extitit Iudas Galilæus &c.* propriè intellectis, scilicet de ordine temporis; vt hactenus intellexerunt plerique omnes, donec Gagneius & eum sequuti quidam recentiores narrationis tantum ordinem significari crediderunt; eo quod Theudam putarent Iuda isto posteriorem, male moti verbis Iosephi, & eum sequentis Eusebij, quos errare ostendimus.

Nec huic quorumdam recentiorum opinioni suffragatur quod Gamalielem inducit B. Lucas ita loquentem de Theuda, *Ante hos dies extitit Theudas*; quasi tunc temporis recens id factum fuisset: nam illud; *ante hos dies*, non plus valet quam ante hæc tempora; quum (dies) sæpe pro tempore generatim ponatur. Vnde sunt illa toties in sacris literis, In diebus illis, id est temporibus illis. In diebus Dauid regis, id est, tempore quo Dauid fuit rex. Nec non apud prophanos scriptores, *longa dies*, pro longo tempore. Id quod hoc loco tanto facilius

facilius recipiendum est, quod cum hæc de Theuda narraret Gamaliel, vix essent 30. anni ex quo is turbas dedisset & pœnas: vt ex sequentis versus expositione facile intelligetur. Is ita se habet;

VERS. 37. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum (multum, ἱκανὸν, addunt græca) post se: & ipse perijt; & omnes quotquot consenserunt ei dispersi sunt.

POST *hunc.*] Non exprimitur quanto temporis internallo Iudas iste fuerit posterior Theuda: ideoque quamuis de certo tempore huius Iudæ fortassis constare possit; non propterea de certo tempore Theudæ constat; vt & paulo superius indicauimus, cum diceremus non constare an ante Christi Domini natiuitatem, sub tamen imperio Augusti, an paulo post eam, fuerit iste Theudas.

IN *diebus professionis.*] Interpres noster nunc *professionem*, nunc *descriptionem* dicit quod græce eodem vocabulo semper dicitur ἀπογραφὴ, tam hîc quam Lucæ 2. vv. 1. 2. 3. 5 Erat nimirum catalogus quo per prouincias describebantur incolæ capitatim, & facultates vniu cuiusque. Eadem vero opera censebatur vnusquisque quantum pro sua parte esset contributurus, ac reipsa exactoribus Romanis contribuebat. Neque vero putandum est vnicam fuisse Iudæorum descriptionem seu recensionem eiusmodi tributariam: variæ fuerunt; initio facto à sexagesimo circiter anno ante Christi aduentum, quando eos domuit Pompeius, vsque ad euersionem Ierosolymæ factam sub Vespasiano Imperatore. Nempe quinto quoque anno istæ prouincialium descriptiones, & tributi collectiones, fiebant more Romano; vnde nomen inditum *Censui lustrali*, quod singulis lustris recurreret. Ostendit hæc Baronius in suo ad Annales apparatu, § 87. & 88. Quod igitur legimus Lucæ 2. *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino*; solum significat, eam descriptionem Iudææ, qua durante natus est Christus Dominus, fuisse primam inter eas quas fecit P. Sulpitius Quirinus (quem Græci Cyrenium vertunt) Præses Syriæ; sub qua Syria comprehendebatur Iudæa. Is Quirinus diuersis temporibus egit Præsidem Syriæ, minimum bis, fortassis ter: vt demonstrat Baronius vbi supra, § 85. 86. & in Additionibus Tom. 10. ijs quæ sunt ad annum Christi 3. Quare merito quæritur hoc loco, an ista professio seu descriptio de qua loquitur hîc Gamaliel, sit ea ipsa quæ commemoratur à S. Luca euangelij cap. 2. Dicendum vero est, non esse; sed eã videri quindecim annis posteriorem. Iosephus enim istas turbas datas fuisse scribit à Iuda Galilæo, tempore illo quo Quirinus præses erat Syriæ, Procurator autem Iudææ quidam Coponius Romanus; idque Archelao Herodis magni filio (cuius Archelai est mentio in euangelio Matth. 2.) iam in exilium misso Viennam Galliæ per Cæsarem, & eius bonis fisco addictis; ac Iudæa in prouinciam redacta, atque Syriæ attributa. Hæc tradit Iosephus antiq. lib. 17. extremis verbis, & initio lib. 18. Idem vero quod Iudas iste fecerat, fecisse eius filios Iacobum &

Iosephus ait. Verba Iosephi sunt ista, Fado Procuratore (Iudææ scilicet) apud Iudæam præstigiator quidam, nomine Theudas, persuasit magnæ multitudini vulgi vt assumptis suis facultatibus sequerentur se ad Iordanem fluuium: propheram enim se iactabat, promittens sese verbo diuisurum fluuium, & facilem transitum præbiturum. talique promissione permultis imposuit. At Fadus effecit vt nihil lucri facerent ex sua insipientia, immissis in eos turmis equitum; qui ex improuiso irruentes, ex his multos interfecerunt, multos viuos ce.e-runt, & inter hos ipsum Theudam; cuius caput abscissum reportarunt Ierosolymam. Ex hac Iosephi narratione, facile iam intelliguntur verba sequentia Gamalielis, quibus ait,

CVI *consensit* id est adhæsit, adiunctus fuit, *numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est; & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.* In hoc tamen errat Iosephus quod hæc ponat accidisse sub Cuspio Fado procuratore Iudææ, qui sub Claudio demum Cæsare illi genti præses fuit; vt ex eodem Iosepho patet lib. 19. Antiquitatum cap. vlt. in fine, & initio c. 1. Libri 20. Errat, inquam, cum hæc nunc de Theuda, tanquam præterita narraret Gamaliel, viuente adhuc Tiberio Cæsare, anno eius imperi 18. quia Christi Domini anno 34. ita vt inter hanc Gamalielis narrationem & tempus quod ponit Iosephus intercesserint anni facile 11. aut duodecim. Conferatur Baronius anno Christi 34. §. 277. Anno item 46. §. 8. Errantem Iosephum sequutus est Eusebius hist. lib. 2. cap. 10. aliàs 11. Sæpe alias Iosephus in temporum ordine præposterus est, vt norunt vel mediocriter in historia versati, & non raro admonet Baronius Tom 1. Annalium. Vide exempli causa Apparatus § 82. & seqq. Vide etiam additiones quæ sunt Tom. 10. eas quæ seruiunt anno Christi 3. & 16.

QVO autem tempore definite acciderit id quod hic de isto Theuda narratur, non valde liquet. Origenes tradit contigisse ante Christi Domini natiuitatem; quod probabile est modo intelligas sub imperio tamen Augusti contigisse. Nam omnino per Romanos fuisse disturbatum Theudam cum suis, est existimandum. Dixit hoc Origenes Lib. 1. contra Celsum sub finem.

PROBABILIS & illa opinio qua quis diceret istud accidisse paucis annis post Christi natiuitatem. Vtraque enim probari potest verbis B. Lucæ proxime iam sequentibus, *Post hunc extitit Iudas Galilæus &c.* propriè intellectis, scilicet de ordine temporis; vt hactenus intellexerunt plerique omnes, donec Gagneius & eum sequuti quidam recentiores narrationis tantum ordinem significari crediderunt; eo quod Theudam putarent Iuda isto posteriorem, male moti verbis Iosephi, & eum sequentis Eusebij, quos errare ostendimus.

Nec huic quorumdam recentiorum opinioni suffragatur quod Gamalielem inducit B. Lucas ita loquentem de Theuda; *Ante hos dies extitit Theudas*; quasi tunc temporis recens id factum fuisset: nam illud; *ante hos dies*, non plus valet quam ante hæc tempora; quum (dies) sæpe pro tempore generatim ponatur. Vnde sunt illa toties in sacris literis, In diebus illis, id est temporibus illis. In diebus Dauid regis, id est, tempore quo Dauid fuit rex. Nec non apud prophanos scriptores, *longa dies*, pro longo tempore. Id quod hoc loco tanto

facilius

facilius recipiendum est, quod cum hæc de Theuda narraret Gamaliel, vix essent 30. anni ex quo is turbas dedisset & pœnas: vt ex sequentis versus expositione facile intelligetur. Is ita se habet;

VERS. 37. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum (multum, ἱκανὸν, addunt græca) post se: & ipse perijt; & omnes quotquot consenserunt ei dispersi sunt.

POST *hunc.*] Non exprimitur quanto temporis interuallo Iudas iste fuerit posterior Theuda: ideoque quamuis de certo tempore huius Iudæ fortassis constare possit; non propterea de certo tempore Theudæ constat; vt & paulo superius indicauimus, quum diceremus non constare an ante Christi Domini natiuitatem, sub tamen imperio Augusti, an paulo post eam, fuerit iste Theudas.

IN *diebus professionis.*] Interpres noster nunc *professionem*, nunc *descriptionem* dicit quod græce eodem vocabulo semper dicitur ἀπογραφὴ, tam hîc quam Lucæ 2. vv. 1.2. 3.5 Erat nimirum catalogus quo per prouincias describebantur incolæ capitatim, & facultates vniuscuiusque. Eadem vero opera censebatur vnusquisque quantum pro sua parte esset contributurus, ac reipsa exactoribus Romanis contribuebat. Neque vero putandum est vnicam fuisse Iudæorum descriptionem seu recensionem eiusmodi tributariam: variæ fuerunt; initio facto à sexagesimo circiter anno ante Christi aduentum, quando eos domuit Pompeius, vsque ad euersionem Ierosolymæ factam sub Vespasiano Imperatore. Nempe quinto quoque anno istæ prouincialium descriptiones, & tributi collectiones, fiebant more Romano; vnde nomen inditum *Census lustrali*, quod singulis lustris recurreret. Ostendit hæc Baronius in suo ad Annales apparatu, § 87. & 88. Quod igitur legimus Lucæ 2. *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino*; solum significat, eam descriptionem Iudææ, qua durante natus est Christus Dominus, fuisse primam inter eas quas fecit P. Sulpitius Quirinus (quem Græci Cyreninum vertunt) Præses Syriæ; sub qua Syria comprehendebatur Iudæa. Is Quirinus diuersis temporibus egit Præsidem Syriæ, minimum bis, fortassis ter: vt demonstrat Baronius vbi supra, § 85. 86. & in Additionibus Tom. 10. ijs quæ sunt ad annum Christi 3. Quare merito quæritur hoc loco, an ista professio seu descriptio de qua loquitur hîc Gamaliel, sit ea ipsa quæ commemoratur à S. Luca euangelij cap. 2. Dicendum vero est, non esse; sed eâ videri quindecim annis posteriorem. Iosephus enim istas turbas datas fuisse scribit à Iuda Galilæo, tempore illo quo Quirinus præfuerat Syriæ, Procurator autem Iudææ quidam Coponius Romanus; idque Archelao Herodis magni filio (cuius Archelai est mentio in euangelio Matth. 2.) iam in exilium misso Viennam Galliæ per Cæsarem, & eius bonis fisco addictis; ac Iudæa in prouinciam redacta, atque Syriæ attributa. Hæc tradit Iosephus antiq. lib. 17. extremis verbis, & initio lib. 18. Idem vero quod Iudas iste fecerat, fecisse eius filios Iacobum &

VERS. 30. Deus Patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.

SVSCITAVIT *Iesum.*] Sic adhuc loquuntur Apostoli, nec dicunt quod Iesus seipsum ex morte suscitarit: quoniam diuinitas Christi nondum his ita affectis erat aperte exponenda; sufficiebat dicere hominem sanctissimum ac Deo patri vnicè charum fuisse & esse, vt quem ex morte ad vitam immortalem excitasset. Idque ita esse, Deum testari per tot tantaque miracula quæ in confirmationem huius doctrinæ, per ipsorum ministerium, in luce omnium, Ierosolymæ, inter ipsos quotidie fiebant. Ita fere Chrysost. & eius relator Oecumenius. Et quamuis vox græca quæ hîc est pro nostro *(suscitauit)* ἤγειρεν, generaliter significet excitare, facere oriri, constituere: tamen de suscitatione ex morte recte accipi, suaderi potest ex cap. 3. v. 15. & cap. 4. v. 10. vbi in originali est idem verbum græcum, ἤγειρεν.

QVEM *vos interemistis*] vox græca amplius quiddam sonat. *Quem vos manibus violentis occidistis.* Atque his verbis Apostoli depellunt à se crimen calumniæ. q. d. Criminamini nos tanquam calumniatores, quod reos vos dicamus mortis Messiæ: non est calumnia, sed iusta reprehensio; quia reuera ingens peccatum admisistis dum per manus Pilati & militum eius vos affixistis cruci Saluatorem mundi: quem Deus deinde statim è morte suscitauit. Eâdem itaque operâ Apostoli & respondent expostulationi primorum istorum, & coram ijs profitentur fidem Christi, tum officij sui explendi gratia, tum verò istos ad eandem fidem saluti necessariam adducendi. Nam eò pertinent & sequentia Apostolorum de Iesu Nazareno verba,

VERS. 31. Hunc principem & Saluatorem Deus exaltauit dextera sua;

DEXTERA *sua*] Id est, sua potentia; vt sæpe alibi. Græce est talis verborum ordo, Hunc Deus &c. quod eo valet vt sciamus in nostris codicibus non esse appositiue iungenda ista, *hunc & principem*; sed illud *hunc* quodammodo à fronte verbi *exaltauit*, alterum à tergo esse intelligendum, quod magis apparebit si oratio ex actiua vertatur in passiuam. vt sensus sit, Hunc Iesum Nazarenum Deus pater dextera sua exaltando fecit Principem & Saluatorem. Intelligitur autem in regno spirituali, in salute animæ danda: de quo principatu suo, ipse ad Pilatum Ioan. 18. & Angelus Deiparæ Lucæ 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum.* Spiritalem principatum istum ex parte sequentia exponunt. *Ad dandam pænitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.* Hi sunt enim effectus, hi fines aduentus & passionis ac mortis Christi, hæc est pars spiritualis regni Christi, videlicet pænitentiæ donum cordibus diuinitus inspiratæ, remissio peccatorum, & quæ illi est coniuncta, iustificatio, qua perueniatur ad salutem æternam.

PORRO

PORRO tam græcè vbi legitur δοῦναι, *dare*] quam nobis, est ambiguum vtrum à Deo Patre, an à Iesu Nazareno Apostoli sentiant dandam Israeli pœnitentiam & remissionem peccatorum. cum enim sic dicitur, *dare seu vt dares*, potest subaudiri suppositum verbi ex præcedentibus, vel *Deus*, vel hic *Iesus*. Et fortassis sacer scriptor ipseque Spiritus sanctus vtrumlibet horum voluit à nobis intelligi, quoniam recte se habet sensus vtrouis modo. Oecumenius manifeste intelligit hoc dici de ipso Iesu: & bene quadrat quod verbis præcedentibus ipse nominatur Saluator. Dat ipse pœnitentiam ac remissionem peccatorum, merito suo nobis eas obtinens; quatenus quidem homo est: quatenus autem Deus, ipse principaliter hæc dat, vna cum Deo patre & Spiritu sancto; quoniam indiuisa sunt Trinitatis opera in extera.

OBSERVANDVS hic locus propter Pelagianos, qui remissionem peccatorum Deo cogebantur tribuere, quoniam nemo eam sibi facere potest: sed fidem & pœnitentiam, bona opera, & in ijs perseuerantiam, non credebant egere diuina gratia, sed liberum arbitrium sibi ad hæc sufficere. Hostes Christi & salutis humanæ.

OBSERVANDVM etiam quorsum Apostoli attexant ista de pœnitentia danda Israeli, & remissione peccatorum: nempe vt istos primores, quos tanti parricidij arguebant, nihilominus seruarent à desperatione salutis; & viam ostenderent qua ad huius quoque tam ingentis sceleris veniam peruenire possent; suscipiendo scilicet fidem de Iesu quod sit Christus Domini, pœnitentiam agendo, & sic per baptismi sacramentum remissionem peccatorum accipiendo; vt expressit idem S. Petrus. supra. c. 2. v. 38. licet hic nihil adhuc de baptismo exprimat; vt neque cap. 3. v. 19. Addunt Apostoli;

VERS. 32. Et nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.

HOC Apostoli adiungunt tanquam assumptionem ad illam propositionem, Obedire oportet Deo magis quam hominibus. q. d. Nemo ignorat Deo esse obediendum, & non hominibus aliquid Dei præcepto contrarium iubentibus: atqui vos primores quando prohibetis ne annunciemus Iesum Nazarenum esse Saluatorem mundi, ac die tertia ex morte surrexisse; contrarium diuino præcepto iubetis, quoniam Deus nobis iussit idipsum prædicare omnibusque annunciare. Paulo significantius legitur hæc sententia in Græco, vnica vocula addita, hoc modo; *Et nos sumus ipsius testes horum verborum.* Id est, & nos ipse delegit atque constituit vt simus ei testes harum rerum quas commemorauimus. De hac testificationis iniunctione Apostolis facta, est supra c. 1. v. 8. Infra cap. 10 v. 39. & seqq. Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes* &c. Marci 16. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ.* Lucæ 24. *Quoniam sic scriptum est; Etiam sic oportebat Christum pati; & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes;*

gentes, incipientibus ab Ierosolyma. Item Ioan. 15. in fine. Addunt insuper Apostoli, quodam orationis incremento, *Et Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.* quasi dicerent; Non tam nos sumus harum rerum testes, quam ipse Spiritus sanctus, qui veritatem prædicationis nostræ multis & magnis miraculis confirmauit iam inde à die Pentecostes hucusque. Quem quidem Spiritum sanctum Deus ad varios effectus dedit, & dat his qui ipsi credunt & obediunt; veluti nobis seruis suis, & tam multis alijs in hac ipsa ciuitate, quos vos ignorare non potestis. Per quæ verba Apostoli (ait post Chrysost. Oecumenius) etiam illis ipsis primoribus fidem Iesu Nazareni persequentibus, concedendum esse donum Spiritus sancti, significant, si ex animo pœnitentiam agant super tam immani paricidio, cæterisque peccatis suis. Sicut expresse Iudæis iam pænitentibus dixerat Petrus Apostolus supra c. 2. v. 38.

QVID autem effectum est per hanc quam Apostoli istis conferebant doctrinam? Nam (ait Chrysost.) propter hoc Deus sinebat Apostolos in istum consessum primorum duci, vt & ipsi viam veræ salutis docerentur. Sed Apostolorum doctrina adeo illis non attulit salutem, vt maioris condemnationis fuerit occasio; dum sermoni tantis miraculis confirmato non credunt, sed indurato corde nihilominus euangelicæ Apostolorum de Iesu doctrinæ resistunt, quibuscunque possunt modis. Nam

VERS. 33. Hæc cum audissent, dissecabantur, & cogitabant interficere illos.

DISSECABANTVR] Idem verbum est infra cap. 7. v. 54. vbi legitur, *dissecabantur cordibus suis:* quod idem hoc loco subintelligendum est. Nempe isti propemodum dirumpebantur, partim dolentes libertatem Apostolorum in respondendo & fidem Iesu Nazareni profitendo; partim irascentes quod interdicto ipsorum nollent obedire; imo quod ipsos de immani parricidio Saluatoris accusarent. *Et cogitabant interficere illos. Cogitabant*] Id est, *inter se consultabant*, ἐβουλεύοντο, vt idem verbum, sed compositum, est Ioannis 11. v. 53. Nam quod non animo tantum hoc voluebant, sed etiam inter se loquebantur, facile liquet ex subsequente deliberatione Gamalielis, qua istud de interficiendo consilium, euertit, modesta & cauta oratione. Consultabant itaque de interficiendis Apostolis, tanquam omnis hæc de Iesu doctrina esse cessatura, extinctis Magistris Christianorum, Apostolis. Id tamen ne fieret, Deus suaui quodam obstaculo impediuit, de quo iam sequitur;

VERS. 34 Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legisdoctor honorabilis vniuersæ plebi, iussit foras ad breue homines fieri.

VLTIMA huius versus verba, in multis bonis libris latinis ita leguntur, *Iussit pusillum foras Apostolos secedere.* Neque dubium nobis est, quin hæc

lectio sit à B. Hieronymo, corrigente veterem vulgatam nostram: id autem quod nos hic habemus, sit veteris illius Interpretis Hieronymo antiquioris, qui simpliciter verba verbis pene reddidit. Sensus facilis est, Gamalielem iussisse, vt Apostoli paulisper secederent extra concilium.

HVNC Gamalielem fuisse illum, ad cuius pedes Paulus sese, nondum christianum, eruditum fuisse profitetur, infra c. 22. in princip. expositores consentiunt: videturque iam tunc fuisse christianus; sed Apostolorum consilio mansisse inter primores (non tamen vel fidem Christi negando, vel prauis operibus eorum consentiendo; vt neque Ioseph ab Arimathia, Luc. 23. v. 51.) ad ecclesiæ nouellæ vtilitatem. Tradidit hoc isto loco Ven. Beda, acceptum ex Clemente, apud quem reperitur hodie in opere apocrypho Recognitionum, lib. 1. post med. Nec desunt exempla similia eorum qui Christi fide sincerè suscepta, ex iusta causa manserunt vel inter Iudæos, vel inter ethnicos. Ita quem diximus, Ioseph ab Arimathia; ita Nicodemus: Ita SS. Gorgonius, Dorotheus, Sebastianus, & alij. Quod dicitur Gamaliel *iussisse vt secederent*, quum tamen ipse non esset caput illius concilij; ita est accipiendum, vt hoc sese desiderare Concilio declararit, ipsumque deinde præceperit eos parumper educi. Ita enim dicimus, Iubeo te saluere & similia. Iube domine benedicere; id est, velis benedicere.

Hoc autem fecit Gamaliel; vt non videretur in ipsorum Apostolorum gratiam dicere quæ dicturus esset, vtque eo modo apud collegas primores istos celaret suam in Apostolos beneuolentiam. Ita Chrysost. & illum sequens Oecumenius, Laudantes in hoc eius prudentiam; sicut & in eo quod collegas suos non obiurgat, neque aspere cum illis agit; sed modeste, ac propositis exemplis, quibus illi moueantur potius quam orationis vehementia. Hoc est quod sequitur,

VERS. 35. Dixitque ad illos; Viri Israelitæ, attendite vobis super hominibus istis, quid acturi sitis.

ATTENDITE *vobis*] Græcè paulo significantius, *Attendite vobisipsis*, q. d. exponente. Chrysost. & Oecum. Res vestra hic agitur: ne præcipitetis sententiam; ne subito aut temere feramini, sed maturius expendite quomodo cum hominibus istis agere debeatis. Considerate exempla rerum præteritarum.

VERS. 36. Ante hos enim dies extitit.)

ID est exortus fuit, *Theodas*] græcè est *Theudas*; & notant Grammatici esse diminutiuum à Theodorus: vt meminerimus pessimos etiam homines pulcra nomina sæpe habere.

DICENS *se esse aliquem*] Id est, se esse *magnum quemdam*, (Id quod expresse addit Compl. editio græca, & alij quidam codices græci: Sed vt non addatur, intelligitur tamen, vt ad Gal. 2. v. 6) nempe prophetam Dei; vt commemorat Iosephus Antiq. Iudaic. lib. 20. c. 2. in fine, quum esset præstigiator, vt idem

Iosephus ait. Verba Iosephi sunt ista; Fado Procuratore (Iudææ scilicet) apud Iudæam præstigiator quidam, nomine Theudas, persuasit magnæ multitudini vulgi vt assumptis suis facultatibus sequerentur se ad Iordanem fluuium: prophetam enim se iactabat, promittens sese verbo diuisurum fluuium, & facilem transitum præbiturum. talique promissione permultis imposuit. At Fadus effecit vt nihil lucri facerent ex sua insipientia, immissis in eos turmis equitum; qui ex improuiso irruentes, ex his multos interfecerunt, multos viuos ce.e-runt, & inter hos ipsum Theudam; cuius caput abscissum reportarunt Ierosolymam. Ex hac Iosephi narratione, facile iam intelliguntur verba sequentia Gamaliclis, quibus ait,

CVI *consensit* id est adhæsit, adiunctus fuit, *numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est; & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.* In hoc tamen errat Iosephus quod hæc ponat accidisse sub Cuspio Fado procuratore Iudææ, qui sub Claudio demum Cæsare illi genti præses fuit; vt ex eodem Iosepho patet lib. 19. Antiquitatum cap. vlt. in fine, & initio c.1. Libri 20. Errat, inquam; cum hæc nunc de Theuda, tanquam præterita narraret Gamaliel, viuente adhuc Tiberio Cæsare, anno eius imperii 18. quia Christi Domini anno 34. ita vt inter hanc Gamalielis narrationem & tempus quod ponit Iosephus intercesserint anni facile 11. aut duodecim. Conferatur Baronius anno Christi 34. §.277. Anno item 46 §.8. Errantem Iosephum sequutus est Eusebius hist. lib. 2. cap. 10. aliàs 11. Sæpe alias Iosephus in temporum ordine præposterus est, vt norunt vel mediocriter in historia versati, & non raro admonet Baronius Tom 1. Annalium. Vide exempli causa Apparatus § 82. & seqq. Vide etiam additiones quæ sunt Tom. 10. eas quæ seruiunt anno Christi 3. & 16.

QVO autem tempore definite acciderit id quod hic de isto Theuda narratur, non valde liquet. Origenes tradit contigisse ante Christi Domini natiuitatem; quod probabile est modo intelligas sub imperio tamen Augusti contigisse. Nam omnino per Romanos fuisse disturbatum Theudam cum suis, est existimandum. Dixit hoc Origenes Lib. 1. contra Celsum sub finem.

PROBABILIS & illa opinio qua quis diceret istud accidisse paucis annis post Christi natiuitatem. Vtraque enim probari potest verbis B. Lucæ proxime iam sequentibus, *Post hunc extitit Iudas Galilæus &c.* propriè intellectis, scilicet de ordine temporis; vt hactenus intellexerunt plerique omnes, donec Gagneius & eum sequuti quidam recentiores narrationis tantum ordinem significati crediderunt; eo quod Theudam putarent Iuda isto posteriorem, male moti verbis Iosephi, & eum sequentis Eusebij, quos errare ostendimus.

Nec huic quorumdam recentiorum opinioni suffragatur quod Gamalielem inducit B Lucas ita loquentem de Theuda; *Ante hos dies extitit Theudas*; quasi tunc temporis recens id factum fuisset: nam illud; *ante hos dies*, non plus valet quam ante hæc tempora; quum (dies) sæpe pro tempore generatim ponatur. Vnde sunt illa toties in sacris literis, In diebus illis, id est temporibus illis. In diebus Dauid regis, id est, tempore quo Dauid fuit rex. Nec non apud prophanos scriptores, *longa dies*, pro longo tempore. Id quod hoc loco tanto facilius

facilius recipiendum est, quod cum hæc de Theuda narraret Gamaliel, vix essent 30. anni ex quo is turbas dedisset & pœnas: vt ex sequentis versus expositione facile intelligetur. Is ita se habet;

VERS. 37. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum (multum, ἱκανὸν, addunt græca) post se: & ipse perijt; & omnes quotquot consenserunt ei dispersi sunt.

POST *hunc*.] Non exprimitur quanto temporis interuallo Iudas iste fuerit posterior Theuda: ideoque quamuis de certo tempore huius Iudæ fortassis constare possit; non propterea de certo tempore Theudæ constat; vt & paulo superius indicauimus, quum diceremus non constare an ante Christi Domini natiuitatem, sub tamen imperio Augusti, an paulo post eam, fuerit iste Theudas.

IN *diebus professionis*.] Interpres noster nunc *professionem*, nunc *descriptionem* dicit quod græce eodem vocabulo semper dicitur ἀπογραφὴ, tam hîc quam Lucæ 2. vv. 1. 2. 3. 5 Erat nimirum catalogus quo per prouincias describebantur incolæ capitatim, & facultates vniuscuiusque. Eadem vero opera censebatur vnusquisque quantum pro sua parte esset contributurus, ac reipsa exactoribus Romanis contribuebat. Neque vero putandum est vnicam fuisse Iudæorum descriptionem seu recensionem eiusmodi tributariam: variæ fuerunt; initio facto à sexagesimo circiter anno ante Christi aduentum, quando eos domuit Pompeius, vsque ad euersionem Ierosolymæ factam sub Vespasiano Imperatore. Nempe quinto quoque anno istæ prouincialium descriptiones, & tributi collectiones, fiebant more Romano; vnde nomen inditum *Censui lustrali*, quod singulis lustris recurreret. Ostendit hæc Baronius in suo ad Annales apparatu, § 87. & 88. Quod igitur legimus Lucæ 2. *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino*; solum significat, eam descriptionem Iudææ, qua durante natus est Christus Dominus, fuisse primam inter eas quas fecit P. Sulpitius Quirinus (quem Græci Cyrenium vertunt) Præses Syriæ; sub qua Syria compræhendebatur Iudæa. Is Quirinus diuersis temporibus egit Præsidem Syriæ, minimum bis, fortassis ter: vt demonstrat Baronius vbi supra, § 85. 86. & in Additionibus Tom. 10. ijs quæ sunt ad annum Christi 3. Quare merito quæritur hoc loco, an ista professio seu descriptio de qua loquitur hîc Gamaliel, sit ea quæ commemoratur à S. Luca euangelij cap. 2. Dicendum vero est, non esse; sed eâ videri quindecim annis posteriorem. Iosephus enim istas turbas datas fuisse scribit à Iuda Galilæo, tempore illo quo Quirinus præses erat Syriæ, Procurator autem Iudææ quidam Coponius Romanus; idque Archelao Herodis magni filio (cuius Archelai est mentio in euangelio Matth. 2.) iam in exilium misso Viennam Galliæ per Cæsarem, & eius bonis fisco addictis; ac Iudæa in prouinciam redacta, atque Syriæ attributa. Hæc tradit Iosephus antiq. lib. 17. extremis verbis, & initio lib. 18. Idem vero quod Iudas iste fecerat, fecisse eius filios Iacobum &

Simonem, hic ipse Iosephus tradit Antiq. 20. c. 3. & de bello Iudaico lib. 2. cap. 7. Porro hæc de Archelao acciderunt anno vltimo Augusti Cæsaris, id est, à Christo nato anno 16. vt ostendit Baronius in Annalibus Tom. 1. & in Additionibus Tom. 10, ijs quæ scruntur anno Christi 3. & 16. Vnde liquet hanc de qua Gamaliel loquitur censionem, fuisse circiter annum Christi 16.

QVOD hic dicitur istum Iudam Galilæum auertisse populum multum post se. Iosephus fuse exponit dicti libri 18. Antiq. capitibus 1. & 2. Nempe excitauit nouam sectam inter Iudæos, differentem à Sadducæis & Essenis; à Pharisæis autem non dissentientem, nisi in hoc vno quod negabat vllum esse habendum vel appellandum Dominum aut Principem, præter solum Deum: & hoc quidem ille suos docuit, libertatis, vt aiebat, amore; reuera autem eius asseclæ ita agebant studio vitæ licentiosæ, & propriorum commodorum; vt idem Iosephus exprimit. Titulo igitur publicæ libertatis, iste cum suis rebellionem aduersus Romanos concitauit: ideoque armis Romanorum compressi sunt, occisi magna parte, reliquis dispersis, vt & hîc dicit Gamaliel. De filijs istius Iudæ Iacobo & Simeone patrem imitantibus, à Tiberio Alexandro Procuratore Iudææ occisis, meminit Iosephus lib. 20. Antiq. c. 3. & de bello Iudaico, lib. 2. c. 7.

PORRO Gamaliel postquam duo hæc exempla commemorasset; suam deliberationem concludit; ratione etiam addita, specie dilemmatis; hoc modo:

VERS. 38. Et nunc itaque, dico vobis, Discedite ab hominibus istis, & sinite illos. quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus; dissoluetur: si vero ex Deo est; non poteritis dissoluere illud. ne forte & Deo repugnare inueniamini.

QVOD est in principio huius versus, ita legitur græce; καὶ τὰ νῦν λέγω ὑμῖν, ac mirum est plerosque interpretes dissimulare articulum τὰ, nisi forte putauerint sensum eodem redire. Potest enim bifariam intelligi oratio: vno modo, vt subintelligatur præpositio κατὰ, quod græcis est frequens. Tum fuerit sensus, Et ego secundum ea quæ nunc sunt, seu, secundum præsentem rerum statum, dico siue suadeo vobis &c. Qui sensus fere idem est cum eo quod dedit noster & plerique omnes interpretes: videturque magis commodus connexioni totius sermonis, quam alter, quo nihil subaudiatur. Is est talis, Et dico atque in memoriam vobis redigo ea quæ sunt præsentia, seu ea quæ iam diebus superioribus euenerunt. Hunc sensum videtur habuisse Oecumenius, qui pro commentario ponit historiam de occisis à Pilato Galilæis, vt legitur Lucæ 13. princip. Sed eo sensu constituto, dure iam & sine vinculo subiungitur istud, *Discedite ab hominibus istis* &c.

CONCLVSIO Gamalielis est, *Discedite ab hominibus istis, & sinite illos. Discedite*

Discedite] græcè, *abſiſtite*. Ait, *homines iſtos*, non nominat Apoſtolos; vt celet ſuam in eos beneuolentiam. Ita locutus fuit & v, 35. Senſus eſt, Ne procedatis nunc temporis ad interficiendum homines iſtos, ſed eos nunc dimittite liberos; & rem totam diligentius examinate, antequam ad condemnationem procedatis. Videntur illi vobis falſam religionem inuehere; quatenus docent Ieſum Nazarenum eſſe iniuſte occiſum, eſſe vere Saluatorem mundi, eſſe à Deo reſuſcitatum tertio die, aſcendiſſe in cœlum; ſed nondum vobis liquet eam doctrinam eſſe falſam. Amplius igitur eſt examinanda antequam damnetur; cum præſertim videatis tam multa per viros illos, huius doctrinæ annunciatores, fieri miracula ſupra omnem vim naturæ, ſolius Dei potentia; qui talibus veluti ſigillis eorum doctrinam confirmet. Differte igitur condemnationem; ac interea diligentius expendite totam iſtam cauſam. Hæc eſt ſententia verborum Gamalielis: qui vtique hoc agebat vt præſenti interfectionis periculo Apoſtolos eximeret, iſtorumque primum animos in cædé Apoſtolorum efferueſcentes, dilatione interpoſita temperaret. Nam quid poſtea eſſet faciendum ad ſeruandum Apoſtolos, hoc diuinæ prouidentiæ committebat, ipſe ſat habens præſenti furori illos ſubduxiſſe. In hunc fere modum Chryſoſt. Oecum. & alij. Quod igitur omnibus cauſis eſt commune, non eſſe præcipitandam damnationis ſententiam; hoc Gamaliel in cauſa Apoſtolorum cupiuit & ſuaſit obſeruari. Suæ deliberationis concluſionem addita ratione probat Gamaliel, habente ſpeciem dilemmatis; quum ait;

QVONIAM *ſi eſt ex hominibus conſilium hoc aut opus; diſſoluetur*. *Conſilium aut opus hoc*] *Conſilium* dixit pro deliberationis ſententia; *opus* pro ſententiæ conſultatoriæ executione. q. d. Inſtitutum hoc quod iſti viri ſequuntur, & doctrina ac reliqua ipſorum vita; mores & actiones quas ſecundum ſuum inſtitutum exercent. Si *eſt ex hominibus*] Id eſt, ſi eſt humanæ duntaxat excogitationis & inuentionis, ſi non eſt ex Dei authoritate vel inſpiratione; *Diſſoluetur*] finem propoſitum non aſſequetur, diſturbabitur, diſſipabitur, recidet in nihilum: ſicut factio illa Theudæ & Iudæ Galilæi.

VERS. 39. Si vero ex Deo eſt; non poteritis diſſoluere illud.

ID eſt, Si Deo authore, vt ſcilicet præcipiente vel inſtituente, iſti faciunt id quod hactenus faciunt & porro meditantur facere: *Non poteritis diſſoluere illud*. Vera lectio eſt (*illud*) conformis originali; pro qua libri minus probi habent (eos) Refertur autem ad id quod præceſſit, *conſilium aut opus hoc*. Senſus eſt, Si Deo authore faciunt hi viri quod hactenus faciunt & poſthac cogitant facere: infallibiliter Deus ad exitum perducet quod ipſe facere conſtituit, neque veſtra aut vlla alia humana vis illud impedire poterit. *Ne forte & Deo repugnare inueniamini*. Græcè paulo ſignificantius, *Ne aliquando etiam theomachi (ſeu aduerſus Deum pugnantes) reperiamini, ſiue deprehendamini*. Videtur hæc clauſula referri ad concluſionem ipſam Gamalielis, non ad alterutram partem probationis ſubiunctæ. Concluſio erat, relinquendos eſſe homines iſtos nunc quidem ſuæ libertati. Huic apte quadrat iſta ſententia, Ne forte &c. q. d. Non-

dum satis examinata est causa istorum, non liquet an diuina an humana authoritate sua faciant: quare periculum est ne ipsi Deo vos repugnare deprehendamini; si videlicet postea cōstiterit homines istos ex Deo facere quod faciunt.

PRIVSQVAM procedamus longiùs, exponendum est hoc loco quam ineptè abutantur sectarum patroni hoc Gamalielis consilio, ad defendendam quam dicunt Religionis libertatem, hoc est, ad probandum quod Principes & Ecclesiarum Prælati debeant eos qui nouas in negotio pietatis doctrinas inuehunt, sinere vt pro suo arbitrio viuant, sentiant & doceant, etiamsi impedire possint. Abutuntur eo dilemmate quo vtebatur Gamaliel, & inde volunt concludere, Nouatores omnes esse suæ libertati, quam dicunt, relinquendos; non esse impediendos per potestates siue in ecclesia siue in Rep. diuinitus constitutas. Abutuntur inquam, & ad protectionem suæ licentiosæ Nouitatis in doctrina salutis, ineptè applicant: quum magna sit negotij illius de quo Gamaliel agebat, dissimulitudo à negotio quod isti defendunt. Nam Apostoli quidem ab ipso Christo iussi erant prædicare quod prædicabant; neque nouam doctrinam inuehebant, sed eam ipsam quam Christus per se docuerat, & quæ cum veterum prophetarum oraculis consentiebat, ac quotidianis à Deo miraculis confirmabatur. Isti autem Nouatores Licētiosi, inuehunt doctrinas ab ipso Christo, vel per spiritum eius ab ipsius Ecclesia damnatas; manifestas hæreses scilicet, de quibus non sit nunc inquirendum an ex Deo an ex hominibus sint, quum sint iampridem, legitimo iudicio, condemnatæ, quod non solum sint ex hominibus sed, etiam contra Deum. Illic, locum habebat, *Ne forte Deo repugnare inueniamini*: hîc, qui cum possint non impediunt nouas aduersus religionem doctrinas, non hoc debent aut possunt metuere, si ijs obsistunt; sed potius ex aduerso metuant ne contra Deum pugnent, si potestate sibi diuinitus tradita non vtuntur ad vnicæ veræ religionis conseruationem, & aduersus impia molimina protectionem. Nempe memores esse debent eius quod seuerissimè præceptum est Deuter. 13 toto cap. & cap. 17. Eius quoque quod Zacharias propheta vaticinatus est cap. 13. Et rursum eius quod Dominus iussit Matt. 18. *Si Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* In Apocalip. c. 2. v. 15. & 20. reprehenduntur episcopi qui permittebant in suis diœcesibus eos qui hæresim docebant.

DE potestate autem ciuili, est illud Rom. 13. *Dei minister est: Vindex in iram ei qui malum agit.* Est & aspera obiurgatio in eos Sapientiæ 6. qui officio desunt. Sunt & exempla Populi Israelitici, agente Helia propheta 3. Reg. 18. Iosiæ regis Iuda. 4. Reg. 23. v. 5. 26. Iehu Regis Israel lib. eod. c. 10. Imo & Nabuchodonosor Regis Babylonis, Danielis 3. in fine Omnino legenda est B. August. epistola 50. vbi inter alia ponit exemplum Christi Domini, Saulum Christianismi oppugnatorem temporalibus flagellis reuocantis ab impietate: qui alios apostolos solo verbo vocauerat.

DICIT quidem hîc Gamaliel, *Si est ex hominibus consilium aut opus hoc; dissoluetur*: sed consilium, opus & factionem Theudæ ac Iudæ Galilæi, non ignorabat Gamaliel fuisse disturbata ac dissipata armis Romanorum Ideoque cum ait, *Si ex hominibus est, dissoluetur*: non intelligit, dissolutum iri sua sponte, omnibus

nibus

nibus qui præsunt ociose spectantibus: sed sentit, dissolutum iri per ordinatas à Deo potestates; sicut rebelliones illæ sublatæ & extinctæ fuerunt, quas in exemplum adduxerat.

QVID porro Deus fuerit operatus in cordibus istorum furentium primorum, per consilium istud Gamalielis; exponit S. Lucas, subdens.

CONSENSERVNT *autem illi.* In eo videlicet vt non occiderent apostolos eo tempore. Animum tamen suum aliquousque satiare voluerunt; simul efficere ne temere viderentur apostolos carceri inclusisse: nec ad cedendum veritati cor suum inclinauerunt; vt dicitur verbis seqq.

VERS. 40. Et conuocantes,

ID est aduocantes, in locum scilicet concilij. (Infra v. 41.) Apostolos; *cæsis*] non quomodocunque, sed ignominiæ maioris causa, flagellis: sicut Dominus futurum dixerat Matth. 10. v. 17. c. 23. v. 34. Flagellatos fuisse Apostolos, intelligit Chrys. tam hîc quam ad v. 7. cap. 6.

DENVNCIAVERVNT, id est, præceperunt] *ne loquerentur in nomine Iesu.* Idem interdictum fecerant Petro & Ioanni, supra 4. v. 18. & in eorum personis voluerunt esse interdictum omnibus Apostolis; vt ipsimet declarauerunt, huius c. v. 28. Quis sensus interdicti; dictum est ad v. illum 18. c. 4. *Et dimiserunt eos.* Hic non dicitur quod Apostoli impio illi interdicto quod iam renouabatur, contradixerint: sed necesse non erat. Contradixerant enim semel iterumque supra, c. 4. v. 19. & huius cap. v. 29. Nullam significationem hîc dederunt sese acquieturos; ac insuper statim vbi dimissi essent, factis ipsis ostenderunt se illius interdicti nullam rationem habere, contrarium facientes, iuxta Dei mandatum de annunciando euangelio Iesu Nazareni crucifixi & resuscitati: vt dicitur verbis seqq.

VERS. 41. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij; quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati:

SENSVS verborum est, Apostoli dimissi abibant extra concilium illud magnum primorum Iudaicorum; abibant autem perquam læti, ea de causa quod Deus illos hoc honore affecisset vt propter professionem Iesu Saluatoris, ignominiose tractarentur, plagis nimirum acceptis.

HINC discendum, magnum esse beneficium si Deus quempiam pro vera fide, aut pro iustitia, permittit affligi & persecutionem pati à malis hominibus. Vnde Saluator Marci. 10 ijs qui propter euangelium reliquerint omnia, promittit centuplum in hac etiam vita accipiendum, cum persecutionibus.

VERS.

VERS. 42. Omni autem die non cessabant in templo, & circa domos docentes & euangelizantes Christum Iesum.

FVERANT pridie educti ex templo in conuentum primorum; fuerant nunc dimissi cum prohibitione ne annunciarent Iesum Nazarenum esse Christum seu Messiam: illi tamen nihili facientes impium ac Deo contrarium interdictum, quotidie pergunt tam in ipso templo quam per vicos ciuitatis, pro opportunitate, docere & lætum nuncium adferre, Iesum Nazarenum esse vnicum Messiam Domini, tot sæcula expectatum, qui iam à Deo missus venerit, redemptionem fecerit, resurrexerit, sedeat ad dexteram Patris, cuius proinde doctrinæ & præceptis sit acquiescendum omnibus qui velint esse salui: idque vel ipsius Moysi testimonio, quem tantopere æstimabant Iudæi; quod testimonium extat Deuter. 18. & in hanc rem citatum fuit à Petro Apostolo, supra c. 3. v. 22. Quando igitur hîc dicitur Apostolos annunciasse Iesum Christum; non solum significatur eos docuisse quod Iesus sit Christus, sed etiam docuisse quæ de ipso sint credenda, & quæ ipse præceperit. Ita & infra c. 8. v. 35. vt facile docetur ex subsequente illic v. 36.

ARGVMENTVM.

CAPITIS VI.

CERTA occasione eliguntur & ab Apostolis constituuntur septem Diaconi: inter quos cum Stephanus magnitudine fidei & sapientiæ, gratia miraculorum & alijs Spiritus sancti donis, emineret; ad minuendum eius nomen & famam, diuersarum synagogarum sapientes Iudæi aduersus eum de rebus ad religionem pertinentibus, disputant, nec possunt superare. Qui deinde per subornatos viros spargunt rumorem, Stephanum blasphemare soli uni; efficiuntque vt conueniat Concilium procerum Iudaicorum, coram quo illi subornati testes eum deponant blasphemasse. Eius tamen vultum Deus coram Concilio ita irradiando mutauit, vt vultus Angeli videretur. Interim plurimi Ierosolymitæ, etiam sacerdotes, suscipiunt fidem Iesu Nazareni.

VERS. 1. In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.

IN *diebus illis*] Hoc est, illo tempore. Non significatur autem hæc quæ nunc narrantur, accidisse eodem tempore quo contigerunt ea quæ sunt cap. præcedente:

cedente: vt facile patebit consideranti huius cap. v. 2. & seqq. *Crescente numero discipulorum*] In euangelica historia, in hoc libro similiter, nominantur *discipuli* Christi, qui postea Antiochiæ sunt appellati christiani, Infra c. 11. ad fin. *Factum est murmur Græcorũ.* In originali pro isto, *Græcorũ* est τῶν ἑλληνιστῶν, quo nomine significantur nõ gentiles, id est alieni à tribubus Israelitarum; sed ij qui genere erant Israelitæ, nõ patriâ; hoc est Israelitæ extra terram Israeliticam vspiam inter gentes nati, etiamsi forte habitarent Ierosolymis aut alibi in terra Isr. el. Ita sumitur idem Hellenistarum nomen infra, c. 9. v. 29 cap. 11. v. 20. Nam quod per omnes nationes dispersi tunc essent Iudæi; præter cętera est manifestum ex huius libri c. 2. v. 5. 9 & seqq. & ad eiusmodi Iudęos dispersos scripserunt suas epistolas Apostoli Petrus & Iacobus.

ADVERSVS *Hebræos.*] Id est, aduersus illos Iudæos seu Israelitas, qui non solum sanguine & habitatione, sed etiam patria tales erant. Isti vocantur hîc *hebræi*, eo quod hebraice seu lingua hebræis tunc vsitata loquerentur; cum Hellenistæ loquerentur lingua illius nationis in qua nati & educati erant.

E o *quod despicerentur* Pro isto (*eo quod*) græce est ὅτι, quod fortassis satius erat reddere per solum (*quòd,*) quam per istud complexum (*eo quod.*) Interest autem; quoniam in isto complexo vocula (*quod*) non potest aliter capi quam causaliter: quando autem sola ponitur, potest accipi specificatiue, quod grammatici græci dicunt εἰδικῶς. Non videtur liquere viduas Hellenistarum reuera fuisse postpositas viduis hebræorum; hoc tamen ponit ista oratio, *eo quod despicerentur &c*: non ponit autem hoc ipsum sermo hic, *quod despicerentur*. Si enim istud (*quod*) εἰδικῶς accipitur; solum significat quid Hellenistæ murmurando dixerint, non quid in ipsa re fuerit. Sicut qui dicit alicui, Audiui quod pater tuus ægrotet; non dicit id ita esse.

GRÆCORVM ὅτι non semper causaliter sumitur, quum possit εἰδικῶς, & debeat sæpe. Matth. 27. v. 43 *Dixit enim quòd filius Dei* sum. Ioannis 4. v. 51. *dicentes, quod filius eius viueret.* Græce est illud ὅτι.

DESPICERENTVR. Pene ad verbum est redditum, παρεθεωροῦντο. Teutonum *Wedersien*, pro *verachten*, huic est simillimum. *In ministerio quotidiano*) *Quotidianum ministerium* intelligitur cura & suppeditatio rerum quotidiano victui necessariarum. Confer Rom. 15. vers. 25. 2. Cor. 8. vers. 4 cap. 9. vers. 1. & alibi. sic expositores conformiter. *Viduæ* eorum.) Credibile est nomine *viduarum* comprehendi etiam illas quarum mariti adhuc viuebant, sed mutuo consensu omnia sua contulerant in communem massam, & vitam communem fuerant amplexi, illam de qua supra ad finem cap. 4. & initio 5. Nam tales mulieres etsi non per solutionem vinculi coniugalis essent viduæ; erant tamen conditione & modo viuendi. sicut de decem illis secundarijs vxoribus Dauidis, quas Absalom fœdauerat, dicitur quod Dauid restitutus in regnum non est deinceps ingressus ad eas, sed tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens; & erant clausæ vsque in diem mortis suæ *in viduitate viuentes* 2. Reg. 20. v. 3.

QVÆRITVR nunc quid voluerit ista querela Hellenistarum qua murmurabant

murabant despici in ministerio quotidiano viduas suas. Sunt tres diuersæ expositiones: sed maxime videtur probanda quam Oecumenius habet, nempe illos conquestos quod suis viduis non tam liberali er suppeditarentur ex communi mensa, quotidiana, vitæ necessaria, quam viduis hebræorum. Confirmari potest hæc expositio, primum verbis apostolorum proxime sequentibus, ibi, *ministrare mensis*. Deinde argumento ex contrario, verbis Apostoli 1. Timot. 5. v. 3. *Viduas honora quæ verè viduæ sunt.* Quid est *Viduas honora?* Viduis necessaria vitæ suppedita, aut suppeditari cura. Sicut infra eodem illo cap. *Qui bene præfuerint presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Hinc ex aduerso facile intelligitur quid hoc loco sit Viduas Hellenistarum in ministerio quotidiano fuisse despectas; vt quidem illi conquerebantur. Sensum quem dedimus, etiam S. Hierony. indicat epistola 85. statim in principio quatenus illic Diaconum vocat *viduarum ministrum*: quum reliquæ duæ expositiones huius loci, viduas faciant ministras, non verò quibus ministretur. Hallucinantur (vt hoc obiter moneamus) illis Hieronymi verbis explicandis & Desiderius & Marianus.

CÆTERVM priusquam progrediamur considerandum est vnum alterumque hoc loco. Prius est, quod admonet Chrys. & Oecumenius, Apostolos in tantis laboribus quibus fidem Christi propagabant, perpetuis nihilominus tribulationibus fuisse afflictos; nunc ab externis, Iudæorum videlicet primoribus & popularibus per eos seductis, toto conatu nouellam Christi ecclesiam delere tentantibus: nunc ab internis, ab his scilicet qui fidem Christi iam susceperant; vt hoc loco, quando Hellenistarum christianorum murmur exoritur de neglectis ipsorum viduis.

ALTERVM est, Non cum fide christiana suscepta exui omnem humanam imbecillitatem, omnem torporem & fragilitatem, & siquid aliud tale est. Ecce enim, supra cap. 4. v. 32. dictum fuit, *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: & erant illis omnia communia.* Item ibidem; *Gratia magna erat in omnibus illis: neque enim quispiam egens erat inter illos.* & mox. *Diuidebatur singulis prout cuique opus erat*: At hoc loco suscitatur murmur Græcorum seu Græcistarum aduersus Hebræos; Israelitarum aduersus Israelitas; christianorum aduersus christianos; murmur dico, quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Si iusta fuit hæc querela: culpa est aliqua negligentiæ eorum qui bonorum communium erant dispensatores. Quamuis S. Lucas videatur eos nonnihil excusare propter multitudinem eorum qui communem illam vitam susceperant. Ita Chrys. Nec enim ociose posita sunt illa verba in fronte huius cap. *crescente numero discipulorum.* Quod si querela fuit iniusta: fuit fragilitatis humanæ, quod Hellenistæ moti questubus viduarum suarum, hoc murmur aduersus Hebræos murmurauerint. In eo tamen laudandæ sunt illorum viduæ, quod non per seipsas murmur concitauerint (quale quid, nonnullis in locis, fortassis facturę essent hodie mulieres impudentiores) sed suis consanguineis, suis quondam maritis, suis affinibus & amicis negotium illud curandum reliquerint. Porro propter hæc humanæ naturæ vitia quibus etiam fideles laborant: nihil mirandum, si in ecclesijs, in monasteriis, in alijs communitatibus,

munitatibus, opus sit frequenti visitatione & reformatione; neque vnquam securi esse debeant earum Superiores.

VERS. 2. Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt; Non est æquum nos derelinquere vebum Dei, & ministrare mensis.

VIDETVR aliquid iustitiæ fuisse in illa querela; ex eo quod Apostoli remedium adhibent, isto modo qui nunc exponitur à S. Luca. Illud (*duodecim*) est primi casus, vt patet ex græco, & significat Apostolos, epitheto in scripturis noui testamenti vsitatissimo. *Discipulorum*] hoc est fidelium qui erant Ierosolymæ. *Multitudinem* ipsam christianorum Ierosolymæ degentium Apostoli conuocarunt, & coram ea dixerunt vnum obseruabile apophthegma; Hoc nempe, *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Illud (*nos*) emphasim habet, cuius vim quilibet facile animo assequitur. *Nos*, Apostolos Christi, quos ipse misit ad docendum omnes gentes, initio facto à Iudæis. *Nos*, longe maioribus negocijs à Deo destinatos. *Verbum Dei.* Hoc est, verbi Dei prædicationem. Quotidie enim Apostoli conciones sacras habebant, tam ad iam conuersos, quam ad Iudæos nondum conuersos. quotidie, inquam vt dicebatur vltimis verbis cap. præcedentis. Quotidie item publicæ orationi, sub qua sacrificium continetur, vacabant: vt proxime v.4. significatur.

ET *ministrare mensis*] Id est, curare quod edant, quod bibant omnes, quadam æqualitate seruata, vt tollatur quidquid est murmuris.

MEMINERINT huius apostolici apothegmatis Prælati ecclesiarum, neque sacrum suæ dignitatis officium in vicarios & locumtenentes reijciant vniuersum, ipsi litibus agitandis & rationibus audiendis dumtaxat intenti. Meminerint eiusdem & Laici homines, illi qui sacræ doctrinæ annunciatores & ecclesiæ ministros ad sordida aut seruilia opera reuocare contendunt. Pergunt apostoli;

VERS. 3. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij, septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus:

SENSVS est, Circumspicite & seligite ex toto vestro discipulorum numero, viros septem, qui apud omnes bene audiant, seu qui sint boni nominis & famæ apud vos omnes; viros cumulatos donis Spiritus sancti, velut eximia charitate, magna patientia (qua deuorentur tædia murmurationum & obtrectationum) magna & feruida diligentia, magna item fidelitate (ne consentiant tentationibus iniustitiæ) magna insuper sapientia atque ad huiusmodi officium exequendum industria: quos tales à vobis nobis præsentatos, *nos constituamus super hoc opus.* Id est, super hanc quotidianæ sustentationis æqua-

uerauter insistemus. græcè, [illegible]. Vim vocis græcæ expendit Chrys. in iterata expositione.

Vers. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine.

Non mirum: quoniam plenus erat rationis, deinde, quoniam Apostoli multum honoris deferebant multitudini huic, quod ei permitterent nominationem seu designationem septem istorum superintendentium. Quanquam & alia de causa id faciebant Apostoli, ne si ipsi sine vllo multitudinis suffragio eos constituissent, occasio aliqua murmuri relinqueretur; ac ne videretur in quorundam gratiam totum negotium per se confecisse, inquit Chrysost. in iterata expositione.

Et *elegerunt Stephanum* &c. Ex v. 3. satis constat quod ista à multitudine facta electio non fuerit canonica, id est, talis vt ius aliquod tribueret electis: sed dumtaxat designatio & nominatio, cum præsentatione subsequente. vnde dicitur versu sequente. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum.* & v. 3. Apostoli dicebant quod ipsi essent istos à plebe nominatos constituturi super hoc opus. Vnde in offertorio missæ S. Stephani, dicit Ecclesia; *Elegerunt Apostoli Stephanum Leuitam:* scilicet electione canonica, & quæ faceret electos id esse ad quod eligebantur: quod sane non faciebat electio popularis. Eodem modo Cass. Coll. 18. cap. 16. ait Nicolaum Antiochenum fuisse electum ab Apostolis ad opus ministerij.

Non est dubitandum omnes istos septem fuisse etiam diaconos sacri altaris seu sacrificij christiani: siue iam antea ad hoc fuerint ordinati quidam eorum, siue nunc demum, siue postea; iuxta ea quæ dicta sunt ad v. 3. Amplius autem, omnes hi septem, præter fortassis Nicolaum, fuerunt sanctitate eximij, & euangelium Christi prædicauerunt; ac plerique martyres Domini effecti sunt; ita vt ecclesiasticis tabulis eorum memoria singulis annis renouetur; vt de singulis ordine dicetur.

Stephanum *virum plenum fide & Spiritu sancto*] Paulo post idem Stephanus dicitur *plenus gratia & fortitudine:* quibus omnibus significatur eum valde abundantem Dei gratiam, eamque multiplicem accepisse, non solum qua esset valde bonus christianus, sed etiam qua foret bonus, imo excellens Diaconus & martyr Christi. Fidei hoc loco quid significet, non valde liquet, an theologicam illam credendi virtutem, an fidelitatem, an fiduciam & animi constantiam. Liranus intelligit fidelitatem. Nobis videtur S. Lucas primo modo intellexisse, ac velle dicere, quod fidei christianæ mysteria distinctius quam multi alij nouerat, eademque summa animi firmitate & feruore amplectebatur.

Et *Spiritu sancto*] Id est, & varijs alijs Spiritus S. donis, tam ijs quæ appellantur gratiæ gratis datæ, quam gratia gratum faciente, imprimis autem eximia Dei & proximorum charitate.

Eius natalitium diem celebrat Ecclesia postridie Natiuitatis Domini; Inuentionem corporis eius (quæ accidit anno Christi 415. anno scilicet 21. Honorij

ionorij Imperatoris) celebrat die 3. Augusti, quamuis acciderit circiter 21. dem mensis Decembris, vt liquet ex epistola Luciani presbyteri quam citaui mus ad v. 3. sicut ex eadem constat quod translatio corporis eiusdem in sanctam ecclesiam Sion facta sit eodem mense & anno, 7. calend Ianuarij, id est, 26. Decemb. Cur nihilominus 3. Augusti celebretur eius Inuentio, rationem reddit Baronius Notat. ad Martyrol. Rom. illo die. Translatio eiusdem & corporis Constantinopolim facta fuit longe pòst, quinto calend Octobr. alia rursum inde Romam, 6. die Maij Martyrium autem eius contigisse die 26. Decembris, quo etiam facta est prima illa translatio corporis ipsius in ecclesiam Sion, probat Baronius in notis ad Martyrol. Rom. die illo 26. & tomo 1. Annal. anno Christi 34. §. 302. Euidentissimè autem ex Serm B. Gregorij Nysseni de S. Stephano, qui vtique floruit ante corporis eius inuentionem.

ET *Philippum*] Hic est qui conuertit Samaritanos, qui & baptizauit Eunuchum illum Dynastam Æthiopem. Infra cap 8. Fit iterum mentio eius infra cap. 21. v. 8. Mentio est eius in Martyrologio Romano & aliarum ecclesiarum, 6. Iunij.

ET *Prochorum.*] Eius natalitius dies tanquam martyris celebratur in Martyrologijs, die 9. April.

ET *Nicánorem.*] Hic quoque vt martyr celebratur in Martyrologijs, die 10. Ianuarij.

ET *Timónem*] Similiter titulo martyris celebratur 19. Aprilis.

ET *Pármenam.*] Martyr & ipse, eo nomine celebratur ab Ecclesijs, 23. Ianuarij.

ET *Nicolaum aduenam, Antiochenum.*] *Aduenam*, græcè est προσήλυτον, quo nomine significatur eum non fuisse genere Iudæum, sed religione dumtaxat, id est, Antiochenum gentilem suscepisse religionem vnius veri Dei iuxta legem Mosaicam. Postea autem fuerat conuersus ad fidem Christi; vt patet: iam erant ex multitudine christianorum omnes hi qui à populo Apostolis præsentabantur, vt liquet ex v. 3. Et quoniam specialiter iste Nicolaus sic nominatur proselytus: significatio est cæteros hos diaconos fuisse genere Iudæos. Sed quæri posset, an fuerint Hebræi an Hellenistæ, iuxta distinctionem positam & explicatam initio huius capitis. Dicendum est autem, non esse improbabile plerosque istorum diaconorum fuisse Hellenistas. Nomina græca eorum id aliquo modo suadent, fuisse scilicet extra Iudæam natos. Tum & illud accedit, quod propter viduas Hellenistarum ortum fuerat murmur: idei co videntur fideles illi simul collecti, plerosque diaconos elegisse ex Hellenistis, vt tanto cumulatius ijs satisfacerent.

QVOD porro attinet ad Nicolaum istum proselytum; hic est ille à quo nomen traxit secta spurcissima Nicolaitarum; quorum fit mentio Apocalyp. 2. v. 6. & 15. tametsi non defuerunt qui ab alio crederent, vt testatur Cass. loco proxime citando, ab alio (inquam) eiusdem nominis eam sectam appellatam. Id parum probabile hoc est. Numerat sectam eam S. Epiphanius quinto loco inter hæreses ortas post Christi aduentum; in toto autem numero 25. Est &

quidem

uerāter insistemus. græcè, *προσκαρτερήσομεν*. Vim vocis græcæ expendit Chrys. in iterata expositione.

Vers. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine.

NON mirum: quoniam plenus erat rationis, deinde, quoniam Apostoli multum honoris deferebant multitudini huic, quod ei permitterent nominationem seu designationem septem istorum superintendentium. Quamquam & alia de causa id faciebant Apostoli, ne si ipsi sine vllo multitudinis suffragio eos constituissent, occasio aliqua murmuri relinqueretur: ac ne viderentur in quorumdam gratiam totum negotium per se confecisse, inquit Chrysost. in iterata expositione.

ET *elegerunt Stephanum* &c. Ex v. 3. satis constat quod ista à multitudine facta electio non fuerit canonica, id est, talis vt ius aliquod tribueret electis: sed dumtaxat designatio & nominatio, cum præsentatione subsequente. vnde dicitur versu sequente. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum.* & v. 3. Apostoli dicebant quod ipsi essent istos à plebe nominatos constituturi super hoc opus. Vnde in offertorio missæ S. Stephani, dicit Ecclesia; *Elegerunt Apostoli Stephanum Leuitam*: scilicet electione canonica, & quæ faceret electos id esse ad quod eligebantur: quod sane non faciebat electio popularis. Eodem modo Cass. Coll. 18. cap. 16. ait Nicolaum Antiochenum fuisse electum ab Apostolis ad opus ministerij.

NON est dubitandum omnes istos septem fuisse etiam diaconos sacri altaris seu sacrificij christiani: siue iam antea ad hoc fuerint ordinati quidam eorum, siue nunc demum, siue postea; iuxta ea quæ dicta sunt ad v. 3. Amplius autem, omnes hi septem, præter fortassis Nicolaum, fuerunt sanctitate eximij, & euangelium Christi prædicauerunt; ac plerique martyres Domini effecti sunt; ita vt ecclesiasticis tabulis eorum memoria singulis annis renouetur; vt de singulis ordine dicetur.

STEPHANVM *virum plenum fide & Spiritu sancto*] Paulo post idem Stephanus dicitur *plenus gratia & fortitudine*: quibus omnibus significatur eum valde abundantem Dei gratiam, eamque multiplicem accepisse, non solum qua esset valde bonus christianus, sed etiam qua foret bonus, imo excellens Diaconus & martyr Christi. *Fides* hoc loco quid significet, non valde liquet, an theologicam illam credendi virtutem, an fidelitatem, an fiduciam & animi constantiam. Liranus intelligit fidelitatem. Nobis videtur S. Lucas primo modo intellexisse, ac velle dicere, quod fidei christianæ mysteria distinctius quam multi alij nouerat, eademque summâ animi firmitate & feruore amplectebatur.

ET *Spiritu sancto*] Id est, & varijs alijs Spiritus S. donis, tam ijs quæ appellantur gratiæ gratis datæ, quam gratia gratum faciente, in primis autem eximia Dei & proximorum charitate.

EIVS natalitium diem celebrat Ecclesia postridie Natiuitatis Domini; Inuentionem corporis eius (quæ accidit anno Christi 415. anno scilicet 21. Honorij

ionorij Imperatoris) celebrat die 3. Augusti, quamuis acciderit circiter 21. I em mensis Decembris, vt liquet ex epistola Luciani presbyteri quam citaui- ..us ad v. 3. sicut ex eadem constat quod translatio corporis eiusdem in san- ..am ecclesiam Sion facta sit eodem mense & anno, 7. calend Ianuarij, id ..., 26. Decemb. Cur nihilominus 3. Augusti celebretur eius Inuentio, ratio- ..em reddit Baronius Notat. ad Martyrol. Rom. illo die. Translatio eiusdem ... corporis Constantinopolim facta fuit longe pòst, quinto calend Octo- ..r. alia rursum inde Romam, 6. die Maij Martyrium autem eius contigisse ..te 26. Decembris, quo etiam facta est prima eius translatio corporis ipsius in ..cclesiam Sion, probat Baronius in notis ad Martyrol. Rom. die illo 26. & ..omo 1. Annal. anno Christi 34. § 302. Euidentissimè autem ex Serm B. ..regorij Nysseni de S. Stephano, qui vtique floruit ante corporis eius in- ..entionem.

ET *Philippum*] Hic est qui conuertit Samaritanos, qui & baptizauit Eu- ..nuchum illum Dynastam Æthiopem. Infra cap. 8. Fit iterum mentio eius in- ..a cap. 21. v. 8. Mentio est eius in Martyrologio Romano & aliarum eccle- ..rum, 6. Iunij.

ET *Prochorum.*] Eius natalitius dies tanquam martyris celebratur in Mar- ..tyrologijs, die 9. April.

ET *Nicánorem.*] Hic quoque vt martyr celebratur in Martyrologijs, die ..o. Ianuarij.

ET *Timónem*] Similiter titulo martyris celebratur 19. Aprilis.

ET *Pármenam.*] Martyr & ipse, eo nomine celebratur ab Ecclesijs, 23. ..anuarij.

ET *Nicolaum aduenam, Antiochenum.*] *Aduenam*, græce est προσήλυτον, ..uo nomine significatur eum non fuisse genere Iudæum, sed religione dum- ..xat, id est, Antiochenum gentilem suscepisse religionem vnius veri Dei iuxta ..gem Mosaicam. Postea autem fuerat conuersus ad fidem Christi; vt patet: ..am erant ex multitudine christianorum omnes hi qui à populo Apostolis ..ræsentabantur, vt liquet ex v. 3 Et quoniam specialiter iste Nicolaus sic no- ..inatur proselytus: significatio est cæteros hos diaconos fuisse genere Iudæos, ..ed quæri posset, an fuerint Hebræi an Hellenistæ, iuxta distinctionem posi- ..m & explicatam initio huius capitis. Dicendum est autem, non esse impro- ..bile plerosque istorum diaconorum fuisse Hellenistas. Nomina græca eo- ..um id aliquo modo suadent, fuisse scilicet extra Iudæam natos Tum & aliud ..cedit, quod propter viduas Hellenistarum ortum fuerat murmur: ideo co ..dentur fideles illi simul collecti, plerosque diaconos elegisse ex Hellenistis, ..tanto cumulatius ijs satisfacerent.

QVOD porro attinet ad Nicolaum istum proselytum; hic est ille à quo no- ..en traxit secta spurcissima Nicolaitarum; quorum fit mentio Apocalyp 2. ..6. & 15. tametsi non defuerunt qui ab alio crederent, vt testatur Cass loco ..oxime citando, ab alio (inquam) eiusdem nominis eam sectam appellatam. ..parum probabile hoc est. Numerat sectam eam S. Epiphanius quinto loco ..ter hæreses ortas post Christi aduentum; in toto autem numero 25. Est ...

qu..ta

uceranter insistemus græcè, προσκαρτερήσομεν. Vim vocis græcæ expendit Chrys. in iterata expositione.

VERS. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine.

NON mirum: quoniam plenus erat rationis, deinde, quoniam Apostoli multum honoris deferebant multitudini huic, quod ei permitterent nominationem seu designationem septem istorum superintendentium. Quamquam & alia de causa id faciebant Apostoli, ne si ipsi sine vllo multitudinis suffragio eos constituissent, occasio aliqua murmuri relinqueretur; ac ne viderentur in quorumdam gratiam totum negotium per se confecisse; inquit Chrysost. in iterata expositione.

ET *elegerunt Stephanum* &c. Ex v. 3. satis constat quod ista à multitudine facta electio non fuerit canonica, id est, talis vt ius aliquod tribueret electis: sed dumtaxat designatio & nominatio, cum præsentatione subsequente. vnde dicitur versu sequente. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum.* & v. 3. Apostoli dicebant quod ipsi essent istos à plebe nominatos constituturi super hoc opus. Vnde in offertorio missæ S. Stephani, dicit Ecclesia; *Elegerunt Apostoli Stephanum Leuitam*: scilicet electione canonica, & quæ faceret electos id esse ad quod eligebantur: quod sane non faciebat electio popularis. Eodem modo Cass. Coll. 18. cap. 16. ait Nicolaum Antiochenum fuisse electum ab Apostolis ad opus ministerij.

NON est dubitandum omnes istos septem fuisse etiam diaconos sacri altaris seu sacrificij christiani: siue iam antea ad hoc fuerint ordinati quidam eorum, siue nunc demum, siue postea; iuxta ea quæ dicta sunt ad v. 3. Amplius autem, omnes hi septem, præter fortassis Nicolaum, fuerunt sanctitate eximij, & euangelium Christi prædicauerunt; ac plerique martyres Domini effecti sunt; ita vt ecclesiasticis tabulis eorum memoria singulis annis renouetur; vt de singulis ordine dicetur.

STEPHANVM *virum plenum fide & Spiritu sancto*] Paulo post idem Stephanus dicitur *plenus gratia & fortitudine*: quibus omnibus significatur eum valde abundantem Dei gratiam, eamque multiplicem accepisse, non solum qua esset valde bonus christianus, sed etiam qua foret bonus, imo excellens Diaconus & martyr Christi. *Fides* hoc loco quid significet, non valde liquet, an theologicam illam credendi virtutem, an fidelitatem, an fiduciam & animi constantiam. Liranus intelligit fidelitatem. Nobis videtur S. Lucas primo modo intellexisse, ac velle dicere, quod fidei christianæ mysteria distinctius quam multi alij nouerat, eademque summâ animi firmitate & feruore amplectebatur.

ET *Spiritu sancto*] Id est, & varijs alijs Spiritus S. donis, tam ijs quæ appellantur gratiæ gratis datæ, quam gratia gratum faciente, in primis autem eximia Dei & proximorum charitate.

EIVS natalitium diem celebrat Ecclesia postridie Natiuitatis Domini, Inuentionem corporis eius (quæ accidit anno Christi 415. anno scil. cet. 2. Honorij

Honorij Imperatoris) celebrat die 3. Augusti, quamuis acciderit circiter 21.
diem mensis Decembris, vt liquet ex epistola Luciani presbyteri quam citaui-
mus ad v. 3. sicut ex eadem constat quod translatio corporis eiusdem in san-
ctam ecclesiam Sion facta sit eodem mense & anno, 7. calend Ianuarij, id
est, 26. Decemb. Cur nihilominus 3. Augusti celebretur eius Inuentio, ratio-
nem reddit Baronius Notat. ad Martyrol. Rom. illo die. Translatio eiusdem
sacri corporis Constantinopolim facta fuit longe pòst, quinto calend Octo-
br. alia rursum inde Romam, 6. die Maij Martyrium autem eius contigisse
die 26. Decembris, quo etiam facta est prima illa translatio corporis ipsius in
ecclesiam Sion, probat Baronius in notis ad Martyrol. Rom. die illo 26. &
tomo 1. Annal. anno Christi 34. § 302. Euidentissimè autem ex Serm B.
Gregorij Nysseni de S. Stephano, qui vtique floruit ante corporis eius in-
uentionem.

Et *Philippum*] Hic est qui conuertit Samaritanos, qui & baptizauit Eu-
nuchum illum Dynastam Æthiopem. Infra cap 8 Fit iterum mentio eius in-
fra cap. 21. v. 8. Mentio est eius in Martyrologio Romano & aliarum eccle-
siarum, 6. Iunij.

Et *Prochorum.*] Eius natalitius dies tanquam martyris celebratur in Mar-
tyrologijs, die 9. April.

Et *Nicánorem.*] Hic quoque vt martyr celebratur in Martyrologijs, die
10. Ianuarij.

Et *Timónem*] Similiter titulo martyris celebratur 19. Aprilis.

Et *Pármenam.*] Martyr & ipse, eo nomine celebratur ab Ecclesijs, 23.
Ianuarij.

Et *Nicolaum aduenam, Antiochenum.*] *Aduenam*, græce est προσήλυτον,
quo nomine significatur eum non fuisse genere Iudæum, sed religione dum-
taxat, id est, Antiochenum gentilem suscepisse religionem vnius veri Dei iuxta
legem Mosaicam. Postea autem fuerat conuersus ad fidem Christi; vt patet:
iam erant ex multitudine christianorum omnes hi qui à populo Apostolis
præsentabantur, vt liquet ex v. 3 Et quoniam specialiter iste Nicolaus hîc no-
minatur proselytus: significatio est cæteros hos diaconos fuisse genere Iudæos.
Sed quæri posset, an fuerint Hebræi an Hellenistæ, iuxta distinctionem posi-
tam & explicatam initio huius capitis. Dicendum est autem, non esse impro-
babile plerosque istorum diaconorum fuisse Hellenistas. Nomina græca eo-
rum id aliquo modo suadent, fuisse scilicet extra Iudæam natos Tum & illud
accedit, quod propter viduas Hellenistarum ortum fuerat murmur: ideo co
videntur fideles illi simul collecti, plerosque diaconos elegisse ex Hellenistis,
ut tanto cumulatius ijs satisfacerent.

Qvod porro attinet ad Nicolaum istum proselytum; hic est ille à quo no-
men traxit secta spurcissima Nicolaitarum; quorum fit mentio Apocalyp 2.
v. 6. & 15. tametsi non defuerunt qui ab alio crederent, vt testatur Cass loco
proxime citando, ab alio (inquam) eiusdem nominis eam sectam appellatam.
Sed parum probabile hoc est. Numerat sectam eam S. Epiphanius quinto loco
inter hæreses ortas post Christi aduentum; in toto autem numero 25. Est &

quinta

uerantet insistemus. græcè, προσκαρτερήσομεν. Vim vocis græcæ expendit Chrys. in iterata expositione.

VERS. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine.

NON mirum: quoniam plenus erat rationis, deinde, quoniam Apostoli multum honoris deferebant multitudini huic, quod ei permitterent nominationem seu designationem septem istorum superintendentium. Quamquam & alia de causa id faciebant Apostoli, ne si ipsi sine vllo multitudinis suffragio eos constituissent, occasio aliqua murmuri relinqueretur; ac ne viderentur in quorumdam gratiam totum negotium per se confecisse, inquit Chrysost. in iterata expositione.

ET *elegerunt Stephanum* &c. Ex v. 3. satis constat quod ista à multitudine facta electio non fuerit canonica, id est, talis vt ius aliquod tribueret electis: sed dumtaxat designatio & nominatio, cum præsentatione subsequente. vnde dicitur versu sequente. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum.* & v. 3. Apostoli dicebant quod ipsi essent istos à plebe nominatos constituturi super hoc opus. Vnde in offertorio missæ S. Stephani, dicit Ecclesia; *Elegerunt Apostoli Stephanum Leuitam:* scilicet electione canonica, & quæ faceret electos id esse ad quod eligebantur: quod sane non faciebat electio popularis. Eodem modo Cass. Coll. 18. cap. 16. ait Nicolaum Antiochenum fuisse electum ab Apostolis ad opus ministerij.

NON est dubitandum omnes istos septem fuisse etiam diaconos sacri altaris seu sacrificij christiani: siue iam antea ad hoc fuerint ordinati quidam eorum, siue nunc demum, siue postea; iuxta ea quæ dicta sunt ad v. 3. Amplius autem, omnes hi septem, præter fortassis Nicolaum, fuerunt sanctitate eximij, & euangelium Christi prædicauerunt; ac pleríque martyres Domini effecti sunt; ita vt ecclesiasticis tabulis eorum memoria singulis annis renouetur; vt de singulis ordine dicetur.

STEPHANVM *virum plenum fide & Spiritu sancto*] Paulo post idem Stephanus dicitur *plenus gratia & fortitudine:* quibus omnibus significatur eum valde abundantem Dei gratiam, eamque multiplicem accepisse, non solum qua esset valde bonus christianus, sed etiam qua fieret bonus, imo excellens Diaconus & martyr Christi. *Fides* hoc loco quid significet, non valde liquet, an theologicam illam credendorum, an fidelitatem, an fiduciam & animi constantiam. Liranus intelligit fidelitatem. Nobis videtur S. Lucas primo modo intellexisse, ac velle dicere, quod fidei christianæ mysteria distinctius quam multi alij nouerat, eademque summâ animi firmitate & feruore amplectebatur.

ET *Spiritu sancto*] Id est, & varijs alijs Spiritus S. donis, tam ijs quæ appellantur gratiæ gratis datæ, quam gratia gratum faciente, in primis autem eximia Dei & proximorum charitate.

EIVS natalitium diem celebrat Ecclesia postridie Natiuitatis Domini; Inuentionem corporis eius (quæ accidit anno Christi 415. anno scilicet 21.

Honorij

Honorij Imperatoris) celebrat die 3. Augusti, quamuis acciderit circiter 21. diem mensis Decembris, vt liquet ex epistola Luciani presbyteri quam citauimus ad v. 3. sicut ex eadem constat quod translatio corporis eiusdem in sanctam ecclesiam Sion facta sit eodem mense & anno, 7. calend Ianuarij, id est, 26. Decemb. Cur nihilominus 3. Augusti celebretur eius Inuentio, rationem reddit Baronius Notat. ad Martyrol. Rom. illo die. Translatio eiusdem sacri corporis Constantinopolim facta fuit longe pòst, quinto calend Octobr. alia rursum inde Romam, 6. die Maij Martyrium autem eius contigisse die 26. Decembris, quo etiam facta est prima illa translatio corporis ipsius in ecclesiam Sion, probat Baronius in notis ad Martyrol. Rom. die illo 26. & tomo 1. Annal. anno Christi 34. § 302. Euidentissimè autem ex Serm B. Gregorij Nysseni de S. Stephano, qui vtique floruit ante corporis eius inuentionem.

Et *Philippum*] Hic est qui conuertit Samaritanos, qui & baptizauit Eunuchum illum Dynastam Æthiopem. Infra cap 8 Fit iterum mentio eius infra cap. 21. v. 8. Mentio est eius in Martyrologio Romano & aliarum ecclesiarum, 6. Iunij.

Et *Prochorum*.] Eius natalitius dies tanquam martyris celebratur in Martyrologijs, die 9. April.

Et *Nicánorem*.] Hic quoque vt martyr celebratur in Martyrologijs, die 10. Ianuarij.

Et *Timónem*] Similiter titulo martyris celebratur 19. Aprilis.

Et *Pármenam*.] Martyr & ipse, eo nomine celebratur ab Ecclesijs, 23. Ianuarij.

Et *Nicolaum aduenam, Antiochenum*.] *Aduenam*, græce est προσήλυτον, quo nomine significatur eum non fuisse genere Iudæum, sed religione dumtaxat, id est, Antiochenum gentilem suscepisse religionem vnius veri Dei iuxta legem Mosaicam. Postea autem fuerat conuersus ad fidem Christi; vt patet: nam erant ex multitudine christianorum omnes hi qui à populo Apostolis præsentabantur, vt liquet ex v. 3 Et quoniam specialiter iste Nicolaus hic nominatur proselytus; significatio est cæteros hos diaconos fuisse genere Iudæos. Sed quæri posset, an fuerint Hebræi an Hellenistæ, iuxta distinctionem positam & explicatam initio huius capitis. Dicendum est autem, non esse improbabile plerosque istorum diaconorum fuisse Hellenistas. Nomina græca eorum id aliquo modo suadent, fuisse scilicet extra Iudæam natos Tum & illud accedit, quod propter viduas Hellenistarum ortum fuerat murmur: ideirco videntur fideles isti simul collecti, plerosque diaconos elegisse ex Hellenistis, ut tanto cumulatius ijs satisfacerent.

Qvod porro attinet ad Nicolaum istum proselytum; hic est ille à quo nomen traxit secta spurcissima Nicolaitarum; quorum fit mentio Apocal. p. 2. v. 6. & 15. tametsi non defuerunt qui ab alio crederent, vt testatur Cass loco proxime citando, ab alio (inquam) eiusdem nominis eam sectam appellatam. Id parum probabile hoc est. Numerat sectam eam S. Epiphanius quinto loco inter hæreses ortas post Christi aduentum; in toto autem numero 25. Est &

quinta

murmurabant despici in ministerio quotidiano viduas suas. Sunt tres diuersæ expositiones: sed maxime videtur probanda quam Oecumenius habet, nempe illos conquestos quod suis viduis non tam liberaliter suppeditarentur ex communi massa, quotidiana, vitæ necessaria, quam viduis hebræorum. Confirmari potest hęc expositio, primum verbis apostolorum proxime sequentibus, ibi, *ministrare mensis*. Deinde argumento ex contrario, verbis Apostoli 1. Timot. 5. v. 3. *Viduas honora quæ verè viduæ sunt.* Quid est *Viduas honora?* Viduis necessaria vitæ suppedita, aut suppeditari cura. Sicut infra eodem illo cap. *Qui bene præsunt presbiteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Hinc ex aduerso facile intelligitur quid hoc loco sit Viduas Hellenistarum in ministerio quotidiano fuisse despectas; vt quidem illi conquerebantur. Sensum quem dedimus, etiam S. Hierony. indicat epistola 85. statim in principio quatenus illic Diaconum vocat *Viduarum ministrum*: quum reliquæ duæ expositiones huius loci, viduas faciant ministras, non verò quibus ministretur. Hallucinantur (vt hoc obiter moneamus) illis Hieronymi verbis explicandis & Desiderius & Marianus.

Cæterum priusquam progrediamur considerandum est vnum alterumque hoc loco. Prius est, quod admonet Chrys. & Oecumenius, Apostolos in tantis laboribus quibus fidem Christi propagabant; perpetuis nihilominus tribulationibus fuisse afflictos; nunc ab externis, Iudæorum videlicet primoribus & popularibus per eos seductis, toto conatu nouellam Christi ecclesiam delere tentantibus: nunc ab internis, ab his scilicet qui fidem Christi iam susceperant; vt hoc loco, quando Hellenistarum christianorum murmur exoritur de neglectis ipsorum viduis.

Alterum est, Non cum fide christiana suscepta exui omnem humanam imbecillitatem, omnem torporem & fragilitatem, & siquid aliud tale est. Ecce enim, supra cap. 4. v. 32. dictum fuit, *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: & erant illis omnia communia.* Item ibidem; *Gratia magna erat in omnibus illis: neque enim quispiam egens erat inter illos.* & mox. *Diuidebatur singulis prout cuique opus erat*: At hoc loco suscitatur murmur Græcorum seu Grecistarum aduersus Hebræos; Israelitarum aduersus Israelitas, christianorum aduersus christianos; murmur dico, quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Si iusta fuit hæc querela: culpa est aliqua negligentiæ eorum qui bonorum communium erant dispensatores. Quamuis S. Lucas videatur eos nonnihil excusare propter multitudinem eorum qui communem illam vitam susceperant. Ita Chrys. Nec enim ociose posita sunt illa verba in fronte huius cap. *crescente numero discipulorum.* Quod si querela fuit iniusta: fuit fragilitatis humanæ, quod Hellenistæ moti questubus viduarum suarum, hoc murmur aduersus Hebræos murmurauerint. In eo tamen laudandæ sunt illorum viduæ, quod non per seipsas murmur concitauerint (quale quid, nonnullis in locis, fortassis facturę essent hodie mulieres impudentiores:) sed suis consanguineis, suis quondam maritis, suis affinibus & amicis negotium illud curandum reliquerint. Porro propter hæc humanæ naturæ vitia quibus etiam fideles laborant: nihil mirandum, si in ecclesijs, in monasteris, in alijs communitatibus,

nitatibus, opus sit frequenti visitatione & reformatione; neque vnquam curi esse debeant earum Superiores.

ERS. 2. Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt; Non est æquum nos derelinquere vebum Dei, & ministrare mensis.

VIDETVR aliquid iniustitiæ fuisse in illa querela; ex eo quod Apostoli remedium adhibent, isto modo qui nunc exponitur à S. Luca. Illud (*duodecim*) est primi casus, vt patet ex græco, & significat Apostolos, epitheto in scripturis noui testamenti vsitatissimo. *Discipulorum*] hoc est fidelium qui erant rosolymæ. *Multitudinem* ipsam christianorum Ierosolymæ degentium Apostoli conuocarunt, & coram ea dixerunt vnum obseruabile apophthegma; oc nempe, *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Illud *nos*) emphasim habet, cuius vim quilibet facile animo assequitur. *Nos*, Apostolos Christi, quos ipse misit ad docendum omnes gentes, initio facto à Iudæis. *Nos*, longe maioribus negocijs à Deo destinatos. *Verbum Dei.* Hoc est, tibi Dei prædicationem. Quotidie enim Apostoli conciones sacras habebant, m ad iam conuersos, quam ad Iudæos nondum conuersos. quotidie, inquam dicebatur vltimis verbis cap. præcedentis. Quotidie item publicæ orationi, b qua sacrificium continetur, vacabant: vt proxime v. 4. significatur.

ET *ministrare mensis*] Id est, curare quod edant, quod bibant omnes, quam æqualitate seruata, vt tollatur quidquid est murmuris.

MEMINERINT huius apostolici apothegmatis Prælati ecclesiarum, ne sacrum suæ dignitatis officium in vicarios & locumtenentes reijciant vniersum, ipsi luibus agitandis & rationibus audiendis duntaxat intenti. Meminerint eiusdem & Laici homines, illi qui sacræ doctrinæ annunciatores ecclesiæ ministros ad sordida aut seruilia opera reuocare contendunt. ergunt apostoli;

ERS. 3. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij, septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus:

ENSVS est, Circumspicite & seligite ex toto vestro discipulorum numero, viros septem, qui apud omnes bene audiant, seu qui sint boni nominis & mæ apud vos omnes; viros cumulatos donis Spiritus sancti, velut eximia itate, magna patientia (qua deuorentur tædia murmurationum & obectationum) magna & feruida diligentia, magna item fidelitate (ne conitant tentationibus iniustitiæ) magna insuper sapientia atque ad huiusmo officium exequendum industria: quos tales à vobis nobis præsentatos, *constituamus super hoc opus.* Id est, super hanc quotidianæ sustentationis æqua-

biliter

biliter faciendæ curam. Bona pars huius expositionis est apud Chrysostom. & Oecumenium.

QVARE septem? Credibile est Apostolos diuisisse totam ciuitatem Ierusalem in septem regiones; & cuique regioni vnum Diaconum præfecisse qui curaret fideles pauperes, aut ex communi viuentes; eos qui degebant in regione sua. sicut primis ecclesiæ temporibus Romæ per regiones vrbis sunt constituti septem diaconi qui curam pauperum haberent; septem Notarij qui martyrum gesta scriberent; septem subdiaconi qui ea ab illis accepta colligerent; vt legitur in vita sancti Fabiani Papæ.

PORRO cum hic dicitur, *super hoc opus*: non est putandum quod vel tota vel principalis fuerit hæc Diaconorum primorum functio. Imo credibile est, vel omnes hos septem qui paulo post recensebuntur, vel certe eorum aliquos iam antea fuisse ordinatos Diaconos sacrificij christiani; deinde vero adiectum ijs fuisse hoc mensarum ministerium: Quibusdam vero postea factum ministerium fuisse additum post istud œconomicum. Ita sentit V. Beda in retractatione super Acta, ad v. 6. huius cap. & ibidem Glossa ordinaria cum Hugone Card. Verba Bedæ sunt apud Estium in 4. dist. 24. §. 17. in fine. Credibile enim & illud, nec omnes nec solos sacrificij Diaconos, huic nunc officio fuisse additos. Videtur hoc voluisse dicere Oecumenius in Comment. ad initium huius cap. dum ait, de Apostolis loquens, Electos crearunt Diaconos, non iuxta gradum qui nunc est in ecclesia, sed ministros qui omni cum diligentia & non neglectim, distribuerent viduis simul & Orphanis ea quæ ad alimentum pertinebant. Verisimile est & Chrysost. hoc voluisse ijs verbis, quæ hom. 14. in iterata huius loci expositione, nos obscure versa habemus. Nam certe dignitatem ecclesiasticam diaconorum agnoscit homil. 11. in priorem ad Timoth. siquis alius.

SANCTVM Stephanum B. Iacobo sacrificanti Diaconum fuisse, ait Apostolis contemporaneus B. Ignatius in epistola ad Trallenses. Ita enim loquitur paulo post initium epistolæ; Oportet & Diaconos, mysteriorum Christi ministros, per omnia placere (Deo scilicet) nec enim ciborum & potuum ministri sunt, sed ecclesiæ Dei administratores. Et aliquanto post, ad medium epistolæ; Quid aliud est sacerdotium, quam sacer cœtus, consiliarij & assessores Episcopo? Quid vero Diaconi aliud, quam imitatores angelicarum virtutum, qui purum & inculpatum ministerium illis exhibent? vt S. Stephanus B. Iacobo, Timotheus & Linus, Paulo; Anacletus & Clemens, Petro. Videatur eiusdem Ignatij epistola ad Heronem diaconum. S. quoque Lucianus presbyter in sua circulari ad omnes fideles epistola, de reuelatione & inuentione corporum Sanctorum protomartyris Stephani, Gamalielis & eius filij Abibæ, ac Nicodemi, dicit hunc ad modum, loquens de Ioanne Hierosolymorum episcopo, & duobus alijs Episcopis videlicet Sebastes & Iericho, *Et tunc cum psalmis & hymnis portauerunt reliquias B. Stephani in sanctam Ecclesiam Sion; vbi & archidiaconus fuerat ordinatus.* Et paulo ante in eadem epistola vocatur B. Stephanus primus martyr, & archidiaconus Christi. Et in principio eiusdem epistolæ, gloriosus protomartyr & primus Diaconus Christi. B. Cyprianus lib. 3. epistola

tola 9. alias epistola 65. ait Apostolos post ascensionem Domini Diaconos sibi constituisse, episcopatus sui & Ecclesiæ ministros. Idem se intellexisse declarat synodus Neocæsariensis can. vlt. Fuit habita hæc synodus ante Nicenum primam, circiter annum Domini 315.

ADDE quod isti septem, etiam iam defuncti hoc œconomico ministerio, honorifice tamen habebantur, & specialiter nominabantur *illi septem*; infra cap. 21. v. 8. Adde quod euangelizabant; vt Stephanus cap. seq. Philippus cap. 8 quod non fecissent nisi habentes diaconatum iacium. Imo & baptizabat Philippus. ibid.

ET profecto, iam inde ab exordio ecclesiæ christianæ fuisse excellentius Diaconorum munus atque officium, quam hoc cap. à S. Luca (nec enim id ei tunc erat propositum) describatur; quiuis colligere potest ex ijs conditionibus quas in Diacono requirit Paulus Apostolus 1. Timot. 3. v. 8. & aliquot seqq. quas non omnes requireret in curatore temporalium bonorum communium alicuius congregationis, tametsi religiosæ. Rursum, quis dubitare potest, vnicuique apostolo fuisse saltem vnum diaconum qui ei inter sacrificandum assideret? Non omnes igitur Diaconi sacrificij, huic œconomico officio nunc fuerunt addicti. Videri de tota hac re potest Estius in d. 24. lib. 4. §. 17. & 18. Conferatur etiam Baronius ad Martyrol Rom. 8. Augusti notat. 2. & tom. 1. Anno Christi 34. §. 287.

VERS. 4. Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.

SVB *oratione* Apostolos tacite complecti sacrificium, non potest esse dubium: quia non erat alioqui ratio quare sibi orationem reseruarent Apostoli, cum nuda oratio sit omnium fidelium. Nec desunt exempla in scripturis similia. Isaiæ 56. v. 7. dicit Dominus per prophetam, *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis*: vbi sub oratione comprehendi sacrificium, præcedentia eodem loco declarant. Et in eum sensum Saluator eam scripturam citare videtur Matth. 21. Nam nuda oratio quolibet loco fieri potest. Et cum idem Dominus Ioan. 4. dicit Samaritanæ, *Venit hora quando neque in monte hoc (Garizim) neque in Ierosolymis adorabitis Patrem*: de sacrificio potissimum loquebatur, quod noui testamenti tempore offerendum esset, neque ritu Iudaico neque ritu Samaritico, sed in Spiritu & veritate, vt ipse ibi loquitur. Sicut etiam cum de Æthiope illo Eunucho, Actorum 8. dicitur quod venerat *adorare* in Ierusalem; haud dubie sensus est quod venerat illuc ad vni vero Deo sacrificandum, quod tunc non nisi in Ierusalem rite fieri poterat. Conferri potest Bellarm. lib. priore de Missa, cap 11. & quos ibi citat. quibus addi potest S. Martialis in epistola ad Burdegalenses cap. 3. ad fin.

ET *ministerio Verbi.*] *Ministerium Verbi* erat prædicatio & doctrina fidei christianæ, quam Apostoli faciebant quotidie, siue in templo, siue per domos, vt dictum fuit extremis verbis cap. præcedentis. *Instantes erimus.*] Id est, perseuerantes

uerauter insistemus. græcè, προσκαρτερήσομεν. Vim vocis græcæ expendit Chrys. in iterata expositione.

VERS. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine.

NON mirum: quoniam plenus erat rationis, deinde, quoniam Apostoli multum honoris deferebant multitudini huic, quod ei permitterent nominationem seu designationem septem istorum superintendentium. Quamquam & alia de causa id faciebant Apostoli, ne si ipsi sine vllo multitudinis suffragio eos constituissent, occasio aliqua murmuri relinqueretur; ac ne viderentur in quorumdam gratiam totum negotium per se confecisse, inquit Chrysost. in iterata expositione.

E T *elegerunt Stephanum* &c. Ex v. 3. satis constat quod ista à multitudine facta electio non fuerit canonica, id est, talis vt ius aliquod tribueret electis: sed dumtaxat designatio & nominatio, cum præsentatione subsequente. vnde dicitur versu sequente. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum.* & v. 3. Apostoli dicebant quod ipsi esse et istos à plebe nominatos constituturi super hoc opus. Vnde in offertorio missæ S. Stephani, dicit Ecclesia; *Elegerunt Apostoli Stephanum Leuitam:* scilicet electione canonica, & quæ faceret electos id esse ad quod eligebantur: quod sane non faciebat electio popularis. Eodem modo Cass. Coll. 18. cap. 16. ait Nicolaum Antiochenum fuisse electum ab Apostolis ad opus ministerij.

N O N est dubitandum omnes istos septem fuisse etiam diaconos sacri altaris seu sacrificij christiani: siue iam antea ad hoc fuerint ordinati quidam eorum, siue nunc demum, siue postea; iuxta ea quæ dicta sunt ad v. 3. Amplius autem, omnes hi septem, præter fortassis Nicolaum, fuerunt sanctitate eximij, & euangelium Christi prædicauerunt; ac plerique martyres Domini effecti sunt; ita vt ecclesiasticis tabulis eorum memoria singulis annis renouetur; vt de singulis ordine dicetur.

S T E P H A N V M *virum plenum fide & Spiritu sancto*] Paulo post idem Stephanus dicitur *plenus gratia & fortitudine:* quibus omnibus significatur eum valde abundantem Dei gratiam, eamque multiplicem accepisse, non solum qua esset valde bonus christianus, sed etiam qua foret bonus, imo excellens Diaconus & martyr Christi. *Fides* hoc loco quid significet, non valde liquet, an theologicam illam credendi virtutem, an fidelitatem, an fiduciam & animi constantiam. Liranus intelligit fidelitatem. Nobis videtur S. Lucas primo modo intellexisse, ac velle dicere, quod fidei christianæ mysteria distinctius quam multi alij nouerat, eademque summâ animi firmitate & feruore amplectebatur.

E T *Spiritu sancto*] Id est, & varijs alijs Spiritus S. donis, tam ijs quæ appellantur gratiæ gratis datæ, quam gratia gratum faciente, in primis autem eximia Dei & proximorum charitate.

E I V S natalitium diem celebrat Ecclesia postridie Natiuitatis Domini; Inuentionem corporis eius (quæ accidit anno Christi 415. anno scil. cir. 21. Honorij

Honorij Imperatoris) celebrat die 3. Augusti, quamuis acciderit circiter 21. eiusdem mensis Decembris, vt liquet ex epistola Luciani presbyteri quam citauimus ad v. 3. sicut ex eadem constar quod translatio corporis eiusdem in sanctam ecclesiam Sion facta sit eodem mense & anno, 7. calend. Ianuarij, id est, 26. Decemb. Cur nihilominus 3. Augusti celebretur eius Inuentio, rationem reddit Baronius Notat. ad Martyrol. Rom. illo die. Translatio eiusdem facta corporis Constantinopolim facta fuit longe pòst, quinto calend. Octobr. alia rursum inde Romam, 6. die Maij. Martyrium autem eius contigisse die 26. Decembris, quo etiam facta est prima illa translatio corporis ipsius in ecclesiam Sion, probat Baronius in notis ad Martyrol. Rom. die illo 26. & tomo 1. Annal. anno Christi 34. § 302. Euidentissimè autem ex Serm. B. Gregorij Nysseni de S. Stephano, qui vtique floruit ante corporis eius inuentionem.

Et *Philippum*] Hic est qui conuertit Samaritanos, qui & baptizauit Eunuchum illum Dynastam Æthiopem. Infra cap. 8. Fit iterum mentio eius infra cap. 21. v. 8. Mentio est eius in Martyrologio Romano & aliarum ecclesiarum, 6. Iunij.

Et *Prochorum.*] Eius natalitius dies tanquam martyris celebratur in Martyrologijs, die 9. April.

Et *Nicanorem.*] Hic quoque vt martyr celebratur in Martyrologijs, die 10. Ianuarij.

Et *Timonem*] Similiter titulo martyris celebratur 19. Aprilis.

Et *Parmenam.*] Martyr & ipse, eo nomine celebratur ab Ecclesijs, 23. Ianuarij.

Et *Nicolaum aduenam*, *Antiochenum*.] *Aduenam*, græce est προσήλυτον, quo nomine significatur eum non fuisse genere Iudæum, sed religione duntaxat, id est, Antiochenum gentilem suscepisse religionem vnius veri Dei iuxta legem Mosaicam. Postea autem fuerat conuersus ad fidem Christi; vt patet: iam erant ex multitudine christianorum omnes hi qui à populo Apostolis præsentabantur, vt liquet ex v. 3. Et quoniam specialiter iste Nicolaus hîc nominatur proselytus, significatio est cæteros hos diaconos fuisse genere Iudæos. Sed quæri posset, an fuerint Hebræi an Hellenistæ, iuxta distinctionem positam & explicatam initio huius capitis. Dicendum est autem, non esse improbabile plerosque istorum diaconorum fuisse Hellenistas. Nomina græca eorum id aliquo modo suadent, fuisse scilicet extra Iudæam natos. Tum & aliud accedit, quod propter viduas Hellenistarum ortum fuerat murmur: ideo credentur fideles isti simul collecti, plerosque diaconos elegisse ex Hellenistis, vt tanto cumulatius ijs satisfacerent.

Qvod porro attinet ad Nicolaum istum proselytum; hic est ille à quo nomen traxit secta spurcissima Nicolaitarum; quorum fit mentio Apocalyp. 2. v. 6. & 15. tametsi non defuerunt qui ab alio crederent, vt testatur Cassianus loco proxime citando, ab alio (inquam) eiusdem nominis eam sectam appellatam. Id parum probabile hoc est. Numerat sectam eam S. Epiphanius quinto loco inter hæreses ortas post Christi aduentum; in toto autem numero 25. Est & quinta

quinta ordine apud S. August. in libello de hæresibus. Disputatur autem an ipse illius sectæ reuera fuerit author. Ac Clemens quidem Alexandrinus apud Eusebium historiæ 3, 23. & legitur apud ipsum lib. 3. Strom Nicolaum sedulò excusat ac defendit velut innoxium; quasi eum non intellexerint qui sectam impuram conflauerunt, dicti Nicolaitæ: Sed S. Epiphanius loco allegato eum ex errore in errorem, ex turpitudine in turpitudinem prolapsum commemorat: Et Cass. Coll. 18. c. 16. ait Nicolaum prauissimæ hæreseos inuentorem. Sanctus vero Ignatius martyr, epistola ad Trallenses sub finem, his verbis vtitur, *Fugite impuros Nicolaitas, falsum sibi nomen sumentes*, voluptatum amatores, & sycophantas. *Falsum* (ait) *sibi nomen sumentes*, hoc ipsum videlicet *Nicolaitarum*. Id quod expressius etiam, dicit in epistola ad Philadelphios post medium, sic loquens; Si quis finem beatitudinis constituat voluptatem, *vt is qui falsò nomine Nicolaita dicitur*, hic nec Dei nec Christi amator esse potest. Eodem modo loquitur Clemens Rom. Apostol. const. lib. 6. cap. 8. Ex quibus Ignatij & Clementis verbis Baronius anno Christi 68. §. 10. propendet eò vt cum Clemente Alexandr. Nicolaum ipsum defendat ab omni hæresi & impuritate. Eodem propendet Eusebius quoque loco allegato, & Theodoretus lib. 3. hæretic. fabularum in princip. Id quod nobis etiam probatur: eo quod sanctus Ignatius apostolorum tempore viuens, & ipsius Antiochenæ ciuitatis (cuias erat Nicolaus) episcopus, certius potuerit scire quid de persona Nicolai fuerit, quam posteriores illi Epiphanius & Cass.

VERS. 6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum.

EO scilicet fine vt Apostoli eos instituerent, & huic ministerio præficerent, vt dicebatur v. 3.

ET *orantes*.] Apostoli nimirum. Quamquam verti potest ex græco; Et postquam orassent.

IMPOSVERVNT *eis manus*.] Non plane liquet quem totalem effectum habuerit hæc Apostolorum oratio, & manuum super istos septem impositio. Illud non est dubium quod fuerint præfecti ministerio illi œconomico distribuendi æqualiter bona communia & eleemosynas in viduas & alios pauperes: & consequenter, apostolos pro ijs Dominum orasse vt ad hoc officium diligenter, fideliter, amanter, patienter & industrie exercendum gratiam ipsis suam donaret; ac manuum impositione ijs benedixisse, (sicut & Dominus Matt. 19. paruulis manus suas imponens, ijs benedixit) & in officio isto ipsos constituisse; sicut facturos se dixerant, supra v. 3. ibi, *quos constituamus super hoc opus*. Sed illud quæritur, an præterea hoc loco & tempore Apostoli istos septem ordinauerint ministros sacri altaris seu sacrificij christiani. Id quod nonnulli existimant, quia audiunt hîc *impositionem manuum*. quod argumentum non concludit: eo quod non semper aliquod sacramentum fuisse collatum significetur, vbicumque dicuntur manus fuisse alicui impositæ; vt patet ex loco proxime allegato Matth. 19. Vide & infra. cap. 9. v. 17. & c. 13. v. 3. Sed & ex his quæ ad v. 3. dicta sunt, merito aliud videtur existimandum. Nec enim vllo modo

modo credibile est Apostolos, qui quotidie sacrificabant, vsque ad hoc tempus caruisse ministris altaris, diaconis sacris, qui illis sacrificantibus assisterent. Quare verisimile est, vel omnes hos septem vel saltem aliquos eorum, iam antea fuisse diaconos, priusquam huic œconomico muneri nunc adhiberentur.

NEQVE est quod quispiam objiciat illa verba apostolorum, dicta multitudini, Considerate viros ex vobis boni testimonij septem, *ex vobis*, inquam; quasi inde consequens sit istos septem hactenus fuisse laicos; ac proinde neminem illorum ante hoc tempus fuisse diaconum ministrum altaris. Id enim non est consequens: quoniam cum dicitur paulo ante, *Conuocantes duodecim multitudinem discipulorum* &c. satis indicat B. Lucas sese nomine multitudinis huius complecti omnes viros fideles seu christianos qui tunc erant Ierosolymæ, omnes, inquam, præter Apostolos: ac propterea non est necesse vt soli laici nomine huius multitudinis intelligantur. Quocirca manet (vt dixi) plane incredibile quod Apostoli hucusque caruerint ministris sacrificij diaconis sacris.

EX quo fit probabile fuisse aliquos ex his septem, qui non fuerint nunc ordinati diaconi, per orationem & manuum impositionem quæ isto v. 6. commemorantur; sed fuerint ordinati iam antea. Diximus prius ad v. 3. hoc quoque esse probabile, & authores citauimus, quod nonnulli ex his septem postquam aliquamdiu in hoc œconomico ministerio essent laudabiliter versati, tum demum ab Apostolis fuerint consecrati ministri altaris. Citauimus illic V. Bedam; cuius in Retractatione Actuum Apostolicorum, ad hunc locum ita sunt verba: Communis quidem dispensatio exigebat vt ministri pro viduis, viri eligerentur: verum vbi inuenti sunt qui digni ad hoc ministerium esse viderentur; *crescente gradatim*, vt solet, *prouidentiâ consilij salutaris, placuit eosdem ipsos altaris quoque sacri*, ac Dominici sanguinis (sicut & refectionis mensæque communis multitudinis credentium) *ministros ordinari*. Addit Beda; Quod probatum est verbo quo dictum est, *Et orantes imposuerunt eis manus. Hoc enim proprium est eorum qui de communi fidelium numero ad sacrosancti altaris promouentur officium*. Quibus verbis idem Beda videtur contradicere præcedentibus, ac docere eos nunc temporis fuisse ordinatos ministros altaris, quando à multitudine fidelium sunt oblati Apostolis: Nisi quis dicat Bedam velle nihilominus, quod non confestim id factum sit quando hi fuerunt præsentati Apostolis: & ita potuit gradatim creuisse prouidentia consilij salutaris, antequam hi ordinarentur & viduarum ministri, & diaconi sacri altaris.

NEQVE quæ dicta sunt, suffragantur Sectarijs horum temporum, qui negant sacrum Diaconatum; & contendunt septem illos qui hoc cap. commemorantur, non aliud quam eleemosynarios fuisse, nullum habuisse ministerium sacrum. Quod figmentum refutauimus ex Paulo Apostolo & aliunde in not. ad v. 3. Nemo catholicus ita sentit: neque hoc dicunt Authores quos ad illum v. 3. citauimus, vt neque Synodus Trullana canone 16 neque Caietanus in Comment. huius capitis. Nemo horum omnium negat istos septem habuisse ministerium altaris, fuisse diaconos sacros: sed controuertunt an eorum facta ordinatio describatur vel insinuetur his verbis quæ sunt v. isto 6. *orantes imposuerunt eis manus*. Id quod Chrysost. Oecum. Synodo Trullanæ,

 Glossæ

Glossæ ordinatiæ authori, Item Hugoni Cardin. & Caietano, non videtur; vt neque nobis: quasi scilicet omnes hi septem ordinati sint diaconi altaris tunc quando à multitudine offerebantur Apostolis. Id enim propter rationes & authoritates allegatas, videtur improbabile. Pergit B. Lucas,

VERS. 7. Et verbum Dei crescebat; & multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde.

VERBVM *Dei.* Id est, fides de Christo. Obiectum fidei pro ipsa fide ponitur. *Crescebat*] tam extensiue quam intensiue. Intensiuè; quia fides eorum qui iam crediderant, quotidie fiebat robustior, & maiore charitatis feruore per opera bona sese proferebat. Hic commentarius accipitur ex huius lib. cap. 19. v. 20. Extensiuè; quia qui iam crediderant, quotidie plura ac plura fidei mysteria accipiebant. Item, quia plures ac plures in dies conuertebantur ad fidem de Iesu Nazareno quod ipse sit Christus. Vnde quum hic nominatur verbum Dei, intelligitur præcipue illa pars euangelicæ prædicationis quæ est de Christo: de Iudæorum enim conuersione agitur, qui iam antea & ab infantia fuerant vnius veri Dei cultores, neque coluerant idola, vt ethnici. Hoc augmentum extensiuum explicat B. Lucas verbis sequentibus proximè, istis;

ET *multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde.*] Consideranda est hîc potentia diuinæ gratiæ, vt admonet Chrysost. quod in ea ciuitate vbi ignominiose fuerat Dominus crucifixus, vbi Apostoli eius in publicum carcerem contrusi, & in conuentu primorum flagellati (cap. 5. v. 40); nihilominus multi valde ad fidem Iesu Christi conuertebantur. Quod diuinæ gratiæ beneficium, eiusque potentia magis adhuc declaratur per hoc quòd *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei. Sacerdotum*, inquam, qui in primis Christo Domino restiterant, eiusque interfectionem procurauerant. Horum nunc, non vnus & alter; sed *multa turba fidei* de Iesu Nazareno quod ipse sit Christus & Saluator mundi, *obediebat.* Quid est obedire fidei? Loquitur eo modo etiam Apostolus ad Rom. 1. v. 5. & alibi. Item 2. Thess. 1. v. 8. ait, *Dominum daturum vindictam in flamma ignis his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt euangelio Domini nostri Iesu Christi.* Rursus 2. Cor. 10. v. 5. ait Apostolus *sese in captiuitatem redigere omnem intellectum, in obsequium* (græcè est in obedientiam) *Christi.* Quibus omnibus inter se collatis, satis apparet nomen *fidei* hoc loco poni pro obiecto fidei, vt alibi sæpè, hoc est, pro ipsis articulis fidei christianæ, pro ipso euangelio Christi, seu ipsa doctrina de Domino Iesu quod sit Christus ac Saluator mundi. *Obedit igitur fidei*, qui firmiter assentitur prædicationi fidei christianæ. Et quoniam talis assensus (quum sint ineuidentia quæ fide tenentur) non est, nisi voluntas sese humiliter subijciat diuinæ authoritati illa reuelanti: hinc is qui nobis ineuidentia firmiter tenet, subijciens sese diuinæ authoritati; dicitur obedire fidei. Et ex altera parte quia ista humilis animi subiectio deest his qui contrarijs affectibus præoccupatum gerunt animum: non est mirandum quod multi tales nec miraculis quidem visis, credant in Christum; aut si iam

iam credunt, quod fidem Christi non constanter retineant. Rursum autem, quoniam doctrina fidei christianæ non solum proponit credenda, sed etiam quæ sunt ad salutem factu necessaria; hinc nobis videtur B. Lucas in his verbis paulo plus includere quam dictum sit, nempe ipsos non solum firmiter humili animi subiectione fuisse assensos prædicationi fidei christianæ, sed etiam præceptis fidei christianæ paruisse. veluti, fuisse baptizatos, fuisse confirmatos, suscipere solitos Eucharistiam, celebrasse diem dominicum loco sabbati, frequentasse conciones Apostolorum &c.

DVO hic restant consideranda. Prius est, Quo deuenerint vel quid factum postea sit de multis sacerdotibus illis, qui hic dicuntur fidem christianam suscepisse. Respondendum, non esse dubium quin ipsi postea longe lateque per Iudæorum persecutiones dispersi, propagauerint fidem Christi. Infra cap. 8. v. 1. 4. & cap. 11. v. 19. Quare miranda & laudanda est hic diuina prouidentia, quod nunc ad fidem Christi conuertuntur etiam illi qui postea eam possent propagare & defendere.

POSTERIVS est, Quanam apta connexione S. Lucas adiungat superioribus ea quæ sunt hoc v. 7. Respondendum est ex Chrysost. ad hunc locum, S. Lucam voluisse indicare quod numerus fidelium Ierosolymis valde sit auctus ex eo, inter cætera, quod viderent tam pulcro ordine omnia esse constituta inter christianos; vtpote septem excellentibus viris delectis qui supremam curam viduarum & pauperum haberent; vt omnibus vitæ necessaria æqualiter distribuerentur. Ex eo quoque quod viderent Apostolis christianorum magistris tantam esse curam miserabilium personarum, ipsosque christianos habere omnia inter se communia, eaque septem illis viris distribuenda permittere.

POSSET addi, ex eo quoque creuisse numerum discipulorum quod Apostoli constitutis illis septem diaconis, iam toti essent in ministerio verbi & in orationibus; neque interturbarentur amplius querelis Hellenistarum aut aliorum quorumuis propter quotidiana vitæ subsidia consequenda.

ILLVD quoque dici potest, S. Lucam ista quæ sunt v. 7. ponere non tam velut coronidem narrationis præcedentis, quam velut ansam historiæ sequentis de persecutione aduersus S. Stephanum & aduersus totam Ecclesiam Hierosolymitanam. occasionem scilicet accepisse persecutores ex eo quod quotidie multi, etiam ex Sacerdotibus, transibant ex Iudaismo in fidem Christi. Vnde sequitur de B. Stephano,

VERS. 8. Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo.

PLENVS *gratia.*] Plerique codices græci legunt, *Plenus fide*; vt & sup. dicebat S. Lucas v. 5. & ita legit textus additus Chrysost. & Oecum. tametsi commentatius videatur indicare eos legisse vt nos habemus. Sunt enim inter græcos codices qui hic legant χάριτος (Rob. citat quatuor tales) vt noster Interpres in suo exemplari habuit. Cæterum sensus non multum variat; genera-

lior, dumtaxat est sermo quando dicitur, *plenus gratia*. Videtur autem esse sensus, Stephanum fuisse à Deo cumulatum valde varijs donis Spiritus sancti, tam ijs scilicet quæ nominantur gratiæ gratis datæ, quam gratia gratum facientæ vt loquuntur Scholastici Theologi. Acceperat nimirum magna & varia Spiritus Sancti dona B. Stephanus, quibus nō solum exerceret suum diaconatum, sed etiam idoneus esset defendendæ fidei christianæ per doctrinam & eloquentiam; vt patet cap. seq. insuper autem esset idoneus martyrio pro fide Christi subeundo, vt eodem cap. narratur.

E T *fortitudine*] Græcè est δυνάμεως: quod sonat potentiam, vim, virtutem, non illam oppositam vitio, sed oppositam imbecillitati. Quare nobis conferentibus hunc locum cum cap. 4. v. 33. vbi idem nomen legitur in originali; videtur per *fortitudinem* hoc loco intelligi *virtus patrandi miracula*: quia sanctus Lucas B. Stephano, vt *pleno ista fortitudine*, tribuit hoc loco quod *faciebat prodigia & signa magna in populo*. Certe v. illo 33. c. 4. eam *virtutem* intelligi qua eduntur miracula, patet ex c. 2. v. 43. & cap. 5. v. 12. præsertim si ea conferas cum eiusdem cap. 4. v. 29. 30.

F A C I E B A T *prodigia & signa magna*. Vtroque nomine significantur quæ nos appropriatè miracula dicimus: est tamen ratio diuersa prodigiorum & signorum, vt explicat B. Thom. 2. sec. q. 178. art. priore ad 3. Edebat autem hæc miracula B. Stephanus non in occulto, non in angulo aliquo; *sed in populo*, in medio populi Iudaici, coram omnibus, omnibus videntibus: & merito, quoniam edebantur in confirmationem doctrinæ ac fidei de Iesu Nazareno quod ipse sit Christus Domini, Saluator mundi; ac specialiter quod *die tertia resurrexerit è morte in vitam immortalem; quod est fundamentum totius religionis christianæ*. Nam & quæ ab Apostolis illo tempore Ierosolymis edebantur miracula, ad huius ipsius fidei atque doctrinæ confirmationem patrabantur. Supra cap. 4. v. 33. Et idcirco non est dubium B. Stephanum quum ista miracula faceret, solere inuocare nomen Domini Iesu Nazareni, expresse: id quod hoc loco quidam codices græci addunt, & videtur in suis græcis ita S. Augustinus habuisse (vel is interpres quo ipse vsus est:) quoniam ea verba vrget & explicat, *Per nomen Domini Iesu Christi*. Locus August. est sermo. 94. cap. 1. de diuersis in editione Louan.

Q V O N I A M vero per ista miracula quæ magna & complura faciebat S. Stephanus, multi ad fidem Christi conuertebantur, & qui iam prius conuersi fuerant, corroborabantur: idcirco increduli ex gente Iudaica quæsierunt prætextum quo possent illum tollere è medio. Itaque qui inter eos videbantur argutiores & subtiliores ad disputandum, cogunt illum secum disputare, idque eo fine, vt inter disputandum excideret Stephano aliquid, quod deinde possent accusare tanquam blasphemum; eiusque blasphemiæ causa curare interficiendum. Hunc scopum istis fuisse propositum, intellexit Chrysostom. in expositione vers. seq.

VERS.

VERS. 9. Surrexerunt autem quidam de synagoga quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum; & eorum qui erant à Cilicia, & Asia; disputantes cum Stephano:

SVRREXERVNT.] Excitauerunt seipsos, sese commouerunt. græce ἀνέστησαν. *De synagoga.*] Id est, ex illa congregatione scholastica. ex illo collegio hominum doctorum & studiosorum. Quoniam enim studia vigebant Ierosolymæ; idcirco multi etiam extra Iudæam nati illic degebant studiosi doctrinæ legis, distributi per congregationes diuersas seu diuersa collegia. prout erant diuersarum nationum: quæ collegia videntur hic nominari *synagoga*. Ita intelligit & Baron. Tom. 1. anno Christi 34. §. 303. Quin & philosophiæ studia (maxime autem artis disserendi) item eloquentiæ & linguarum externarum, præsertim verò græcæ, illis temporibus ibi viguisse, tametsi horum non essent illic publicæ professiones; colligere possumus ex Iosepho Antiq. lib. vltimo cap. vlt.

VIDETVR autem B. Lucas, siquis verba eius in originali scriptura diligentius consideret, hic tres synagogas nominare, nimirum Libertinorum, Cyrenensium, & Alexandrinorum: tum addere sine synagogæ nomine, quosdam eorum qui erant è Cilicia & ex Asia minore, degentes Hierosolymæ, qui sibi aliquid scire viderentur, ita vt auderent disputare aduersus sanctum Diaconum Stephanum *Quæ appellatur.*] Ita S. Lucas loqui poterat, qui hæc scripsit stante adhuc Ierosolyma.

LIBERTINORVM] Satis mirum videtur quod in huius vocabuli expositione à Chrysostomo nonnulli dissentiant, adferentes duas tresue alias eiusdem expositiones improbabiles. Chrys. itaque quod hic græce est Λιβερτίνων, censet esse vocabulum latinum, sed tunc inter Iudæos vsitatum; sicuti in historia euangelica quamuis græce scripta, & de rebus in Iudæa gestis, tamen legimus illa vocabula latina à Romanis eo importata, census, Denarius, Sudarium, & quædam alia. Quis vocetur Latinis *Libertus* notum est; nempe seruus manumissus. Qui ex liberto natus erat, *Libertinus* dicebatur initio: postea tamen confundi cœpit hoc nomen cum altero, vt Libertini dicerentur etiam qui Liberti solummodo essent. Et nihil vetat tam generaliter hic intelligi. Erant igitur isti Libertini, sanguine quidem Iudæi, sed patria Romani vel certe Roma oriundi. Nam quum Pompeius magnus annis circiter 60. ante Natiuitatem Domini subegisset Iudæam: plurimi Iudæorum captiui ducti sunt Romam & in reliquam Italiam, & ibi facti serui. Ex ijs multi qui fideliter seruierant, postea sunt à Dominis suis manumissi; qui deinde, vel eorum filij aut nepotes redierunt Ierosolymam, ibique habitabant, religionis aut studiorum gratia. Ex his conflabatur *ista synagoga* seu istud collegium *Libertinorum*.

ET *Cyrenensium*] De Cyrene fuit mentio supra cap. 2. v. 10. Est enim prouincia Africæ, attingens ab vna parte Africam minorem seu stricte nuncupatam; ab altera, Libyam interiorem; ab alia, Marmaricam cui iungitur Libya exterior: vt est videre apud Ptolemæum tabulis 2. 3. 4. Aphricæ. Fuit Aristippus quidam Cyrenæus qui suam quamdam philosophandi rationem inuenit & tradidit; quæ idcirco Cyrenaica philosophia dicta est. fortassis isti Iudæi Cyrenenses, quorum schola seu Collegium hîc nominatur, in ea philosophia erant versati; ideoque tanquam acuti (vt sibi videbantur) disputatores aduersus S. Stephanum hîc confligunt.

ET *Alexandrinorum.*] Hi erant ex Alexandria metropoli totius Ægypti, ciuitate hucusque celeberrima. Est enim emporium nobile; ab Alexandro magno amplificatore, non conditore primo, (est enim Alexandro vetustior, vt patet ex Ierem. 46. in fine. Et Ezech. 30. v. 14. 15. 16. qui sunt antiquiores Alexandro) nomen ducens. Viguerunt in ea etiam studia, tam ante Christi aduentum quam diu postea.

ET *eorum qui erant à Cilicia & Asia*] Genitiuus (*eorum*) videtur non ab illo nomine (*synagoga*) pendere, sed à signo particulari quod præcessit, (*quidam*); si quis accuratius originalem textum inspiciat.

QVARE non videtur S. Lucas istis Cilicibus & Asianis suam synagogam tribuere, vt illis prioribus; sed dicere dumtaxat quod quidam Cilicum ac quidam Asianorum habitantium Ierosolymæ, vel certè qui illuc aduenerant; disputauerint cum B. Stephano. Cilicia regio est Asiæ minoris, notissima: cuius metropolis erat Tarsus, patria Pauli. Quem Paulum, tunc adhuc Saülum & nomine & re, quoniam ex cap. 7. & 8. ac 9. huius libri constat tunc fuisse Ierosolymis, constat item nondum fuisse christianum, sed christianis inimicissimum; denique ex cap. 22. huius libri constat ipsum Ierosolymis dedisse operam scientiæ legis, ac in eo studio, inque feruore defendendæ legis Mosaicæ, & patriarum traditionum, superasse suos condiscipulos, reliquosque coætaneos; vt ipsemet affirmat c. 1. epistolæ ad Gal.: Propter hæc omnia (dico) non est dubium fuisse inter istos Cilices quorum hic est mentio, hunc Saülum Tarsensem; atque coryphæum quemdam inter eos se gessisse. Imo sunt qui putent, (Baron. anno Christi 34. § 303.) huius aduersus B. Stephanum disputationis, deinde accusationis, postremo condemnationis & in occidendo furoris, Saülum fuisse incentorem, sollicitatorem, ac totius huius tragœdiæ choragum. Id quod probabiliter colligi potest ex his quæ commemorauimus ex cap. 1. ad Gal.

ET *Asia*] Vix dubium quin Asiam minorem B. Lucas intelligat. Videtur autem ipse non tam late extendere Asiam minorem quam posteriores illo Geographi, qui & ipsi inter se variant, vt fit in talibus, præsertim temporum tractu. S. Lucas hîc nominat Ciliciam tanquam non compræhensam sub Asia: sicut c. 2. v. 10. nominantur Phrygia & Pamphylia tanquam sub Asia nō compræhēsæ: quum hodie Geographi omnes has prouincias sub Asia minore cōpræhendāt. Diximus aliquid ea de re ad v. 9. ac 10. dicti cap. 2. in remotione scrupuli tertij.

OMNES igitur hi, partim ex Europa, partim ex Africa, partim ex Asia, sesepsos

seseipsos suscitarunt atque commouerunt, sibi ipsis hoc negotij sumpserunt, vt aduersus B. Stephanum disputarent de negotio religionis, ac *specialiter de Iesu Nazareno, num ipse esset ille Meßias quondam a Deo promissus.*

DISPVTANTES *cum Stephano*] Scopus ipsorum cur illum ad disputandum adigerent, vnus videtur fuisse, vt si illum disputando perplexum, hæsitabundum, ac consilij inopem reddidissent, minueretur eius fama & authoritas qua apud omnes valebat nomine sapientiæ, id est, doctrinæ ad pietatem pertinentis, item qua valebat apud omnes propter multitudinem & magnitudinem miraculorum quæ per eum Deus patrabat. Scopus alius, fuit vt in feruore disputandi elaberetur verbum aliquod B. Stephano, quod ipsi possent deferre ad Principes sacerdotum, tanquam dignum morte; atque hoc compendio eum interficiendum curarent, vt diximus ad vers. 8. ex Chrysost. in fine annot. illius.

EXISTIMANDVM est autem singulas istas nationes aduersus eum disputasse; non omnes simul: ac præterea, singulas non semel, sed iterum atque iterum ac sæpius illi fuisse molestas; vt tandem aut viderentur vicisse, aut aliquid ab eo extorquerent quod accusare possent apud Primores Iudæorum, interficiendi eius causa. Videmus sanè in historia euangelica Pharisæos & Sadducæos feruatis vicibus aduersus Dominum Saluatorem disputasse: Matth. 22. v. 15. 23. 24. Confer not. infra ad v. 13.

VERS. 10. Et non poterant resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur.

NIMIRVM aderat ei Dominus, secundum promissionem suam Lucæ 21. v. 12. 14. 15. *Iniicient vobis manus suas* &c. *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Per *sapientiam* hanc intelligenda est notitia rerum ad pietatem spectantium, partim acquisita, partim vero & potissimum, infusa. Per *Spiritum* vero, rectè accipitur illa actualis Dei gratia qua B. Stephanus dirigebatur, illud speciale Dei auxilium quo agebatur, ad sapienter & feruenter eloquendum quæ per sapientiam animo tenebat; ac quæ præterea Deus illi nunc in præsenti suggerebat. Hunc intellectum magis præ se fert lectio originalis textus; vbi est sic, *Spiritui quo loquebatur.*

Ex eo autem quod hic dicitur de aduersarijs B. Stephani, *Non potuerunt resistere* &c. non efficaciter concluditur B. Stephanum in his omnibus disputationibus sustinuisse duntaxat partes oppugnantis. Nam duorum concertantium disputatione, vterque alteri conatur obsistere: Oppugnans respondenti, dum nititur infirmare assertionem quam is sustinet; rursum dum nititur euertere solutiones seu responsiones sibi à defendente allatas. Respondens autem, vice versa resistit oppugnanti eo ipso quod assertionem suam aptè & industriè defendit, appositè nimirum soluens obiecta argumenta, item eo ipso quo solutiones suas à Replicante aduersario impugnatas, legitimè tuetur. Non solum oppugnantem, sed & respondentem resistere; patet ex verbis Domini:

mini modo tecitatis ex Lucæ 21. Est autem satis certum quod B. Stephanus in his disputationibus, nunc respondentis, nunc oppugnantis partes egerit: tum quia prouocatus disputauit; tum quia omnium harum disputationum materia præcipue ac directe fuit illa, quæ à Iudæis aduersus christianos agitata, An Iesus ille Nazarenus crucifixus, tertio die resurrexerit ad vitam immortalem, sitque ipse ille Messias, Id est, Christus quondam à Deo promissus, generis nimirum humani Saluator. Attigimus aliquid hac de re ad B. Th. 2. 2. q. 10. a. 7. illic vbi de modo ac forma disputandi cum infidelibus, diximus, nimirum cum hæreticis, cum ethnicis, cum Iudæis.

VERS. 11. Tunc submiserunt viros qui dicerent se audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum.

TVNC] Quum sese viderent non posse obsistere sapientiæ B. Stephani & spiritui qui in eo loquebatur, vt dictum est v. proximo. Nec tamen putandum est ea quæ deinceps narrantur, facta esse è vestigio post illa hactenus narrata: temporis quodam tractu gesta sunt, eorum perficiendorum occasionibus captatis, & tota ista aduersus B. Stephanum actione sedulo præparata, vt eum interficiendum curarent.

SVBMISERVNT] subornarunt, clanculum & mendaciter instruxerunt; *Viros qui dicerent*] Id est, qui tanquam testes in iudicio deponerent de Stephano, quando ad hoc faciendum requirerentur: Imo qui & nunc in vulgus spargerent,

SE *audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen & in Deum.* Hos falsos testes docuerunt testificari aduersus B. Stephanum de blasphemia; quia per legem Leuitici 24. v. 14. & seqq. iubebatur blasphemus lapidari. Quæ autem in particulari, blasphema verba dixisse S. Stephanum, vellent istos testificari, hoc loco non exponitur; sed infra v. 13. & 14. vbi isti subornati testes, in concilio, aiunt *se audiuisse eum dicentem quod Iesus hic Nazarenus foret destructurus locum istum sanctum*, nempe templum & ciuitatem; *& mutaturus mores ac consuetudines quas Israelitis tradiderat Moyses.* Horum posterius, ibi dicitur fuisse verbum contra legem: hic autem fuisse verbum blasphemum in Moysen: prius vero horum, ibi dicitur fuisse *verbum aduersus locum sanctum*; hic autem, fuisse *aduersus Deum.* Quæ falsitas fuerit in horum, virorum subornatorum testificatione; illo loco, v. scilicet 13. ac 14 explicabitur: nunc illud (vt iam dicebamus) ex horum locorum collatione intelligimus, id quod hoc v. 11. dicitur, *in Moysen*; idem esse cum eo quod v. 13. legitur, *aduersus legem*; & quod hoc eodem versu 11. attexitur, *in Deum*, idem esse cum illo quod dicto versu 13. habetur, *aduersus locum sanctum istum.*

PORRO in horum B. Stephani aduersariorum moribus, velut in speculo quodam, relucent mores hæreticorum, eorum præsertim qui Ministri seu Prædicanti nominantur. Initio iactant se velle disputare; disputatione victi se ad

ad maledicentiam conuertunt; ac deinde catholicos doctores quos formidant, aut alioqui eos qui ipsorum conatibus videantur obstituri, confictis criminibus alijsque malis artibus tollunt è medio, si vlla ratione possint.

VERS. 12. Commouerunt itaque plebem, & seniores & scribas:)

QVI *Commouerunt?* Vtique illi ijdem de quibus proxime dictum est quod subornarint viros illos mendaces: nempe aduersarij B. Stephani, qui contra eum disputauerant, nec obsistere ei potuerant, vt dictum est. v. 10. Quo pacto autem commouerunt? rumore per illos sparso, ipsos audisse Stephanum loquentem verba blasphema in Moysen, imo in Deum. Aduersus quem autem *commouerunt plebem & seniores & scribas?* Certe aduersus Stephanum, vt eum iam inciperent odisse & detestari, tanquam blasphemum. *De plebe* Ierosolymitana est sermo, illâ quę nondum fuerat ad fidem Christi conuersa; nec tamen antehac oderat ciues suos factos christianos, minime autem ipsum Stephanum, facientem prodigia & signa magna in illo populo, vt dictum fuit v. 8. Nunc autem ea plebs, fraudibus inimicorum Christi persuasa Stephanum esse blasphemum; illum execratur, & hostilem gerit animum. Idem faciunt *Seniores & Scribæ*, multo etiam magis; toto scilicet conatu obsistentes erectioni & propagationi nouellæ Ecclesiæ Christi; vt hactenus vidimus cap. 4. v. 5. 17. & cap. 5. v. 17. 27. & seqq. & magis videbimus cap. 8. & 9. huius eiusdem libri.

PORRO quæ de Senioribus & Scribis; quodnam genus hominum Ierosolymæ fuerint, dicenda essent, iam dicta fuerunt ad cap. 4. v. 5. Seniores & Scribas isti aduersarij B. Stephani, eousque commouerunt vt conuenirent in Concilium magnum (συνέδριον vocat hoc loco S. Lucas); coram quo sese Stephanum de blasphemia accusaturôs, & testibus conuicturos, affirmabant. Quo Iudæorum Concilio iam congregato, fecerunt quod hic in textu historiæ sequitur,

ET *concurrentes rapuerunt eum*] Ipsimet aduersarij qui accusatores erant futuri, concursu & impetu facto B. Stephanum furiose corripuerunt ac detinuerunt, odio non patiente tantas moras vt id per satellites legitimi magistratus fieret; sicut tamen factum fuerat Apostolis, supra cap. 4. & 5.

ET *adduxerunt in concilium*] Iam congregatum scilicet, magnum illud synedrion Iudaicorum primatum. *Adduxerunt* autem eò, tanquam qui coram Concilio ipsum vellent de blasphemia accusare & conuincere; eaque via curare lapidandum.

VERS. 13. Et statuerunt falsos testes.)

HI ijdem aduersarij testes illos qui v. 11. dicti sunt ab ijs subornati, nunc adducunt in concilium, veluti coram illo, tanquam iudice, probaturi suam accusationem, qua Stephanum aiebant reum blasphemiæ. Eorum testificatio narratur verbis seqq. sacri textus;

QVI *dicerent; Homo iste non cessat loqui verba aduersus locum sanctum & legem.* Hoc est veluti procemium testificationis: ipsa autem formalis & particularis testificatio est in verbis seqq.

VERS. 14. Audiuimus enim eum dicentem quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses.

VERBA perpendamus. *Homo iste*] Crimen videntur velle exaggerare per hanc ipsam formam loquendi; quasi indignus fuerit qui nomine proprio vocaretur. *Non cessat loqui verba aduersus* &c. Hoc quoque (vt & Chrys. admonet) ad exaggerationem criminis pertinet. q.d. Non semel, non bis terue blasphemauit; sed id facit perpetuo, est ei in more positum blasphemare. Ex his verbis colligere possumus, disputationes illas cum B. Stephano, de quibus supra dictum est, fuisse frequentes; istosque falsos testes ijs solitos interesse, vt aliquid captarent quod testificarentur, sed deprauatum. Propter quam deprauationem fuerunt falsi testes, vt hic eos nominat S. Lucas.

VERBA *aduersus locum sanctum.*] Græcè additur articulus emphaticus aut discretiuus; *aduersus locum sanctum istum.* q. d. aduersus templum istud sanctissimum, in quo solo Deus vult sibi sacrificia exhiberi; aduersus item ciuitatem istam, aduersus montem Sion, & reliquam ciuitatis huius partem, quam ciuitatem Deus peculiariter sibi delegit, in qua templum suum esse vellet, in qua secundum legem vellet coli externo cultu, ac præsertim sacrificijs publicis. Et earenus hi ijdem testes dicebant (v. 11.) Stephanum blasphemasse contra Deum; scilicet quod contra domum Dei, quod contra promissionem Dei de perpetuando illic (vt existimabant) legali cultu; ipsum loquutum fingebant. Non est opus congerere loca scripturarum vbi non solum templum illud iudaicum, sed etiam ipsa ciuitas Ierusalem, vocetur *sancta*: sunt enim passim obuia. Matt. 4. v. 5. c. 27. v. 53. & 2. Machab. 2. v. 18. cap. 3. v. 1. & plurimis alijs vtriusque testamenti locis.

ET *legem.* Versu 11. huius cap. pro isto, hi ijdem falsi testes, dicebant, Stephanum blasphemasse *contra Moysen*; vtpote per quem Deus legem suam tulerat filijs Israel. Vtrumque vero huius generalis accusationis caput, particulatim exprimunt, dum addunt;

AVDIVIMVS *enim eum dicentem quoniam Iesus Nazarenus hic*] q. d. de quo omnis nobis est cum ipsius discipulis controuersia an ipse sit Messias Domini. *Destruet locum istum*] In eo (istum) est emphasis, q. d. locum istum sanctum, locum à Deo electum, locum in quo solo rite sacrificatur vni vero Deo. Addunt, *Et mutabit*] Iesus iste Nazarenus, *Traditiones*] græce est τὰ ἔθη. Id est, Instituta, quod noster bene dixit *traditiones*; modo intelligas traditiones de modo viuendi, & generaliter, de rebus agendis. *Quas tradidit nobis Moyses.* Et hoc emphaticum esse volunt hi testes. q. d Illa instituta, quę diuinitus accepta Moyses tantus ille propheta genti nostræ tradidit; illa (inquam) instituta mutaturum Iesum hunc Nazarenum, dixit homo iste.

PRIVSQVAM

PRIVSQVAM procedamus vlterius, est exponendum quare S. Lucas v. 13. dixerit hos fuisse *falsos testes*: quum verisimile tamen sit B. Stephanum, siue inter disputandum cum istis aduersarijs qui nunc eum accusant; siue alijs locis ac temporibus, inter sermocinandum, aliquid attigisse de cessatione veteris legis cerimonialis, etsi à Deo per Moysen Israelitis datæ; item de euersione templi illius Iudaici, ipsiusque ciuitatis Ierusalem. Respondet bene Liranus, ideo fuisse falsos seu mendaces, quod B. Stephanus non dixerat Christum destructurum templum & ciuitatem; vt hi tamen testificantur: sed (si quid hac de re locutus fuit) solummodo prænunciauerat ea destruenda idque Christum prædixisse. In quo sermone nihil erat culpabile: quoniam Christus Dominus palam id fuerat locutus, coram magna hominum multitudine; vt est Lucæ 19. v. 41. & seqq. vbi alloquens ciuitatem Ierusalem, dicit inter cætera, *Circumdabunt te inimici tui vallo &c. & ad terram prosternent te; & non relinquent in te lapidem super lapidem*. Quod ipsum & de templo illo magnificentissimo speciatim dixit ad suos discipulos; Matth. 24. Marci 13. Lucæ 21. vbique in princip.

SI dicat quis Christum, quum sit Deus, destructionem hanc fecisse, in pœnam scelerum primatum & populi Iudaici; idque per homines, tanquam suæ iustitiæ ministros, etsi alia intentione Ierosolymam vastantes: vera sunt hæc, sed isti testes non credebant Christi diuinitatem, existimantes hominem vulgarem fuisse; ideoque à falsitate testificationis excusari non possunt: cum præsertim oporteat testem qui *de alterius verbis* testificatur, referre illa ipsa quæ ille dixerit, nihil mutando. B. autem Stephanus non dixerat Iesum destructurum templum & ciuitatem Ierusalem; sed destruenda prænunciasse; si quid hac de re fuerat ipse loquutus.

PARI modo, in altero articulo criminationis, non est verisimile quod ijs verbis vsus sit B. Stephanus, quæ isti se illum dicentem audisse asserunt, quod Iesus esset *mutaturus* instituta quæ Dei minister Moyses genti Israeliticæ tradiderat: Nam hoc ita ijs sonabat, quasi contrarijs institutis ea foret aboliturus; Ipse autem Dominus dixerat discipulis suis, Matth. 5. *Nolite putare quod venerim soluere legem aut prophetas; Non veni soluere, sed adimplere*. Mutatio igitur quam hac in parte fecit Dominus, fuit ex imperfecto ad perfectum; nō autem ex contrario in contrarium. Adimpleuit vero Dominus legem Mosaicam; decalogum quidem illum explicando iuxta veram Legislatoris Dei mentem, qui non externas tantum Decalogi violationes, sed etiam ipsas prauas cogitationes prauasque in animo latentes concupiscentias, deliberatè susceptas, vult prohibitas; vt Saluator explicuit Matth. 5. Adimpleuit item hanc partem legis Saluator, per hoc quod gratiam nobis promeruit à Deo Patre, qua legi ipsius obediamus, bona faciendo, & vitando peccata, ex vero amore iustitiæ ac studio Deo placendi, non solum neque principaliter timore pœnarum. Legem autem Mosaicam qua parte ceremonialis erat, Christus Dominus adimpleuit, exhibendo rerum veritatem in seipso, quæ ceremonijs illis veteribus, tanquam figuris quibusdam adumbrabantur & venturæ præsignificabantur. Huc pertinet quod legitur Ioan. 1. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Diximus satis fuse ea de re cum B. Th. 1. sec. q. 107. art. 1.

& magis att. 2. toto: potissimum ex S. Hieronymo in comm. ad locum illum Matth. 5. & ex S. Augustin. contra Faustum lib. 17. cap. 6. & lib. 19. cap. 7. 8. 9. 10.

QVOD si etiam B. Stephanus dixisset illa ipsa verba quæ isti eum dixisse asserebant; nihilominus *falsi testes* fuissent in hac sua testificatione: quoniam testificabantur hæc illum dicentem admisisse scelus blasphemiæ contra Moysen & Deum, item contra locum sanctum & legem. Id quod falsum erat. Nihilo enim magis in templi aut legis iniuriam redundasset ille sermo, quam ipsa verba Domini quæ per suos prophetas enunciauit; Ezechielem, cap. 5. v. 9. 10. 11. Imo & Isaiam cap. 1. v. 7. 8. cap. 5. v. 25. & seqq. & cap. 24. in princip. Per Ieremiam item cap. 7. toto, terribiliter. cap. 19. toto. Item 32. v. 26. & seqq. Quin & quæ Lucæ 19. & 21. à Domino Saluatore fuisse dicta, paulo ante commemorauimus; de scilicet templi & ciuitatis destructione.

VIDETVR hîc esse idoneus locus dispiciendi quid S. Stephanus in sua longa sermocinatione quæ est cap. sequente, responderit siue expresse siue per insinuationem, his duobus criminibus quæ nunc illi obijciuntur & per falsos illos testes coram Synedrio confirmantur. Qua de re illud videtur dicendum, B. Stephanum, quod accusabatur blasphemasse contra Moysen & legem, ita per insinuationem diluere, vt significet accusatores suos ipsosque primores Iudæorum, ad speciem dumtaxat ita magnificè loqui de Moyse, quum ei non credant; vt neque maiores eorum illi obtemperauerant, aut eius dignitatem (tanquam Principis & Legislatoris ac liberatoris à Deo missi) agnouerant.

HVC faciunt quæ leguntur sequenti cap. v. 25. 27. 35. 38. 39. Significat præterea, quod hi primores & reliquus populus, si fidem adhiberent Moysi quem verbis extollebant; susciperent Iesum Nazarenum pro vero & vnico Messia Domini. De ipso enim Moysen Israelitis quondam prædixisse (Deuter. 18. v. 15. & seqq.) *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis.* Hæc sunt v. 37. Atque hoc ipsum Dominus expresse dixerat Iudæis, Ioan. 5. v. 45. & seqq. *Si crederetis Moysi* &c.

SIGNIFICAT eadem opera per ista Moysi verba, B. Stephanus, nihil esse absurdi (quod isti pro absurdo habebant) abrogandam per Christum legem ceremonialem, datam olim per Moysen filijs Israel; & ipsum decalogum accura tius iuxta mentem Dei legislatoris explicandum: quoniam ipse Moyses prædixerat alium illum prophetam à Deo suscitandum; cui vellet omnes obedire, ita vt minatur se fore vltorem siquis ei obedire detrectaret. dicto cap. 18. Deuteron.

QVOD vero ad alterum caput criminationis pertinebat, quo isti accusatores B. Stephanum dicebant blasphema verba dixisse contra Deum, & contra locum illum sanctum: significat S. Stephanus ipsos, atque reliquos Iudæos falli, si putent Deum sui causa delegisse ciuitatem Ierusalem, & illud in ea templum augustissimum, vbi publico cultu religiosè coleretur. Nihil enim commodi Deo accedere ex illo templo; vt neque olim ex illo tabernaculo quod Moyses diuino iussu extrui curauerat (Exodi 26. & 36.) in deserto; aut ex altero tabernaculo quod Rex Dauid fieri curarat & in monte Sion erigi. 2. Reg.
6. v. 17.

6. verſ. 17. Per hæc ſignificat ijs S. Stephanus, vehementer eos falli ſi putent Deum ſeruaturum vrbem Ieruſalem & magnificum illud in eadem templum hac de cauſa, ne ſcilicet alioqui ipſe domo ſit cariturus in qua habitet; aut ſit futurus inglorius nulloque religioſo cultu venerandus. Hac pertinent ea quæ ab hoc ſanctiſſimo Diacono leguntur dicta cap. ſeq. v. 44. vſque ad 51.

QVO in loco, cum v. 47. dicit, *Salomon autem ædificauit illi domum*; videtur tacite inſinuare, non eſſe habendum pro impoſſibili aut abſurdo, quod iſtius temporis Hieroſolymitanum templum foret deſtruendum; quandoquidem illud quod Salomon eodem in loco tanto apparatu, Deo probante, ædificauerat, iam olim fuerat exuſtum & deſtructum vna cum ipſa ciuitate Ieruſalem. vt eſt in 4. Reg. vlt. 2. Paralip. vlt. Ieremiæ 39. & 52. Quod ſi hoc euenerat templo illi ædificato per Salomonem: quanto minus abſurdum erat, deſtructum iri templum quod nunc, tempore iſto, Ieroſolymæ erat, non multo ante extructum, & ornatum ab Herode illo cognomine Magno, qui regnabat tempore Natiuitatis Domini; ab illo, inquam, infanticida, vxoricida, gnaticida. De hoc templo per eum ædificato, fusè Ioſephus Antiq. Iudaicarum 15. cap. vlt.

VERS. 15. Et intuentes eum omnes qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem angeli.

DEVS nimirum immutauit vultum B. Stephani, inſolita quadam gratia & ſplendore: tum ad demonſtrandum eius innocentiam, iſto miraculoſo ſigno; quod in iterata huius loci expoſitione tradit Chryſoſt. tum ad incutiendum metum illi concilio, ne ſtatim Stephanum eijcerent, ſed paterentur eum dicere quæ ſunt cap. ſeq. Id quod idem Chryſoſt. priore expoſitione dixit. Poteſt vero & tertia cauſa addi, quam ibidem videtur ſubindicare Chryſoſt. hæc videlicet; Accuſatores & falſi illi teſtes dixerant illum protuliſſe verba blaſphemiæ contra Moyſen; ac de ipſo Moyſe honorificè fuerant loquuti: Deus autem quod olim Moyſi præſtiterat, faciem eius ita colluſtrans vt radij lannis ex ea promicarent; idem nunc præſtat B. Stephano; ad declarandum non eſſe Moyſe inferiorem hunc noui teſtamenti miniſtrum; neque eſſe Moyſi aduerſarium, ſed vna cum Moyſe, in diuerſo licet genere, fidelem ſibique charum miniſtrum.

CÆTERVM hoc loco aduertere debemus quanta ſit vis inueterati erroris, quantaque vis malitiæ & odij; quando iſti primores Iudæorum & aduerſarij ipſius Stephani, nec iſto ſigno commoti ſunt ad meliorem mentem, atque ad fidem Chriſti quam Stephanus prædicabat. Quare maiorem ſibi in inferno pœnam, hoc etiam nomine accerſiuerunt.

ARGVMENTVM
CAPITIS VII.

BEATVS Stephanus ad obiecta respondere permissus, longa narratione eorum quæ Deus Abraham & posteris eius quondam dixerat & fecerat, suspendit istorum procerum Iudaicorum animos, vt interim sedarentur; simul sese purgans, & ostendens se nihil diuersum dicere ab his quæ Moyses & prophetæ prædixerant. Deinde per charitatem eos increpat, non volentes Messiam à Deo missum recipere, neque attendere ad sacras de illo factas prophetias; sed semel conceptum errorem mordicus retinere. Denique pro fide Iesu quod ipse sit Christus, ab illis tanquam blasphemus lapidatione interficitur, orans in ipso etiam extremo halitu pro suis inimicis.

VERS. 1. Dixit autem princeps sacerdotum; Si hæc ita se habent?

PRINCEPS *sacerdotum*.] Nonnihil, vt verisimile est, exterritus vel mitigatus illa miraculosa specie vultus B. Stephani: *Dixit*] ad illum ipsum; *Si* An, Num. q. d. Súntne vera quæ tibi obijciuntur, & quæ testes isti de te affirmant? Fit tibi potestas pro teipso dicendi. Ita seruant isti aliquam formam & ordinem iudicij.

VERS. 2. Qui ait; Græcè, Is vero ait; Viri fratres & patres, audite.

FRATRES eos vocat quia erant Israelitæ; *patres* vero, quia erant primores populi Israelitici. Vtitur hac ciuilitatis plena compellatione vir sanctus, vt beneuolos & attentos eos faceret ad ea quæ dicturus erat. Ipsis enim hoc vtile futurum iudicabat, si quo modo, Dei gratia præueniente, eos seu eorum nonnullos adduceret ad fidem Christi. Eodem exordio, eadem ex causa, vsus est Paulus Apostolus, dum ex gradibus ad populum Israeliticum concionaretur; Infra cap. 22. in principio. Accedit & illa ratio, quod discipulos Christi decebat, & propagandæ fidei vtilissimum erat, eos ad omnes homines, etiam aduersarios, mansuetudinem exercere; vt & idem Apostolus Paulus scripsit Tit. 3. vers. 2.

DEVS *gloriæ*.] Id est Deus ille gloriosus, Deus plenus omni vera gloria, Deus omni gloria dignus. Est vnici veri Dei epithetοn; non quadrans in vllum falsum numen, qualia colebant Pagani.

APPARVIT *patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia. Mesopotamiam* hîc non tam strictè accipi, vt solet à Geographis quando eam distingunt à Syria,

Assyria

Assyria, Babylonia seu Chaldæa, interque has prouincias mediam constituunt; vt est videre apud Ptolemæum Tabula 4 Asiæ, facile liquet ex v. 4. huius cap. vbi nominatur *terra Chaldæorum*. Quare hic sub Mesopotamia Chaldæam comprehendi, dicendum est: neque repugnat nominis originatio. *Mesopotamia* enim græce dicitur prouincia media inter fluuios: sed in hoc nomine instituendo, non quæuis flumina intelligebantur, sed designatè Euphrates & Tygris. Atqui inter hæc duo flumina non sola illa prouincia continetur quæ strictè appellatur Mesopotamia, sed etiam bona pars Chaldææ seu Babyloniæ, adeoque ipsa metropolis Babylon, quæ toti Babyloniæ nomen dat, vt videre licet dicta tabula 4. Asiæ apud Ptolemæum. Ita late hic accipi nomen Mesopotamia, manifestum est & ex sequentibus verbis B. Stephani, illis; *Priusquam moraretur in Charan*. Nam cum constet Abraham Dei iussu migrasse ex Chaldæa (Gen. 11. in fine. & cap. 15. v. 7. & alibi) primaque statione conuenisse in Haran. (dicto cap. 11. in fine) vsque dum inde vlterius proficisceretur in terram Chanaan (Genes. 12. v. 4 5.); cumque ex illa Tabula 4. Asiæ apud Ptolemeum constet Haran siue Charan, esse in Mesopotamia strictè dicta ad fluuiolum cui illic nomen est Chahoras: patet Abraham, antequam in Charan habitaret, degisse non in Mesopotamia stricti nominis, sed in Chaldæa; quæ proinde in his B. Stephani verbis nomine Mesopotamiæ, iuxta vim nominis nunc explicatam, est accipienda. Idem videtur fieri Iosue 24. v. 3. 14. & 15.

QVOD vero hic dicitur, *Apparuit*; videtur perinde positum, ac si diceretur, Manifestauit se; vt non sit necesse intelligere manifestationem quæ facta sit ad oculos, sed vel ad aures vel ad animum. Quo modo videtur etiam sumi Genes. 26. v. 24. Quo modo dicere possumus Dominum apparuisse populo Israelitico quando Decalogum ei proponebat: Exodi 20. v. 1. & 18. collatis cum Deuter. 4. v. 15. 16.

HIC disputant expositores, vbi iste Dei cum Abraham sermo *quem hic commemorat B. Stephanus*, habitus sit; in Chaldæa, an in Haran: sed non est ambigendum in Chaldæa fuisse habitum; quoniam protomartyr Stephanus disertis verbis addit, *prius quam moraretur in Charan*. Nusquam vero alibi antea habitauerat Abraham, quam in Chaldæa. Gen. 11. sub finem.

INDE iam alia quæstio nascitur, An apparitio seu allocutio quam hic narrat B. Stephanus, sit illa quæ describitur Gen. 12. in princip. Et, quamuis nonnulli eam esse existiment, propter verborum Domini non tam similitudinem quam identitatem: tamen multo videtur expeditius, si dicamus non esse illam (quam series ipsius textus Gen. 12. satis declarat fuisse habitam in Haran siue Charan; & congruit capitis 24. v. 4.) sed aliam, quæ prius fuerit facta, in Chaldæa scilicet, tametsi iisdem verbis quibus altera illa posterior. Ac quamuis illa prior quæ in Chaldæa fuerit, non commemoratur in Genesi: tamen facile possumus ratiocinari factam fuisse. Nam Geneseos 11. ad finem ita legimus; *Tulit Thare Abram filium suum; & Loth filium Aran, filium filij sui; & Sarai nurum suam, vxorem filij sui Abram: & eduxit eos de Vr Chaldæorum* (loco vbi nati fuerant, & eousque commorati, eodem cap. v. 28.) *Vt irent in terram Chanaan*. Atqui certum esse nobis debet quod Abram (iam eius ætatis vt haberet vxorem)

rem) non exiuit ex Chaldæa, nisi à Deo monitus, sicut postea non reliquit Haran nisi Deo monente. Illam priorem Dei monitionem, & quidem iisdem verbis factam quibus posteriorem intelligere est ex Gen. 15. vers. 7. vbi sic Deus loquitur Abrahæ; *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam*. Iuxta itaque hactenus dicta, intelligendum est quod nunc S. Stephanus sic attexit,

VERS. 3. Et dixit ad illum, Exi de terra tua, & de cognatione tua; & veni in terram quam monstrauero tibi.

VERS. 4. Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam in qua vos nunc habitatis.

COMMEMORAT nimirum ea quæ sunt Genes. 11. in fine & cap. 12. Vnum illud scrupulum facit in his B. Stephani verbis, quod videantur ista, *postquam mortuus est pater eius*, repugnare historiæ Geneseos, scilicet cap. 11. v. 26. & 32. necnon cap. 12. v. 4. inter se collatis. Inde enim patet quod illa Abrami in Chanaan profectio quæ dicto cap. 12. describitur, acciderit viuente adhuc ipso Thare patre Abram, agente scilicet annum ætatis 145. quoniam in vniuersum vixit annos 205. vt est extremis verbis cap. 11. Abraham autem 75. annorum erat quando egrediebatur ex Haran, vt dicitur cap. 12. vers. 4. Quare moriente patre, Abraham agebat annum ætatis 135. Sed hic scrupulus facile remouetur, si dicamus (quæ responsio colligitur ex verbis B. Augustini q. 25. in Genesim, & est apud Tostatum in cap. 12. Geneseos) non semel sed bis saltem Abram ex Haran fuisse peregrinatum in Chanaan: primum quidem cum esset septuaginta quinque annorum, iretque cum eo Loth, ipsius ex fratre nepos. Hæc peregrinatio scribitur sæpe dicto cap. 12. Genes. Deinde, saltem tunc, quum intellecta morte patris sui Thare, reuersus fuerat in Haran, vt vna cum fratre Nachor diuideret hæreditatem paternam; eoque omni negotio confecto, redijt in Chanaan, nunquam amplius reuisurus Haran. Quod videri potest accidisse eo tempore quo euenerunt quæ narrantur Geneseos 22. v. 20. & seqq. Neque enim dubitari potest, ipsum Abram in Haran excurrisse post mortem Thare patris sui, vt negotia omnia componeret cum fratre Nachor tam sua quam nepotis sui Loth. De priori illa peregrinatione loquitur Moyses dicto cap. 12. de posteriore, B. Stephanus; dicens fuisse factam post mortem Thare patris Abrahæ. Videri autem potest, Abraham hac posteriore profectione relinquentem Haran non redijsse in Palæstinam, vbi annos multos eousque egerat (Gen. 21. in fine, & c. 22. v. 18.) sed sedem posuisse in Hebron, vbi vxor eius Sara describitur defuncta cap. 23. in principio; Quo quidem tempore constat patrem Abrahæ fuisse mortuum circiter biennium: si quis conferat quæ sunt cap. 17. v. 17. c. 21. v. 5. c. 23. v. 1. cum alijs supra citatis.

Pergit B. Stephanus in historia Abrahæ;

VERS.

VERS. 5. Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis; sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum; cum non haberet filium.

EI quod hic dicitur, Deum non dedisse Abrahæ in terra Chanaan hæreditatem, ne tantillam quidem quantus est vnus passus; videtur contrarium quod legitur Gen. 23. Abraham scilicet possedisse agrum illum habentem speluncam duplicem, quem emerat ab Ephron Hethæo. Sed facile respondetur, Deum non donasse Abrahæ illum agrum, sicut postea sub Iosue donauit posteris eius terram illam Chanaan; quoniam eum agrum iusto precio emit Abraham, vt eodem cap. 23. legitur. *Cum non haberet filium.*] Aliquoties Abrahæ Deus promiserat daturum se ipsius posteris terram Chanaan (*terram promissionis*, Id est, promissam, idcirco appellatam) antequam ei natus esset Isaac: vt liquet Gen. 12. vers. 7. cap. 13. vers. 14. cap. 15. vers. 16. 18. cap. 17. vers. 8. 19. Nam capite demum 21. narratur ipsius Isaac natiuitas. Videtur autem S. Stephanus ista commemorare ad commendandam fidei magnitudinem quæ erat in Abraham de diuina hac promissione, tunc (dico) erat, quando nihil minus euenturum videri poterat, iuxta præsentem illius temporis rerum statum, quam id quod promittebat Deus. Atque hoc pacto videtur sanctus hic Leuita insinuare velle istis primoribus Iudæorum, debere ipsos imitari constantiam fidei patris sui Abraham, & credere, Iesum Nazarenum filium Abrahæ, esse verum Mundi Saluatorem, Messiam à Deo olim promissum; etsi nulla externa specie mundana nobilitatum, vt qui nulla cum externa pompa venerit, qualem isti in Messia sæculariter expectabant.

VERS. 6. Locutus est autem ei Deus, quia erit semen eius accola in terra aliena; & seruituti eos subijcient, & male tractabunt eos; annis quadringentis.

RECENSETVR hîc à S. Stephano historiæ pars ex cap. 15. Genes. vbi hæc Domini verba ad Abram leguntur. In quibus, difficultas est de istis annis quadringentis. Constat enim Israelitas non fuisse in Ægypto peregrinatos spacio quadringentorum annorum, multo minus tanto tempore illic fuisse seruos & dure habitos: hoc (inquam) constat, si quis inter se conferat Exodi caput 1. totum. cap. 6. v. 16 & seqq. cap. 7. v. 7. cap. 12. v. 40. Verum, facile ea difficultas tolli potest, dicendo in his verbis esse hyperbaton, redigendum in legitimum ordinem adhibita parenthesi, quæ includat illa verba (*et seruituti eos subijcient, & male tractabunt eos*) Ea parenthesi interposita, sensus est, posteritatem Abrahæ peregrinaturam in terra non ipsi propria (siue in Ægypto

Aa siue

siue in alia) per annos facile quadringentos; intra quos & hoc sit futurum vt ab indigenis locorum male tractentur, & seruituti subijciantur aliquandiu. Quod totum ita euenit. Nam Isaac in Chanaan fuit inquilinus toto tempore vitæ suæ: Iacob vero partim in Chanaan, partim in Mesopotamia (annos 20.) partim denique in Ægyto: filij Iacob similiter partim in Chanaan, partim in Ægypto, ipsi & posteri eorum, vsque ad egressum ex Ægypto: ita vt à natiuitate Isaac vsque ad exitum Israelitarum ex Ægypto, fuerint 405. anni. Intra quos, non nisi 215. annos illi fuerunt in Ægypto incolæ peregrini; vt ex diuersis Geneseos & Exodi locis perspicuè colligunt boni expositores. Seruituti vero ab Ægytijs subiecti fuerunt annos circiter centum. Nam si ab illis 215. annis, demas septuaginta vnum, quos vixit Ioseph patriarcha post aduentum patris sui & fratrum cum vniuersa cuiusque familia in Ægyptum (tunc enim erat 39. annorum Gen. 41. v. 46. cap. 45. v. 11. mortuus est autem ætatis anno 110. Genes. 50. v. 22.) demas deinde 22. annos, quibus Leui vnus ex duodecim filijs Israel superuixit fratri suo Ioseph (Exodi 6. v. 16. collato cum Genes. 29. v. 20. 34. cap. 30. v. 25. Omnes enim filij Iacob, excepto Beniamin, nati sunt intra septem annos; quare Leui tertius filius Liæ, vt summum quinquennio fuit maior ipso Ioseph) restant anni 122. quibus seruitus & afflictio Israelitarum esse potuerit in Ægypto. Et cum non fuerit statim ab initio illius temporis seruitus durissima, sed paulatim creuerit: facile videmus asperrimam illam seruitutem non multum supra centum annos durasse. Vnde liquet valde errare Iosephum Antiq. 2. c. 5. hanc seruitutem extendentem in annos 400. Huius responsionis author est B. August. q. 47. in Exodum, quem sequitur V. Beda in hunc locum Actorum scribens, & glossographi tam vetustiores quam recentiores, inter quos & Liranus. Iterum hac de re sermo est futurus, infra ad cap. 13. v. 20.

NEQVE vero insolens est sacris literis, vt neque prophanis scriptoribus, eiusmodi hyperbaton, quod parenthetica distinctione sit dirigendum suoque ordini restituendum. Exempli causa, Huius lib c. 9. versum 12. nisi parenthesi separes à reliquo contextu; turbatur tota series orationis. Idem accidit initio epistolæ ad Romanos, & tot alijs locis Paulinis. Quid magis obuium illo quod legitur Iob. 10. ad finem? *Antequam vadam (& non reuertar) ad terram tenebrosam* &c. vbi illam clausulam (& non reuertar) facientem hyperbaton, nisi parenthesi à reliquo orationis corpore separes, turbatur imo vitiatur tota sententia. Ea vero parenthesis facit hunc orationis sensum, Antequam (non reuersurus) vadam ad terram &c.

VERS. 7. Et gentem cui seruierint, iudicabo ego; dixit Dominus: & post hæc exibunt, & seruient mihi in loco isto.

HÆc promissio facta est Abrahæ Genes. 15. opere autem ipso fuit præstita per plagas illas Ægyptiacas, & per demersionem Pharaonis & omnis exercitus

exercitus eius in mari rubro: quarum rerum historia est in Exodo à cap. 7. vsque ad 15.

Cvi *seruierint*] hoc est, quæ ipsos in seruitutem iniustam redegerit. *Iudicabo ego*] Id est, grauiter puniam. Metalepsi enim per *iudicium* istud intelligitur condemnatio, per condemnationem, ipsius condemnationis executio, quæ vtique pœna est.

Et *post hæc exibunt*] factum fuit egressu filiorum Israel ex Ægypto, qui describitur exodi 12.

Et *seruient mihi in loco isto*] Id est, in terra Chanaan. Nam in ea erat Abraham, quando ista promissio ei à Deo facta est. Præstita fuit ea promissio tempore Iosue, & aliquanto post, ac deinde per interualla; melius autem tempore Samuelis, Dauidis, Salomonis, & postea, per interualla tamen. Sæpe enim in Idololatriam relabebantur Israelitæ. Hæc porro verba non sunt Genes. 15. vbi præcedentia; sed potius Gen. 17, v. 7. & 8. vbi dicitur, *& sim Deus seminis tui.*

Vers. 8. Et dedit illi testamentum circuncisionis:

Sensvs, Deus iniijt cum Abraham pactum de circuncisione facienda omnibus eius posteris generis masculini. Nam cum Deus promitteret ei multiplicationem infinitam posteritatis, idque ex filio tunc nondum nato, sed quem promittebat nasciturum ex Sara vxore ipsius; simulque promitteret se illi posteritati daturum terram Chanaan: vice versa requirebat ab eo vt omne masculinum posteritatis ipsius circumcideretur die octauo. Itaque constitutio de circumcisione erat totius huius veluti pacti, vna pars; & ipsa executio huius constitutionis, id est, ipsa singulorum circuncisio, quum reipsa fiebat, erat signum fœderis seu pacti quod Deus tunc cum Abraham & eius posteritate inierat. Historia hæc est Genes. 17. vbi etiam narratur quod Abraham iam nonaginta nouem annorum seipsum circunciderit, & filium suum Ismaelem tunc tredecim annorum, omnesque suos domesticos.

Et *sic genuit Isaac*] Emphasis seu epitasis est in illo *sic*; q. d. Abraham iam circuncisus eaque re fidem & obedientiam erga Deum suam testatus, genuit Isaac, non vi naturæ, sed miraculosè, Deo faciente quod promiserat. Hæc nota sunt ex fine cap. 17. Geneseos, si conferas cap. 21. v. 5. vbi dicitur Isaac natus quum Abraham centum esset annorum. *Et circuncidit eum die octauo*] Hoc legitur eiusdem cap. 21. v. 4. *Et Isaac Iacob*] scilicet genuit, & die octaua circuncidit. sic enim lex illa Domini Gen. 17. iubebat, circuncidere scilicet infantem masculum die octauo. *Et Iacob duodecim patriarchas*] similiter subaudi, genuit & circuncidit. *Patriarchas*] quia capita duodecim tribuum Israeliticarum.

Vers. 9. Et patriachæ æmulantes, Ioseph vendiderunt in Ægyptum.

Historia est Gen. 37. *Æmulantes*] græce est ζηλώσαντες; q. d. *feruore accensi*. Erat autem *feruor* partim inuidiæ, partim iræ seu odij; vt ex cap.

illo 37. facile liquet. Nam (inquit illic textus historiæ) *videntes quod à patre plus cunctis filijs amaretur, ode ant eum.* Inuidebant nimirum illi maiorem istam Patris beneuolentiam. Simul autem, quoniam fratres suos apud Patrem accusauerat de quodam graui crimine, motus nimirum sanctus adolescens amore salutis fraternæ, & reuerentia erga Patrem: iram in illum gerebant animo infixam. Accedebat quod crederent eum affectare dominatum in ipsos; ex eo quod bona fide & mera simplicitate illis narrasset somnia sua duo, quæ illic describuntur.

In *Ægyptum*] Nam quamuis mercatores quibus vendebatur Ioseph, non essent Ægyptij; ipsi tamen emptum Ioseph viginti argenteis, duxerunt in Ægyptum, ibique vendiderunt Putiphari principi exercitus regij. Genes. 39. in principio.

Vers. 10. Et erat Deus cum eo)

Hoc est, Deus eum sua protectione præuenit atque subsequutus est, aduersus mala animi, (qualia sunt peccata & peccatorum pericula) & corporis: suoque auxilio direxit prospere omnes actiones illius. Hæc verba B. Stephani sunt desumpta ex Gen. 39. v. 2. vbi etiam in subsequentibus est eorum expositio.

Et *eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius*] His generalibus verbis comprehenduntur quæ sunt in historia Gen. 39. v. 21. & seqq. cap. 41. v. 14. & seqq. vbi etiam sunt illa quæ hic subiungit B. Stephanus, ista; *Et dedit ei gratiam & sapientiam in conspectu Pharaonis regis Ægypti; & constituit eum Præpositum super Ægyptum, & super omnem domum suam.* Hac vero narratione de Ioseph sancto, B. Stephanus tacitè insinuat, simile accidisse Iesu Nazareno Saluatori nostro; quem isti primores Iudaici persequebantur, quemque occiderant: liberatum scilicet esse ex morte, & euectum in cælum, sedere ad dexteram patris, Saluatorem mundi; sicut Ioseph in typum Christi, vocatus est *Saluator mundi.* dicto c. 41. v. 45. Pergit B. Stephanus.

Vers. 11. Venit autem fames in vniuersam Ægyptum, & Chanaan; & tribulatio magna: & non inueniebant cibos patres nostri.

Patres *nostri.*] Id est patriarchæ illi. Historia est Genes. 41. ad finem.

Vers. 12. Cum audisset autem Iacob esse frumentum in Ægypto: misit patres nostros primum;

Patres *nostros*; rursum dixit pro filijs ipsius Iacob, quos v. 8. & 9. appellauit patriarchas. Historia huius rei est Genes. 42. *Primum.*] Id est, priore vice illarum duarum quibus filios misit Iacob in Ægyptum.

Vers.

VERS. 13. Et in secundo,

HOc est, quum Iacob secunda vice patres nostros misisset in Ægyptum frumenti emendi gratia: *Cognitus est Ioseph à fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus ipsius.* Historia est Genes. 43. 44. 45. Istud vltimum legitur dicti cap. 45. v. 16. & seqq.

VERS. 14. Mittens autem Ioseph, accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam, in animabus septuaginta quinque.

HOc scribitur Genes. 46. Difficultas est de numero, *septuaginta quinque* quum secundum hebraicam veritatem cap. illo 46. v. 27. Et Exodi 1. v. 5. non nisi septuaginta reperiantur. Huic difficultati respondent S. August. q. 152. in Genesim. & de ciuitate 16. c. 40. nec non B. Hieronym. in Quæstionibus hebraicis super Genesim. Summa responsionis est quod cum 70. Interpretes (quos B. Stephanus, vt vbique tunc notos, sequitur in sua sermocinatione) cap. 46. Geneseos post v. 20. recenseant quosdam filios Manasse & Ephraim, sed per anticipationem narrationis, eius scilicet cuius verus locus est in heb. & in nostris codicibus (vt & in 70.) longe postea, capite nimirum 50. v. 22. consequenter versu 27. dicti cap. 46. auxerint numerum familiæ ipsius Iacob; ita vt cum iuxta heb. codicem illic nominentur capita septuaginta, ipsi addant quinque, nempe illos posteros Ephraim & Manassæ quos per anticipationem iam recensuerant, post vers. 20. nimirum posteros ipsius Manassæ, duos; ipsius vero Ephraim, tres. Atque hoc pacto verum est, omnem cognationem ipsius Ioseph, fuisse in Ægypto, vita ipsius durante, capitum septuaginta quinque: neque amplius requirit iste sermo B. Stephani, vt bene argumentatur B. August. dicto cap. 40. lib. 16. de Ciuitate Dei. Sane si de numero illo præcise agatur posterorum Iacob qui fuerit eo tempore quo ipse intrauit in Ægyptum; ipsi etiam 70. Interpretes *septuaginta* dumtaxat capita ponunt, Deuteron. 10. in fine, conformiter hebræo codici. Obseruauit hoc B. Hieron. loco allegato.

VERS. 15. Et descendit Iacob in Ægyptum: Genes. 46. Et defunctus est ipse; Genes. 49. in fine. Et Patres nostri.

IOSEPH mortuus describitur Genes. 50. in fine. Cæteri fratres eius, Exodi. 1. v. 6.

VERS. 16. Et translati sunt in Sichem)

SICHEM duobus maioribus milliaribus à Samaria distans oppidum est, quod Ioan. 4. v. 5. dicitur *Sichar*. Illic patriarchas, duodecim filios Iacob

sepultos esse, B. Hieron. diserte tradit, tum in libro de optimo genere interpretandi, tum in epitaphio Paulæ; conformiter his verbis B. Stephani. Certe ipsius Ioseph ossa ibi fuisse sepulta, expressum est Iosue 24. v. 32. Quare fallitur Iosephus Antiquitatum lib. 2. cap. 8. (alias cap. 4.) scriben hos patriarchas fuisse translatos ex Ægypto, & sepultos in Hebron. Sed doctis notum est, Iosephum, alijs rebus intentum, sæpè labi in historia, etiam sacris biblijs comprehensa. In Hebron sepulta fuit Sara Gen. 23. Ipse Abraham Gen. 25. Isaac Genes. 35. in fine. Iacob Genes. 50. v. 13. Hoc Iosephum, ex memoria scribentem, potuit fallere de sepultura duodecim patriarcharum. *Et positi in sepulcro, quod emit Abraham precio argenti à filijs Hemor filij Sichem.*

DVPLEX in his verbis est difficultas. Prior de Abraham: non enim ipse, sed Iacob patriarcha istum agrum emit à filijs Hemor. vt legitur Genes. 33. in fine, & Iosue 24, v. 32. Huic difficultati quidam respondent, errasse B. Stephanum hoc loco, cum pro Iacob dixit Abraham; non errasse B. Lucam scriptorem sacrum, qui retulerit verba S. Stephani. Verum hæc responsio, liberat quidem ipsam hanc scripturam sacram eiusque ministrum B. Lucam, à falsitate; sed non liberat sanctum Diaconum Christi Stephanum: quod tamen oportebat; quum non sit vllo modo verisimile in huius rei historia tam obuia, potuisse errare Stephanum, præsertim cum v. 10. cap. superioris ei fuerit attributa *sapientia* tanta, cui non possent resistere aduersarij eius. Est igitur altera responsio, esse hic in textu vitium scribarum, qui temere posuerint nomen *Abraham* pro nomine *Iacob*: fortasse quod non putarent ipsi Iacob congruere illa huius sententiæ verba, *precio argenti*; quum locis citatis Genes. 33. & Iosue 24, dicatur emisse agrum illum centum agnis seu agniculis. Meminerant autem precio argenti emisse agrum in sepulturam, ipsum Abraham: Genes. 23. & repetitur cap. 50. vers. 13.

HÆC coniectura tam probabilis est, vt hac via difficultatem istam euitent Aloysius Lipomannus Veronensis episcopus, & August. Eugubinus in cap. 33. Gen. ad finem; viri boni nominis in Ecclesia Christi. Qui librariorum audaciam & temeritatem experientia didicerit, vt sunt exempla eius rei infinita, per omne genus authorum; non mirabitur hoc isto loco ab ijs factum; quum forte terrerentur argumento illo de precio argenti. Quod tamen argumentum facile solui potest, si dicamus locis illis duobus Genes. 33. & Iosue 24. per *agnos*, non animalia intelligi, sed certum genus nummorum cui ab vna parte impressa erat figura agni. Sic enim solebant veteres, monetam signare figuris animalium: & ita intelligendum videtur quod legitur Iob cap. vlt. v. 11. vbi dicitur quod amici & noti eius dederunt singuli *ouem vnam* & inaurem auream vnam. Quantulum enim fuisset ad tanti viri consolationem & leuamen, si pecudem ouiculam singuli ei donassent? Notum est prouerbium apud Græcos quondam vsitatum, de boue in lingua. Et in terris his nostris quondam fuit numisma aureum, habens ab vno latere figuram veruecis, quod propterea vocabant lingua vulgari veruecem. Fit eius mentio in historia venerabilis sacramenti miraculosi Bruxellensis, & prius apud Cantipratanum lib. 1. cap. 20. parte 5.

VENIEBAT

VENIEBAT & alia solutio nobis in mentem, posse hic per *Abraham* intelligi ipsum Iacob; sumi scilicet istud *Abraham* non vt nomen proprium, sed vt commune, quale est iuxta originationem & compositionem suam. Idem enim valet *Ab-raham*, quod, Pater multitudinis; & hac ratione ac notione iussit Deus illum qui prius *Ab-ram* (id est, pater excelsus) dicebatur, deinceps vocari *Abraham* Genes. 17. Hoc itaque nomen si sumatur vt commune, optime conuenit Patriarchæ Iacob, parenti duodecim tribuum Israeliticarum.

SIMILE est obseruare in alijs nominibus; Isaiæ 52. v. 4. rex Ægypti vocatur *Assur*, id est, *Insidiator*. Vice versa Ezechielis 17. v. 17. rex Assyriorum nominatur *Pharao*, id est, dissipator. Sic Iudicum 20. vers. 18. Silo nominatur *Bethel*, id est, domus Dei. His omnibus locis, quæ alioqui sunt propria nomina, sumuntur vt communia. Hanc igitur solutionem, non est cur simili exemplo minime admittamus.

ALTERA difficultas est de illis verbis, *filij Sichem*: nam Genesis 33. in fine, & Iosue 24. ad finem in codice heb. expresse dicitur quod Hemor fuerit *pater* Sichem. & eodem modo vtrobique est in nostra latina editione; ac horum locorum priore etiam apud 70. Hic autem dicitur Hemor *filius* Sichem. Responsio. Ista difficultas neque S. Stephanum attingit, neque S. Lucam. nam hoc loco in græco codice non exprimitur neque illud (*patris*) neque istud (*filij*); sed alterutrum relinquitur subaudiendum. sic enim ibi est; παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ. Solum igitur nostrum Interpretem latinum tangit ista difficultas, quasi is hîc subaudierit τὸ (*filij*), quum debuisset, (*patris*) conformiter scripturæ veteri originali in Genesi & in libro Iosue, vbi suprà. Cæterum id fecit Interpres neque temere neque falsò. Non temere: quoniam in hoc genere eclypticæ locutionis magis promptum & frequentius est subaudiri nomen *filij* quam nomen *patris*. Non falsò; quoniam facile fieri potuit vt Hemor iste & patrem habuerit nomine Sichem, & filium; quem filium in gratiam & memoriam aui sui paterni, ipsius nomine appellarit, *Sichem* videlicet; vt fit quotidie vbiuis gentium. Venerabilis Beda hanc responsionem subministrat. Pergit B. Stephanus;

VERS. 17. Cum autem appropinquaret tempus promissionis;

PROMISSIONIS] præstandæ scilicet, *Quam confessus erat Deus Abrahæ.* nimirum de danda terra Chanaan posteritati eius: *Creuit populus, & multiplicatus est in Ægypto.* Exodi 1. v. 11.

VERS. 18. Quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Ioseph.

ETIAM huius versus historia est Exodi 1. sicut versus sequentis;

VERS.

VERS. 19. Hic circumueniens genus nostrum; afflixit patres nostros, vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur.

VT *exponerent infantes suos.*] Id est, vt masculos infantes in flumen proijcerent; sicut legitur Exodi 1. in fine.

NE *viuificarentur.*] Id est, ne in vita conseruarentur. Sic enim & alibi sumitur verbum *viuificandi*, vt 1. Reg. 27. vers. 11.

Vigesimi & vigesimi primi versuum historia est c. 2. Exodi.

VERS. 22. Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum: & erat potens in verbis & in operibus suis.

ERVDITVS *est.*] Haud dubie curante filia Pharaonis, quæ Moysen adoptauerat sibi in filium. Exodi 2. v. 10.

OMNI *sapientia Ægyptiorum.*] Id est, omnibus liberalibus disciplinis quæ tunc florebant seu vigebant in Ægypto: Non comprehenduntur hoc nomine superstitiones & idololatrici cultus Ægyptiorum. Non significatur etiam his verbis quod liberalium disciplinarum Ægyptij fuerint primi inuentores.

ET *erat potens in verbis.*] Sensus, erat vir in loquendo eloquens & vehemens, idque non minus lingua Ægyptiaca, quam hebræa. His non obstant quæ leguntur Exod. 4. vers. 10. nam tunc Moyses erat octoginta annorum, & iam desueuerat publicis sermonibus habendis.

ET *in operibus suis.*] Non est verisimile Moysen vlla miracula edidisse antequam à Deo vna cum Aarone fratre mitteretur ad Pharaonem, flagitaturum dimissionem populi Israelitici, vt narratur Exod. 3. & seqq. Quidnam igitur sibi vult quod ante illud tempus dicitur Moyses fuisse *potens in operibus suis?* Dicendum est, quod Moyses vixerit in aula Pharaonis quadraginta annos, vt manifestum est ex verbis hoc loco sequentibus: eo autem tempore non fuit ociosus, sed adhibitus negotijs maioris momenti, tam ciuilibus quam militaribus, vtpote sapiens, industrius, peritus, & gratiosus. In illis igitur negotijs præstitit sese virum egregium, sic vt esset admirationi tam regi quam primatibus totius regni.

VERS. 23. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus.

HIS verbis commemorat B. Stephanus, & supplet id quod legitur Exodi 2. v. 11. *Ascendit in cor eius.*] Hoc est, venit ei in mentem, apud se cogitauit, sed vtique Deo cor eius monente. *Vt visitaret fratres suos, filios Israel.* relicta scilicet aula Pharaonis, & spreta adoptione qua Pharaonis filia eum habebat pro filio. Atque hoc est quod Apostolus de Moyse commemorat Hebr. 11. v. 24. 25. 26. Deserta igitur aula regia, iuit Moyses & inuisit suos contribules, filios Israel sparsos per Ægyptum, varie ab Ægyptijs afflictos.

VERS.

VERS. 24. Et cum vidisset quendam.)

ISRAELITAM scilicet, Exod. 2. v. 11. *Iniuriam patientem:* à viro Ægyptio, qui iniuriose illum verberabat. ibidem. *Vindicauit illum, & fecit vltionem ei qui iniuriam sustinebat, percusso Ægyptio.* Occidit Moyses istum Ægyptium, & abscondit sabulo, vt legitur Exod. 2. v. 12. Occidit vero illum, non priuata authoritate, sed diuinitus accepta; vt B. Stephanus declarat per verba sequentia; sicut obseruauit Chrys.

VERS. 25. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt.

ID est, quod Deus per ipsius Moysi ministerium & ductum esset eos liberaturus ex illa Ægyptiaca seruitute: *At illi non intellexerunt*] Tacite innuit S. Stephanus id Moysi, in typum Christi, accidisse ab Israelitis, quod Christo ipsi in terris conuersanti ab iisdem factum est. Noluerunt nimirum intelligere eum à Deo ipsis missum fuisse Saluatorem.

VERS. 26. Sequenti vero die apparuit illis litigantibus:

ISRAELITIS scilicet, seu fratribus suis duobus, *litigantibus:* Historia est dicto cap. Exodi 2. v. 13. 14. *Et reconciliabat eos in pace.*] Credibile est Interpretem scripsisse quartum casum, qui est græce, εἰς εἰρήνην. Sensus, tentabat eos redigere in concordiam; *Dicens; Viri, fratres estis: vt quid nocetis alterutrum?* Id est, cur iniuriam facitis alter alteri?

VERS. 27. Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem & Iudicem super nos?

VERS. 28. Nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium?

HÆc leguntur cap. 2. Exodi. In quibus similiter Moyses figuram gessit Christi, quem sua gens & repulit & inique accusauit.

VERS. 29. Fugit autem Moyses in verbo isto:

ID est propter hanc rem. Duplex enim est Hebraismus. Intellexerat Pharao fuisse à Moyse interfectum Ægyptium, & quærebat eum occidere; quod

sentiens Moyses fugit ex Ægypto: vt est Exodi 2. Fortassis etiam metus incesserat Pharaonem ne Moyses sese Principem daret Israelitis suis afflictis, homo industrius & ad res magnas gerendas idoneus, qualem scilicet eum expertus longo tempore fuerat.

Et *factus est aduena in terra Madian*] Domesticus imo & gener factus Raguelis siue Iethro sacerdotis Madian; & pascens eius oues. Exodi 2. sub finem, & c. 3. v. 1. *Vbi generauit filios duos* Ex Sephora filia Iethro. Filiorum nomina sunt Gersam & Eliezer. dicto c. 2. sub fin.

Vers. 30. Et expletis annis quadraginta)

Alteris scilicet ab ijs qui commemorabantur v. 23. Exegit enim istos alteros quadraginta annos in terra Madian: quoniam octoginta annorum erat quando ad Pharaonem venit vna cum fratre Aaron, legatus Dei pro liberatione populi Israelitici. Exodi 7. v. 7.

Apparvit *illi in deserto montis Sina angelus in igne flamma rubi. Angelus*] sed qui Deum, imo Dei filium aliquando hominem futurum, repræsentaret. eaque de causa, tum in hoc cap. tum Exodi cap. 3. nunc angelus Domini, nunc Dominus dicitur Moysi apparuisse & locutus fuisse. Legem veterem Deus non per se immediate dedit sed per angelum suum; At legem euangelicam Christus Dominus immediate per se discipulis suis tradidit. Confer. B. Tho. 1. sec. q. 98. art. 3.

Historia quam hîc commemorat B. Stephanus, & quatuor versibus seqq. 31. 32. 33. 34. est Exodi 3. neque quicquam in his est quod peculiari annotatione egeat, quæ sit addenda ad commentarium illius capitis Exodi. Vltima verba versus 34. consideranda sunt, propter connexionem cum sequentibus. Ibi Dominus seu angelus Dominum repræsentans, dicebat Moysi; *Et nunc veni* (imperandi modi verbum est) *& mittam te in Ægyptum.* Quibus verbis ille à Deo Princeps & Liberator populi Israelitici constituebatur. Id quod deinde B. Stephanus amplificat, subiungens,

Vers. 35. Hunc Moysen quem negauerunt)

Id est, quem recusauerant sibi præfici; Supra v. 27. ex cap. 2. Exodi v. 14. *Dicentes, Quis te constituit principem & Iudicem? Hunc Deus principem & redemptorem misit*] seruis & oppressis Israelitis; *cum manu angeli* &c. Id est, cum auxilio, robore & protectione illius Angeli Deum repræsentantis, qui angelus illi apparuerat in rubo inflammato nec tamen consumpto. Exodi 3. *Per hunc angelum Deus* (vtens tamen ministerio Moysi) miraculose operatus est omnes illas prodigiosas plagas Ægypti, à prima vsque ad decimam quæ describũtur Exodi 7. & seqq vsque ad 13. Per hunc eundem angelum Deus formabat illam columnam nubis per diem, illamque columnam ignis per noctem, quæ esset dux populi Israelitici iam egressi ex Ægypto. Exodi 13. in fine, eumque populum protegeret, cap. 14. v. 19. Fit mentio angeli eiusmodi, ductoris & auxi-

liatoris

liatoris populi Israelitici, Exodi 23. v. 20. & seqq. qui locus est conferendus cum eiusdem libri cap. 33. vers. 2. & seqq. Pergit B. Stephanus commemorare de Moyse,

VERS. 36. Hic eduxit illos)

EMPHATICVM est illud, *Hic*, q. d. Quem ignominiose reiecerant; hic idem ipsos postea eduxit ex Ægyptiaca illa seruitute, & eductos gubernauit: & totum hoc non vulgari modo, sed *faciens prodigia & signa in terra Ægypti, & in rubro mari, & in deserto, annis quadraginta*. In deserto quæ prodigia per Moysen Deus fecerit, patet varijs locis scripturæ. Exodi 15. in fine. cap. 16. toto. cap. 17. in principio. c. 24. in fine. c. 33. c. 34. Num. c. 16. & 17. Item cap. 20. ac 21. Denique tot & tanta per Moysen Deus prodigia fecit, vt hac in parte non reperiretur ei similis; iuxta illud magnum elogium quod de ipso extat Deuter. cap. vlt in fine. Addit B. Stephanus,

VERS. 37. Hic est Moyses, qui dixit filijs Israel; Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me; ipsum audietis.

EXTAT hoc vaticinium Moysi, Deut. 18. v. 15. & seq. & à S. Petro cap. 3. huius v. 22. fuit recitatum Iudæis, & de Christo expositum. Nec dubium quin B. Stephanus relinquat tacitis cogitationibus istorum procerum Iudaicorum, hoc vaticinium non de alio quam de Messia Domini, ac nominatim de Iesu Nazareno, qui iam venerat, esse intelligendum. Addit deinde,

VERS. 38. Hic est qui fuit in Ecclesia, in solitudine, cum angelo qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ, dare nobis.

INDICAT B. Stephanus ea quæ leguntur Exodi 19. & 20. In *Ecclesia*. Id est, in magno illo cœtu populi Dei, Israelitarum scilicet iam eductorum ex Ægypto. In eo fuit Moyses tanquam princeps & rector; & fuit *cum angelo* illo protectore populi Dei, vices Dei gerente in datione legis, super montem Sina: vt est illis capitibus Exodi. *Qui accepit verba vitæ dare nobis*. Hoc est, *qui* à Deo per angelum illum *accepit legem*, vt eam deinde promulgaret ac *traderet Israelitis*. Lex significatur nomine *verborum vitalium seu viuificorũ*, quoniam eo fine dabatur & eò directe ordinabatur vt Israelitæ salutem consequerentur, animæ in primis, tum & corporis ac rerum temporalium. Sed per accidens fiebat vt eâ accepta, in maiorem damnationem multi eorum inciderent; dum grauius peccabant lege iam accepta: tum quia per legem non auferebatur praua ex peccato in nobis residens concupiscentia, incitans ad faciendum prohibita;

hibita, neque per legem tollebatur illa nobis ex peccato innata infirmitas, qua sumus imbecilles ad bene agendum; tum quia multo minus lex secum nobis adferebat Dei gratiam qua ipsi ex amore iustitiæ obediremus, sicut oportet ad consequendam sempiternam salutem. Et iuxta hanc distinctionem sunt concilianda loca scripturarum, quibus lex Dei interdum dicitur viuificare, interdum vero occidere, mortem adferre & damnationem; præsertim in Paulinis epistolis diuersis locis. Subiungit de Moyse S. Diaconus Stephanus;

VERS. 39. Cui noluerunt obedire patres nostri;

ETIAM postquam Israelitas ex Ægypto eduxerat, illi tamen sæpe aduersus eum, tantum Dei ministrum, & Liberatorem ipsis diuinitus missum, rebellauerunt & murmurauerunt. Exempla sunt Exodi 14 v. 11. & seqq. cap. 16. v. 2. & 3. c. 17. v. 2. 3. cap. 32. v. 1. Num 11. in princip. 12. toto, 13. in fine. 14. in princ. & vltra. c. 16. toto. 20. in princ. 21. v. 5. & seqq.

SED *repulerunt*] Moysen, etiam post transitum maris rubri. Exodi 32. v. 1. qui locus proxime citabitur à S. Stephano. & Num. 14 vbi dixerunt alter ad alterum, *Nonne melius est reuerti in Ægyptum? Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Non diutius ergo volebant ferre ducatum Moysis. *Et auersi sunt cordibus suis in Ægyptum.* Interdum enim volebant redire in Ægyptum: vt patet ex verbis proxime citatis, ex lib Num interdum autem dolebant sese reliquisse Ægyptum, etsi non simul haberent desiderium redeundi, vt locis paulo superius allegatis, Exodi 14. & 16. ac 17. Num. 11. & 20. 21.

PRÆTER hæc autem, *auertebantur cordibus suis in Ægyptum*, quando ægyptiacam idololatriam imitabantur, sicut & dum adhuc in Ægypto essent, multi Israelitarum idola Ægyptiaca fuerant venerati: vt discimus ex Ezech. 20. v. 8. c. 23. v. 3. 8.

VERS. 40. Dicentes ad Aaron; fac nobis Deos, qui præcedant nos Moyses enim hic qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei.

HISTORIA est Exodi 32. vbi & sequentia sunt;

VERS. 41. Et vitulum fecerunt in diebus illis.

AVREVM scilicet. *Et obtulerunt hostiam simulacro*; græcè est τῷ εἰδώλῳ. Quare non sunt audiendi qui Israelitas excusandos putant ab idololatria, dum fecerunt & adorauerūt vitulum illum aureum Sane Paulus Apostolus 1. Cor. 10. v. 7 in hoc facto Israelitarum, agnoscit idololatriam. Et textus historiæ sacræ cap. illo 32. Exodi aperte habet, Deum dixisse Moysi, *Peccauit populus tuus* &c. *fecerunt que sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt eum.* (Nam hoc relatiuum exprimitur in heb.) *Et immolantes ei hostias, dixerunt* &c. Idem Moyses dicit,

dicit, v. 31. Idem significatur per illa verba eiusdem cap. 32. v. 6. *Sedit populus mãducare* (vtique ex sacrificijs immolatis) *& bibere: & surrexerunt ludere. Ludere*] Hoc est, choreas agitare, & in ijs canere voce & instrumentis, tanquam coram Deo. quæ expositio germana confirmari potest ex eiusdem cap. v. 18. 19. Ex quibus nunc intelligitur quod B. Stephanus subnectit hoc loco, *Et lætabantur in operibus manuum suarum.*

RESTAT hic vnus scrupulus, nequaquam negligendus. Non enim videntur Israelitæ fuisse auersi cordibus in Ægyptum, quando fecerunt vitulum aureum & obtulerunt ei hostias; quoniam cum eas immolarent vitulo, clamabant, *Hi sunt dij tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* vt legitur cap. illo 32. Exodi v. 4. & 8. Nulla igitur ratio videtur pati, vt existimemus illos de reditu istius noui Dei voluisse redire in Ægyptum; aut de reditu in Ægyptum cogitasse, quando dicebant Aaroni, *Fac nobis Deos qui præcedant nos.* Hic scrupulus duabus vijs remoueri potest: priore, si dicamus huius capitis illa verba v. 39. (*Et auersi sunt cordibus suis in Ægyptum*) parenthesi separanda esse à reliquo textu sermonis; qua posita significabitur quod Israelitæ repulerint Moysen quando ad Aaronem dicebant, *Fac nobis Deos qui præcedant nos.* Videlicet alium ducem sibi poscebant, nolentes expectare deinceps Moysi ducatum. Quod totum veritatem habet, etiamsi tunc non habuerint desiderium redeundi in Ægyptum quando colebant istum vitulum. Fauet huic responsioni quod quidam græci codices post illa verba, *& auersi sunt cordibus suis in Ægyptum*, ponant distinctionem periodicam.

ALTERA via est, si nulla facta einsmodi parenthesi, neque periodica illa distinctione adhibita; sinamus totum contextum cohærere commaticis duntaxat distinctionibus: sed intelligamus istam cordium auersionem in Ægyptum, non cupiditatem redeundi corporaliter in Ægyptum; sed imitationem idololatriæ Ægypriacæ. quæ imitatio certe hic fuit quando conflauerunt & coluerunt istum vitulum aureum, tanquam Deum. Iuxta hunc intellectum; quando isti dicebant Aaroni, *fac nobis Deos*; auertebantur cordibus in Ægyptum: quando autem addebant, *qui præcedant nos*; repellebant Moysen, volentes alium deinceps ducem & gubernatorem habere.

QVIBVS vero pœnis Deus istam Israelitarum idololatriam puniuerit, exponit B. Stephanus verbis seqq. v. 42. & 43.

VERS. 42. Conuertit autem Deus, & tradidit eos seruire militiæ cœli:

CONVERTIT] Græcè ἔστρεψε. Non exprimitur casus rei patientis: sed videtur subaudiri reciprocum pronomen; vt sensus sit, Deus *sese* auertit ab eis; qui solebat beneficia in eos conferre. animum suum veluti mutans, *& sese conuertens* ad vltionem sceleris de ijs sumendam. Confirmari potest hic intellectus ex Iosue 24. v. 20. Vltio fuit in eo quod ipsos deseruerit, deserens prius, & permiserit vt vlterius in idololatria procederent, colendo pro dijs astra cœli. Hoc dicunt verba sequentia, ista,

Et *tradidit eos seruire militiæ cæli.*] *Per militiam cæli* intelligitur multitudo astrorum, hoc loco, vt colligitur ex v. 43. *Seruire.*] græcè est λατρεύειν, & intelligitur seruitus & cultus qui Deo exhibetur: quod ipsum ex seq. v. 43. intelligitur. In hoc tam horrendum idololatriæ scelus dicitur *eos Deus tradidisse*, quod indefensos reliquerit dum ad illam idololatriam tentarentur; diuina autem defensione ac protectione destituti, succubuerint illi tam execrandæ tentationi. Vnde per istud (*seruire*) seu, vt *seruirent*, non causa finalis significatur, sed euentus, subsequens scilicet illam defectionem, qua illos Deus derelinquebat sine protectione & auxilio aduersus peccati istius illecebras & tentationem. Similis loquutio est alibi, ac nominatim bis terue in cap. 1. ad Rom.

Confirmat hoc suum dictum B. Stephanus testimonio Amos prophetæ, inquiens, *sicut scriptum est in libro prophetarum*, Duodecim scilicet, illorum, qui Minores vulgo appellantur. Ait autem *in libro*, singulariter; quia apud Hebræos duodecim prophetæ minores pro vno volumine supputantur; vt testatur B. Hieron. in prologo Galeato, qui præponi solet libris Regum, & præfatione in ipsos duodecim prophetas. Citat autem S. Diaconus testimonium ex Amos 5. v. 25. sed secundum 70. his verbis;

Nunquid *victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel?* Illud (mihi) discretiuum est; q. d. Non mihi in deserto sacrificia obtulistis ex animo; sed plerique vestrum colebatis idola, saltem mente & desiderio.

Vers. 43. Et suscepistis tabernaculum Moloch.)

Istud (*Moloch*) est secundi casus, vt patet ex articulo græce præposito, τοῦ. Erat autem Moloch idolum Ammonitarum; 3. Reg. 11. v. 33. quod dicitur etiam Melchom; 4. Reg. 23. v. 13. *Suscepistis.*] Sumpsistis vobis ad cultum diuinum; saltem in animo vestro erexistis tabernaculum Deo Ammonitarum; aut etiam externo ritu clanculùm coluistis illud falsum numen. Ita fere Venerab. Beda.

Et *sidus Dei vestri Remphan*; subauditur ex præcedente parte, verbum (*suscepistis*) & intelligitur eodem modo quo illic. Quid per *Remphan* significetur, vix constat. Venerabilis Beda intelligit stellam quam vulgus astronomorum vocat Venerem: quam dicit Saracenos colere solere. Eadem stella vocatur Hesperus & Lucifer: quod soli fere coniuncta, eum occidentem sæpe subsequitur; sæpe vero orientem antecedat. Pro isto autem *Remphan*, siue vt 70. dixerunt, *Raphan*, in heb. est Chijun, de quo non minus ambigitur quid significet. Hebræi posteriores eam stellam significari putant quæ Astronomis dicitur Saturnus. Sufficiat intellectui huius loci quod Israelitæ, imitatione paganorum coluerunt quempiam planetarum pro Deo; vt Persæ solent adorare Solem. Sequitur in verbis prophetæ citatis à B Stephano, *figuras quas fecistis adorare eas*] *figuras*] subauditur *suscepistis*, in cultum scilicet religionis. Eæ erant corporales figuræ falsorum numinum, quæ colebant isti; siue idolorum, siue stellarum. nam apud 70. additur relatiuum *eorum*; sic, *figuras eorum*.

Qvas

QVAS *fecistis.*] Vestris ipsorum, aut artificum vestrorum, manibus: Fecistis verò, *adorare eas*, hoc est ad cultum diuinum illis exhibendum. Hoc enim est quod toties in idololatris, tam Israelitis quam Paganis, prophetæ reprehendunt, & irrident tanquam stuporem intolerabilem quod pro dijs colerent ea quæ manibus hominum, suis scilicet aut aliorum, scirent esse facta.

CONSIDERANDVM est quod B. Stephanus citans hæc ex Amos c. 5. iuxta 70. sensum potius allegat quam verba: sicut & Apostoli solent facere, citantes aliquid ex vetere testamento; quoniam nec ipsorum 70. verbis omnino appendit. Qui hunc versum apud Amos prophetam numero 26 capitis 5 volet cum hebræo codice conferre: meminisse debebit quod totius illius versus partes secundam & tertiam, 70. posuerunt inuerso earum ordine.

CONSIDERANDVM est etiam quod B. Stephanus hunc locum Amos prophetæ videtur sic interpretari, vt illic commemoretur idololatria quam Israelitæ *commiserint olim post egressum ex Ægypto, in deserto*, viuente adhuc Moyse & sic V. Beda verba B. Stephani accipit; atque etiam Hieron. in c. 5. Amos. Et vix est vt aliter intelligantur, siquis consideret connexionem versuum huius cap. 40. 41. 42. 43. Et probatur hoc ipsum verbis Domini, Ezech. 20. v. 15. 16. v. 23. 24 Est tamen verum quod etiam temporibus Amos prophetæ & vicinis, Israelitæ colebant idola & astra cœli; vt doceri potest ex Ieremiæ 7. v. 18. c. 8. v. 2. c. 19. v. 13. c. 44. v. 17. & seqq. Sophoniæ 1. v. 5. Sed hoc illius temporis peccatum Dominus per Amos prophetam, verbis istis qua sunt c. illo 5. exaggerat, ab ingratitudine & à praua consuetudine vetere, qua iam olim idololatriam exercuerint, recens educti ex Ægypto. Certè, & antequam educerentur inde, portenta Ægyptiaca ipsos fuisse veneratos, paulo superius docuimus ex Ezechiel. 20. v. 8. c. 23. v. 3. 8. quibus addere licet Iosue 24. vers. 14.

ADDIT Dominus apud Amos prophetam superioribus, ista; *Et transferam vos.*] Id est, faciam vos migrare ex terra vestra, ex terra quondam promissa, quam dedi vobis, ex terris Chanaan, *Trans Babylonem.*] Hebraice & apud 70. legitur, *Trans seu vltra Damascum:* Sed (vt annotat V. Beda sequutus B. Hier. in c. 5. Amos) protomartyr Stephanus, sensum potius quam verba prophetæ allegauit; & quidem valde significanter. A Iudæa enim longius abest Babylon (per quam Israelitæ sunt ducti in Assyriam) quam Damascus, vt est videre in Tabula 4. Asiæ apud Ptolemæum: Itaque longior significatur transmigratio, si dicatur, *Trans Babylonem*, quam si dicatur, *Trans Damascum.* & quum hæc diceret B. Stephanus, iam olim factum erat vt Israelitæ, Deo vindice, per Damascum transferentur ex terris suis vltra Babylonem, quæ erat metropolis Chaldææ; in Assyriam, Niniuen vsque; quæ caput erat Assyriæ, & in alias terras Assyrijs subiectas. 4. Reg. 17. Tob. 1.

PLERAQVE eorum quæ de isto v. 43. diximus, ex B. Hieronymo sunt, scribente in finem cap. 5. Amos prophetæ. Post interpositum illud ex Amos propheta testimonium, redit B. Stephanus ad seriem narrationis eorum quæ acciderunt Israelitis in deserto; dum ait,

VERS.

VERS. 44. Tabernaculum testimonij fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit Deus, loquens ad Moysen vt faceret illud secundum formam quam viderat.

ILLVD tabernaculum quod iubente & formam præscribente Deo, per Moysen in deserto factum fuit, opera artificum à Deo ad hoc instructorum & delectorum, vt scribitur Exodi 26. v. 31. 35. 36. hoc, inquam, tabernaculum passim in libris Moysi posterioribus vocatur *Tabernaculum testimonij*, &, *Tabernaculum fœderis*, diuersa ratione. Id cum iam perfectum esset, fuit erectum in deserto, anno secundo post egressum ex Ægypto, mense primo prima die mensis, vt scribitur Exodi 40. ac deinceps mansit in castris Israelitarum quamdiu fuerunt in deserto. Hoc est quod illis verbis dicit S. Stephanus, *Fuit cum patribus*, seu vt est græcè, *fuit in patribus nostris*; hoc est, *fuit inter patres nostros*. In medio enim duodecim tribuum collocabatur, ternis tribubus filiorum Israel ad quatuor mundi plagas, circa tabernaculum illud, iussu Domini, dispositis; vt præscribitur Num. c. 2. Hoc tabernaculum & omnia quæ ad illud pertinebant, omniaque quæ illo tegebantur & continebantur, erant facta iuxta exemplar quod Dominus Moysi in Spiritu monstrauerat; ipso Domino ita iubente: Exodi 25. in fine, quod ex eo loco nunc B. Stephanus commemorat.

OBSERVANDVM est hoc loco, quòd Exodi 33. vers. 7. in nostra vulgata editione appellatur *Tabernaculum fœderis*, & apud 70. *Tabernaculum testimonij*, non illud de quo hactenus loquimur, sed tentorium, quod sibi Moyses, post adoratum ab Israelitis vitulum, procul extra castra tetendit; in quo hærebat ipse, & quo ibatur ab ijs qui causam aliquam habebant, super qua vellent consulere Moysen. Fuisse diuersum ab isto sacro tabernaculo, inde est manifestum quod hoc tunc nondum erat confectum, multo minus tensum & erectum: vt patet collatione illius loci cum cap. 36. & 40. Exodi. Pergit B. Stephanus dicere de sacro tabernaculo Domini;

VERS. 45. Quod & induxerunt, suscipientes, Patres nostri cum Iesu in possessionem gentium, quas expulit Deus à facie patrum nostrorum, vsque in diebus Dauid.

INGREDIENTIBVS Israelitis in terram Chanaan, quondam à Deo ipsis promissam, simul illata illuc fuisse per Sacerdotes & Leuitas (quibus cura Arcæ & tabernaculi Domini omniumque sacrorum erat iniuncta diuinitus, vt patet Exodi 28. & 29. Leuitici 8. Num. c. 1. 3. 4. 8. 16. 17. 18.) tabernaculum & arcam Domini cum omnibus sacris ad cultum Dei pertinentibus; notum est ex libro Iosue; passim: c. 3. 4. 6. 18. in principio. 19. in fine. Et ex libro Iudicum

Iudicum passim, & initio primi Regum, constat quod tabernaculum illud ordinarie seruabatur in Silo, vrbe terræ Chanaan. Cætera quæ dici possent de locis vbi fuerit tabernaculum illud vsque dum Ieremias propheta id abscondit in monte Nebo. 2. Machab. 2. reliquaque huc facientia, videmur satis accurate collegisse, Commentatio in Psalmi 77 v. 60.

VSQVE *in diebus Dauid*] Significatur illud tabernaculum habuisse vsum, & suam quandam venerationem, vsque ad tempora Dauidis, qui illo successit ei templum quod Salomon extruxit, sed impensis & materia præparatis per Dauidem, imo & forma totius templi per eum concepta, & tradita Salomoni. Leguntur hæc 1. Paralip. 22. 28. & 29. Illa te quentibus verbis dicit S. Stephanus, loquens de Dauide;

VERS. 46. Qui inuenit gratiam ante Deum;

ID est, fuit Deo charus & acceptus. sed nemo talis est nisi Deus eum talem fecerit: gratia sua præueniens & subsequens quos cunque decreuit sibi charos futuros. *Et petijt vt inueniret tabernaculum Deo Iacob.* Hæc sunt ipsissima verba Dauidis, reperta ex psalmo 131. Sensus autem est, Dauidem petijsse à Deo vt sibi adesset in ædificando templo, honori ipsius. Nam quod 70. illic dixerunt *tabernaculum*, heb. sonat *habitacula*: ne de tabernaculo illo Mosaico ibi sermonem esse quis existimet.

Hoc tamen Dauid à Deo non obtinuit; sed voluit à filio ipsius Salomone templum sibi ædificari. 2. Regum 7. 1. Paralip. 17. Quod hic subijcit B. Stephanus, dicens;

VERS. 47. Salomon autem ædificauit illi domum.

HISTORIA est in 3. Regum cap. 5. & seqq. & primis capitibus 2. Paralipom. Subiungit deinde S. Diaconus.

VERS. 48. Sed non excelsus in manufactis habitat:)

SENSVS est, Deus, *ille excelsus*, magnitudine excellentiæ suæ transcendens omnia, ipse nullo loco capitur; ipse ex nullo loco aut quantumcunque pulcro ædificio quicquam accipit commoditatis; ipse nullo ab hominibus facto ædificio delectatur, propter illud ipsum: sed delectat eum habitatio in templis spiritualibus, videlicet quæ ipsemet ædificarit & consecrarit. ac pari ratione, si illum corporale aliquod habitaculum delectaret, nō sane vllum quod manu humana factum esset, sed quod fecisset ipsemet. Hæc tota expositio accipitur ex sequentibus, quæ S. Diaconus allegat ex Isaia propheta, ad sui dicti confirmationem. Subnectit enim; *sicut propheta dicit*. Verba Domini per prophetam Isaiam dicuntur cap. 66. in princip.

VERS. 49. Cœlum mihi sedes est; terra autem, scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi? dicit Dominus: aut quis locus requietionis meæ est?

COELVM *mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum.* Sensus est; Vno eodemque tempore ego & in cœlo sum & in terra, sum vbique præsens, non solum per potentiam sed etiam per essentiam, ipse tamen excedens omnia. Significatur diuinæ naturæ immensitas, qua non solum est simul vbique, sed etiam nullis cœli & terræ finibus compræhenditur, verum ipsa potius continet omnia. Hoc ipsum Dominus apud Ieremiam cap. 23. vers. 24 ita dicit, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo?* Idem Dauid de maiestate Dei prædicat, psalmo 138. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum; tu illic es: si descendero in infernum; ades.* Et quæ pulcherrime dicta sequuntur. Et author libri. Sapientiæ, c. 1. Spiritus Domini *repleuit orbem* terrarum; *& ipse qui* (ita S. August. in speculo) *continet* (id est, præsens conseruat) *omnia, scientiam habet vocis.* Idest, cognoscit quid vnusquisque toto orbe terrarũ loquatur. Hæc ipsa dicebãtur à Salomone in illa sua ad Deum oratione, 3. Reg. 8 his præcipue verbis v. 27. *Si cœlum & cœli cœlorũ te capere non possunt: quanto magis* (scilicet te nõ poterit capere) *domus hæc quã ædificaui?* Pulcre V. Beda hoc loco; Deus vt se indicaret & interiorem esse omnibus & superiorem; cœlum sibi sedem; terram vero, scabellum pedum esse perhibuit. Qui vt se etiam omnia circundare monstraret; alibi se cœlum metiri palmo, & terram asserit pugillo concludere. Locus est Isaiæ 40. v. 12. quem vult Beda dicere, sed paulo aliter ibi legitur. Addit Dominus apud Isaiam, tanquam conclusionem ex præcedente sententia; *Quam domum ædificabitis mihi? dicit Dominus: aut quis locus requietionis meæ est?* Emphatica sunt illa, (*mihi*) & (*mea*) q. d. Cum ego immensitate naturæ impleam & excedam omnia: nullam domum vos facere potestis quæ me capiat; nullus locus à vobis fieri vel alio modo esse potest, in quo ego quietem capiam. quiete enim nulla egeo, imo quies nulla in me potest cadere, cuius natura plane est indefectibilis. Quod si vellem corporale habitaculum mihi deligere, in quo velut residerem & quiescerem: tamen neque illud neque materiam ex qua ipsum esset, ego à vobis acciperem; quoniam mea sunt omnia quæ toto mundo continentur. vt proinde vos à me acciperetis, non ego à vobis. Hoc dicit Dominus apud prophetam verbis sequentibus.

VERS. 50. Nonne manus mea fecit hæc omnia?

QVASI dicat, Ne sitis tam stolidi vt mihi beneficium vos contulisse existimetis, quando tabernaculum aut templum mihi extruxistis.

SECTARII nostræ ætatis verbis B. Stephani quæ sunt v. 48. & verbis Domini apud Isaiam hucusque recitatis, abutuntur, quando illis lubet catholicorum templa destruere vel in prophanos vsus conuertere; quasi nulla sint Deo templa

templa erigenda vel dedicanda: & addunt scripturam huic pene eandem, ex concione Pauli Apostoli apud Athenienses quæ extat huius libri c. 17. vbi ait inter cætera; v. 25. *Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt; hic cæli & terra cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo.* Ita ibi. Atqui sectarij isti nolunt meminisse etiam aliarum scripturarum quibus affirmatur Deum in templis locisque alijs sacris habitare aut quiescere. Christus Dominus Matth. 23. v. 21. *Quicunque iurauerit in templo* (id est, per templum:) *iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso.* Dauid quoque per spiritum sanctum, psal. 131. dicit, Elegit Dominus Sion; elegit eam *in habitationem sibi.* Tum inducit Deum ita loquentem de Sion; Hæc *requies mea* in sæculi; *hic habitabo*, quoniam elegi eam. Quibus verbis Dominus ipsam Sion vocat suam requiem, suam habitationem. Et prius in eodem psal. dicitur, Surge Domine in *requiem tuam*; tu & arca sanctificationis tuæ: quæ eadem verba Salomon Deo loquutus est in sua oratione 2. Paralip. 6. ad finem. Multa sunt similia Scripturarum loca: veluti psal. 77. v. 60. Deus repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum *vbi habitauit* in hominibus. Et Salomon ipse, in illa sua oratione quam supra citauimus ex 3. Reg. 8. nonne inter cætera sic Deo loquitur; Ædificans ædificaui domum *in habitaculum tuum*? v. 13. Ergo vtrumque nos docent scripturæ; & Deum in manufactis locis habitare, residere quiescere; & vice versa, Deum in manufactis nõ habitare, non quiescere: nulla contradictione vtrumque. Negantur videlicet hæc de diuina maiestate hoc sensu: Primum, quod ipsa nullo loco comprehendatur. Quo pertinet huius cap. v. 46. & quas scripturæ sententias illuc adferebamus.

SECVNDO, quod ex nullis locis manufactis, quantumcunque pulcris, imo quantumcunque religiosè Deo consecratis, ipse quicquam vtilitatis accipiat, tantum abest vt illis egeat; aut vt ipse debitor sit ijs qui templa extruxerint vel dedicarint. Hoc Apostolus dicebat ad Athenienses verbis allegatis ex cap. 17.

TERTIO, quod nihil delectationis etiam ex locis sacris accipiat propter loca ipsa; sed eum delectet pietas eorum qui extruxerunt & dedicauerunt ipsi. Item delectat Deum multitudinis concordia in vnum locum, ipsius colendi causa, conuenientis. Videantur verba Domini ad Salomonem 2. Paralip. 7. v. 12. & seqq.

QVARTO, Negatur Deus in manufactis, tametsi ipsi dicatis, habitare; quod scilicet non velut stata lege exaudiat omnes qui quomodocunque illic preces effuderint vel effundere videantur; sed eos demum qui salutaria, pie & perseueranter ab ipso petierint: sicut declarat S. Th. 2. 2. q 83. art. 15. ad 2. ac propterea; quod soleat improbitate eorum qui irreligiosè in suo templo versantur, offensus, ipsum templum permittere violari & destrui; quasi non esset domus sua. Hac ratione Ieremias propheta increpat Iudæos qui cum pessime viuerent, credebant nihil sibi mali euenturum eo quod inter ipsos esset templum Domini; nihil etiam ipsi templo, propter hoc ipsum quod esset Deo dicatum, ac ipsi illud frequentarent; non curantes interim vt haberent animum pie compositum. Sunt nimirum hæc illa terribilia verba quæ le-

guntur Ierem. 7. pene toto & bona parte cap. 26. Capite illo 7. v. 3. & 7. Deus significat se non habitaturum in loco illo sacro, scilicet in templo Domini, nisi Iudæi rectas fecerint vias suas. Idem fuerat Deus comminatus Salomoni 3. Reg. 9. v. 6. & seqq. quæ repetuntur 2. Paralip. 7. v. 19. & seqq.

VICE versa autem Deus in locis ipsi consecratis dicitur habitare vel quiescere; hoc eo sensu dictum quod à sacerdotibus aliisque sui cultus ministris, dum ecclesiam repræsentant, vult orationes, adorationes, sacrificia ac similia publica cultus diuini officia, exerceri in talibus locis, id est, sibi religiose dedicatis. Vnde Isaiæ c. 56. templum vocat *domum suam*, & *domum orationis*. Repetitum à Saluatore Matth. 21. Imo & priuatæ vniuscuiusque fidelis orationes & adorationes, fiunt Deo gratiores propter hoc ipsum quod fiant in loco ipsi sacrato. Citius enim, facilius & largius exaudit preces ibi factas: eo quod suæ præsentiæ, potentiæ & benignitatis effectus potius illic quam alibi vult nobis concedere; vtque ad fidem nostram corroborandam, qua credimus gratum esse Deo quod quædam loca ipsius cultui peculiariter dedicamus, nec ibi permittimus quicquam geri prophanum. Videantur verba Domini dicta Salomoni 3. Reg. 9. v. 3. *Sanctificaui domum hanc quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum: & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus*. Et 2. Paralip. 7. v. 15. *Oculi mei erunt aperti, & aures erectæ ad orationem eius qui in loco isto orauerit. Elegi enim & sanctificaui locum istum* &c.

QVOD si de illo Salomonis templo talia dixit ipse Deus: multo magis de templis christianorum eadem debemus intelligere; quæ & sacratiore ritu Deo dedicantur, & maioribus locupletantur thesauris spiritualibus; vt iure queamus de illis dicere, Ecce, plusquam templum Salomonis hic. Conferatur B. Th. 2. sec. q. 84. art. 3. Et tamen simul illud credimus, Deum vbicunque à fidelibus suis religiose fuerit adoratus vel rogatus; æqua facilitate cognoscere, vt pote vbique præsentem; & gratas habere eorum preces, gratam habere eorum pietatem.

PORRO ex his quæ ad v. istum 50. nunc ad Sectariorum obiectionem diximus, simul ex his quæ annotauimus supra ad cap. 6. v. 14. relinquitur intelligendum, quam responsionem B. Stephanus insinuet istis primoribus Iudæorum, aduersus obiecta sibi crimina, quibus accusabatur dixisse verba aduersus Deum & locum illum sanctum, nec non aduersus Moysen & legem. Pergit S. Diaconus, &, omissa vlteriore veteris historiæ narratione, sermonem conuertit ad primores Iudaicæ gentis, illic in concilio præsentes, dicens;

VERS. 51. Dura ceruice & incircuncisis cordibus & auribus; vos semper Spiritui sancto resistitis; sicut patres vestri, ita & vos.

PRIMA fronte videri possent hæc sancti Diaconi verba contumeliam habere, & ex ira proficisci: sed quoniam pro inimicis à quibus occidebatur, Deum orabat in ipso mortis articulo; manifestum est ipsum hæc dicere salutis ipsorum

ipsorum causa, ex spiritu charitatis; non vero sui vlciscendi gratia ista in illos iacere per iram aut furorem. esse verba hominis succensi zelo honoris Dei; esse correptionis fraternæ verba, non maledicentiæ: denique non conuiciari illum, sed, seruata mansuetudine, in causa bona magna dicendi libertate vti; vt qui præsentiret se ab ijs interficiendum, ait Chrysost. Dixit ergo, *Dura ceruice.*] Hoc est, moi chientes, & obstinate rebelles; Deo nimirum; vt proximè explicabit, dicens *eos restitere Spiritui sancto*. *Et incircuncisis cordibus & auribus.* q. d. gloriamini de hoc quod carnis particulam habeatis circuncisam, iuxta præceptum olim datum Abrahæ, Gen. 17. & hoc externo signo profitemini vos esse ex posteris Abrahæ: sed interim nulla vobis cura est circuncisionis spiritualis, quæ per istam carnalem significatur, & quæ facit veros filios Abrahæ. *Corda* vestra sunt *incircuncisa*; id est, mentes vestræ laborant magna rerum salutarium ignorantia, quæ foret amputanda. Animi vestri laborant multis & magnis vitijs, longo vsu inueteratis, quæ vos à salute auertunt; ideoque forent se dulo ab animis resecanda. Talia vitia erant, Ambitio, auaritia, superstitiones: per quæ auertebantur à suscipienda fide Christi, vt passim in euangelio ostenditur. Ambitio, Ioannis 5. v. 44. & cap. 12. v. 42. 43. Auaritia, Lucæ 16. v. 14. Superstitio, Matth. 5. v. 20. cap. 12. v. 2. 10. cap. 15. v. 2. & seqq. & frequenter alibi. vt Ioan. 9. v. 16.

ADDIT protomartyr Stephanus istos fuisse *incircuncisos etiam auribus*; volens dicere quod libenter audiebant quæ debuissent detestari: veluti blasphemias contra Iesum Nazarenum, contra discipulos eius: tametsi & ille & hi per illius virtutem tam magnis & multis miraculis probassent se à Deo missos. Potest etiam intelligi *aures eorum fuisse incircuncisas*, eo quod velut superflua ac sordida carne vel pelle essent obstructæ ne audirent, id est, vt non delectaret eos audire, quæ forent ipsis salutaria. Hæc expositio confirmari potest ex Ierem. 6. vers. 10.

VOS *semper Spiritui sancto resistitis. Spiritui sancto*] Loquenti scilicet in Moyse & prophetis ait Lir. sed quia loquitur per tempus præsens; præstat generalius accipere; sic loquenti per angelos aut homines ministros suos, vobis quid vellet vos credere, quid facere, quid omittere. Est autem perinde quasi dixisset, *Vos semper Deo resistitis*: vt monet Chrysost. & post eum Oecumenius.

RESISTITIS] scilicet nolentes credere, quæ ipse vobis credenda annuntiat per ministros suos: nolentes facere, quæ ipse vobis facienda, per eorum ministerium præscribit; nolentes abstinere ab ijs quæ ipse vobis prohibet: sed semper nitentes in contrarium diuinis mandatis, adeo vt vos talia nolle audire declaretis. Commentarius accipitur ex Chrysost. qui hæc sancti protomartyris verba hac paraphrasi expressit; *Quando nolebat esse sacrificia, vos sacrificabatis: quando volebat, non sacrificabatis. quando noluit vobis dare præcepta, requirebatis: quando accepistis, neglexistis.* Iterum, *quando stabat templum, vos idola serebatis: quando vult absque templo sibi seruiri, iterum contrarium facitis* Ita Chrysost. Et ipse protomartyr id quod hic dicit, Patres eorum Spiritui sancto restitisse, exponit verbis proximis, per hoc quod prophetas sanctos fuerint persequuti & occiderint. Quod vero hic dicit, istos præsentes Spiritui sancto resistere; exponit

proxime per hoc quod Iesum Iustum qui ipsis viam salutis annunciabat, occiderint; Item quod legem opera angelorum ipsis diuinitus datam, non obseruarint. Quare, quod hic dicitur Iudæos semper Spiritui sancto resistere, rectissime accipitur de illa obstinatione mentis qua diuinis præceptis, per angelorum vel hominum sanctorum ministerium ad eos promulgatis, semper rebellarunt. Sic enim restiterunt Deo per seruos suos ipsis loquenti.

SVNT qui locum istum intelligant de Spiritu sancto per internas inspirationes loquenti in cordibus hominum, quando per præuenientem & excitantem suam gratiam, fidem vel pœnitentiam immittit in animos eorum: cui dicunt hominem posse resistere. Hi, si velint non posse accipi sententiam istam eo modo quo dictum est; non sunt audiendi, propter rationes allatas. Item quia verba Domini Matth. 23. his pene eadem, *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: Quoties volui congregare filios tuos, quasi gallina congregat pullos suos sub alas; & noluisti!* hæc, inquam, expositore B. Hieron. in commentario illius loci, sic accipiuntur vt velit Dominus omnes qui cousque ad Iudæos missi fuerant doctores salutis, à se missos fuisse. vt de externis auxilijs etiam ibi sermo sit. Verum est tamen quod internam Spiritus sancti inspirationem homo per libertatem arbitrij abijcere possit, & ei dissentire si velit; vt in Concilio Tridentino traditum est sess. 6. cap. doctrinæ 5. & can. 4. Sed non propterea dicendum est veram & efficacem Dei gratiam sine effectu suo esse posse, homine scilicet resistente ne effectum sortiatur. Nam ipsa gratia creata nulla substantia est quam homo possit intra se recipere si velit, illâ velut in aëre suspensa donec recipiatur; sed est ipsa passiua motio qua homo à Deo intus mouetur; quæ quatenus à Deo fit, eius gratia dicitur, vt authoris.

SICVT *patres vestri, ita & vos. Patres vestri,* hoc est, à quibus non solum genus ducitis, sed etiam malorum morum & obstinatæ rebellionis exempla. Explicat autem quod de patribus ipsorum dixerat, eos Spiritui sancto restitisse, dum subiungit;

VERS. 52. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?

PROPHETARVM nomine hîc & frequenter alibi, non illi soli intelliguntur qui per Dei reuelationem res futuras, ab hominum cognitione remotas, prænoscunt: sed etiam qui diuinæ voluntatis, & alioqui diuinorum mysteriorum, hominibus sunt interpretes & annunciatores. Dicit ergo B. Stephanus, veteres illos Israelitas persecutionem ac tribulationem fecisse plerisque omnibus Dei ministris, qui ab eo missi viam salutis ipsis annunciabant; diuina scilicet mandata, diuinaque interdicta.

IN hoc igitur Spiritui sancto, seu Deo ipsi, restiterunt, quod non solum reiecerunt eos quos ipse mittebat legis suæ præcones; sed etiam afflixerunt & multos eorum occiderunt; isto modo declarantes nolle se talia audire qualia illi Dei iussu ijs loquebantur.

QVO modo afflixerint Moysen, non semel; iam dictum fuit ad vers. 27. 35. 39.

QVO modo tribulauerint Samuelem legitur 1. Reg 8.

PERSECVTIONES a Iezabele Heliam & Helisæum est legere in 3. & 4. Reg. Prophetas Domini fuisse occisos agente impia Iezabele, per Israelitas tamen, est 3. Reg. 18. v. 4. cap. 19. vers. 10.

ZACHARIAS filius Ioiadæ 2. Paralip. 24. v. 20. & seqq. à rege Ioas ingrato & idololatra occisus narratur.

ISAIAS propheta occisus est ab impio rege Iuda Manasse.

IEREMIAS ab Israelitis suis lapidatus est in Ægypto.

EZECHIEL in Chaldæa à suis popularibus per lapides tractus est vsque ad cerebri excussionem.

MICHÆAS & Zacharias prophetæ, similiter à suis contribulibus Israelitis occisi sunt.

AMOS propheta iussu impij sacerdotis Amasiæ tempora clauo transfixus occubuit.

ET hi plerique omnes, ita sunt tractati eo quod niterentur populum reuocare ab idololatria.

QVÆ diximus sumpta sunt ex B. Hieron. lib. 15. Comment. in Isaiam extremis verbis totius libri. & ex Comment. in cap. 26. Matth. ad illud, Videntes autem discipuli indignati sunt. Ex Epiphanio in libello de vita & interitu prophetarum. Ex Dorotheo de vitis prophetarum.

EX quibus iam intelligimus verum esse quod S. Diaconus subiungit, *Et occiderunt* (patres vestri) *eos qui prænunciabant de aduentu Iusti*. Nam veteres illi prophetæ plerique vtrumque faciebant; nempe docebant Israelitas viam salutis & à sceleribus dehortabantur; ac prætetea prænunciabant Messiam Domini venturum in mundum, & quæ ille esset tum facturus tum pro generis humani redemptione passurus. Ita vt duplex esset eorum officium ad quod exequendum à Deo populo Israelitico mittebantur. Quare ad exaggerationem sceleris pertinet quod hos tales Dei ministros à Iudæorum maioribus B. Stephanus commemorat fuisse occisos. Quod tamen scelus Iudæi tunc præsentes superauerint, occidentes illum Iustum iustorum, Messiam Domini, cuius prænuncij & ministri fuerant prophetæ. Hoc enim dicit illis verbis, *Cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis. Proditores*] quia Pilato eum tradidistis; vt eius authoritate interficeretur; vos interim accusationes aduersus illum proferentes calumniæ plenas, quibus permoueretur Pilatus ad condemnandum. Nimis notum hoc est ex historia passionis Domini: sicut & hoc quod adiungit S Leuita; *& homicidæ*. Fuerant enim *homicidæ Christi Domini* primores & populus Iudæorum, non solum *eum* in suo concilio illo magno condemnantes morte, cum clamarent, *Reus est mortis*; sed etiam à Pilato eius condemnationem & crucifixionem extorquentes per violentam pene importunitatem & tumultum. Quibus de causis etiam Apostoli Iudæis improperabant quod Saluatorem mundi Christum Dominum interfecissent. Supra. c 2 v. 23. 36. c. 3. v. 14. cap. 4. vers. 10. cap. 5. v. 30. Si quæratur, an Iudæi non fuerint Deicidæ: est affirman-

affirmandum, eadem ratione qua mater ipsius Christi dicitur & est Deipara; & quà B. Paulus dicit Dominum gloriæ fuisse crucifixum in 1. Cor. 2. v. 8. Cur igitur S. Stephanus dicit *homicidas*, quasi nolit dicere Dei interfectores? Resp. S. Stephanus non hoc dicit, sed interpres noster: cum græce sit φονεῖς, *occisores, interfectores*. Addit B. Stephanus quod communiter ad præsentes illos Iudæos & ad patres eorum pertinebat,

VERS. 53. Qui accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis.

TEXTVS adiunctus commentario Vener. Bedæ habet, *In dispositionem*: & græce legitur εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, *seu ad dispositiones*. Quod videtur hunc sensum habere, Vos legem accepistis à Deo & moralem & ceremonialem, & Iudicialem, tamen ac tam instam atque rationabilem, vt eius obseruatione synagoga vestra itemque vestra respublica habitura fuisset dispositionem similem coordinationi & politiæ angelorum. Hæc expositio est Oecumenij, quæ haud dubie verbis B. Stephani bene quadrat. Sunt tamen qui illud εἰς interpretentur vt sit (*per*) aut (*secundum*), & tunc est sensus. Accepistis legem secundum dispositiones angelorum, id est, quemadmodum angeli, Dei præcones & vicarij, disposuerant & statuerant. Vel sic, Accepistis à Deo legem per dispositiones & ministeria angelorum. Quem sensum habent verba nostræ vulgatæ lectionis, *In dispositione*, hoc est, per dispositionem, locutione hebræis familiari. Omnes hi sensus veri sunt: itemque postremus consentit cum eo quod legitur apud Apostolum ad Gal. 3. v. 19 *Lex propter transgressiones posita est, ordinata per angelos in manu mediatoris*; id est, Moysis, qui *sequester* & *mediator* nominatur Deut. 5. v. 5. Consentit item cum eo quod apud eundem apostolum legitur Heb. 2. v. 2. *Qui per angelos dictus* (id est, prolatus, publicatus,) *est sermo, factus est firmus; & omnis prævaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem.*

QVIBVS locis quod pluraliter dicitur, legem dispositam, ordinatam, vel promulgatam per Angelos; exponendum est per id quod legitur Deut. 33. in princ *Dominus apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia.* Nempe vnus fuit angelus principalis, qui Dei personam repræsentabat, tam in legislatione quam in illa apparitione quæ fuit Moysi in rubo facta: cæteri magno numero angeli adfuerunt solummodo vt Dei ministri, non vt eius vicarij, scilicet vt assistentes principali; quem verisimile est fuisse Archangelum Michaelem, qui Danielis 10 in fine appellatur princeps populi Israelitici. Hoc est ex Notis G. Estij in cap. illud 33.

* ET *non custodistis.*] Non obseruastis: rebus ipsis & factis non præstitistis neque præstatis legem. Sicut & Dominus Saluator dicebat Iudæis, *Nonne Moyses dedit vobis legem; & nemo ex vobis facit legem?* Ioan 7 v 19. Per hæc autem verba, vt annotant Chrys. & Oecum. protomartyr Stephanus, iterum depellit à se calumniam, qua fuerat accusatus esse contrarius Moysi & legi; ostenditque non se, sed ipsos Iudæos Christi inimicos, esse & Deo, & Moysi & legi contrarios. Pergit B. Lucas,

VERS.

VERS. 54. Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis; & stridebant dentibus in eum.

DISSECABANTVR.] Idem verbum fuit supra cap. 5. vers. 33. Pro eo quod debebant salutaria monenti, & per charitatem corripienti, acquiescere; ita aduersus eum inflammabantur tam vehementi vt cor ipsis veluti diffinderetur ac dirumperetur; vtque eam comprimere ac tegere non possent, sed præ rabie furoris, dentibus aduersus eum striderent. Cur non è vestigio illum ibi occidebant? Respondet Chrysost. & post eum Oecumenius, quod volebant honesto prætextu eum interficere, expectantes scilicet adhuc aliquid quod possent tanquam blasphemum reprehendere: vt eo modo non solum vitam illi auferrent, sed & bonam famam, quasi blasphemo; simulque vt ipsi non viderentur suas (quas existimabant) iniurias vindicare, sed iniurias in Deum & legem eius factas; vt quidem ipsi appellabant.

AT S. Diaconus videns eos in tantam furoris rabiem abreptos vt etiam dentibus in eum striderent, atque ex his signis facile prospiciens quid sibi immineret: quid agit? quid dicit? aut quid solatij accipit à Deo? S. Lucas id narrat verbis seqq.

VERS. 55. Cum autem esset plenus Spiritu sancto; intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei.

CAP. 6. v. 5. dicebatur Stephanus *plenus fide & Spiritu sancto*; eiusdem cap. v. 8. *plenus gratia & fortitudine*: hîc iterum dicitur *plenus Spiritu sancto*, hoc est, Spiritus sancti varijs donis, in primis autem fide, spe ac fiducia, & ardentissima erga Deum pietate atque charitate; sed & sapientia, de qua dictum est huius capitis v. 10. Item Spiritu prophetiæ quo cognoscuntur per diuinam reuelationem quæ ab hominum cogitatione sunt remotissima. Cum igitur esset ita plenus Spiritu Sancto; *Intendens in cœlum*] vtique corporalibus oculis. Nam etsi in magno aliquo cœnaculo vel ampla quapiam aula essent congregati isti primores, quod suo tabulato vel saltem tecto esset opertum: dicitur tamen in cœlum intendisse, eo quod oculos sursum attolleret, cœlum versus, vt solent suppliciter orantes, vel meditantes, aut Deum adorantes.

VIDIT *gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei*. Variant expositores in exponendo quæ qualisue fuerit ista visio: an sensus exterioris, an imaginatiuæ virtutis, an vero facultatis intellectiuæ. Item, cuius rei fuerit, an diuinitatis an vero solius humanæ naturæ Christi Domini. Omissa autem prolixiore disputatione; ipsaque cohærentia verborum sacri textus bene considerata; & facta huius loci cum alijs scripturis, quæ indicabuntur, collatione: probabilissimum videtur quod sit sermo de visione corporali, quæ fiebat ipsis corporeis oculis quos in cœlum intendebat. Sed hîc statim oritur difficultas quomodo oculis

corporalibus potuerit *videre gloriam Dei*, etiam per miraculum: cum sensus corporales ne miraculose quidem possint cognoscere quippiam quod sit extra latitudinem proprij obiecti. Respondendum est, quod per istam *gloriam Dei* intelligatur aliqua corporalis claritas à Deo subito creata ac per eam cœli partem quò B. Stephanus oculos intendebat, diffusa. In originali enim scriptura pro isto (*gloriam*) est δόξαν, vocabulum quod varie à latinis Interpretibus, pro loci exigentia, redditur; nunc maiestas, nunc gloria; nunc claritas; siue intelligibilis, vt Ioan. 17. aliquoties; siue sensibilis claritas, vt Lucæ 2. v. 9. vbi de pastoribus dicitur, *Claritas Dei circumfulsit illos*; sine dubio visibilis; & tamen ibi quoque in græco codice est δόξα. Claritatem hîc esse intelligendam docet nos Ecclesia, dum in officio de B. Stephano ita canit; Cum igitur saxorum crepitantium turbine quateretur, inter æthereos aulæ cœlestis sinus *diuina ei claritas* fulsit.

NEQVE propterea est putandum errasse hoc loco nostrum interpretem, quasi debuerit dicere *claritatem Dei*, vbi dixit *gloriam*: nam & *gloria* pro *claritate* recte accipitur. Etenim *gloria* cum proprie sit de aliquo clara notitia cum laude: sæpe tamen ponitur pro huius notitiæ & laudis obiecto. Vnde beatitudo solet vocari *gloria*; & generaliter res quælibet in suo genere excellens, *gloria* dicitur; vt cum ait Dominus Matth. 6. *Dico vobis quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex lilijs agri.* & Gen. 45. vers. 13. ad fratres suos Ioseph: *Nunciate patri meo vniuersam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in Ægypto.* Atque hoc est quod B. Hieron. in epistolam ad Galat. ad illud cap. 5. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*, &c. ita dixit, Quantas habeat definitiones & significantias (*gloria*); & philosophorum innumerabiles libri, & Ciceronis duo volumina quæ de gloria scripsit, indicio sunt. & mox, Opinionem vulgi & laudem hominum fauore quæsitam, *gloriæ* nomen sonat. Ita Hieron. Hæc descriptio sensu est eadem cum illa quam paulo ante posuimus ex B. Thom. 1. sec. q. 2. a. 3. c. Cui persimilis est illa recitata à B. August. lib. 83. q. 31. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. quam ille sumpsit à Marco Tullio lib. 2. de Inuentione. Sed quod ad rem præsentem attinet, S. Hieron. loco citato, quibusdam interpositis, hæc addit; Significat & aliud in scripturis diuinis (*gloria*); cum augustius aliquid & diuinum, *hominum se prabet obtutibus.* Et inter multa scripturarum exempla quæ illic recenset Hieron. ad id probandum, ponit & hoc quod nunc habemus in manibus; dicens. *Vidit & Stephanus gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris eius.* Ex quibus Hieron. verbis, confirmatur quod de corporali visione diximus, & simul defenditur Interpres latinus noster, qui pro claritate hoc loco dixit *gloriam*. Si obijciatur videri impossibile quod corpus Christi Domini gloriosum fuerit corporalibus oculis conspectum B. Stephano, per tantum interuallum; nec non per opaca corpora illa quibus tegebatur magnum illud atrium in quo erat iste consessus primatum Iudæorum: Respondendum est fuisse miraculum quod per opaca illa corpora Christus homo sese videndum præbuit B. Stephano, sicut potest Deus species visibiles alicuius corporis transmittere per solidum murum, vt per illum homo videat. Et quod ad longitudinem interualli attinet, respondet Liranus, quia corpus Christi gloriosum

gloriosum est, animam eius habere in illud plenam potestatem: atque ita posse corpus Domini immutare visum ex longinquo non minus quam ex propinquo. Sicut Christus iam immortalis habet potestatem vt præbeat corpus suum videndum vel in propria effigie vel in aliena; cuius exemplum est Lucæ 24. de illis duobus euntibus in Emmaüs. Et profecto nos intuemur stellas, tanto interuallo quantum est hinc vsque ad octauam sphæram. Si dicas id fieri propter earum magnitudinem: nos ex aduerso respondere possumus, corpus Christi esse lucidius sole; ita fieri vt immensitate splendoris compenset quod deest magnitudini, vt potuerit à B. Stephano videri è tam longinquo.

ET vt hæc dici non possent: semper illud manet, Deum miraculo tanto dignatum fuisse suum protomartyrem. Atque ex his aliquousque notum relinquitur hoc quod attexitur à S. Luca, dum ait,

VIDIT *gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei.* Nempe vidit B. Stephanus Christum hominem, vidit corpus eius gloriosum. Sed quid vult illud, *stantem?* quid item illud, *à dextris Dei?* Christus etiam vt homo, dicitur esse à dextris Dei Patris, per tropum; quia propriè loquendo Deus pater nec dexteram nec sinistram habet, vtpote planè incorporeus: sed à dextris Patris esse dicitur, quoniam in potioribus Dei Patris bonis est collocatus; vt expositores solent exponere illud Marci vlt. & B. Thom. 3. p. q. 58. art. 3. c. *Assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Quod idem Apostoli dicunt in suo symbolo. Quod vero quum illic Christus sedere dicatur, hîc conspectus dicitur B. Protomartyri *stans:* plerique veteres ideo sic visum tradunt, vt sese Christus declararet sui martyris protectorem, auxiliatorem, paratum item excipere & coronare. Neque vero quod tunc B. Stephanus vidit, ipse tacuit, sed narrante S. Luca,

ET *ait, Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Et ait*] volens nimirum apud eos amplius profiteri fidem de Iesu Nazareno quod ipse sit Messias Domini, quod resurrexisset, quod esset in cœlo, & iuxta vaticinium Dauidis, esset à dextris Dei, Psal. 109. Hoc vero fecit S. Diaconus eo quod iudicaret honori Dei, & saluti aliquorum saltem ex ipsis id esse opportunum. Annotat hoc breuiter Chrysost.

ECCE *video cælos apertos.*] Matth. 3. & Lucæ 3. quum describitur baptismus Christi, dicuntur cœli ei fuisse aperti: & tamen S. Hieron. in cap. illud 3. Matth. negat cœlos verè fuisse reseratos, significans hoc ita dici eo quod ex alto descenderit in Christum Spiritus sanctus specie columbæ. Eodem modo rectè accipitur istud quod S. Stephanus hîc dicit, ideo sic dictum quod claritatem insolitam (quæ verbis præcedentibus nominatur *gloria Dei*) videret promicantem ex cœlis, perinde ac si hiatus quispiam in illis fuisset factus per quem ea claritas transluceret.

ET *filium hominis stantem à dextris Dei.*] *Filium hominis,* Id est, Iesum Nazarenum Mariæ filium, verum hominem, sed quem vos nil aliud quam hominem esse falso existimatis; quem vos velut plebeium quempiam ignobilem, Imo velut blasphemum & seditiosum crucifixistis: hunc ipsum video immortali corpore fulgentem, & in potissimis Dei Patris bonis collocatum, adeoque qui est vnigenitus Dei Patris filius, illi consubstantialis, eundem quatenus homo est,

mo est, Deo Patri inter omnes res creatas proximum ego video. Ex qua huius sententiæ explicatione, facile apparet cur Christum B. Stephanus hoc loco potius *filium hominis* quam filium Dei nominare debuerit, sicut annotauit etiam V. Beda, qui id sumpsit ex B. Maximo Taurinensi serm. de S. Stephano.

VERS. 56. Exclamantes autem voce magna)

QVo clamore execrabantur eam quam censebant blasphemiam: quum non blasphemia esset, sed veræ fidei confessio. Sed nihil mirum est quod ministrum Christi B Stephanum iudicant hoc nomine esse blasphemum; qui ipsum Dominum Saluatorem, qui adiuratus à Principe sacerdotum vt diceret num ipse sit filius Dei benedicti, sese esse responderat, omnes quotquot in synedrio considebant, clamauerant blasphemasse, eoque titulo pronunciauerant reum esse mortis. Matth. 26. & apud Marcum c. 14. Lucæ 22.

CONTINVERVNT *aures suas.*] Hoc ipso gestu ac ritu significantes esse blasphemiam, quam horrerent audire. Reuera autem isto agendi modo, præter intentionem suam, significabant se esse incircuncisos cordibus & auribus, vt paulo ante dixerat sanctus Diaconus. Significabant sese subiectos esse illi maledictioni quam pronunciauerat Dominus per Isaiam cap. 6. quam ex illo repetiuit Ioannes euangelista cap. 12. est autem hæc terribilis maledictio; *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.*

ET *impetum fecerunt vnanimiter in eum.*] Qui? multi ex illo ipso concilio, deinde ex populo complures infideles Iudæi, consentientes ipsis primoribus aduersus Christi Domini ecclesiam nouellam, & contra ministros eius. Nec enim dubitandum est quum magnum illud synedrion conuenisset ad examinandum causam Stephani Diaconi: plurimam turbam Iudæorum foris expectasse, vt scirent quid de eo esset iudicatum. Ergo vno animo in eum irruerunt, eumque correptum extruserunt extra ciuitatem, ibi lapidaturi. quod sequitur.

VERS. 57. Et eijcientes eum extra ciuitatem.)

PER portam aquilonarem, quæ ducebat ad Cedar, inquit S. Lucianus presbyter ex reuelatione sancti Gamalielis.

LAPIDABANT] tanquam blasphemum scilicet. Nam ei pœna blasphemis erat constituta, Leuit. 24. v. 14. & seqq. Vnde & Christum Dominum Iudæi aliquoties lapidare voluerunt, quod blasphemasse dicerent; Ioan. 8. v. 59. c. 10. v. 31. 32. 33. tametsi postea à Pilato extorserint vt, genere mortis ignominiosiore, crucifigeretur; tanquam seditiosus & regni affectator; quod Pilatus in titulo crucis expressit.

ET *testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus.*

IN lege, Deuter. 17. v. 7. præceptum erat vt quum quis lapidandus esset, primi qui lapides iacerent, forent testes ipsi qui in iudicio contra eum auditi fuissent. Itaque falsi illi testes de quibus supra dictum est v. 11. & 13. nunc primi

primi sunt qui lapident B. Stephanum quod vt expeditius facerent, superiores vestes suas exuentes, eas seruandas tradiderunt Saulo, qui aderat spectator cædis.

SECVS *pedes adolescentis* &c. Difficultas est quomodo Saulus hic vocetur *adolescens*: quum cap. 9. huius v. 13. vocetur *Vir*, in historia quæ breui tempore accidit post ea quæ hic narrantur. Accedit quod in epistola ad Philemonem v. 9. ipse Paulus se se appellat senem: quæ tamen epistola scripta est circiter annum Christi 59. aut 60 anno nimirum secundo prioris captiuitatis Pauli apostoli, vnà cum ea quæ ad Coloss. vt demonstrat Baronius Tomo 1. anno Christi 60 § 9. & 40. Interfectio autem B. Stephani fuit anno Christi 34. vt idem eo Christi anno ostendit §. 200. & seqq. à quo tempore vsque ad tempus scriptionis illius epistolæ ad Philemonem, sunt anni dumtaxat 26. Non potuit igitur Paulus nunc esse adolescens, qui ab hoc tempore anno vigesimo sexto iam erat senex. Hæc difficultas bifariam tolli potest: Priore modo, hic nomen *adolescentis* ab Interprete poni improprie pro nomine *Iuuenis*, nec tamen est magna aut valde insitata improprietas; quum teste Cœlio Rhodiginio lib. 10. cap. 21. antiq. lect. Varro adolescentiam producat ab anno 20. vsque ad 30. Imo Pythagoras vsque ad quadragesimum. S. August. quoque de ciuit. 22. c. 15. ait, Etiam doctissimi huius sæculi homines iuuenturem esse definierunt circa 30. annos. Paulus certe hoc tempore erat annorum dumtaxat 33. aut circiter. Nam interfectus à Nerone anno Christi 69. ipse agebat annum ætatis 68. vt bonus author Chrysost. tradit in oratione de principibus apostolorum. Hæc responsio obiectioni sufficit; eoque magis nobis probatur, quod non solum B. Lucam sacrum scriptorem, sed & Interpretem nostrum latinum defendat. Altera responsio est vocem græcam qua hic vtitur B. Lucas, *νεανίας*, non semper significare ætatem, sed interdum qualitatem seu mores quales in iuuenibus esse solent. Νεανίας pro audace et am, & strenui spiritus homine, acrique, dicunt græci scriptores; ait Budæus in Comment. linguæ græcæ; & probat exemplo aliquo ex Demosthene. Obseruauerat hoc Baronius ad annum Christi 36. §. 5. Verum prior responsio, vt obiectioni sufficit, ita ob rationem allatam magis videtur probanda: tametsi quod Baronius notat, non videtur alienum à mente B Lucæ, si quis conferat vltima verba huius cap. & principia 8. & 9. capitum.

QVI *vocabatur Saulus*. Primus rex Israelitarum, persecutor Dauidis innocentis, vocabatur Saul, hebraicè Schaül: quod apud 70. & alios veteris testamenti Interpretes græcos, dicitur Σαοὺλ. At huius aduersarij nomen in hoc libro (nec enim alibi in nouo testamento) reperitur nunc Σαῦλος, nunc Σαοὺλ, in græco codice vt obseruare licet volenti. Nam illo quidem modo nominatur hic, & extremis verbis huius cap. Item c. 8. v. 3. c. 9. v. 1. 8. 11. 22. 24. 26 cap. 11. v. 25. 30. c. 12. v. 25. cap. 13. v. 1. 2. 7. 9. Hoc autem posteriore modo, scribitur huius libri cap. 9. v. 4. 17. cap. 22. v. 7. 13. c. 26. v. 14. Quæ obseruatio eo valebit vt sciamus quod hic persecutor Ecclesiæ habuerit in hebræa lingua idem nomen quod ille rex primus Israelitarum persecutor innocentis Dauidis, & innocentium sacerdotum Nobes interfector.

VERS. 58. Et lapidabant Stephanum, inuocantem & dicentem; Domine Iesu, suscipe spiritum meum.

LAPIDABANT] Horribile erat supplicium lapidationis: & credibile est istos odio acerbissimo quo ferebantur in S. Stephanum, protraxisse supplicium, cauendo scilicet ne cito moreretur, sed eas corporis partes lapidibus feriendo quæ acrem doloris sensum acciperent citra velocem mortem.

QVOD expresse *Dominum Iesum* inuocat S. protomartyr; id facit ad profitendum etiam nunc in ipsa morte, quam prius fuerat confessus, fidem de Iesu Nazareno quod ipse sit vnigenitus Dei filius, verus Deus & verus ille à Deo promissus Messias. Profitetur autem hanc fidem coram suis persecutoribus, Christi aduersarijs, etiam in ipso mortis articulo: præbens nobis exemplum constantis fidei professionis edendæ coram fidei hostibus quando Dei honor id exigit aut proximorum salus; vt hîc. Simul exemplum nobis præbet sollicitudinis qua vnusquisque, quantumcunque sanctè sibi vixisse videatur, debet, cum moriendum est, curare vt ad perseuerantiam in bono perueniat, eamque à Domino ardenter postulare. Porro hæc B. Stephani ad Christum oratio, præterquam quod eos refellit qui solum Patrem docuerunt inuocandum; ac præterquam quod filij diuinitatem profitetur: etiam hoc significat, animas piorum eas quibus nihil adhæret purgandum, statim à morte recipi in cœlum, frui Dei conspectu, ac ita esse beatas: contra quam sectarij horum temporum fabulantur.

APPARET autem B. Stephanum sæpius iterasse hanc Christi inuocationem, toto pene tempore quo lapidabatur; si quis hæc B. Lucæ verba attentius consideret: idque humi iacentem, prostratum videlicet vulnerum & contusionum doloribus; quamuis à principio in genua (vix dubium) procubuisset. Et nihilominus quum iam esset morti proximus, veletque à Deo veniam petere suis interfectoribus: iterum sese in genua erexit, tum exempli seu ædificationis gratia, tum vt obnixior esset Deoque gratior sua petitio. Quo etiam pertinebat quod exerta voce hanc faciebat petitionem. Hæc dicit S. Lucas verbis seqq.

VERS. 59. Positis autem genibus clamauit voce magna dicens; Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

DOMINE] Vix dubium quin ad Christum Dominum loquatur B. Stephanus, quem continuo expressè & distinctè inuocauerat dicens, *Domine Iesu, suscipe Spiritum meum.* vt ex hoc etiam loco diuinitas Christi manifestè probetur, quemadmodum intellexit & S. Ambrosius lib. 3 de fide ad Gratianum Imper cap. vlt.

NE *statuas illis hoc peccatum.* q. d. ne illorum detrimento hoc peccatum ante oculos tuos constituas. hoc est, Ne exigas ab ijs pœnam quam ob hoc peccatum merentur. Condona illis pœnam huius sceleris. Sed quia Deus non condonat

donat pœnam peccatis debitam, nisi pœnitentibus, quibus abstergit maculas peccatis contractas, simul condonans pœnas ijs debitas: idcirco his verbis S. Stephanus suis inimicis à Deo petit non solum remissionem huius homicidij, sed & veram super eo peccato pœnitentiam. Et quod petiit, impetrauit; si non omnibus illis, saltem quibusdam; & inter cæteros Saulo; cuius admirabili modo à Deo facta conuersio cap. proximo narratur. Et hinc est quod conuersionem Sauli huic B. Stephani orationi, vt quæ illam impetrarit, non semel asscribat B. August. velut serm. 94. de diuersis, editorum à Louaniensibus, cap. 4. *Adhuc Saulus grassabatur, & iam pro illo Stephanus exaudiebatur.* Et inter sermones de sanctis serm. 1. *Si sanctus Stephanus sic non orasset; Ecclesia Paulum non haberet.* Et mox. *Sic exauditus est sanctus Stephanus, vt eius orationibus deleretur* peccatum quod commiserat Saulus.

Ex his autem sancti protomartyris verbis quibus tam ardenter orat pro suis non solum inimicis, sed & interfectoribus; manifestum est quod ea quæ superius dixit v. 51 & seqq. non per turbulentam iram dixerit, sed per zelum honoris Dei, & salutis ipsorum quos Christo aduersantes corripiebat. Monuerunt hoc diuersi veteres tum in homilijs de sancto Stephano, tum in huius capitis expositione: inter quos V. Beda ad hunc locum ita loquitur; Mira beati martyris virtus, qui sic zelo feruebat vt ijs à quibus tenebatur, palam suæ perfidiæ culpas exprobaret, sic dilectione ardebat, vt in morte quoque, pro ijs à quibus occidebatur, oraret. Hæc ille. Nempe, vtrâque in re sanctus protomartyr Christum Dominum est imitatus: qui prò suis interfectoribus, pédens in cruce Patrem rogauit vt tantum scelus ijs condonaret; & tamen sæpissimè eorum hypocrisin & alia vitia redargueret præsentium & coram astantium.

Et *cum hoc dixisset, obdormiuit.* Simul cum oratione pro inimicis, finiens istam mortalem vitam: Qui (Arator in hac parte historiæ) per tot lapides Petræ coniungitur vni; Christo Domino scilicet, in æterna beatitudine. Quod euangelistæ scribunt Dominum in cruce pendentem, expirasse cum valido clamore; idem hîc de B. Stephano narratur; qui cum antea fecisset prodigia & signa magna in populo, vt dictum est, c. 6. v. 8. etiam moriens hoc prodigium fecit. Nam sic clamantem expirare prodigium magnum esse, Marcus euangelista significat, c. 15. v. 39.

Hoc etiam addendum est, quod quamuis ob iustitiam multi occubuerint ante B. Stephanum, vt Ioannes Baptista, vt Machabæi, vt prophetæ multi, de quibus v. 52. huius cap. tamen ipse est *primus qui* interfectus sit *hac de causa* quod profiteretur Iesum Nazarenum esse Messiam Dei patris, seu esse vnicum illum qui expectabatur Saluatorem mundi. Hinc protomartyr dicitur; Christi scilicet.

Savlvs *autem erat consentiens neci eius.* Hoc attexit B. Lucas tanquam ansam ex qua pendeat narratio sequentis capitis in princ. & narratio cap. 9. simul ne quis putaret displicuisse Saulo interfectionem B. Stephani eo quòd suis manibus eum non lapidauit, sed duntaxat vestimenta seruauit lapidantium. Non enim detestatione lapidationis abstinuit à lapidando, sed quod personã suam putaret dedecere si sua manu lapides in eum torqueret. Et hoc totũ

ideo

ideo commemoratur isto loco & seqq. capitibus, vt magis eluceat vis diuinæ potentiæ & benignitatis quæ ex immani eorum Christi & nouellæ ipsius Ecclesiæ hoste, ex lupo fecit agnum, Imo vigilantissimum & excellentissimum pastorem. Quare nemo debet mirari quod S. Lucas de Paulo Apostolo, cui indiuiduus comes peregrinationum fuit, talia hic scribat: ad maiorem enim Dei gloriam, id fecisse sacrum historiæ scriptorem, iam liquet; Paulo ipso ita volente, qui de se solet talia ipse vltro commemorare, in detestationem facinorum suorum, & ad diuinæ misericordiæ encomium. 1. Cor. 15. v. 9. 1. Timot. 1. v. 13. & seqq.

VNVM hic quærendum restat: Quomodo vel ausi vel permissi fuerint Iudæi exercere aliquot iudicia capitalia, cum Romani ijs dominarentur, omnemque istiusmodi iurisdictionem ad sese traxissent: Vnde primores Iudæorum dicebant Pilato, *Nobis non licet interficere quemquam.* Ioannis 18 v. 31 Responsio. Tamen ijdem primores eidem Pilato cap. 19. Ioannis v. 7. dixerunt, *Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori; quia filium Dei se fecit.* Et quando bis terue Iudæi tentauerunt Christum Dominum lapidare, vt ex cap. 8. & 10. Ioannis supra ad v. 57. diximus, vtique id reipsa fecissent, nisi ipse impediuisset: Quare ex horum locorum collatione, dicendum apparet, quod & Chrysost. hom. 82. & 83. in Ioannem diuersis locis obscure visus est innuere; Romanos non omnia iudicia capitalia Iudæis ademisse, sed ea dumtaxat quæ exercerentur ob crimina legibus Romanorum prohibita. Qua de causa Iudæi calumniati sunt, Christum in Cæsarem & Romanos deliquisse, vt videlicet crucifigeretur à Romanis; sicut & factum est. Quæ autem crimina contra legem Iudæorum essent perpetrata, digna morte; ea Iudæi pœna mortis poterant plectere, Romanis concedentibus. Inter hæc erat blasphemia, quam B. Stephano obijcientes, & falsis testibus adhibitis eum condemnantes, lapidauerunt. Certe, illa quoque persecutio quæ narratur initio sequentis capitis, non per Romanos neque Romanis authoribus fuit excitata in christianos Ierosolymitanos; sed per Principes sacerdotum & primores populi Iudaici. Quod autem durante ea persecutione complures christiani ab ijs fuerint interfecti, discimus ex ipsius Pauli apostoli narratione infra c. 26. v. 10.

ARGVMENTVM

CAPITIS VIII.

STEPHANVS honorifice sepelitur; persecutio ingens dispergit christianos qui erant Ierosolymis: ex quibus Philippus Diaconus conuertit & baptizat Samaritanos, quos deinde Petrus & Ioannes Apostoli confirmant. Simon magus ab eodem Philippo baptizatus ab his Apostolis seuere corripitur ob simoniacam nominis sui prauitatem. Idem Philippus ad fidem Christi conuertit & baptizat Eunuchum æthiopem magnum inter suos dynastam.

VERS.

VERS. I. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Ierosolymis.

FACTA *est*] vtique à principibus Sacerdotum, à scribis, & senioribus populi Iudaici degentibus Ierosolymis. Facta est nimirum ista persecutio per continuationem furoris quo iam occiderant B. Stephanum. *In illa die*] Id est, tempore illo, sed facto initio à cæde B. Stephani. Nam quod per multum tempus ea persequutio durauit, liquet ex v. 3. huius capitis, & ex ipsius Sauli confessione propria, infra cap. 26. v. 9. 10. 11.

Persecutio magna] Hoc est, & atrox, & late extensa; quoniam contra ipsam nouellam Christi Ecclesia vniuersam, quæ erat Ierosolymis. *In ecclesiam*] est græcè, & credibile est ita scripsisse Interpretem. Imo & in corpus B. Stephani iam mortuum facta est persequutio: nam in loco vbi occisus fuerat, iacuit die & nocte proiectus vt non daretur sepulturæ, secundum mandatum impiorum principum; vt à feris consumeretur corpus eius. Ex Domini autem voluntate non tetigit eum neque fera, neque auis, neque canis. Verba sunt Gamalielis in visione ad S. Lucianum presbyterum dicta, referente eodem Luciano in sua de Inuentione B. Stephani epistola, quæ extat Tomo 10. operum B. Augustini. Accidit ea inuentio anno Christi 415. Innocentio I. Papa, Honorio autem & Theodosio iuniore Imperatoribus.

ET *omnes dispersi sunt*] *Omnes*, inquit B. Lucas; quia pauci fuerunt Ierosolymis christiani præter Apostolos qui illic auderent remanere; tam rabida & generalis fuit ista Iudaica persecutio. Solemus autem, in quotidiano etiam sermone, loqui vniuersaliter quando rara est exceptio.

DISPERSI *sunt*] Vox græca propriè significat *disseminati sunt*, Quo verbo tacitè innuitur mirabile Dei consilium & beneficium, qui *hanc tribulationis occasionem fecerit euangelij seminarium*; vt loquitur S. Hierony, in cap. 10. Matthæi, ad illa verba Domini, *Cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam*. Ita benignitas & potentia Domini etiam mala vertit in spiritualem vtilitatem Ecclesiæ. Nam quod per hanc disturbationem fidelium qui erant Ierosolymis, sit fides Christi longe lateque disseminata, liquet ex vers. 4. huius cap. & seqq. Item ex cap. 11. vers. 19. & seqq. Quo autem sunt tunc temporis *disseminati*? sequitur,

PER *regiones Iudææ & Samariæ*] Iudæa intelligitur ea pars terræ sanctæ quam olim tenuerant tribus Iuda & Beniamin: *Samaria* autem, ea quam decem reliquæ tribus; quarum metropolis regia fuit Samaria post scissum regnum Israeliticum, saltem post tempora Amri regis. 3. Reg. 16. Isaiæ 7. v. 9. Iuxta hanc acceptionem, Galilæa erat pars Samaritanæ prouinciæ: interdum tamen condiuiditur Samariæ, reliquæ videlicet. Infra cap. 9. v. 31. Neque vero substiterunt omnes hi intra Iudæam & Samariam; sed multi eorum longe vlterius sunt progressi, annunciantes fidem de Iesu quod ipse sit Christus. Infra dicto cap. 11. v. 19. & seqq.

PRAETER *Apostolos*] Non est ascribendum beneuolentiæ Iudæorum persecutorum, quod Apostoli mansetint intacti Ierosolymis; sed diuinæ protectioni diuinæque sapientiæ, qua vtraque factum est vt persecutores vel non possent scire vbi laterent, vel si de quibusdam scirent, tamen non reperirent modum illos occidendi citra periculum magnæ seditionis popularis.

EXPEDIEBAT autem ipsos Apostolos manere Ierosolymis, tum ad solatium eorum fidelium qui ad huc delitescebant in ciuitate cæteris fugientibus, simul & eorum qui (vt credibile est) ex ista dispersione paulo post clanculum redierunt Ierosolymam; tum vero ad exemplum constantiæ, item fiduciæ erga Deum, reliquis christianis præbendum. Innuit hoc Chrysost. iterata expositione. Imo & ad demonstrandum episcopis & Pastoribus, non esse ipsis tempore persequutionis fugiendum, si ex eorum absentia grex Christi detrimentum salutis foret accepturus.

PRAETER has causas etiam alia non improbabiliter addi potest, videlicet peculiare præceptum Domini Saluatoris, quo Apostolis iussum erat ne ciuitatem Ierusalem relinquerent ante duodecim à sua ascensione annos. Hoc apostolis ab eo fuisse præceptum, Apollonius scriptor ecclesiasticus vetustissimus sese traditione accepisse asserit, apud Eusebium historiæ lib. 5. c. 17. in fine. Qua de re quicquid sit (non enim satis constat quoto Christi anno facta sit apostolorum diuisio, vt declarat Baronius anno Christi 44. §. 13. & seqq.) illud certe constat Apostolos fuisse adhuc Ierosolymæ aliquot annos postquam acciderunt ea quæ hîc narrantur: tametsi non tam longo tempore quam putet Baronius. Non est tamen putandum Apostolos omnes illic fixè mansisse vsque dum fieret eorum diuisio: contrarium enim tum ex seqq. huius lib. tum ex cap. 2. ad Gal. tum aliunde facile docetur: sed redibant tamen Ierosolymam, vsque dum fieret diuisio. Confer Baronium anno Christi 39. §. 8, 9 & seqq. & 44. § 13 Confer quæ notantur infra ad cap. 9. v. 27. & ad cap. 12. v. 17.

Interponit S. Lucas sententiam vnam de exequijs B. Stephani, Dicens;

VERS. 2. Curauerunt autem Stephanum viri timorati; & fecerunt planctum magnum super eum.

VIRI *timorati*] est apud S. Lucam hoc loco idem nomen quod ipse cap. 2. euangelij tribuit Simeoni illi sancto qui Christum Dominum in templo oblatum, vlnis suis excepit. *Timoratum*, etiam illic, reddit Interpres noster; q.d. pro timore diuinæ maiestatis affectû, hoc est, veræ sinceræque erga Deum religionis plenum. Quos igitur S. Lucas viros timoratos hîc commemorat, eos vult dicere fuisse verè ac fideliter christianos ex ijs qui degebant Ierosolymæ; qui timorem Iudaicarum minarum maiore diuinæ maiestatis timore superauerunt Hi *Stephanum* iam defunctum *curauerunt*] id est, iunctis operis (nam compositio verbi græci tale quid innuit) pararunt quæ ad honorificam sepulturam ipsius facerent; ipsumque deinde solemniter & religiosè condiderunt in monumento. Fuit inter istos viros timoratos, vel primo fere loco Gamaliel

maliel ille, de quo dictum fuit cap. 5. cuius & paulo superius ad v. 1. fecimus mentionē. Is curauit vt nocte christiani auferrent corpus eius, & in villam suam portarent, ibique in monumento suo nouo sepelirent; omnesque ad honorificam sepulturam impensas præbuit. Hæc S. Lucianus presbyter, tanquam sibi per visionem dicta à Gamaliele, recitat in ea epistola quam ad v. 1. commemorauimus. Ex qua epistola & illud constat hunc S. Lucianum fuisse presbyterum (id est, parochum) eius parochiæ in qua erat ista Gamalielis villa, & consequenter sepulchrum S. Stephani; eamque parochiam abfuisse à Ierusalem viginti milibus passuum. De authoritate illius epistolæ, sufficiunt quæ Louanienses Theologi in sua ad eam Censura, dixerunt semel iterumque. 1564. 1577.

Et fecerunt planctum magnum super eum. Hic *planctus* comprehendit luctum quē habuerunt de cæde tam sancti tamque innocentis viri, & in ipsos tam benefici per prodigia & signa quæ solitus erat facere in populo, vt dictum fuit cap. 6. v. 8. Hoc Chrys. & Oecum. Sed præterea nomine *planctus istius* comprehenditur tota celebritas & solemnitas funeris seu exequiarum: & sic exponit B. Hierony. epistola 25. non quod orarent pro B. Stephano, vt pro fidelibus defunctis fideles rogāt Deum veniam delictorum; sed quod illius qui tam sancte vixerat, tam sancte obierat, & quem cum Christo beatum esse non dubitabant, memoriam religiosè celebrarent, Deo gratias agentes pro victoria protomartyris, Dei admiranda in illo opera collaudantes. Sic enim, & hoc fine anniuersaria etiam solemnitate, solet Ecclesia catholica celebrare transitum sanctorum.

Qvod dicitur *planctum magnum*; magnitudo hæc partim in diuturnitate, partim in frequentia seu multitudine has exequias celebrantium, est intelligenda: (quod expressit B. Hier. loco citato): partim etiam in acerbitate doloris, ob amissum tantum virum. Quod ad diuturnitatem attinet; Gamaliel Luciano presbytero reuelauit hunc planctum fuisse septuaginta dierum; sicut in illa Luciani epistola legitur. Certe de Iacob patriarcha dicit Scriptura quod fleuerint illum Ægyptij septuaginta diebus. Genes. 50. in princ. His de funere B. Stephani interpositis, redit S. Lucas ad historiam istius persecutionis Iudaicæ, & dispersionis fidelium Ierosolymitanorum.

Vers. 3. Saulus autem deuastabat Ecclesiam.

Persecvtionis illius quæ tunc excitata est Ierosolymæ, Paulus videtur quidam coryphæus; & quamuis non esset ex tribu Leuitica (cuius præcipuè erat habere curam religionis) sed ex tribu Beniamin, tamen præpostero (quia non secundum scientiam, vt ipsemet de Iudaizantibus dicit, Rom 10. in princip.) zelo Dei & legis Mosaicæ accensus, omnibus modis dabat operam vt extingueret fidem de Iesu Nazareno quod ipse sit Christus; quodque nemo sit iustus coram Deo nisi per meritum eius: ac ea de causa christianos corporalibus etiam calamitatibus afficiebat, Ierosolymæ primum, deinde & extra Iudæam, vbicunque poterat; vt liquet ex initio cap. 9. Vt autem hæc faceret authoritate publica; vel ipsi principes sacerdotum hoc officium inue-

ſtigandi & capiendi chriſtianos vltro ei contulerant, tanquam homini nobili, erudito in lege, & per zelum ſuum ad eam rem valde animato, valde vigilanti & feroci; vel (quod ex initio cap. *9.* & ex cap. *26.* v. 10 poſſumus argumentari) ipſe ab ijs hanc prouinciam ambiuerat. Quantus fuerit ea in re ipſius feruor & furor; partim hic dicitur à S. Luca, partim initio cap. *9.* partim vero ipſemet Paulus poſtea dolenter agnouit & faſſus eſt. Infra huius lib. cap. 22, v. 4. & ſeqq. c. *26.* v. *9.* & ſeqq 1. Cor. 15. v. *9.* Gal. 1. v. 13. 14.

DEVASTABAT *Eccleſiam.*] Non fuit tamen nouella Chriſti eccleſia deuaſtata, ne Ieroſolymis quidem; ſed his verbis exprimitur ſtudium & conatus Sauli. Quo modo ipſe dicit de ſe ad Gal. 1. v. 13. quod *expugnabat Eccleſiam Dei:* quæ tamen nunquam fuit expugnata. Quantus fuerit conatus ipſius ad Chriſti eccleſiam extinguendam, diſcere eſt ex verbis proxime citatis; tum & ex his quæ hic dicuntur, ſcilicet, *Per domos intrans,* Publica enim procerum Iudaicorum authoritate munitus, faciebat inquiſitionem in chriſtianos, & audacter in ſingulas domos intrabat vbi ſciebat vel ſuſpicabatur eſſe aliquos qui Ieſum crederent Chriſtum. Quorum ſi aliquos reperiebat; per ſuos ſatellites violenter è domibus extrahebat, non viros ſolum ſed & mulieres, & vinculis alligatos tradebat carcerum præfectis, aſſeruandos; & vlterius cauſas eorum proſequebatur, vt morte plecterentur. Hoc eſt illud quod hîc dicitur, *Et trahens viros ac mulieres, tradebat in cuſtodiam.* Id quod ipſemet pluribus verbis explicat coram Rege Agrippa; Infra cap. *26.* v. *9.* & ſeqq. Quod de mulieribus hîc dicitur, repetitur infra c. *9.* v. 2. Attexitur autem ab hiſtorico ſacro ad furorem Sauli declarandum, qui in mulieres quoque chriſtianas ſæuierit: quum interim milites paterentur mulieres adſtare cruci Chriſti.

NVNC, quem fructum diuina prouidentia ex hac fidelium Ieroſolymitanorum diſperſione, elicuerit; S. Lucas toto reliquo capite iſto exponit. Dicit enim,

VERS. *4.* Igitur qui diſperſi erant, pertranſibant, euangelizantes verbum.

NONNVLLI codices latini addunt *Dei;* ſic, *Verbum Dei:* ſed vetuſtiores & meliores omittunt; ſicut abeſt à græcis libris. Nec intelligitur generaliter verbum Dei, vt iſta particula ſubaudiri debeat: ſed deſignatè, certe potiſſimum, intelligitur *Verbum* ſeu prædicatio *de Ieſu;* hoc eſt fides ac religio chriſtiana, nempe quod Ieſus Nazarenus ſit vnicus ille Meſſias Domini, Saluator mundi; cui proinde ſit credendum & obediendum. Doceri hoc poteſt ex v. proxime ſeq. & ex cap. 11. v. 19.

PERTRANSIBANT] hoc eſt, peragrabant alia atque alia loca; plerique non diu vno loco hærebant. Nec ocioſe tamen ſe gerebant illic quo deueniebant, ſed *euangelizabant verbum.* Id eſt, lætum illum ſalutis nuncium apportabant, quod Saluator tot ſæculis expectatus, iam veniſſet; quodque ipſe ſit Ieſus Nazarenus, qui nuper per omnes illas regiones tanta & tam varia miracula ediderat

derat ad demonstrandum sese esse Saluatorem à Deo missum. Est autem putandum quod non euangelizabant tunc temporis nisi Iudæis seu Israelitis, ad quos deueniebant; nondum gentilibus: Nam id vt existimemus, facit quod de horum nonnullis ita legamus, Infra cap. 11. sæpe dicto v. 19. Neque putandum est omnes istos dispersos *publice* annunciasse fidem Christi, sed quosdam dumtaxat, quibus id congruebat; veluti Diaconos: de quorum vno, Philippo, proxime texetur narratio: Laicos autem dispersos seu viros seu mulieres non id publicè fecisse, concionis modo; sed priuatim apud eos Israelitas ad quos diuertissent. Ita enim legitimus in ecclesia ordo & graduum distinctio requirit. Nec obstat verbum *euangelizandi*, quo hîc vtitur B. Lucas; quasi is demum euangelizet qui pro concione ad multitudinem loquitur de Christo: contrarium enim doceri potest ex huius cap. v. 35.

VERS. 5. Philippus autem descendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Christum.

PHILIPPVS.] Non Apostolus sed ille qui cap. 6. huius numeratur inter septem Diaconos. Nam v. 1. huius cap iam dictum est Apostolos mansisse Ierosolymis. Præterea, si hic fuisset Philippus Apostolus: non fuissent ad Samaritanos confirmationis sacramento muniendos, missi Petrus & Ioannes, vt hoc ipso cap. narrabitur; sed Apostolus Philippus hoc sacramentum ijs contulisset. Idem suaderi potest ex vltimis verbis huius cap. vbi dicitur hunc Philippum per multas ciuitates transiuisse, donec veniret Cæsaream. Cæsareæ enim Philippum Diaconum habitasse, liquet ex huius operis cap. 21. v. 8.

IN *ciuitatem Samariæ.*] Samaria erat metropolis regni decem tribuum, vt ad v. 1. diximus, à qua tota illa prouincia nomen trahebat, vt diceretur *Samaria*; quemadmodum fit in alijs multis. Hîc tamen est nomen oppidi illius metropolitici; vt istud, *ciuitatem Samariæ*, dictum sit pro ciuitatem Samariam; quomodo ille dixit, *Vrbem Patauí*. Hoc facile liquet ex narratione quæ est huius cap. v. 14. & seqq. vsque ad 26.

PRÆDICABAT *illis Christum.*] Tradebat illis doctrinam de Iesu Nazareno quod ipse sit Christus, sit vnicus ille Saluator mundi qui expectabatur; imo cuius aduentum instare sciebant etiam plebeij ex Samaritanis; obseruatione scilicet temporum à prophetis prædictorum. Vnde illa mulier Samaritana dicebat Saluatori, ad puteum, Ioannis 4. v. 25. *Scio quia Messias venit* (id est, adueniat, in proximo est): *cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia.* Neque hoc solum hac de Christo prædicatione est intelligendum; sed etiam mysteria quæ Christus docuit, & præcepta quæ obseruari iussit. Id patet ex vers. 12. Quo fructu autem ibi prædicauerit S. hic Diaconus Philippus, sequentia declarant.

VERS. 6. Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, vnanimiter; audientes, & videntes signa quæ faciebat.

INTENDEBANT] hoc est, attente audiebant, & fidem adhibebant. Ita sumitur etiam illud (auscultabant) v. 10. & illud (attendebant) v. 11. nam græce eadem vox est his tribus locis.

ET *videntes signa quæ faciebat.*] Miraculis opus est apud eos quibus primum fides Christi annunciatur: & in hunc spiritualem vsum singulariter Deus suis prædicatoribus dedit gratiam miraculorum. Fuit autem eximium diuinæ pietatis beneficium in hos Samaritanos, quod visis per Philippum factis miraculis, tam cito crediderint: cum Iudæi tot miraculis visis ab ipso Christo Domino inter ipsos patratis, nihilominus auersati sint doctrinam eius ipsumque interfecerint. Erat hoc beneficium in Samaritanos eo maius, quod eousque dementati fuerant à Simone Mago, qui magicis artibus effecerat vt ipsum crederent esse Virtutem Dei magnam. Infra v. 9. 10. 11. Partem miraculorum à Philippo tunc factorum exponit S. Lucas, adiungens,

VERS. 7. Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna, exibant: multi autem &c.

PRIOR huius versus pars ita sonat græcè; *Multorum enim habentium spiritus immundos, clamantes* (subaudi *illi spiritus*) *voce magna exibant.* Hic Laurentius & Desiderius vellicant nostrum Interpretem, qui nec græca reddiderit vt habent, nec ita verterit vt sensus queat percipi; imo qui sic verterit quasi homines exierint, quum sacer scriptor, ipsaque res, postulet nos intelligere, dæmones exiuisse. Cæterum quàm parum firma sit istorum repræhensio, hinc liquebit. In græco codice istud complexum genitiui casus, *multorum habentium*, vnde pendet? Non potest aliunde (nisi ponatur absolutè; quo quidem modo per ablatiuos esset reddendum istud complexum) quam ex vocabulo πνεύματα, *spiritus*, subaudito in secunda huius orationis parte. Eodem modo in latina nostra versione, debet in secunda illa parte, subaudiri istud, (*spiritus*): & hoc noster interpres significare voluit, dum primam totius sententiæ particulam πολλῶν, non reddidit per secundum casum, sed per primum, dicens, *Multi.* & consequenter genitiuus (eorum) non est accipiendus tanquam genitiuus partitionis, vt præsupponunt illi repræhensores; sed vt sit genitiuus possessoris aut veluti possessoris. Certè, ea habitudine accipi debet genitiuus græcus, nec potest partitiue sumi; vt patet. Sensus igitur verborum nostri Interpretis erit iste, idem qui sacri scriptoris; iste, inquam: *Multi* immundi spiritus eorum qui illos habebant, clamantes voce magna, ex ijs exibant.

CLA-

Clamantes *voce magna.*] Per hoc declarabatur eos exire inuitos; non autem per collusionem aliquam magicam, qua dæmones solent subinde ex pacto cum magis inito, deserere corpora obsessorum. Voluit hoc in iterata expositione sua Chrysost. ijs verbis quæ nobis nonnihil obscurè reddita sunt. Vel certe, voluit dicere Chrysost. quod hoc signo, clamore scilicet illo magno, manifestabatur dæmones vere expelli à Philippo; & non simulare egressum, vt interdum fit per collusionem cum magis.

Multi *autem paralytici & claudi sanati sunt.*] Quare Simon eos non sanauerat? Magicæ artes eò non valebant. Quare non simulauerat saltem? Non erat locus magicæ simulationi in talibus. A Philippo autem per Dei virtutem verè sanatos esse, declarabatur per hoc quod expeditè ambulabant, discurrebant, alia multa veræ sanitatis & viuacitatis opera exercebant. Monuit & hoc Chrysost. Quid fuit consecutum?

Vers. 8. Factum est ergo gaudium magnum in illa ciuitate.

Gavdivm] tum de sanitate corporali plurimorum illic perfectè sanatorum; tum vero de cognitione veritatis qua agnoscebant ipsum vnicum Saluatorem mundi Dominum nostrum Iesum Christum; cuius vera fides est prima pars salutis spiritualis.

Dehinc narrat S. Lucas conuersionem particularem in eadem ciuitate factam, Simonis Magi; quæ fuit tanto admirabilior, quanto is ante illud tempus fuerat sceleratior. Quod ipsum sacer scriptor primo loco narrat, sic inquiens,

Vers. 9. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in ciuitate magus, seducens gentem Samariæ &c.

Vel subaudiendum est verbum substantiuum, *erat*, in prima huius v. particula; vel dicendum est, orationem manere imperfectam, & suspendi vsque ad v. 13. Prius videtur expeditius. *In ciuitate.*] Illa eadem scilicet, vt patet ex proxime seqq. *Magus*] vox græca significat, *exercens magiam*, Ergo quod noster dicit, *magus*, accipiendum est secundum actum, non duntaxat secundum habitum.

Sedvcens *gentem Samariæ,*] Multo vehementius sonat græcum participium ἐξιστῶν, q. d. à statu deijciens, sed intelligitur status pro materia subiecta; vt sit, à statu mentis alienans, dimouens à mente. Hac nimirum dementia ille gentem Samariæ infatuauerat vt crederent eum esse aliquid supra homines. *Dicens seſe esse aliquem magnum:*] Sensus; iactans sese à Deo missum, hominibus maiorem. Iactabat enim ille id quod miseri ab eo dementati credebant, esse scilicet eum *Virtutem Dei magnam.* Nam hoc dicitur v. seq. Iactabat se esse illum·

illum Messiam à Deo promissum, & quem Samaritani, secundum vaticinia prophetarum, expectabant proxime adfuturum, vt ad v. 5. diximus ex Ioannis 4. Testatur hoc de Simone B. Hieron. in cap. 24. Matth. ad illa verba v. 5. *Multi venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus: & multos seducent.* Quo loco S. Hieron. meminit etiam voluminum quę postea contra fidem Christi scripsit iste Simon: sicut & S. Dionysius De diuinis nominibus cap. 6. mentionem facit librorum contradictoriorum ipsius; quibus scilicet contradixit fidei christianæ.

VERS. 10. Cui auscultabant &c.

AVSCVLTABANT.] Id est, non solum audientiam sed & fidem præstabant. Id patet ex proxime sequentibus.

OMNES *à minimo vsque ad maximum; dicentes, Hic est virtus Dei qua vocatur magna.* Illud (*hic*) est pronomen, non aduerbium; demonstrat autem Simonem. *Virtus Dei.*] Dei potentia. nam græcè est ἡ δύναμις. *Qua vocatur magna.* Interpres quas græcus non habet videtur de suo apponere illas duas voces, *qua vocatur*, ad significantius exprimendam sententiam. Robertus tamen notat sibi conspectos tres codices græcos veteres qui hîc interponerent καλουμένη. Quibus vero modis iste Simon miseram gentem sic infatuauerit, vt eum crederent Virtutem Dei magnam, adiungit B. Lucas; dicens,

VERS. 11. Attendebant autem eum, propter quòd &c.

ATTENDEBANT] hoc est, sic eum audiebant vt crederent. Eadem enim est græca vox quæ v. 10. vertebatur, *auscultabant*; & v. 6. *intendebant*.

PROPTER *quod*] διὰ τὸ, est græcè. Id quod, si ad verbum reddas, vertendum sit, *Propter hoc*; & quidem vt illud (hoc) demonstratiue ponatur, non relatiuè. In ista enim forma sermonis non fit relatio ad quippiam præcedens, sed demonstratur aliquid quod deinde adiungitur. Vt in his verbis B. Lucæ manifestum est, quorum sententia est huiusmodi; Fidem adhibebant Samaritani Simoni isti, propter hoc, nimirum quod multo tempore artibus magicis dementasset eos. Id quod magis etiam perspicietur, si ipsam B. Lucæ sententiam ad verbum reddamus. sic autem se habet; *Attendebant autem illi, propter hoc, multo tempore magijs dementasse eos.* Quæ cum ita sint: mirum alicui videbitur Interpretem nostrum reddidisse, *Propter quod*, perinde ac si verteret articulum postpositiuum, quum sit præpositiuus. Nobis Interpretem defendi posse videtur, esseque respondendum, de hoc loco & multis similibus qui apud ecclesiasticos scriptores latinos leguntur, illud (quod) non esse relatiuum in hoc sermone, sed coniunctionem causalem: sicut certum est esse, quum latine loquentes dicimus, *propterea quod.* In isto autem propter quòd &c. subsequens tota oratio erit loco quarti casus, quem deberet habere præpositio (*propter*). Propter quid attendebant ei? Responsio sit, Quod multo tempore magijs dementasset eos.

QVOD *multo tempore magijs suis dementasset eos.*] *Magijs* est in bonis libris nostris,

nostris, conformiter græco. Sensus est autem, suis magicis præstigijs & incantationibus, magicisue veneficijs & maleficijs, eos de statu mentis deturbarat; eos quodammodo vsu rationis priuauerat. Præstigijs hoc agebat vt videretur facere quædam admiranda, quæ tamen reuera non faciebat, sed illudebat oculis spectantium, per operam dæmonum scilicet. Incantationibus, veneficijs, maleficijs, sensus eorum interiores, & consequenter vsum rationis, turbauerat: vt faciunt tales homines siue opera dæmonum immediatè, quibuscum habent pactum, siue per virtutes naturales quarundam rerum, paucis cognitas, quas isti à Dæmonibus docti, cognoscunt. Item per hanc à dæmonibus acceptam notitiam, ac per eorum operationem mira quædam opera ediderat applicando actiua passiuis suis; & ita sui existimationem pepererat maximam, quasi quiddam hominibus maius esset.

Non est negligendum quod Chrys. hîc ait, hanc Simonis imposturam tanta externa specie sese venditantem, fuisse grauem tentationem nouellæ Ecclesiæ Christi. Magna ex parte iam fiebat illud quod Dominus prædixerat Matt. 24. vers. 5. 22. & 24. *Multi venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus.* & postea. *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic; nolite credere. Surgent enim pseudo-Christi & pseudo-prophetæ: & dabunt signa magna & prodigia; ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.*

Considerandum est etiam, quod sicut in Ægypto magi opposuerunt se Moysi, & ab eo confutati sunt; opposuit sese & Balaam, in deserto; dans pessimum consilium aduersus populum Israel; qui deinde fuit occisus ab eo populo iussu Moysi, quæ omnia leguntur Exodi 7. & 8. Num. 22.23 24.25. cap. item 31. v. 8. 16. ita nunc Apostolis Domini alijsque prædicatoribus euangelij, obstiterint magi & pseudoprophetæ, ad impediendum fidem de Iesu Christo; sed diuina ope ab ijs sunt confutati & turpiter pudefacti. Iste quidem Simon magus, diu postea, Romæ ab apostolo Petro, Bariesu Elymas seu magus in Cypro, ab Apostolo Paulo; vt est huius lib. c. 13. Iacobus apostolus frater Ioannis euangelistæ conuertit Hermogenem & Philetum maleficos, fidei christianæ hostes, vt in eius vita legitur. Apollonius autem ille Thyanæus, magus & ipse tantusque præstigiator vt ab ethnicis multis Deus habitus sit, à Ioanne Apostolo, precibus ad Deum fusis, & miraculorum gloria, confutatus est. Vide Baronium anno Christi 98. § 19. & seqq. Hæc de Samaritanis à Simone misere seductis idcirco narrata sunt, vt tanto magis appareat vis & benignitas diuinæ gratiæ, quæ per ministerium Philippi Diaconi eos his tenebris liberauerit. Id quod iam dicit S. Lucas.

Vers. 12. Cum verò credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei & nomine Iesu Christi; baptizabantur viri ac mulieres.

Credidissent] scilicet propter magnitudinem miraculorum quæ patrabat in confirmationem doctrinæ de Iesu quod ipse sit Christus Domini, Saluator mundi; vt dictum est supra v. 6.

EVANGELIZANTI *de regno Dei*] Hæc particula in originali scriptura paulo plenius legitur, adiecto articulo τὰ, vt reddendum fuerit, *euangelizanti ea quæ sunt regni Dei*. Mirum autem videtur Interpretes articulum illum neglexisse; quum non satis exprimatur sententia eo omisso. Idem accidit cap. 1. huius libri. v. 3. & in euangelio Lucæ cap. 24. v. 27. vbi legitur, *Interpretabatur illis in omnibus scripturis ea quæ de ipso erant*. At cap. vlt. huius libri v. vltimo non neglexerunt.

REGNVM *Dei*, Potest generatim intelligi, scilicet & illud cæleste, & istud regnum Dei in terris, nempe quod exercet in Ecclesiam militantem; ijsdem iuxta proportionem modis & vijs, quibus temporales isti reges gubernant suas ditiones. Dant nimirum operam vt subditi sui sint boni, & vt pacate viuant. Hæc autem assequi conantur legibus & edictis, promissis & comminationibus, præmijs & pœnis; beneficijs item merè gratuitis, inter quæ sunt & collationes dignitatum, prærogatiuarum, officiorum, priuilegiorum. Quæ omnia modo multo sublimiore & efficaciore facit Deus in sua ecclesia; eo fructu vt vere iusti sint homines coram ipso, & eo fine vt consequantur sempiternam salutem, beatitudinem, quæ est in illo cælesti Dei regno.

ET *nomine Iesu Christi*;] Hæc est vera lectio, quam habent græci codices, & optimi quique latini. Euangelizauerat Philippus Samaritanis *ea quæ sunt de nomine Iesu Christi*; id est, potentiam, dignitatem, authoritatem, meritum, præcepta & Instituta Saluatoris nostri, veri Dei & hominis. Inter hæc porro erant & Sacramenta ab ipso instituta; quorum primum, idque summæ necessitatis, Baptismus. Et idcirco quum, Deo ipsorum corda mouente, credidissent Philippo tam læta nuncia de omnibus istis adferenti:

BAPTIZABANTVR *viri ac mulieres*. A quo baptizabantur? Haud dubie ab hoc eodem sancto Diacono Philippo. Nec enim aderat vel episcopus vel presbyter qui id faceret. *Viri ac mulieres*.] Id est, promiscuè quiuis, ac plerique Samaritanorum. Imò tanta erant miracula quæ Deus per suum hunc Diaconum illic edebat, vt & iste de quo dictum est, insignis magus Simon, qui miseram illam gentem scelerate seduxerat, conuerteretur ad fidem Christi, & baptizaretur. Hoc enim subiungitur à B. Luca.

VERS. 13. Tunc Simon & ipse credidit: & cum baptizatus esset adhærebat Philippo.

ADHÆREBAT] Græca vox amplius quiddam sonat, Perdurabat cum Philippo; seu, *Assiduus inhærebat Philippo*. Videtur superuacaneum hîc disputare, quod nonnulli faciunt, An Simon iste verè crediderit, an solum externa specie, ac verbis professus sit fidem Christi: videtur (inquam) hoc superuacaneum, postquam S. Lucas, sicut v. præced. dixerat Samaritanos credidisse; sic nunc dicit Simonem credidisse; & hoc non simpliciter dicit, sed cum illa emphasi, *Simon etiam ipse*. Eodem valere possunt quæ se iunguntur, hæc nimirum, *Videns etiam signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur*. Videbat opera ingentia naturam rerum longe superantia, ideoque diuinæ potentiæ effectus

effectus & consequenter diuinæ potentię & veritatis quę annunciabatur, signa; & ea de causa, cum sciret sese omni sua magica arte, omnique dæmonum auxilio, tanta opera nunquam fecisse aut facere posse: velut extra se rapiebatur pręadmiratione. Hactenus enim tantam vnici veri Dei potentiam ignorauerat, quantam declarabant miracula per S. Philippum facta Et sane infra v. 22. Petrus Apostolus Simonem alloquitur non tanquam qui fictè baptizatus fuisset, sed tanquam qui à baptismo in pessimam illam cogitationem venisset de emendo Spiritus Sancti dono.

E S T quidem ita, hunc Simonem postea defecisse à Christianismo, & primum fuisse qui post Christi in cœlos ascensionem, conderet hæresim: sed id non arguit fictè illum ea gessisse quæ hic narrantur. Miseram infirmi abitrij nostri libertatem ea res arguit; *vt qui se existimat stare, videat ne cadat*: & *vt nemo de seipso glorietur, sed in Domino; semperque cum timore & tremore suam salutem operetur*: vt monuit nos Apostolus 1. Cor. 10 vers 12 2. Cor. 10. vers. 17. Philip. 2. vers. 12. Atque hactenus de ijs quæ Deus operatus est Samariæ per ministerium sui diaconi Philippi. Deinceps narratur quo modo qui illic fuerant baptizati per eum, sint ab Apostolis sacra confirmatione roborati & perfecti.

V E R S. 14. Cum autem audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei; miserunt ad eos Petrum & Ioannem.

C V M *audissent*] An Philippus Diaconus Apostolis scripserit conuersionem Samaritanorum, non liquet; & verbum istud (*audissent*) potius contrarium innuit, publica videlicet fama Apostolos eam rem intellexisse. *Qui erant Ierosolymis*] Non restringens determinatio est, sed explanans. Iam enim v. 1. dictum est, reliquis christianis Ierosolyma diffugientibus, Apostolorum collegium illic remansisse.

Q V O D *recepisset Samaria verbum Dei. Verbum Dei*, non omnino generalissime intelligitur: iam enim antea Samaritani vnicum verum Deum vtcumque colebant, vt patet ex Ioan. 4. schismaticè tamen: sed intelligitur præcipuè *prædicatio euangelij*, id est, *prædicatio de Iesu quod ipse sit Christus*, & de eius mysterijs atque institutis & præceptis. Et quod dicitur, *recepisset*; non solum de fide accipiendum est, sed etiam de obedientia. Samaritani enim non solum amplexi erant fidem christianam, sed etiam susceperant sacramentum baptismi, intelligentes id esse mandatum Christi.

M I S E R V N T ad eos Petrum & Ioannem.] Non præcise reliqui decem Apostoli miserunt hos duos; sed eos misit ipsum Collegium Apostolorum, quatenus tale. Ioannes igitur cum decem alijs misit Petrum, Petrus cum decem alijs, misit Ioannem. Fuit hæc missio non velut à maiorem authoritatem habente; nec enim Collegium Apostolorum maiorem habebat quam ipsius Collegij caput Petrus Apostolus: sed fuit missio facta per communem concor-

demque voluntatem eorum qui mittebantur eorumque qui mittebant. Et est similis missionis exemplum Iosue 22. v. 13. & seqq. Est & aliud exemplum, huius libri c. 15. v. 2. vbi ecclesia Antiochena mittit Paulum & Barnabam. Et in quotidiano vsu, nonne Ciuitas ad Principem sæpe mittit suum Magistratum? & Clerus nonne ad negotia sua sæpe mittit suum Decanum, vel etiam Episcopum? Vnde patet quam insulsa sit sophisticatio quorundam sectariorum, qui hinc argumentantur Petrum non fuisse caput Apostolorum, eo quod ab Apostolis mittatur ad Samaritanos.

Est autem operæpretium considerare causam qua moti videntur Apostoli vt Petrum illuc mitterent, potius quam aliquem ex reliquo Apostolorum numero. Dixerat Dominus Apostolis suis duodecim, Matth. 10 *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*. Poterat igitur esse dubitatio, an iam tempus aduenisset quo posset Samaritis annunciari euangelium, & patefieri ingressus in Ecclesiam Christi. Simul autem erat irreconciliabile dissidium inter Iudæos & Samaritas, potissimum ob causam religionis; ac specialiter de loco publico offerendi sacrificij: adeo vt mutuo commercio non vterentur hæ duæ gentes. Ioan. 4. Ergo vt Samaritæ intelligerent, Apostolis (quamuis forent Iudæi) esse curam salutis ipsorum, neque diutius detrectare cum ijs commercium, atque adeo tempus adesse quo & ipsis Deus vellet annunciari euangelium Christi: Apostoli caput sui Collegij ad eos mittunt, D. Petrum vniuersalem Christi vicarium; qui, velut solemniter, genti illi declararet, ingressum in nouellam Christi ecclesiam, Deo volente nunc ei patere. Quo pertinet quod in reditu, hic ipse Petrus cum Ioanne multis Samariæ prouinciæ locis Christum annunciauerunt. vt dicitur huius cap. v. 25. Sane etiam ethnicis per hunc eundem Petrum apostolum Christi vicarium, paulo post est patefactus introitus in Ecclesiam, Deo iubente; vt infra narrabitur c. 10. Hanc rationem meditatus est Baron. anno Christi, 35. §. 9.

Qvod autem vna cum Petro missus est Ioannes, credibile est id fecisse collegium apostolorum, quod specialem quandam necessitudinem scirent esse inter Petrum & Ioannem: vt ex varijs euangelij locis discimus. Lucæ 22. v. 8. Ioan. 13. v. 23. 24. Ioan. 20. v. 2. 3. & seqq. & ex cap. 3. & 4. huius operis.

Vers. 15. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum.

Oravervnt Apostoli Petrus & Ioannes pro Samaritanis vt idonei fierent & permanerent ad accipiendum præcipuum sacræ confirmationis effectum; & vt Deus etiam visibili signo extraordinario declararet quando eius effectus fierent participes. Idque eo fine vt in fide Christi amplius solidarentur hi recentes christiani. Explicatio data fundatur in verbis seqq.

Vers.

VERS. *16.* Nondum enim in quemquam illorum venerat; ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu.

NVLLVM dubium eſt quin per baptiſmum conferatur Spiritus S. ad remiſſionem omnium peccatorum, vt ex verbis B. Petri liquet. ſupra cap. 2. v. 38. inſuper ad iuſtificationem, per infuſum donum charitatis & reliquarum virtutum, quibus homo fiat coram Deo iuſtus & ſanctus; vt manifeſtum eſt Pauli Apoſtoli teſtimonio ad Gal. 3. verſ. 27. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* & Epheſ. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. 6. 7. Quid igitur hic dicitur, *Nondum in quemquam illorum venerat Spiritus ſanctus*, accipiendum eſt de effectu ſacræ confirmationis proprio; Id eſt, Nondum eis erat datus Spiritus ſanctus ad fortitudinem & robur animi, quo intrepide, etiam inter perſequutiones, perſiſterent in fide Chriſti Domini eiuſque profeſſione. Quale robur Apoſtolos accepiſſe die Pentecoſtes, iam ante dictum & probatum eſt ex Lucæ 24. v. 49. & huius lib. cap. 1. v. 4. & 8.

SED amplius quiddam in his verbis latet; nempe, in neminem Samaritanorum, tametſi rite baptizatorum, eouſque hoc Spiritus ſancti robur fuiſſe collatum eo modo quo tunc conferebatur; ſcilicet cum ſenſibili quodam ſigno extraordinario: quemadmodum Apoſtoli illud acceperant die Pentecoſtes, videlicet vna cum ſigno linguarum ignearum, quæ vnicuique eorum inhærebant. Quo itidem modo legimus cap. 10. huius libri ad finem, Spiritus ſancti gratiam, ſenſibiliter delapſam fuiſſe in Cornelium centurionem eiuſque familiares. Spiritum ſignorum nominat Chryſoſt. ad hunc locum Hic ſenſibilis modus, in originali ſcriptura hoc loco magis elucet, quæ ita ſonat, *Nondum ſuper quemquam illorum ſuper-ceciderat*, ſcilicet Spiritus ſanctus. Quid autem ſit Spiritum ſanctum cadere in aliquem, diſcere eſt ex illo loco cap. 10.

SED *baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu.* Senſus, Erant baptizati ſuper profeſſionem quam fecerant de fide in Ieſum, quod ipſe ſit Saluator mundi: ſed non erant adhuc ſacramento confirmationis muniti. Philippus enim Diaconus illud conferre non potuerat. Quod hic dicitur, *In nomine*, græce legitur quarto caſu, *In nomen*, εἰς τὸ ὄνομα; ſed & Matth. 28. ſub finem, eſt eadem in græco codice loquutio; & infra cap. 19. verſ. 5. Vnde ſatis apparet, noſtros ſacros ſcriptores εἰς pro ἐν ſolere ponere in hoc genere ſermonis, & alibi, vt verſ. 23. huius.

PORRO quam dedimus expoſitionem huius clauſulæ, *In nomine Domini Ieſu*, poteſt quiuis facile confirmare ex verſ. 12. huius cap. Nec eſt putandum quod his verbis B. Lucas voluerit ſignificare baptiſmi formam qua vſus ſit Philippus Diaconus.

VERS. 17. Tunc imponebant manus super illos; & accipiebant Spiritum sanctum.

TVNC.] Postquam pro ijs orassent vt Deus etiam sensibiliter dignaretur ijs conferre gratiam sacramenti confirmationis; vt dictum est ad v. 15.

IMPONEBANT.] Non Philippus Diaconus & hi duo Apostoli; sed soli Apostoli illi. Patet hoc ex v. proxime seq. Porro totum sacramentum confirmationis designat B. Lucas, nominans *manuum apostolicarum impositionem*, tanquam partem magis notam, & pluribus notam: vt otiosum sit quærere, An formam sacramenti addiderint Apostoli ad manuum istam impositionem. Dubitari enim non debet. Sicut cum Apostolus 1. Timot. 5. dicit, Manus cito nemini imposueris, haud dubiè sacræ ordinationis sacramentum integrum significauit. An sub ista manuum impositione B. Lucas inuoluat materialem huius sacramenti partem, vnctionem chrismaticam, quæ in fronte fieri solet ijs qui confirmantur; nonnulli videntur dubitasse: sed non est iusta dubitandi causa. Nam chrismate esse vtendum in huius sacramenti collatione, idque propter Domini Saluatoris institutionem, ipsi Apostoli docuerunt: ergo ipsimet eo sunt vsi. Antecedens est B. Fabiani Papæ & martyris, epist. 2. quæ scribitur omnibus orientalibus Episcopis. Fuit is apostolicorum temporum pene vicinus, cœpitque sedere anno Christi 236. In ea epistola ait sese à suis prædecessoribus id accepisse, ipsos vero à S. Apostolis.

INSVPER & alij vetustissimi scriptores ecclesiastici meminerunt huius chrismaticæ vnctionis, tanquam ab Apostolis nobis traditæ: vt inter alios Dionys. ecclesiasticæ hier. c. 4. parte 1. & 3. Clemens Rom. Constit. apostolic. lib. 7. c. 44. in fine & 45. *Præterea*, veteres quando huius chrismaticæ vnctionis faciendæ ius solis Episcopis esse docent; perpetuo allegant hanc istius 8. cap. historiam: ergo illorum Patrum iudicio hîc sub manuum impositione quam fecerunt Samaritanis Apostoli, ista chrismatica vnctio comprehenditur, vt quæ sine manus impositione non fiat.

ET *accipiebant Spiritum sanctum*. Peculiarem sacræ confirmationis effectum, spiritualem scilicet robur ad profitendum fidem Christi, accipiebant, sed cum sensibili quodam effectu alio, vt tunc non raro fiebat, ad interioris illius gratiæ maiorem declarationem. Inf. cap. 10. v. 46. de familiaribus Cornelij centurionis legimus quod delapso in ipsos Spiritu sancto, loquebantur linguis & magnificabant Deum. De duodecim viris quibus Paulus Apostolus manus imposuit, legimus cap. 19. v. 6. quod veniente in eos Spiritu sancto, loquebantur linguis & prophetabant, id est, mysteria diuina loquebantur. Aliquid tale & his Samaritanis sensibiliter diuinitus accidisse, debemus existimare. Nam quod Spiritus sanctus in eos per manuum apostolicarum impositionem illaberetur ad interiorem gratiam, id tali quodam signo extrinsecus ostendebatur: *ita vt & Simon & cæteri* per talem insolitum sensibilem effectum intelligerent eos accepisse Spiritus sancti gratiam.

AN omnes cum exteriore eiusmodi signo Spiritum sanctum acceperint; non

non valde liquet: vt neque de his qui ad prædicationem Apostolorum credentes & baptizati, deinde per manuum apostolicarum impositionem acceperunt Spiritum sanctum; de quibus supra ad finem v. 38. c. 2. Satis certum videtur quod non omnes loquebantur linguis: fieri potest vt nouo Spiritus sancti impulsu saltem magnificauerint Deum vel prophetauerint; quomodo illi de quibus iam diximus, ex cap. 10. & 19. huius libri. Sequitur,

VERS. 18. Cum vidisset autem Simon quia (quod) per impositionem manus (manuum græcè) Apostolorum daretur Spiritus sanctus: obtulit eis pecuniam.

EIS] sine dubio Apostolis, ex præcedente. Videtur autem omnino certum quod ipse Simon, quamuis baptizatus, nondum tamen sese Apostolis obtulerat ad manus impositionem accipiendam, nondum (inquam) tunc quando ijs obtulit pecuniam. Obtulit autem,

VERS. 19. Dicens; Date & mihi hanc potestatem vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.

PARTIM ambitio, partim auaritia, tentauit & superauit Simonem, vt hoc ab Apostolis peteret. Ambitio quidem; quoniam si ipse per manus impositionem potuisset conferre Spiritum sanctum, vt Apostoli Petrus & Ioannes: ea re videbat se superiorem futurum Philippo Diacono, qui id non poterat. Atque ea via Simon in pristinam sui apud Samaritanos existimationem cupiebat redire. Ita Chrysost. Auaritia autem; quoniam, qui hanc potestatem oblata pecunia emere cupiebat, is vtique eius potestatis vsu quæstum facere volebat. Hoc plerique expositores de Simone sentiunt, & est per se credibile.

EST & illud credibile, Simonem quando hic nominat Spiritum sanctum; intelligere potissimum illa sensibilia Spiritus sancti dona de quibus diximus, ad finem v. 17. vtpote tali homini notiora; & quæ quod essent sensibilia, plus gloriæ & quæstus viderentur allatura, si ipse per impositas manus ea conferre posset. Quid tam impiæ petitioni responderint Apostoli, addit S. Lucas,

VERS. 20 Petrus autem dixit ad eum; Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

PETRVS] nomine etiam Ioannis. vt patet ex v. 24. Prior huius versus sententia bifariam aut trifariam potest intelligi. Priori modo sic, Potius quam nos faciamus quod à nobis petis; pereas & tu & pecunia tua. Hæc expo-

sitio

sitio subaudit comparationem acceptam ex præcedentibus verbis Simonis, quibus oblata pecunia petebat, *date & mihi* &c. Ita ex quorundam sententia Lorinus ad init vers. 22.

SECVNDO modo; vt commatica distinctio sit post illud, *tecum sit*; hoc sensu, Pecunia tua tibi maneat, etsi id futurum est cum tui perditione; vtpote qui tam male ea vtaris vt etiam donum Spiritus sancti illa velis emere. Isto sensu, aliquid simile dixerit Petrus Apostolus Simoni Mago, quale Daniel Regi Babyloniæ Baltassari, Dan. 5. v. 17. *Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da.* Tertius intellectus ista verba absolute accipit, vt sonant, sine vlla comparatione, sine vlla qualem diximus distinctione: ita tamen vt sub specie imprecationis sit prænunciatio mali impendentis, nisi pœnitentiam egerit Simon; simulque sit execratio facinoris eius, & seuera correptio: non vero optatio mali quæ proficiscatur ab animo vindictæ cupido. Sunt frequentes eiusmodi sententiæ in sacris literis quæ speciem habent imprecationis & maledictionis: quæ quibus modis sanè sint intelligendæ, S. Thom. exposuit 2. sec. q. 25. art. 6. 3. q. 76. art. 1. c. q. 83. art. 8. 1.

CVILIBET harum trium expositionum satis quadrat ratio subiuncta à B. Petro, *Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Donum Dei*] spiritualem scilicet potestatem conferendi Spiritum sanctum per manus impositionem. Hoc donum, vt omnia alia Spiritus S. supernaturalia munera, neque vllo precio adæquari potest, neque vllo precio æstimare illud, licet propter hoc ipsum quod supernaturale sit. Simon videtur & intellectus vitio laborasse, qui hoc non videret; & voluntatis, qui rem tam impiam vellet facere, emere scilicet donum Spiritus sancti. Addit B. Petrus;

VERS. 21. Non est tibi pars neque sors in sermone isto.

IN *sermone isto.*] Est hebraismus in scripturis vsitatissimus, quo *verbum* aut *sermo* ponitur pro re quapiam, pro negotio. Quæ autem res hic demonstretur, non valde liquet. Sunt enim qui hanc sententiam ita intelligant, non habes partem in Christianismo, in salutari fide christiana. Eo pacto videtur intellexisse S. Ambrosius de pœnitentia lib. 2. cap. 4. dum hunc locum ita recitat, *Non est tibi pars neque sors in fide ista.* Eodem plane modo recitat B. August. Tractatu 6. in Ioannem, post medium. Videtur & Epiphanius hæresi 21. quæ est Simonianorum, sic accepisse; quum ait Petrum Simoni dixisse; *Non est tibi portio in cultu diuino.*

ALII intelligunt, (Ita Lyranus) Nulla tibi pars est in hac potestate, qua per impositionem manus datur Spiritus sanctus. Nihil vetat vtrumque simul intelligi, quoniam verbum generale est quo vtitur S. Petrus.

QVANDO autem dicit, *Non est tibi pars neque sors*: non est anxie laborandum vt distinguamus partem à sorte; quoniam vehementiæ maioris causa ambo dicta sunt, quamuis pene idem valentia. *Pene*, dico: non enim quæuis portio boni alicuius dicitur *sors*, secundum vsum Scripturæ; sed ea demum quæ hominibus datur mere gratuitò, sola Dei voluntate; illis scilicet non merentibus.

Nam

Nam talia sunt quæ sorte obtingunt hominibus, vnde huius nominis metaphora ducitur.

CAVSAM sui dicti reddit idem S. Apostolus Petrus, *Cor enim tuum non est rectum coram Deo.* Hoc B. Petrus sciebat partim ex ipso facto Simonis, volentis emere donum Dei;partim vero ex reuelatione diuina, qua Deus intima cordis Simonis ei patefaciebat, eius scilicet ambitionem & auaritiam & quæ erant alia vitia. Infra v. 23. *Coram Deo*] Id est, Dei iudicio, seu vere & reipsa. nam qualis est vnaquæque res Dei iudicio,talis reuera est:quoniam nunquam fallitur Deus in suo de rebus iudicio, in rerum æstimatione. *Rectum.*] Recto opponitur distortum seu obliquum; sed hæc metaphorice dicuntur de corde, id est de animo seu animi intentione. Simonis intentio erat obliqua:quoniam non cupiebat habere ista dona Dei ad promotionem salutis suæ & aliorum; sed ad honorem & quæstum adipiscendum. Addit B. Petrus pro conclusione exhortatoria,

VERS. 22. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua;

NON monet Petrus Apostolus Simonem vt iterum baptizetur;quoniam anabaptismum semper detestata est Ecclesia, tanquam sacrilegum & rei falsæ significatiuum in religione, quasi Christus sæpius mortuus sit sæpiusque resurrexerit : Christi enim mortem & resurrectionem baptismus quodammodo repræsentat, vt Apostolus nos docet Rom. 6. Hortatur vero Simonem ad agendum pœnitentiam de ista mala voluntate, qua donum Dei emere voluerat, ambitione & auaritia stimulatus, vt dictum est. Hæc est illa pœnitentia quæ agitur ab his qui post baptismum in lethalem aliquam culpam ceciderint.

ET *roga Deum* :] Non tanta facilitate potest in gratiam recipi qui baptismalem innocentiam sciens ac prudens perdiderit;quanta facilitate per baptismum fuit Deo reconciliatus:propter nimirum ingratitudinem illam qua tantum beneficium contempsit & abiecit, vt diserte docuit Syn. Tridentina sess. 6. capite doctrinæ 14. & sess. 14. c. 1. 2. 8. Ideo Petrus Apostolus Simonem ad pœnitentiam fetiam, grauem ac diuturnam, his verbis hortatur : vt illud (*Roga Deum*) sit,assidue Deum precare tanti sceleris veniam,sit tibi perpetuum rogare Deum condonationem istius facinoris. addit Apostolus, *Si forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui.*] *Fortè*] græce est ἄρα, particula varium habens vsum vt exemplis græcorum authorum demonstrat Bud. in Comm. linguæ grecæ,& quidem interdum est particula expletiua,vt loquuntur Grammatici; alias idem valet quod, *forte*, cuius illic ponit exempla Budæus. Quare noster recte hoc loco ea voce interpretatus est illud ἄρα, vt etiam Desiderius.

SED continuo oritur scrupulus, an dubium sit, agenti pœnitentiam condonatum iri sua peccata. Quod non est dicendum; quum obstent Scripturæ, Ezech. 18. vers. 21. 22. 23. 27. 30. & cap. 33. v. 11. 12. 14. 15. 16. & diuersis aliis locis, vbi verè pœnitentibus promittitur venia. Et tamen non sine causa hic appositum est illud (*forte*) : tum ad significandum quod Deus nulli quantumuis verè pœnitenti debeat veniam, neque sit illi facturus iniuriam si non

det (est enim plane gratuita, peccatorum remissio); tum verò, ad significandum quod Simon non poterat esse certus de consequenda venia, sicut certus esse non poterat suam pœnitentiam fore tantam quanta opus erat vt inter vere pœnitentes posset numerari. Similes sermones sunt in Scriptura, Ioelis 2. vers. 14. Ionæ 3. v. 9. ad quem Ionæ locum respiciens S. August. in Psal. 50. illum versum, *Ecce enim veritatem dilexisti*; ita loquitur de Niniuitis; Dixerunt; ita apud se disceptantes, Ionæ 3. iuxta 70 *Quis nouit si Deus flectat in melius sententiam suam, & miseretur?* Incertum erat, quum dicitur, *Quis nouit?* De incerto pœnitentiam egerunt; certam misericordiam meruerunt. Repetit deinde Petrus Apostolus rationem suæ exhortationis, addens;

VERS. 23. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.

VIDEO] partim ex tuo facto, partim Deo reuelante, vt diximus ad v. 21. *Te esse in felle amaritudinis.*] Videtur Petrus Apostolus vti verbis Moysi quæ sunt Deuter 29. vers. 18. ad quæ & Paulus Apostolus respexisse videtur Heb. 12. v. 15. id quod magis apparebit si conferantur eius verba cum Interpretatione 70. in illo Deuteronomij loco. Quorum locorum consideratione potest sensus horum verborum accipi, iste; Video esse tibi animum velut felle amarissimo tinctum, imo plane repletum; hoc est, animum multis magnisque vitijs corruptum. Video tibi esse intentionem omnino prauam, ex qua non nisi insuaues, imo amarissimi, fructus externorum operum nasci possint. Ex prius dictis satis intelligitur hunc Simonem laborasse auaritia & ambitione, vtraque longe maxima. Videri potest quod nunc ijs vitijs stimulatus, relapsus fuerit in infidelitatem, certè in cultum & societatem dæmonum, per quos solitus fuerat magicas artes exercere. Et videtur id posse colligi ex Epiphanio hæresi 21. paulo post initium.

ADDIT B. Petrus; *& obligatione iniquitatis.* Videbat Simonem istum esse *in obligatione* seu colligatione, esse in vinculis, *iniquitatis*, hoc est, magnorum peccatorum & affectu eum teneri perspiciebar, & consequenter reatu. Id quod notum relinquitur ex dictis.

NON male vertit noster Interpres, *obligatione*: q.d. video te obuolutum seu circumligatum magnis peccatis. Ne quis *obligationem* putet hîc vulgari more accipi pro debito officij.

VERS. 24. Respondens autem Simon, dixit; Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum quæ dixistis.

SIMON.] Magis actus timore pœnæ, quam amore iustitiæ veræque sanctitatis. Ita plerique expositores accipiunt. Certe debuisset Simon hos Apostolos rogare vt sibi veram à Deo pœnitentiam impetrarent, & ea mediante

veniam

veniam peccatorum: nunc eius verba nihil tale sonant, sed dumtaxat deprecationem malorum pœnalium quæ fuerant ei per Apostolos denunciata. Est autem credibile plura fuisse dicta quam S. Lucas compendio vtens, hîc recitauerit, ipsumque Ioannem Apostolum nonnulla quoque fuisse interlocutum: idque significari illis verbis Simonis pluraliter enunciatis, *quæ dixistis*.

QVO Simon postea deuenerit, & quomodo sibi Helenam quandam genere Tyriam, meretricem, adiunxerit, illamque pro numine quodam venditarit, sese autem pro Deo ipso; & quomodo à Nerone & Romanis cultus fuerit ac pro Deo sancto habitus, statuâ etiam erectâ; necnon quomodo à S. Petro illic confutatus, tandemque cum dedecore mortuus: diuersi scribunt sed sufficiat vetustiores legere; Ireneum lib. 1. cap. 20. Tertull. de anima, c. 34. & in Apologetico cap. 13. in fine. Eusebium lib. 2. cap. 12. alias 13. Hegesippum iuniorem de excidio Ierosolymitano lib. 3. c. 2. Exstat tomo 7. Biblioth. SS. PP. His de Simone Mago interpositis, progreditur S. Lucas ad narrationem reliquorum ab Apostolis Petro & Ioanne in hoc eodem itinere confectorum; dicens;

VERS. 25. Et illi quidem testificati & loquuti verbum Domini, redibant Ierosolymam.

TESTIFICATI *& loquuti verbum Domini*] scilicet apud Samaritanæ vrbis incolas. His *verbum Domini*, id est, doctrinam salutis diuinitus acceptam (cuius pars est doctrina fidei de Iesu Christo) testificabantur & inculcabant, ad eos in vera religione confirmandos, vtpote adhuc nouitios in christianismo. Id eo diligentius erat faciendum quod periculum ijs erat à Simonis magi apostatæ imposturis.

QVANQVAM credibile est Simonem hac occasione reliquisse gentiles suos Samaritas, & Tyrum concessisse, ibi accepisse è lupanari Helenam suam, deinde variè cum illa peregrinatum, tandem Romam venisse sentinam omnium superstitionum. Eo venit demum anno Christi 44.

VBI autem huic negotio satisfecisse videbantur, redibant Apostoli Petrus & Ioannes *Ierosolymam*, sed non ociosi in itinere. Vnde sequitur;

ET *multis regionibus Samaritanorum euangelizabant. Regionibus.*] Græca vox κώμας, significat villas, vicos, pagos: sed hæc etiam nomine *regionum* accipi possunt; quoniam id nomen non significat semper prouinciam aliquam, sed & portionem terræ multo minorem; veluti cum vnum idemque oppidum vel municipium in suas regiones diuiditur, *Tractus* dicunt Latini; & vulgo *Districtus*.

OBSERVANDVS est hic locus ijs qui ad curas animarum destinantur; vt non negligant parochias etiam rurales accipere, ijque sedulam operam nauarre: quum videant Apostolos Petrum & Ioannem per villas & Pagos euangelium annunciasse: Imo & ipsum Christum Dominum, vt notum est ex historia euangelica. Memores esse debent Christum non pro solis oppidanis

nis venisse in mundum, & passum atque mortuum esse; debent meminisse, si ab antiquitate æstimatio petenda est; longe priores esse rusticos oppidanis omnibus, pagos, oppidis: vt notum est.

EVANGELIZAVERVNT autem Samaritanis per pagos quoque, Apostoli hi sancti, vt eos munirent contra impietates Simonis Magi, qui gente Samaritanus, multis & Samaritanorum & Iudæorum persuaserat se esse illum Messiam Domini diu expectatum. Irenæus lib. 1. cap. 20. & ex supradictis notum est, v. 9. & seqq. Credibile est autem apostolos hos duos diutius tam in vrbe Samaria quam in reliqua prouincia, ob causam dictam, hæsisse, & non solum ibi prædicasse, sed etiam episcopos presbyteros, & Diaconos ordinasse, qui Samaritas docerent, regerent, sacramentis munirent. Nam & Philippus Diaconus paulo post eos reliquit, vt ex fine huius cap. notum est: nec vllo modo putandum est Petrum & Ioannem ita reuersos Ierosolymam, vt nullos ecclesiæ Samariticæ relinquerent præfectos. Imo postquam Ierosolymam redierant, Petrus & Ioannes, credibile est quempiam ex ipsorum apostolorum numero ad Samaritanam prouinciam esse missum, qui fidem Christi illic iam plantatam confirmaret, & propagaret. Huc allegari potest quod in Breuiario Romano de S. Iacobo fratre Ioannis legitur eum in Iudæa & Samaria Christi diuinitatem prædicasse, ac Hermogenem magum conuertisse. Quin & hoc probabile est ex cap. 9. v. 32. S. Petrum Apostolum visitantem omnes ecclesias, etiam Samaritanam prouinciam denuo perlustrasse. Nam quod in ea multis locis nouellæ ecclesiæ Christi essent fundatæ, ex eiusdem cap. v. 31. discimus; qui græcè pluraliter legitur, ad hunc modum; *Ecclesiæ per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam, habebant pacem; & ædificabantur, ambulantes in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebantur.*

POST hæc ad Philippum Diaconum reuertitur B. Lucas, attexens historiam quo modo is ad fidem Christi conuerterit & baptizauerit præpotentem quendam Æthiopiæ Dynastam; quem reuersum in patriam, non est dubium illic eandem fidem Iesu Christi disseminasse & disseminari curasse; vt ad finem huius cap. docebitur. Ait ergo B. Lucas;

VERS. 26. Angelus autem Domini loquutus est ad Philippum;

AD *Philippum*] vtique tunc adhuc hærentem Samariæ, ait Chrysost. & probatur ex proxime seqq.

SVRGE *& vade contra meridianum*, id est contra meridiem; *Ad viam quæ descendit ab Ierusalem in Gazam.* Quod Ierusalem & via quæ illinc ducit Gazam sit australis respectu Samariæ, notum est & ex Chrysost. Syro vtique, & ex tabulis geographicis accuratius confectis. Fuit autem Gaza, vna ex ciuitatibus Philistinorum; 1. Reg. 6. sub finem, per Iosue ascripta in sortem tribus Iuda (vt patet Iosue 15, v. 47. Iud. 1. v. 18.) sed postea per Philistæos recuperata, vt quædam aliæ.

HÆC *est deserta.*] Tam græcè quam latine est ambigua relatio, num *Gazam*, an

an vero *viam* referat istud (*hæc*) ac V. quidem Beda ad hunc locum ita scribit, *Non via, sed Gaza deserta dicitur. Vetus enim illa Gaza*, quæ terminus erat quondam Chananæorum iuxta Ægyptum, ad solum vsque destructa; & alia pro illa alio loco constructa est. Quæ verba non carent scrupulo. Constat quidem ex Q. Curtio lib. 4. de Gestis Alexandri, Gazam ab eo fuisse expugnatam; sed solo æquatam non commemorat; imo tota narratio eius potius contrarium suadet. Et B. Hieron. in cap. 2. Sophoniæ ad v. 4. tametsi ex heb. vertat, *Gaza destructa erit*: tamen non ponit redactam in solitudinem, sed hoc tribuit Ascaloni, tam in textu quam in Comm. Et, vt Gaza, siue ab Alexandro siue à Babylonijs fuisset redacta in solitudinem, alia eiusdem nominis ciuitate in loco vicino deinde ædificata: tamen quum hîc nominatur via quæ descendit ab Ierusalem in Gazam, sensus communis nos docet non de illa vetere destructa, sed de noua Gaza, esse sermonem. Quare nobis potius videtur cum Chrys. & Oecum. quod relatio fiat ad *viam* quæ ex Ierusalem ducebat in Gazam; quæ via tunc fuerit deserta, raroque habitatore culta, per multas variasque veteres & recentes calamitates. Eodem modo intellexit Interpres Syriacus.

VERS. 27. Et surgens abijt.

VTIQVE versus viam illam quæ ei fuerat designata ab angelo Domini.

PROMPTITVDINEM parendi obseruat Chrysost. quæ magna vtique fuit in hoc S. Philippo Diacono; non quærente causas, non se excusante ob viæ illius solitudinem, aut ob difficultatem & longitudinem itineris; sed statim iter arripiente.

ILLVD hîc obseruandum, Angelum Domini videri nouisse cogitationes illius Eunuchi de quo proxime sequitur, scilicet quo die, ac quo tempore statuisset ex Ierusalem ire in Gazam. Nam alioqui non potuisset Philippum Diaconum Samariæ agentem, ita præmonere de arripiendo itinere, vt in via illa Gazensi inueniret hunc virum redeuntem in terram suam. Obseruandum dicimus hoc, vt sciamus quod Deo reuelante, etiam occulta cordium nostrorum sciant sancti angeli. Et eadem est ratio de beatis hominibus. Vnde Lucæ 15. Saluator ait angelos gaudere super pœnitentia peccatorum. Vident igitur & sciunt eam geri: geritur tamen animo.

ET *ecce*.] Significat hæc particula mirum quiddam esse quod deinceps narrabitur: sicut est verè, nempe hoc ipsum quod S. Philippus ignarus adhuc quare in viam illam iussus esset proficisci, illic inuênit Æthiopem virum nobilem sedentem in curru suo & legentem Isaiam prophetam.

VIR *Æthiops*.] Satis mirum videtur quosdam ambigere vtra Æthiopia hîc significetur, an illa in Africa quam Nilus flumen perluit; an vero Æthiopia Asiatica, vicina Arabiæ & Syriæ. Illud quidem recte faciunt, quod in sacris biblijs præter illam Africanam Æthiopiam obseruant & alteram, quam dicunt orientalem, vicinam (vt dictum est) Arabiæ & Syriæ; cuius Syriæ pars est Palestina. Recte inquam. Nam vxor Moysis, quam ex cap. 2. Exodi constat fuisse

Madianitidem, in lib. Num. c. 12. vocatur *Æthiopissa*; hebraice *Chusith*; vt hebræum quoque nomen quo Æthiopes designantur, æquiuocum sit duabus Æthiopijs. Idem doceri potest ex 2. Paralip. c. 21. v. 16. vbi dicitur, *Suscitauit Dominus contra Ioram spiritum Philisthinorum, & Arabum qui confines sunt Æthiopibus; & ascenderunt in terram Iuda* &c. vbi similiter pro illo (*Æthiopibus*) est hebraicè *Chusim*. similiter locis proxime citandis. Constat autem de Æthiopibus illis Africanis dici non posse quod sint vicini Arabibus. Nam longissime inde absunt, in Africa, vltra Ægyptum; quum Arabes sint in Asia. Verisimile quoque est istos asiaticos seu orientales æthiopes intelligi in historia illa memorabili quæ scribitur e usdem lib. 2. Paralip. cap. 14. vbi decies centena millia referuntur cæsa ab Aza rege Iuda; & fugisse commemorantur Æthiopes vsque Geraram; exercitu que Aza diripuisse omnes ciuitates circum Geraram: quod signum est istos Æthiopes ex ijs locis venisse. Posset obiji quod est eiusdem libri cap. 16. vbi istis æthiopibus annumerantur Libyes: sed Libya Africana dicitur hebraicè *Phut*, quum in hebr. illo loco Paralip. sit *Lubim*. Vide Indicem bonum nominum Peregrinorum. Vbi autem fuerit Gerara ciuitas cum suo territorio amplo, nempe in Palesthinæ finibus qui spectant Ægyptum, discere est ex Genes cap. 10 v. 19. cap. 20. v. 1. cap. 21. in fine. cap 26 toto. Hæc igitur bene sunt obseruata; & hoc loco à nobis commemorata ad scripturarum intelligentiam.

SED quod istam orientalem Æthiopiam opinari quidam volunt ex qua venerit hic Dynasta Æthiops: recipi non potest. Refellitur enim hæc opinio vel hoc vno argumento, quod Æthiopia illa ex qua venerat Eunuchus iste, erat subdita Reginæ Candace, vt hoc loco dicitur. Porro Candace non Asiaticæ seu orientali Æthiopiæ præerat regina, sed Africanę: vt ex Plinio doceri potest lib. Naturalis historiæ 6. cap. 29. in fine. vbi exploratores à Nerone in Ægyptum & Æthiopiam missos, retulisse ait in ea Æthiopia in qua est Meroë vrbs, & eiusdem nominis insula, regnasse fœminam Candacen; quod nomen (addit Plinius) multis iam annis ad reginas transijt. Nec opponi debet alius ex Plinio locus, qui est lib. 5. c 7. vbi duas agnoscit Æthiopias, alteram orientalem, alteram occidentalem. Manifestum est enim ex eodem loco quod ambas illas ponat in Africa, quoniam ait desertis Africæ suppositas. Cum quo illud consentit quod Ptolemæus in 4. Africæ Tabula duas designat Æthiopias, quarum alteram vocat Æthiopiam sub Ægypto; alteram vero, Æthiopiam interiorem; & ipso situ demonstrat hanc illius respectu esse occidentalem.

OMNIBVS igitur in vnum collatis, manifestum est Æthiopiam fuisse duplicem, Africanam & Asianam; quarum hæc fuerit illi orientalis: Africanam fuisse & ipsam duplicem, Æthiopiam scilicet sub Ægypto & Æthiopiam interiorem, quarum illa fuerit huic orientalis, habueritque tempore Christi Domini & Apostolorum suam reginam, Candacen appellatam more illius gentis. Et ex hac Africana Æthiopia sub Ægypto, fuisse hunc Dynastam æthiopem, cuius conuersio ad Christum & baptismus hic describitur.

HÆC eadem Æthiopia est quę in 3. Reg. cap. 10. & in euangelio Matth. 12. vocatur Saba; quando Regina Saba narratur venisse ad Salomonem audiendum

dicendum. Id pluribus docuimus ad illum versiculum Psal. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent.*

EVNVCHVS] Ambigitur an hoc nomen proprie hîc sumatur, an vero improprie vt significet eum qui est aut fuerit ex primarijs ministris regijs, regijue pedisequis. Nam quoniam ijs in locis vbi regibus plures erant vxores, tales ministri ij demum assumebantur qui essent euirati: hinc factum est vt postea nomen Eunuchi translatum fuerit ad generaliter significandum regium pedisequum, regiumue ministrum principalem, siue esset corpore Eunuchus siue non. Ita sumitur Gen. 39. v. 1. & 4. Reg. 20. v. 18. Nobis apparet posteriorem expositionem præferendam: quoniam non videtur magna ratio quare S Lucas hanc qualitatem voluisset exprimere in hac historia, si nomen (Eunuchi) proprie hic vsurparet.

•POTENS *Candaces reginæ Æthiopum. Potens*]græce est, δυνάστης, Dynasta, nomen etiam latinis tritum. Sensus est, vnus ex primoribus reginæ Æthiopum. *Candaces*] Non erat hoc proprium nomen istius reginæ, sed vt ex Plinio paulo ante audiebamus, tempore Plinij iam aliquandiu fuerat commune reginarum Æthiopicarum. Id quod ex eo natum fuit quod temporibus Augusti imperaratoris erat eius gentis regina, cui hoc nomen esset proprium; quæ maximi animi mulier quum suos præclare rexisset, ac benefi ijs ornasset; inde factum est vt sequentes reginæ, quo gratiores essent suo populo, nomen Candaces assumpserint. Doceri id potest ex Strabone lib. 17. vbi ait; *Candace per nostra tempora Æthiopibus imperauit; virilis sane mulier, sed altero oculo capta.* Floruit autem Strabo temporibus Augusti & Tiberij Cæsarum.

QVI *erat super omnes gazas eius*] Erat generalis gazophylax huius reginæ; seu, vt loquimur, Thesaurarius generalis.

DVBITARE quis posset an hæc regina fuerit coniugata. Non liquet: sunt argumenta pro parte negatiua; vnum quod gazas eius commemorat B. Luc. quæ certe potius regis quam reginæ fuissent, si habuisset maritum. Alterum quod Strabo lib. 16. scribat Meroenos (ita nominat Æthiopes sub Ægypto à totius regni metropoli & vrbe regia, Meroë) fœminis parere solitos. Si roges, quare non nuberent, ea saltem de causa vt proli suæ regnum post se relinquerent: respondeti potest, non sanguinis successione, sed libera populi electione, Æthiopiæ reginas creari solitas. Sunt qui & Scythas mulieribus parere solitos scribant Certe Chryst. in iterata huius loci expositione significat hanc reginam sine marito regnasse. Olim (inquit) & mulieres imperabant, vetere quadam lege. Accedit Euseb. hist. lib. secundo cap. 1. sub finem; addens de sua ætate, Adhuc, vt patrius mos fert, gens illa à muliere gubernatur.

VENERAT *adorare in Ierusalem:*] Disputatur à nonnullis an iste Dynasta fuerit gentilis, an proselytus. ac Baronius quidem anno Christi 35. §. 27. proselytum fuisse docet, & repræhendit Eusebium qui dicto cap. 1. libri 2. tradiderit fuisse gentilem. Verum Eusebius non ait fuisse gentilem, quasi fuerit idololatra; non enim ascendisset Ierosolymam ad vnicum verum Deum illic adorandum, si fuisset adhuc paganus: sed ait Eusebius hunc fuisse primum qui ex gentilibus sit factus christianus, & mysterijs Christi initiatus. Nihil vero nos

vrget

vrget vt illum, antequam religionis causa veniret Ierosolymam, dicamus fuisse proselytum; satis est, si vnici veri Dei cultor fuisse credatur, etsi non proselytus. Quod idem de gentilibus illis satis apparet, qui commemorantur Ioan. 12. v. 20. & seqq. Quid sit proselytus in hac materia, dictum fuit ad huius lib. cap. 2. v. 11. in renotione scrupuli quinti. & ad cap. 7. v. 5. vbi nominatur Nicolaus proselytus, Antiochenus. Quod vero opponit Baronius, hoc tempore nondum fuisse gentibus apertum ingressum in Ecclesiam, sed demum post illam visionem cælestem factam B. Petro, quæ narratur cap. 10. huius, cuius admonitu is Cornelium centurionem & familiares eius fidem Christi docuerit atque baptizauerit: ita solui potest vt dicamus, licuisse iam inde à Christi resurrectione annunciare euangelium, etiam gentibus; iuxta mandatum Domini Matth. 28. Marci 16. sed quia idem Dominus saluator volebat initium doctrinæ de Christo, quæ euangelium dicitur, fieri Ierosolymis, deinde per reliquam Iudæam & per Samariam, vt patet Lucæ vlt. & Act. 1. idcirco, hoc tempore quo acciderunt quæ isto cap. narrantur, Apostoli nondum gentilibus euangelium annunciauerant, multo minus eos in Ecclesiam receperant; an diutius eos Iudæis solis vacare vellet Deus, incerti, vsque dum B. Petro illa visio fuit exhibita de qua c. 10. At Philippus Diaconus istum Dynastam Æthiopem docuit fidem Christi & baptizauit, non expectato apostolorum mandato; vt neque tenebatur expectare: quoniam ab Angelo Domini & à Spiritu sancto peculiare eius rei mandatum acceperat. Profecto, si valeret obiectio Baronij: non licuisset huic Dynastæ in Æthiopiam reuerso, statim annunciare fidem Christi in ipsa sua Æthiopia, nisi solis Iudæis vel proselytis qui illic essent. Quod nemo dixerit, si sciat quæ de illo viro tradita sunt à veteribus; quæ à nobis ad finem huius capitis referentur, nimirum ad extrema verba v. 39.

Maneat igitur, recte dici quod hic Æthiops Dynasta non fuerit proselytus, sed vnius tamen Dei cultor; quodque post Christi in cœlos ascensionem fuerit primus ex gentilibus qui per baptismum in Christi Ecclesiam sit introductus, vt dixerat Eusebius histor. lib. 2. cap. 1. ad finem. Porro quod hic dicitur, *adorare*, non qualiscunque adoratio intelligitur, sed solemnis, & quæ fiat per oblationem sacrificij. Ita accipitur & Ioannis 4. vers. 20. & seqq. & Ioan. 12. v. 20. Nam adoratio secreta ac priuata vbiuis fieri potest.

VERS. 28. Et reuertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam.

Hic Dynasta legit sacras literas interim dum curru vectus quatitur atque agitatur: & vbi sumus nos qui tranquillè sedemus in conclauibus nostris, tam segnes sumus ad euoluendos sacros codices; cum interim velimus censeri non solum in numero literatorum, sed etiam theologiæ studiosorum? Dignus lectu Chrysost. homil. 35. in Genesim vbi huius Æthiopis exemplo nos longo sermone ad sacrarum scripturarum lectionem inuitat; siue eas statim intelligamus siue non. Nam sæpius legendo, & scripturarum loca inter se conferendo;

conferendo, paulatim aperitur intelligentia, diuina gratia praeeunte, quæ semper est imploranda, & quæ piè pulsantibus non denegatur. Quid in Isaiæ prophetæ libro legerit hic Æthiops eo tempore, refertur infra v. 32.

REPETENDVM est hoc loco quod ad v. 27. diximus de sanctorum angelorum notitia, qua etiam occulta nostra Deo reuelante cognoscunt; ac insuper considerada nobis est diuina prouidentia quæ efficiebat vt Philippus Diaconus in viam illam Gazensem ingrederetur eodem illo temporis articulo, quo per eam prætervehebatur iste Dynasta Æthiops. Quod quorsum Deus ita procurarit & effecerit, ex proxime dicendis liquebit.

VERS. 29. Dixit autem Spiritus Philippo.

ANTEA fuerat ei locutus angelus Domini, iubens vt ex Samaria proficisceretur in viam hanc Gazensem: nunc Spiritus sanctus ei in corde suo loquitur quid velit fieri, cuiusque rei causa iussus fuerit in hanc viam sese dare; *Accede, & adiunge te ad currum istum.* Nec hic Spiritus sancti iussionem Philippus discutit, neque propter turbam ministrorum se excusat de faciendo quod iubebatur. Nam

VERS. 30. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Isaiam prophetam.

CLARA igitur voce legebat Eunuchus; & Philippus tam versatus erat in scriptura veteris testamenti vt solo auditu posset scire ex quo libro essent quæ legebantur.

ET *dixit, Putásne, intelligis quæ legis?* Hac interrogatiuncula voluit ab eo elicere confessionem ignorantiæ propriæ; quæ agnitio & confessio faceret idoneum accipiendæ doctrinæ. simul autem innuebat latere aliquid sublimius in verbis quæ legebantur; & tacitè suam explicandi operam offerebat. Hæc & similia Chrysost. tam hic in Comm quam illa hom. 35. in Genesim. Nam & hoc idem Chrysost. obseruat quod Philippus neque seipsum insolenter venditauerit, neque ignorantiam contumeliose Æthiopi exprobrauerit; neque ex aduerso eum adulatoriè collaudauerit propter hanc ipsius diligentiam.

VERS. 31. Qui ait; Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?

ET hic ex altera parte obseruare est modestiam Æthiopis, qui non stomachetur ad quæstionem illam Philippi; sed ingenue ac sine fuco fateatur se non intelligere quod legebat; amplius etiam addens, ne posse quidem per se intelligere, sed opus sibi esse docente. Hoc enim est illud, *si non aliquis ostenderit mihi*; Quod græcè ita sonat, *Nisi aliquis dux via mihi fuerit.* Ad quæ verba alludens B. Hieron. in epistola 103. celeberrima illa ad Paulinum, ita ait; cap. 6.

Hæc à me perstricta sunt breuiter, vt intelligeres te in scripturis sacris, *sine prauio & monstrante semitam*, non posse ingredi. Hoc Hier.

NEGAT igitur Eunuchus se intelligere quod legebat: nec tamen ignorabat linguam & voces quæ erant in codice suo. Vbi sunt igitur horum temporum sectarij, qui miseris hominibus persuadent, ipsos nullo negocio sacras scripturas vbique intellecturos, modo eas habeant conuersas in linguam vulgarem? Quod si ita sentiunt, vt apud miseros loquuntur, cur igitur ipsi cudunt tantas moles Commentariorum, quibus eas, vt dicunt, exponant? aut cur eius rei gratia tantum sustinent conciones habendi laborem?

ROGAVITQVE *Philippum vt ascenderet, & sederet secum*. Placuit ei modestia Philippi in vestitu, in sermone, in vultu: sed Spiritus sanctus peculiariter cor eius illuminabat vt crederet Philippum esse virum sanctum & prophetam, id est, diuinorum mysteriorum scientem. Rogat igitur vt secum sedeat in curru, vbi eum docentem audiat ipse. Quod rogauit, hoc sine dubio fecit Philippus: vt manifestum est ex vers. 38. vbi ex curru ambo descendunt in aquam. Pergit B. Lucas;

VERS. 32. Locus autem Scripturæ quam legebat, erat hic; Tanquam ouis ad occisionem ductus est.

IN cap. 53. Isaiæ v. 7. & aliquot seqq. sunt verba quæ Æthiops legebat; sed hic relata à B. Luca iuxta interpretationem 70. Est autem illud 53. caput tam expressa prædictio passionis & subsequutæ resurrectionis atque exaltationis Domini nostri Iesu Christi; vt propter illud potissimum caput B. Hieron. de Isaia dixerit, eum sibi videri non prophetiam texere, sed euangelium; Epistola illa paulo superius allegata ad Paulinum; c. 7. Et Petrus Galatinus de arcanis catholicæ veritatis lib. 8. c. 15. ex veteribus Iudæorum Rabbinis, aduersus prauas recentiorum expositiones, demonstrat illud cap. Isaiæ, non de alio quam de Messia esse intelligendum.

NOSTRA ætate, Ioannes Isaacus Iudæus, postea linguæ hebraicæ (Coloniæ professor longe doctissimus, testatur se ad fidem christianam conuersum potissimum accurata meditatione huius cap. 53. apud Isaiam. Ita ipse in libro cui titulum fecit, Defensio veritatis hebraicæ. Debemus proinde existimare quod non fortuitò, sed speciali diuina prouidentia Eunuchus hoc Isaiæ 53. caput legebat, quum Dei monitu illum accessit S. Philippus Diaconus. Videamus verba prophetæ à S. Luca hic recitata, ex versione 70. Interpp. *Tanquam ouis ad occisionem ductus est*.] Sicut ouis quum ducitur ad victimam, non repugnat: sic ille passus est propria voluntate; inquit post Hieron. in Isaiam. V. Beda. & rectè, quoniam conformiter verbis ipsius Domini quæ sunt Ioannis 10. vers. 17. 18.

ET *sicut agnus coram tondente se, sine voce; sic non aperuit os suum*. Hoc est quod in historia passionis Domini legimus, eum ad accusationes quæ coram Caipha aut Pilato vel Herode aduersus eum fiebant, nihil respondisse. Nolebat, videlicet sua defensione impedire passionem & mortem suam pro nobis subeundam;

dam; quoniam oblatus est quia pro nobis pati voluit, vt ibidem prædixerat Isaias. Nec ideo tamen innocentes fuerunt vel Iudæi vel Pilatus; quoniam quem non ignorabant innocentem, condemnarunt & occiderunt. Sequitur,

VERS. 33. In humilitate iudicium eius, sublatum est.

PRO *humilitate*) græcè est ταπεινώσει; vnde constat vocabulum *humilitatis* hic poni pro deiectione, depressione, afflictione ac tribulatione; quæ hac ratione sæpe vocatur *humiliatio* in sacris literis. *Iudicium*] ἡ κρίσις. sed sæpe ponitur pro iudicio aduerso, hoc est, pro condemnatione. Sensus igitur, quem & Hieron. in hunc Isaiæ locum significat, fuerit iste. Iudicium illud aduersum, quod factum fuerat cum magna eius depressione; dum, ad postulationem tumultuantium Iudæorum, condemnatus à Pilato fuerat supplicio crucis, id iudicium, ea condemnatio, ipsiusque condemnationis executio, scilicet pœna crucis, iampridem sublata est, est ablata, est commutata in gloriosam resurrectionem, in vitam immortalem.

GENERATIONEM *eius quis enarrabit?* Hæc tam breuis sententia nobis exemplum præbet fœcunditatis Scripturæ sacræ, qua vnus aliquis locus diuersas recipit probabiles expositiones. Potest enim sententia ista explicari quinque aut sex diuersis modis; qui singuli bene quadrent contextui illius cap. 53. apud Isaiam, ac insuper ex alijs Scripturæ testimonijs queant confirmari. Prima expositio est de æterna Filij ex Deo Patre generatione. Hanc primo loco ponit Hieron. in Comm. ad hunc Isaiæ locum, & probat ex illis increatæ Sapientiæ verbis Prouerb. 8. *Ante omnes colles ego parturiebar.*

SECVNDA est de temporali ex virgine Deipara generatione. Nam & ipsa difficulter à mortalibus cognoscitur, difficilius explicatur. S. Hieron. ibid. Et S. Leo serm. 3. in principio. de Natiuitate Domini.

TERTIA, qua per Christi generationem intelligatur eius ex morte resuscitatio. Nam Matth. 19. resurrectio dicitur regeneratio; & Apostolus Act. 13. v. 33. Christi ex morte resuscitationem confirmat ex illis Dei Patris ad ipsum verbis, *Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Psal. 2.

QVARTA expositio est, qua hic per generationem Christi, intelligitur eius posteritas, eius spiritualis soboles seu progenies; quæ est tota fidelium Christi multitudo, duratura vsque in finem sæculi; imo duratura in omnem æternitatem in regno cælesti. Quæ spiritualis progenies Christi tam copiosa est, tam exculta, tam nobilis: vt merito exclamet quis, *Generationem eius quis enarrabit?* Et hæc etiam copiosa soboles fuit Christo à Patre cælesti promissa in partem præmij pro passione & morte sua, eodem cap. 53. Isaiæ, v. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam; videbit semen longæuum.* Et mox, *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia; pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* Generatio enim vero sumi pro sobole, stirpe, progenie, vel ille versiculus quem quotidie recitamus e Psal. 111. nos docet, de viro iusto; Potens in terra erit *semen eius; generatio rectorum benedicetur.*

QVINTA expositio per generationem Christi accipit eius vitam, actiones,

 res

res gestas. Ita manifestum est sumi nomen generationis in illa Saluatoris sententia Luc. 16: *Filij huius sæculi prudentiores filijs Lucis in generatione sua sunt.* Id est, in suis negotijs, in suis actionibus, in suis rebus gerendis. Quam rectè, iuxta istam expositionem in Dominum Saluatorem ista verba Isaiæ quadrent, satis nos docet Ioannes Apostolus in fine euangelij sui, illa sententia. *Multa quidem & alia signa* &c. Et illud Nicodemi Ioan. 3. *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Venisti à Deo magister.* & plurima talia elogia passim obuia in historia euangelica. Imò & illud ipsius Domini dictum, Ioan. 15. v. 24. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit:* &c.

SEXTA expositio accipit generationem pro gente, natione. vt sensus sit, Quis satis explicare queat malitiam gentis seu nationis ex qua est ipse? Ita sumitur Matth. 12. v. 39. *Gens tua & Pontifices, tradiderunt te mihi;* inquiebat Pilatus, Ioan. 18. v. 35. In propria venit, & sui eum non receperunt. Ioan. 1. Harum expositionum 5. & 6. dedimus huic *generationis* vocabulo, ad cap. 2. vers. 40.

POSSET addi septima, qua generatio ponatur pro ætate, siue sæculo, & vlterius, metalepsi quadam, pro hominibus sæculi cuiuspiam. q. d. Illud sceleratum sæculum quis satis enarrare queat, quo Christus in terris versabitur? Quis illius sæculi mores & corruptelas? Sæpe ita sumitur generationis seu progeniei nomen, eo quòd sæcula generationibus seu generationum spatijs distinguantur.

QVONIAM *tolletur de terra vita eius.*] Græcè legitur præsens (αἴρεται) *tollitur*, vt habent quidam veteres latini libri. Testantur hoc Louanienisa Biblia & Isid. Clar.

HÆC pars potest bifariam accipi: Priore modo sic, Vita eius sublata est de terra, vt nequaquam in terra sed in cælo viueret, post gloriosam scilicet ex morte resurrectionem. Ita Hieron. in hunc locum Isaiæ; addens impleri id quod in Apocalypsi Ioannis, ipse Saluator de se ait, Ego sum primus & nouissimus: *& viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum.* Apoc. 1. in fin. Posteriore modo, sic; Christus inter homines conuersans, inaudito scelere ab ijs interficietur. Huic sensui videtur aptius quod in heb. pro his ita legitur, *Quia abscissus est de terra viuentium.* Quadrat illud quod in typum Christi Ieremias de se dicit, c. 11. v. 19. *Cogitauerunt super me consilia, dicentes; Mittamus lignum in panem eius; & eradamus eum de terra viuentium; & nomen eius non memoretur amplius.*

VERS. 34. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit, Obsecro te, de quo, Propheta dicit hoc; de se, an de alio aliquo?

RESPONDENS] hebraica locutione dictum est pro alloquens, vt sæpe in euangelica historia. Matt. 11. v. 25. *Respondens Iesus dixit, Confiteor tibi Pater* &c. Illud (*Propheta*) est primi casus, vt ex originali manifestum est. ὁ προφήτης.

VERS. 35. Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ista;

APERIENS *os suum.*] Id est, sese componens ad sermocinandum, tanquam ad rem seriam; vt vere erat; *Et incipiens à Scriptura ista;*] Vtens nimirum pulcherrima hac occasione, quam sibi diuinitus præberi intelligebat; dum ipse qui docendus erat, scripturæ ad rem præsentem pertinentis, explicationem peteret.

EVANGELIZAVIT *illi Iesum.*] Multa his duobus verbis continentur, *Euangelizauit Iesum:* Sensus nimirum est, Annunciauit illi lætissimum illum nuncium, quod Messias qui per prophetas fuerat prædictus venturus in mundum ad hominum salutem, iam venerit; quodque ipse sit Iesus ille Nazarenus, cuius Philippus erat discipulus. Hoc inde constare quod quæ illo loco & alibi Isaias, quæ reliqui Prophetæ de illo fuerant vaticinati, in ipsum competant omnia. Eo constituto, vlterius progressus est Philippus, & summatim docuit quæ præcepta Iesus hic Nazarenus dederit, quæ sacramenta instituerit, quem ritum diuini cultus præscripserit; & similia. Nam hæc omnia sub nomine Euangelij de Iesu, compræhenduntur: id quod clarum est ex proxime seq. huius æthiopis verbis quibus ait Philippo, *Ecce aqua: quid prohibet me baptizari?* Igitur ex Philippo iam intellexerat à Christo esse institutum baptismi sacramentum, illudque esse saluti necessarium: & tamen hoc diserte & peculiariter non narrat B. Lucas. relinquitur ergo quod totum hoc compræhendat sub illis paucissimis, sed latè patentibus verbis, *Euangelizauit illi Iesum.*

OBSERVARE hunc & similes Scripturæ locos deberent Sectarij, vt videant quanto in errore versentur, dum existimant aut simulant se existimare quod bona opera nihil valeant ad salutem; ideoque legem ab euangelio ita distinguunt quod lex proponit salutem cum conditione seruandi diuina mandata: euangelium vero salutem promittit absolutè, nulla conditione faciendi præcepta, sed cum conditione solius fidei. Quæ quam non impiè solum sed etiam stulte dicantur, quiuis potest facile videre qui vel à limine Scripturas noui testamenti, imo doctrinam christianam catecheticam, salutarit. Nouit enim, per prædicationem fidei christianæ (quæ euangelium dicitur) non promitti salutem hominibus si dumtaxat credant, sed si insuper diuina præcepta vsque in finem vitæ obseruauerint; adeo quidem vt nisi fecerint, sempiterna perditio ipsis per euangelium denuncietur. Diximus ea de re pluribus, ad 1. sec. q. 106. art. 1.

VERS. 36. Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam:

DE hac aqua ita scribit S. Hieron. in libro de locis Hebraicis, in Bethsur. Bethsur in tribu Iuda siue Beniamin: est hodie Bethsoron vicus, euntibus nobis ab Ælia (Ierusalem dicit) in Chebron, Hebron in nostra vulgata

vbique dicitur) in vigesimo lapide; iuxta quem (siue vicum, siue lapidem vigesimum) fons ad radices montis ebulliens, ab eadem in qua gignitur, sorbetur humo. Tum addit B. Hieron. in hoc fonte Eunuchum hunc Æthiopem à Philippo Diacono fuisse baptizatum. Credibile vero est, hoc christianos vsque ad tempora Hieronymi continua traditione accepisse.

Et *ait Eunuchus; Ecce aqua: quid prohibet me baptizari?* Hæc verba paulo ante expendimus, explicantes illam B. Lucæ sententiam *Euangelizauit illi Iesum.* Non baptizatur quispiam nisi baptizari petat; ideoque solemne est, eos qui offeruntur, interrogari per baptistam, an velint baptizari: Hic AEthios præuenit interrogationem, & suum baptismi desiderium Philippo Diacono aperit.

Vers. 37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde; licet.

Si *credis ex toto corde*, ea scilicet quæ tibi iam de Iesu Christo tradidi. Nam fidem vnius veri Dei iam antea habebat AEthiops iste Dynasta; alioqui non venturus tam longo itinere in Ierusalem ad vni vero Deo sacrificium offerendum. Christi vero aduentum reliquaque mysteria illuc pertinentia, iam demum edoctus fuerat à S. Philippo; neque alium esse expectandum Messiam. Indicauit verborum Philippi hunc sensum Occumenius; & satis manifeste colligitur ex responso istius Dynastæ; Nam

Respondens *ait, Credo filium Dei esse Iesum Christum.* Talis est etiam græcè ordo verborum: neque satis liquet vtrum complexum à fronte, verum à tergo verbi (esse) sit accipiendum; nisi quod vtrouis modo recte possumus accipere verborum structuram. Planus sensus videtur, Credo quod Iesus ille Nazarenus, quem te docente scio cognominari Christum, sit vnigenitus Dei Patris filius, ipsi coæternus & consubstantialis. Nec male tamen ista verba sic ordinaueris, Credo quod ille Deo Patri consubstantialis filius vnigenitus, qui ab æterno fuit apud Patrem; nunc per incarnationis mysterium sit Iesus hic Nazarenus, quem mihi annunciasti, & qui à fidelibus suis cognominatur Christus.

Porro his paucis verbis Dynasta iste profitetur præcipuum fidei christianæ articulum, de redemptionis nostræ mysterio, scilicet Iesum Nazarenum esse & verum Deum & verum hominem, vnicum humani generis redemptorem. Ex hoc porro articulo pendent cætera fidei christianæ dogmata, & legis Christi præcepta atque instituta: quæ omnia proinde eadem opera Dynasta iste profitetur. Imo & pœnitentiam, qualis ante baptismum agi debet, credendus est fuisse professus; licet expressum non sit. Desiderabat enim baptismum, vtique ad consequendam remissionem peccatorum: peccata igitur detestabatur.

Observare oportet in ista historia, quod baptismum debet præcedere catechismus, id est, summaria fidei catholicæ & christianæ legis doctrina: Deinde illius ipsius fidei & legis professio, quæ fiat, vt loquitur S. Philippus ex toto corde, id est, ex animo, sincere. Atque hanc sinceram fidei ac legis Christi professione

fessionem baptismo præuiam, videtur, S. Petrus indicasse 1. epist. cap. 3. ad finem, illis verbis, *Nos saluos facit baptisma; non carnis sordium depositio, sed interrogatio conscientiæ in* (seu erga) *Deum bonæ*.

VERS. 38. Et iussit stare currum: & descenderunt vterque in aquam, Philippus & Eunuchus; & baptizauit eum.

IVSSIT] haud dubie Eunuchus. Id enim subauditur ex proxime præced. *Et baptizauit eum*] Non liquet omnino, an immergendo an duntaxat abluendo, hic baptismus collatus sit. Et quamuis nonnulli hunc posteriorem modum amplectantur: tamen nobis est probabilius, immergendo fuisse baptizatum hunc Dynastam. Nam ad abluendum, non erat necesse eos ambos descendere in aquam. Stantes enim in crepidine aquæ, poterant hoc negotium conficere abluendo; alter abluens, alter ablutus. Adde quod primis Ecclesiæ temporibus potissimum immergendo cōferebatur baptismus; & erat pars officij Diaconorum decenter nudare viros ad immergendum in fontem baptismalem: Diaconissarum vero, fœminas; vt videre est apud Clementem Romanum Constitutionum apostolicarum lib. 3. c. 15. lib. 8. c. 28.

SI quæratur, qua forma vsus sit Philippus Diaconus in conferendo isto baptismo: nulla ratio est cur dubitemus vsum communi forma Ecclesiæ, eumque baptizasse in nomine Patris & filij & Spiritus sancti.

ALIA quæstio est, Quo modo Philippus Diaconus baptizans hunc Dynastam, non vsurpauerit officium superioris ordinis; Diaconus presbyteri. Certe de protomartyre Stephano non legitur quod aliquem baptizauerit; neque de reliquis primis illis Diaconis, excepto hoc S. Philippo. Et apud Clementem dicto lib. 8. Constitut. cap. illo 28. ita legitur, *Diaconus non baptizat, non offert*. Sed responsio habetur ex eodem lib. cap. vlt. in fine, vbi Paulus apostolus ita loquens inducitur à Clemente; Quod nonnulli Philippum Diaconum & Ananiam fidelem fratrem accusant, quod ille quidem Eunuchum baptizauit, hic vero me Paulum, non intelligunt quod nos dicimus. Dicimus enim, neminem sibi dignitatem sacri ordinis sumere; sed vel à Deo accipere, vt Melchisedec, & Iob; aut à Pontifice, vt Aaron à Moyse. Eodem modo & Philippus & Ananias non se ipsos elegerunt, sed à Christo Pontifice & Deo, electi sunt. Hæc ibi. Extraordinaria videlicet fuit hæc commissio quæ S. Philippo diuinitus dabatur ad baptizandum hunc Dynastam Æthiopem.

ET alioqui, licet Diacono in absentia presbyteri baptizare; præsertim si necessitas aliqua vrgeat. Hic idem Philippus Diaconus baptizauit plurimos Samaritanorum, & cum iis Simonem Magum; sup. v. 12. & 13. Legitur & S. Laurentius quosdam baptizasse, necessitate nimirum premente & absentibus presbyteris. Presbytero vel Episcopo præsenti, id non licet Diacono facere; nisi is ex causa hoc ei committat. Huc faciunt quæ leguntur apud S. Gelasium Papam in epistola ad Episcopos Siciliæ & Lucaniæ, cap. 9. & citantur à Grat. d. 93.

d 93. Diaconos. Et apud S. Isidorum, de diuinis officijs lib. 2. cap. 24 & citantur à Gratiano de consecr. dist. 4. Constat. est cap. 19. Et apud eundem epist. ad Ludifredum; cuius pars huc faciens est apud Gratianum dist. 25. Perlectis.

VERS. 39. Cum autem ascendissent de aqua; Spiritus Domini rapuit Philippum.

SPIRITVS *Domini*] Incertum videtur num ipse Spiritus sanctus intelligatur, an Angelus Domini; nisi quod illud prius apparet potius dicendum: quoniam in superiore huius capitis narratione v. 26. & 29. videmus distingui angelum Domini, & Spiritum. Quare satius videtur hic per Spiritum Domini intelligere Spiritum sanctum; cuius vi Philippus Diaconus abreptus fuit per aërem; sicut quondam Angelus Domini Habacuc ex Iudæa in Babylonem trastulit. Dan. 14. v. 35 *Et amplius non vidit eum Eunuchus.* Chrys. & Oecumenius ob spiritualem vtilitatem huius Eunuchi Deum hoc fecisse exponunt, vt ita repente ab eo auelleretur Philippus, nunquam amplius illi conspiciendus. Videlicet, hoc valebat ad confirmādum illum in nouella sua de Christo fide; quando ex isto facto intelligebat virum sanctissimū esse, qui ad se diuinitus fuerat missus, docendi & baptizandi ipsum gratia. Fecit vero hoc Deus & illa de causa, ne si diutius cum Eunucho mansisset Philippus, magna cum tristitia ab illo auelli debuisset. Nec enim facile dimissurus fuisset Philippum: neque tamen Philippo opportunum esse poterat cum eo proficisci in Æthiopiam. hæc ratio est apud Oecum. Vt igitur huius futuræ alioqui tristitiæ causa omnis tolleretur; subito Deus abripit Philippum: quo miraculo hic Dynasta non ad tristitiam, sed ad spiritualem eamque ingentem lætitiam fuit commotus. Sequitur enim.

IBAT *autem per viam suam gaudens.* Gaudebat nimirum de diuinis erga se beneficijs, quod fidem Christi edoctus esset, quod per Baptismum accepta remissione peccatorum esset Christo insitus; & quidem quod tali modo extraordinario per talem virum Deus hæc sibi præstitisset.

IBAT *per viam suam*] quā redibat in suam Æthiopiam. Quid porro egerit hic vir reuersus in Æthiopiam, dignum est consideratu. Dubitare autem non possumus, cum tam singulari Dei beneficio modoque tam extraordinario, ad fidem Christi adductum, & qui iam antea adeo religiosus erat; omni studio incubuisse in propagandam fidem Christi per suam Æthiopiam & loca vicina: nec dubium magno cum profectu id eum fecisse; qui, præter pietatem, instructus atque munitus erat sæculari etiam potentia, Dynasta vnus ex præcipuis totius Æthiopiæ eius quæ sub Ægypto nominatur, seu AEthiopiæ Meroënæ; iuxta ea quæ diximus ad v. 27. Sanctum vocat Hierony epist. 103. quæ ad Paulinum, c. 5. eodem loco vocat eum Magistrum ex Discipulo: quod clarius alibi dicit in cap. 53. Isaiæ nominans eum *Apostolum Æthiopum.* Eundem eius ad AEthiopas apostolatum commemorat S. Irenæus lib. 3. cap. 12. & S. Cyrillus hierosolymitanus catech. 17. Eusebius hist. lib. 2. c. 1.

VERS.

VERS. 40. Philippus autem inuentus est in Azoto)

ILLVC eum detulit vis Spiritus sancti. Est autem ciuitas maritima Philistinorum, extrema versus Syriam, vt patet in tabulis Geographicis. Hodie dicitur *Asdod*, lingua vulgari.

ET *pertransiens euangelizabat.* Id est, fidem de Iesu Nazareno quod ipse sit Christus, annunciabat,

CIVITATIBVS *cunctis*] in eo scilicet tractu ad littus maris positis: Nam de illis esse sermonem, patet ex sequente clausula, *Donec veniret Caesaream.*] Non illam quæ dicebatur Cæsarea Philippi, sed alteram quæ vocabatur Cæsarea Palesthinæ, & erat ciuitas maritima, patria huius S. Philippi, vt videtur, certe in qua domum habebat, & solebat habitare. Infra cap. 21. v. 8.

ARGVMENTVM

CAPITIS IX.

SAVLVS immanis Ecclesiæ Christi persecutor conuertitur, baptizatur; Christum apud Iudæos diuersis locis annunciat; diuersis locis struuntur illi à Iudæis insidiæ ad interficiendum. Petrus Apostolus dum visitat Ecclesias, Liddæ in nomine Iesu subito sanat Æneam, paralyticum octennem; In Ioppe autem Tabitham mulierem christianam defunctam resuscitat; ibique hæret dies complures.

VERS. I. Saulus autem adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem sacerdotum.

EXTREMIS verbis capitis 7. dictum fuit Saulum consensisse interfectioni B. protomartyris & Leuitæ Stephani; additumque fuit initio cap. octaui, excitatam fuisse illo tempore persecutionem ingentem aduersus nouellam Christi quæ Ierosolymis erat Ecclesiam; adeo quidem vt ex ea vrbe omnes fideles disturbati, dispergerentur per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos. Ac ne ignoraremus quis præcipuus esset procurator & incentor huius persequutionis, ibidem dictum fuit de Saulo, quod *deuastabat Ecclesiam, per domos intrans: & quod trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.* Eius autem dispersionis occasione, sermo deinde factus est de Philippo Diacono, qui Samariam fuerat delatus, ibique annuncians fidem Christi permultos conuertit & baptizauit; ac post hæc Deo monente docuit & baptizauit illum Æthiopem Dynastam. Quibus omnibus de gente Samaritana ac de Philippo Diacono interpositis

terpositis; nunc B. Lucas reducit narrationem ad illa superiora quæ de Saulo dicere cœperat; atque ait, *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini. Adhuc*] Disturbata scilicet iam ecclesia hierosolymitana, vt dicebatur initio cap 8.

SAVLVS nondum exsaturatus cædibus & persecutionibus eorum qui Iesum Nazarenum credebant esse Christum Domini (hi enim vocantur hîc *Discipuli Domini*, id est, ipsiu Iesu; qui postea ideo vocati sunt nomine proprio, christiani; infra cap. 11. sub finem) ac cupiens illos delere non solum Ierosolymis, & in Iudæa, sed etiam quaquauersum, extra terram Israeliticam; de quo eius furore repetantur quæ diximus ad vers. 3 cap. octaui: *Accepit ad Principem sacerdotum*] Quisquis eo fuit tempore: siue Annas, siue Caiphas, siue quis alius. Nec enim refert scire quis fuerit eo tempore summus pontifex Iudaicorum sacerdotum.

VERS. 2. Et petijt ab eo epistolas)

AB *eo*, sed authoritatem habente etiam à toto Collegio sacerdotum, necnon à Scribarum & Seniorum consessu: vt patet ex his quæ Paulus ipse commemorat, infra cap. 22. v. 4. & seq. c. 26. v. 9. & sqq.

IN *Damascum, ad synagogas.* Damascus metropolis erat Syriæ eius (complures enim regiones in Syria erant, ac fere gerebant singulæ nomen Syriæ, cum aliquo adduamento) quæ ab ea dicebatur *Syria Damascena.* In hanc, vt per diuersas alias prouincias, Iudæi erant iam pridem dispersi; & synagogas habebant; synagogæ singulæ suum archisynagogum, curatorem & præfectum scilicet. ad istos archisynagogos & eos qui illis assistebant dabantur hæ literæ à Principe sacerdotum, vt nimirum Paulo in perscrutandis & appræhendendis Iesu Nazareni discipulis, subsidio essent. Nam hoc sibi volunt sequentia; ista;

VT *siquos inuenisset huius viæ viros ac mulieres vinctos perduceret in Ierusalem. Huius via*] Fit relatio ad rem, non ad vocem. Præcessit istud *in discipulos Domini*: Illuc refertur hoc complexum, *huius viæ*, id est, *huius* instituti, huius generis viuendi, huius doctrinæ ac fidei Ita intelligi nomen *via*, hoc loco, discimus ex verbis ipsius Pauli, infra c. 22. v. 4.

VIROS *ac mulieres*] Ita & cap 8. v. 3. scribitur quod non viros solum, sed & mulieres rapiebat in custodiam. *Vinctos perduceret in Ierusalem*] ibi nimirum puniendos, etiam mortis supplicio. Ita fatetur Paulus ipse, infra cap 22. & 26. Ex quibus ijsdem locis, nec non ex v 7. huius capitis intelligitur Saulum ad hæc sanguinaria negotia expediendo, fuisse cum magna satellitum manu, vt Prætorem quempiam capitalem; fuisseque iniunctum synagogis Iudæorum per diuersa loca distributis, vt armatorum hominum subsidium illi præstarent, si ipse requireret. Tam longo enim itinere non poterant captiui duci Ierosolymam vsque, nisi prætor iste iusto numero armatorum esset stipatus.

VERS.

VERS. 3. Et cum iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco:)

QVINTO aut sexto die, vt apparet. Aberat enim Damascus eb Ierusalem itinere quinque dierum; posita scilicet inter Libanum & Antilibanum montes, multo tamen propior huic quam illi; vt liquet apud Ptolemaum Tabula. 4. Asiæ. *Et subito circunfulsit eum lux de cælo. Subito*] Idque meridie; vt ipse Paulus narrat, infra, sæpe dictis capp. 22. v. 6. & cap. 26. v. 13. *Circunfulsit*] id est, fulguris modo illum circumquaque perstrinxit. Tale quid enim valet vox græca περιήστραψεν.

LVX] copiosa; vt dicitur v. illo 6. cap. 22. Imo tanta vt splendorem Solis superaret; quod ipsemet narrat Agrippæ Regi dicto cap. 26. v. 13. Quod non est mirandum; quum fuerit lux à Christi corpore glorioso diffusa, iuxta ea quæ dicentur ad v. 5.

DE *cælo.*] Id est, ex superiore aëre. vt sæpissimè alibi. *Eum*] & eos qui cum illo erant. Additur eodem cap. 26. v. 13.

VERS. 4. Et cadens in terram)

TANTÆ lucis tamque subitaneæ fulgore prorsus perterritus, ac pene exanimatus viribusque destitutus. Credibile omnino est, equo vectum fuisse, vt Prætorem & Coryphæum huius negocij. & ex equo fuisse delapsum præ timore & eum consequente imbecillitate. Nec solus ipse in terram cecidit; sed & quicunque illi aderant. Dicti cap. 26. v. 14. Credibile autem clausisse oculos, vt solent homines ad magna fulgura.

AVDIVIT *vocem dicentem sibi; Saule, Saule, quid me persequeris?* In græco codice est. *Saoul, Saoul.* sicut & infra v. 17. Omninoque tenendum est ita Christum fuisse ei loquutum, lingua scilicet hebraica; vt ipsemet Paulus narrat infra cap. 26. vers. illo 14. Habebat autem vim acriorem ipsa expostulatio istis verbis expressa: nam ipso hoc nomine Saoul, Saoul, exprobratio fiebat, per comparationem ipsius cum Saule illo rege impio persequente Dauidem.

QVID *me persequeris?*] *Me*, hoc est, corpus meum, fideles nempe meos quibus ego caput sum, quum mihi tanquam capiti insiti sint per fidem & baptismum. Nam & in bonum & in malum valet illud quod Math. 25. idem Dominus noster ait se in nouissimo iudicio dicturum, *Quod vni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Paulo amplius in his verbis latere, proximo v. dicetur.

VERS. 5. Qui dixit, Quis es Domine?)

HOC quærit propter illud (*me*) quod erat in verbis proxime recitatis, quum voce ex alto delapsa Saulo diceretur, *Quid me persequeris?* Videtur autem hæc dicens, oculos aperuisse, conuersus ad loquentem, & tunc Domi-

num vidisse: sed tantam claritatem oculis non ferentibus, iterum clausisse, & clausos tenuisse vsque dum finito Domini sermone surrexit à terra, & apertis oculis nihil plane videbat, sed duci opus habebat.

Et ille: *Ego sum Iesus quem tu persequeris.*] Persequebatur Iesum Saluatorem nostrum Saulus, quoniam membra corporis eius, Ecclesiam scilicet ipsius persequebatur, dans operam vt abnegarent Iesum Nazarenum esse Messiam, quod si nollent, occiderentur. Simul autem cupiebat nomen & memoriam Iesu Nazareni abolere. Conferatur ipsius Pauli narratio cap. 22. & 26.

Hoc loco quæritur, An Christus in cælo existens, Paulo ista loquutus sit, an potius in aëre consistens, Paulo vicinus: & vice versa, An Paulus Christi corpus in cælo existens viderit, an potius constitutum in aëre vicino supra se. Sed profecto, qui diligenter considerabit omnes circumstantias huius narrationis, quæ hoc loco est, & verba Ananiæ ad Saulum v. 17. huius capitis; verba item Barnabæ ad Apostolos, vers. 27. eiusdem cap. simulque conferet narrationem hanc cum eiusdem rei historia, descripta cap. 22. ac 26. huius operis, & cum 1. Corinth. 8. v. 1. nec non cum eiusdem epistolæ cap. 15. v. 8. qui (inquam) omnia hæc considerauerit & contulerit: non dubitabit Christi corpus gloriosum Saulo fuisse conspectum corporalibus oculis, idque in aëre terræ vicino consistens, aut in superficie terræ; ac ex eo loco Christum esse Paulo loquutum. Idque ea de causa, inter cæteras, factum à Domino fuisse, vt Paulus idoneus esset testis resurrectionis Christi, sicut erant alij Apostoli: quam causam ipse Paulus indicat 1. Cor. 15. princ. & manifeste exprimit coram Agrippa rege infra huius lib. cap. 26. v. 16.

Ita autem credimus Christum fuisse corporaliter præsentem Saulo, vt tamen eodem tempore in corpore suo glorioso esset in cælo, iuxta alias scripturas: atque ita vno eodemque tempore esset in duobus locis, localiter seu circumscriptiuè. S. quidem Thom. 3. p. q. 75. a. 1. ad 3. q. 76. a. 8. c. & alibi, id negat fieri posse per diuinam potentiam; alioqui sequuturam contradictionem: sed, salua pace tanti Doctoris, nos adhæremus ijs qui id nullam contradictionem implicare docent, esseque Deo possibile. Diximus ea de re satis fuse ad 3. p. q. 76. art. 5. Disputatione vnica.

Illæ aliæ scripturæ quas commemorabamus, sunt Matth. 25. v. 31. & seqq. Act. 1. v. 11. cap. 3. v. 21. Philipp. 3. v. 20. Coloss. 3. v. 1. & accedit ipsum Symbolum Apostolorum. Quare non existimamus Dominum Saluatorem, quo tempore hîc in terra corporaliter est conspectus & auditus à Saulo, interea à cælo abfuisse: licet hoc Doctor sanctus existimet, 3. p. q. 57. a. 6. ad 3. sed occupatus illa quam diximus sententia; à qua nos cum alijs discedimus, salua B. Thomæ reuerentia.

Addit Dominus in suis ad Saulum verbis, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Præcedentia verba significabant improbam esse persecutionem quam in christianos mouebat Saulus: hæc vero significant eam nullum habituram successum; sed contra fore persecutori exitialem. Est autem prouerbialis sermo etiam ethnicis scriptoribus vsitatus, sumptus à bobus, quos dum agunt agricolæ vel bubulci, crura posteriora stimulis pungunt, baculis scilicet præacutis:

Quibus

Quibus stimulis si illi resistere velint eosue calcibus repellere; non modo nihil proficiunt, sed grauius etiam vulnerantur. Ita persecutores Christi vel Ecclesiæ eius, sibiipsis accersunt sempiternum internum ac supplicium; Christo autem nihil nocere queunt; ac ne Ecclesiæ quidem eius: quoniam non minuitur persequutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur ait S. Leo sermone priore de Apostolis Petro & Paulo. Similia habet serm. 6. de Epiphan. cap. 3.

VERS. 6. Et tremens ac stupens dixit; Domine, quid me vis facere?

EVIDENTIA ipsa conuictus credidit, Dominum Iesum ex mortuis resurrexisse, & consequenter esse Messiam Dei patris, redemptorem mundi. Ideoque *tremebat*, præ timore maiestatis quam præsentem cernebat. *Stupebat* quoque, partim animo partim corpore; animo quidem, quoniam Iesum Nazarenum videbat hominem immortalem, quem ipse cum Pharisæis suis reliquisque perfidis Iudæis credebant mansisse in [illegible], corpore vero stupebat, præ magnitudine timoris. Atque hoc timore, tanquam instrumento quodam medio, ab impietate ad pietatem conuersus, & toto pectore priorem vitam detestans; iam offert Domino Saluatori, quem persequutus fuerat, suum obsequium, imo promptissimam obedientiam; quatenus, *Domine, quid me vis facere?*

VERS. 7. Et Dominus ad eum; Surge, & ingredere ciuitatem: & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.

SVRGE.] Hucusque igitur Saulus in terra iacebat, sicut fuerat prostratus, supra v. 4. Id quod magis apparet ex cap. 26. v. 16. vbi ipse narrat Dominum sibi dixisse, *Surge, & sta super pedes tuos.*

ET *ingredere ciuitatem*] Longe aliud ibi acturus, quam quod in mente destinaueras dum acceperas epistolas à Principe sacerdotum ad synagogas Iudæorum, quæ sunt Damasci.

ET *ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.*] *Dicetur tibi.*] Me nimirum procurante & efficiente vt per vnum ex meis discipulis tu illic docearis quid tibi faciendum sit pro tua salute. Infra v. 10. & deinceps. Sed videbitur fortassis id quod hic dicitur, pugnare cum eo quod Paulus de se commemorat Gal. 1. v. 11. *Notum vobis facio, fratres, euangelium quod euangelizatum est à me, quod non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* Verum facilis est responsio. Voluit enim Dominus Paulum ab Ecclesia, per ministerium Ananiæ, accipere catechismum seu rudimentariam institutionem tam super credendis quam super agendis, sicut & baptismum ab Anania Deo volente accepit: idque vel illa in primis de causa vt humilitatem in Paulo conseruaret. At mysteria ac penitiora quæque christianæ fidei & re-

ligionis, quæ illum vt Apostolus Christi esset, scire oportebat; edoctus fuit à Deo immediatè per reuelationem. Voluit nimirum ita illum Deus facere æqualis authoritatis cum Petro & alijs Apostolis, qui Christum in terris versantem audierant docentem, non illa tantum omnibus communia, sed etiam mysteria regni Dei.

QVO autem tempore hæc reuelatio mysteriorum illi facta sit, non omnes eodem modo dicunt. Cæterum ex his Domini verbis satis apparet non fuisse factam intra illud triduum quo Damasci fuit ieiunus, ante baptismum. Sed neque dicendum videtur quod ea reuelatio ipsi facta sit tunc quando fuit raptus in paradisum seu in tertium cœlum, vt ipse de se narrat 2. Cor. 12. quoniam satis videtur constare (vt Baronius probat anno Christi 44 §. vltimo.) quod ille raptus contigerit octauo demum post eius conuersionem anno: & tamen exercuit officium Apostoli multo ante, saltem tunc, quando triennio à sui conuersione elapso redijt Ierosolymam. infra v. 26. & seqq. Imo videtur quod non diu post eius conuersionem & baptismum, ista reuelatio ei facta sit; licet designari nequeat certum tempus quo acciderit.

ADDIT B. Lucas de comitibus itineris Sauli; *Viri autem illi qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti: Stupefacti.*] Id est, rei nouitate attoniti, id enim significat vox græca ἐνεοὶ. *Stabant*] iam scilicet erecti, cum prius & ipsi cecidissent in terram. Infra. cap. 26. v. 14. *Audientes quidem vocem*] scilicet Pauli respondentis; *Neminem autem videntes*, cui responderet Paulus. Lumen tamen viderunt, vt dicitur infra cap. 22. v. 9. vbi additur, *Vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum.* quod quomodo huic loco non repugnet, iam explicatum est, iuxta Chrysost. Pergit S. Lucas;

VERS. 8. Surrexit autem Saulus de terra; apertisque oculis nihil videbat.

NIHIL *videbat.*] In græco hodie legitur οὐδένα, nullum, neminem; sed Interpres noster in suo codice videtur habuisse οὐδὲν, quæ melior videtur lectio, & sequentibus verbis aptius quadrans, quibus dicitur, *Erat tribus diebus non videns.* Fuit nimirum excæcatus corporalibus oculis, vt hac etiam afflictione ad sanitatem mentis adduceretur, intelligeretque iustitiam & potentiam Domini Saluatoris. qui ipsum solum cæcitate percutiebat, non etiam itineris socios, vt patet ex proxime seqq. quamuis & illi lumen illud magnum atque insolitum vidissent, vt iam recitauimus ex cap. 22. v. 9. Sequitur,

AD *manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.* Hoc dicitur de comitibus itineris, de quibus v. præcedente. Hi Saulum manibus arripientes, duxerunt in ciuitatem, vt solent duci oculis capti. Introduxerunt vero illum in Vicum ciuitatis Damasci, qui vocabatur Rectus, in domum cuiusdam, cui nomen erat Iudæ. Infra. v. 11.

VERS.

VERS. 9. Et erat tribus diebus non videns; & non manducauit neque bibit.

ABSTINVIT ab omni cibo & potu per triduum; partim corporaliter valde alteratus præ turbatione tam magna & inexpectata, (quæ alteratio etiam debilitatem viriumque corporalium defectionem complectebatur, vt colligitur ex vers. 19.) partim autem occupatus ingenti animi tristitia, scilicet fuum videns magnitudinem sceleris sui quo Christi nomen conatus fuerat extinguere, & quo fuerat persequutus christianos, imo nonnullos eorum coegerat abnegare Christum; vt ipsemet fatetur, Infra cap. 26. v. 11. Totum igitur illud triduum neque edens neque bibens, versabatur in peccatorum suorum ardentissima pœnitentia; & in feruente oratione pro illorum remissione, aiunt Chrysost. & Oecumenius: & colligitur ex vers. 11. huius capitis. Quo autem modo ad baptismum quo peccata eius abluerentur, peruenerit, deinceps narrat S. Lucas, dum inquit;

VERS. 10. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias:

DISCIPVLVS.] Iesu Nazareni scilicet, id est, christianus. An ab ipso Christo Domino, an vero ab aliquo apostolorum vel primorum Christi discipulorum, ad fidem christianam fuerit conuersus, non liquet; sicut nec hoc, an fuerit Episcopus, presbyter, aut Diaconus saltem. Scriptura quidem neque hîc, neque infra cap. 22. v. 12. & seqq. amplius dicit quam fuisse christianum, fuisse virum pium (sic enim illic legitur in græco codice) qui ab ipsis etiam Iudæis Damasci habitantibus, testimonium pietatis haberet; vnde probabilis est coniectura fuisse Iudæum genere: est tamen verisimile fuisse vel presbyterum vel Episcopum eorum Christi fidelium qui morabantur Damasci. Nam fuisse illic nonnullos, manifestum est ex v. 19 huius cap. Merito autem licet ratiocinari illos in tam magna ciuitate non fuisse sine omni Episcopo & presbytero, nec enim Apostolorum qui Ierosolymis erant, prouidentia hoc tulisset. Quem autem illorum seu Episcopum seu presbyterum, potius existimabimus quam hunc Ananiam, virum tam pium, & tam carum Christo, quam hæc præsens historia enarrat? Qui B. Augustini librum secundum quæstionum euangelicarum q. 40. diligenter considerabit, videbit S. August. sentire quod hic Ananias fuerit sacerdos christianus. Idem, vel amplius etiam, fuisse scilicet Episcopum, videtur Baron colligere & sentire Anno Christi 36. §. 1.

ET *dixit ad illum in visu Dominus; In visu*] græce est ἐν ὁράματι quod idem in originali legitur etiam prius cap. 7. v. 31. & hoc ipso cap. in principio v. 12. & cap. 10. v. 3. 17. 19. c. 11. v. 5. c. 12. v. 9. & cap. 16. v. 9. 10 cap. 18. v. 9. Et in Euangelio Matth. 17. v. 9.

ET pro eodem sæpe videtur poni vocabulum ὀπτασία. in scripturis noui testamenti; quod noster semper reddit, *visionem*: vt & vocabulum ὅραμα [illegible] lerumque.

rumque. Quorum omnium locorum comparatione inter ipsos facta (per quam liquebit istud ὅραμα varie accipi) relinquitur ambiguum, an Dominus sub externa aliqua sensibili specie apparuerit Ananiæ vigilanti, an vero duntaxat Imaginatiuæ virtuti speciem sui impresserit, siue vigilanti, siue dormienti, (hoc videtur Chrysostomo.) sed qui ipsa speciei exhibitione fuerit excitatus, ac Domino responderit. Nobis probabile est quod primo loco dicebatur, conferentibus hunc locum cum eo qui est cap. 10. v. 3. De varijs modis propheticæ cognitionis videndus est B. Thom. 2. sec. q. 173. & 174. art. 2. & 3. vtriusque quæstionis. Dixit ergo Dominus Iesus ad Ananiam, eum proprio nomine compellans, *Anania.*

ET *ille ait; Ecce ego, Domine*, q. d. Præsto sum, Domine, ad audiendum quæ placuerit dicere, & ad faciendum quæ placuerit imperare.

VERS. *11.* Et Dominus ad eum; Surge, & vade in vicum qui vocatur rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine, Tarsensem: ecce enim orat.

THARSENSEM] Ipse Paulus infra c. 22. v. 3. ait sese virum Iudæum, natum in Tharso Ciliciæ, educatum autem Ierosolymis. Quo fit vt aberrent qui tradiderunt eum natum in oppido Iudææ Giscala, eoque à Romanis capto migrasse cum parentibus Tharsum, Ciliciæ metropolim. Eam opinionem S. Hieron. Catal. in Paulo sequitur, tanquam vulgarem: sed alibi eam tanquam fabulam videtur reijcere, Commentario in epist. ad Philemonem sub finem, ad illa verba, *Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu.* Addit Dominus loquens de Saulo, *Ecce enim orat.* Ideo vero hoc addit, ne Ananias Saulum vereretur adire, inquit Chrysost. vtpote qui iam pœnitentiæ deditus, totus esset in petenda remissione peccatorum. Quod enim dicitur, *Ecce enim orat*, non est præcisè accipiendum pro tempore illo quo hæc Dominus loquebatur Ananiæ, sed pro toto tempore quo iam erat Damasci; vt & S. Bernardus intellexit, serm. priore sub finem de conuersione Pauli Apostoli, & Chrysost. ad v. 9. Videtur autem fuisse dies tertius quando Dominus Ananiæ loquebatur: siquis conferat huius cap. v. 9. cum v. 17. & 18. Itaque totum triduum in oratione consumpsit.

VERS. *12.* (Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus vt visum recipiat.)

ET *vidit.*] In græco additur, ἐν ὁράματι. in visione, per visum. Sanctus Bernardus loco proxime allegato, hæc verba accipit tanquam à Domino dicta Ananiæ de Saulo: & eodem modo Syrus Interpres accepit: sed longe melius est (& hoc certo probatur ex proxime sequentibus v. 13. & 14.) vt cum reliquis expositoribus omnibus, ea accipiamus dicta ab historico sacro, B. Luca, de Saulo; quibus is velut parenthetice hîc interserit quid, quod ad præsens negotium

negotium faceret, Saulo per visionem imaginariam fuerit diuinitus ostensum, eodem tempore quo Dominus Ananiæ loquebatur. Itaque eodem illo tempore Dominus interioribus sensibus Sauli repræsentauit virum quemdam, cuiusque nomen *Ananias*, qui videbatur Saulo ad se venire sibique manus salutares imponere ad recuperationem visus sui corporalis. Hæc enim manus impositio erat corporalis sanitatis effectiua, non autem collatiua Spiritus sancti; vt patet ex collatione huius versus cum v. 18.

Est autem obseruandum mirabile Dei consilium quod nunc hanc visionem immisit spiritui seu imaginationi Sauli de Anania, nimirum vt cum reipsa veniret paulo post Ananias ad Saulum, certior fieret Saulus illum sibi à Christo missum; quemadmodum extra Damascum prostrato dictum ab eo fuerat, *Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere*, supra vers. 7. His paucis verbis velut parenthesi quadam interpositis, redit S. Lucas ad seriem narrationis, dicens;

Vers. 13. Respondit autem Ananias; Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem.

Nimirum hæc erant quæ supra sunt narrata cap. 7. v. 59. cap. 8. v. 3. Addit Ananias,

Vers. 14. Et hic habet potestatem à principibus sacerdotum, alligandi omnes qui inuocant nomen tuum.

Illud (hîc) non pronomen est, sed aduerbium, ὧδε. Sensus est, Etiam extra terram Israeliticam, in hac Syria Damascena, potest vincire omnes qui te Iesum Nazarenum profitentur Christum; auctoritatem id faciendi nactus à principibus sacerdotum. Hoc est nimirum illud quod legitur huius capitis initio.

Oportet istum Ananiam fuisse virum sanctum, cui Dominus Saluator tam familiariter loquebatur, & qui tanta familiaritate Domino respondebat: & tamen cum omni illa sanctitate adhuc erat coniunctus naturalis timor tormentorum & necis, quæ à Saulo sibi metuebat, nesciens scilicet esse nunc conuersum ad fidem Christi, quam totis viribus extinctam prius cupiebat. Manifestum est enim Ananiam, quum hæc Domino responderet, nondum sciuisse conuersionem Sauli. Et idcirco (vt hoc obiter addamus) hinc liquet, illa quæ sunt versu 12. non esse verba Christi ad Ananiam de Saulo loquentis, sed verba B. Lucæ ad Lectorem, de Saulo.

Alligandi *omnes qui inuocant nomen tuum.*] Id est, qui te colunt, qui te profitentur Messiam Dei patris, qui te Iesum Nazarenum agnoscunt Saluatorem mundi, & vt Saluatorem adorant, atque precantur; & sese tuos esse discipulos ac fideles palam fatentur.

ATQVE his quidem verbis ſuum timorem Ananias Domino ingenuè confitebatur.

VERS. 15. Dixit autem ad eum Dominus; Vade: quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael.

VAS *electionis.*] Pro illo (*vas*) græcè eſt σκεῦος, quo nomine non tam vaſa liquori excipiendo deſtinata ſignificantur (ἀγγεῖον, illis dicitur quod tale eſt; vnde diminutiuum ἀγγείδιον) quam alia cuiuſuis generis inſtrumenta, artificialia præſertim, ſiue domeſtica ſiue militaria. Qua ſignificatione & apud lat nos nomen *vaſis* accipitur: velut quando hiſtorici aiunt milites vaſa collegiſſe, aut colligere iuſſos eſſe. Sed hebræis eſt multo vſitatius in hunc modum ponere nomen *vaſis.* Quare in his verbis eſt duplex hebraiſmus, vterque valde vſitatus: prior, quo iſtud (*vas*) pro inſtrumento ponitur; poſterior, quo abſtractum ſecundi caſus ponitur pro concreto ſuo; vt ſenſus ſit, *iſte eſt mihi inſtrumentum electum.* Nec propterea putandum eſt hoc *electionis* nomine iſto loco ſignificari electionem ad glóriam ſempiternam, (etſi haud dubie Paulus ea iam ab æterno fuerat electus,) ſed ad certum quiddam, quod verbis ſequentibus exprimitur, *vt portet* &c. Græca enim, ſi quis volet vertere preſſius; ita reddentur; *Iſte eſt mihi electum inſtrumentum portandi* (eſt græcè τοῦ βαστάσαι) *nomen meum* &c. Vel, *portationis nominis mei* &c. Dicit igitur Dominus, Saulum eſſe ſuum electum inſtrumentum quo ipſe portet &c, Planéque græcus ſermo non tam Saulum ſignificat portaturum nomen &c. quam ipſum Dominum, Saulo tamen, vt inſtrumento portandi, vtentem. quo ducit nos illud (*mihi*) quod eſt in verbis præcedentibus.

QVÆ ſi perpendamus: videbimus hunc quoque Scripturæ locum confirmare illud quod S. Thom. dicere ſolet, omnem creaturam in operationibus ſuis eſſe diuinæ maieſtatis inſtrumentum, ſeruata interim inſtrumentorum varietate & cuiuſque proprietate. Loca complura eaque luculenta, recitat Silutus in opuſculo de ſtatu hominis poſt peccatum, toto cap 22. edit. 2.

VT *portet nomen meum.*] Iam ſupra, diuerſis locis dictum eſt, *nomen* in ſacris litteris (vt & in prophanis) ſæpe poni pro ipſa re nominata cuius eſt nomen. Quare *nomen Domini Ieſu*, eſt ipſius dignitas, authoritas, potentia quatenus hominibus innoteſcit. *Hoc nomen* ipſe Dominus Ieſus per miniſterium Pauli tanquam inſtrumenti ſui ad hoc electi, portauit: non tantum per eius prædicationem, ſed etiam per eius ſanctiſſimam vitam, & per eius paſſiones, vincula, aliaſque tribulationes quas propter annunciationem euangelij (id eſt, doctrinæ quod dominus Ieſus Nazarenus ſit Saluator mundi, redemptor humani generis) diuerſis locis pertulit. Nam & tribulationes eius eo valebant vt earum occaſione innoteſceret nomen Domini Ieſu, id eſt, eius dignitas, eius meritum, eius ad ſaluandum nos potentia. Huc pertinet quod ad Philippenſes ipſe ita ſcripſit e carcere Romano, cap. 1. v. 12. *Scire vos volo, fratres, quod quæ circa me ſunt, magis ad profectum*

venerunt

venerunt euangelij; ita vt vincula mea manifesta fierent, in Christo, in omni prætorio (id est per totam aulam Cæsaris) *& cæteris omnibus. & plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.* Eodem pertinet & illud quod ipse scribit Galatis vltimis penè verbis epistolæ, *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* q. d. Ego ex plagis & vinculis alijsque calamitatibus, tot notas in corpore meo circumfero, vt facile agnoscar seruus Domini Iesu, quem hæ notæ ab eo mihi impressæ, designant meum esse Dominum.

CORAM *gentibus.*] Confer verba Pauli Apostoli ad Rom. 15. v. 15 & aliquot seqq. Et 1. ad Timoth. 2. v. 7. ipse nominat sese doctorem Gentium in fide & veritate. Intelliguntur autem *gentes*, more in Scripturis vsitato pro ijs nationibus quæ à stirpe Israelitica diuersæ, falsos Deos colebant, Pagani alio nomine dicti.

ET *regibus.*] Infra cap. 26. huius, baiulat Paulus nomen Christi coram Rege Agrippa, & coram Festo Præside Iudææ, Vicario Imper. Neronis. Sed coram ipso quoque Nerone illud Romæ portauit, si non prædicatione quæ coram illo facta sit, saltem vinculorum pro Christo perpessione, & fama publicoque sermone super causis captiuitatis ipsius. Id quod discimus ex verbis modo recitatis Epistolæ ad Philipp.

ET *filijs Israel.*] Hoc fecisse Paulum liquet ex huius cap. v. 20. & aliquot seqq. Cap. deinde 11. v. 25. 26. cap. item 13. & 14. Rursum cap. 17, 18. 19. & 22. Denique cap. vlt. à v. 17. vsque ad finem.

ADDIT Dominus in suo ad Ananiam sermone,

VERS. 16. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

OSTENDAM *illi.*] Id est, experiri eum faciam. Sic enim sumitur non raro verbum *ostendendi*, etiam in linguis vulgaribus. Nam sicut verbalis demonstratio gignit scientiam in animo intelligentis; sic & experientia, in animo eius qui per eam, vt magistram vitæ, fit sapientior. Sumitur ad eum modum istud *ostendendi* verbum 2. Timoth. 4. v. 14. *Alexander æ arius multa mala mihi ostendit.* Item Tit. 3. v. 2. *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* In Psalmis est frequens. vt Psal 4. *Multi dicunt, Quis ostendet nobis bona?* & alibi sæpe; vt psal. 70. vers. 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas.* Psal. 59. *Ostendisti populo tuo dura.* Psal. 84. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*

PRO *nomine meo.*] Id est, propter doctrinam & professionem christianitatis; propter prædicationem qua vbique docebit me esse eum qui sum, vnicum à Deo Patre missum Messiam, Saluatorem mundi.

QVANTA *oporteat eum pati.*] Ipse Paulus partem bonam horum commemorat 2. Corint. 11. v. 23. & seqq. Sed postquam illa Paulus Corinthijs scripserat, multo atrociora passus fuit diuersis locis, vsque ad carcerem Mamertinum nouem mensium, ipsamque interfectionem sub Nerone.

PORRO his verbis quæ iam recitauimus v. 15. & 16. Dominus omnem

metum adeundi Sauli ab animo Ananiæ propellit: cum dicat tantum abesse vt propter nomen Iesu Nazareni aliquid sit passurus à Saulo; vt contrà potius, aulus extrema quæque pro ipsius nomine, quod eousque certabat extinguere, sit deinceps passurus, & quidem libentissimè.

VERS. 17. Et abijt Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus, dixit;

IMPONENS *ei manus.*] Ad corporalem effectum, restitutionem scilicet visus quem amiserat. Quod ad hunc demum effectum facta sit Saulo ista manuum impositio, doceri potest ex vers. 12.

DIXIT; *Saule frater*, Græcè est Σαούλ & omnino putandum sic fuisse illi loquutum Ananiam, hebraica nimirum lingua.

DOMINVS *misit me Iesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas; Apparuit tibi.*] Id est, qui de improuiso tibi est conspectus; Id enim sonant græca, ὁ ὀφθείς σοι. Vnde id norat Ananias, Dominum Saulo conspectum fuisse in itinere? Vel ex sermocinatione ipsius Domini cum Anania, tametsi hoc in proxime antecedente narratione non referatur hic à S. Luca, vel certe ex tacita reuelatione facta menti ipsius Ananiæ, vt Chrysost. arbitratur. Potest etiam fieri vt Ananias iam ingressus Domum Iudæ in vico illo Recto, priusquam alloqueretur Saulum, quæsierit ex aliquibus comitibus Sauli, vel ex ipso Iuda, quid Saulo in via accidisset.

VT *videas.*] Hoc complexum adhæret illi clausulæ præcedenti, *Dominus misit me.* Sermo est de corporalis visus receptione; hanc enim significat illud græci codicis verbum ἀναβλέψῃς; quod idem legitur in fine v. 12. Est tamen intelligendum, quod Deus per hanc corporalium oculorum illuminationem volebat Saulo significare quid intus faciendum esset per suam gratiam, in mente ipsius; profligata inde malitia, quæ hominem excæcat. Addit Ananias, *Et implearis Spiritu sancto.* Quod vtique per baptismum, magna ex parte futurum erat; ad quem baptismum hic Ananias Saulum ea de causa hortabatur suscipiendum; quum illi diceret, *Et nunc quid moraris? Exurge, & baptizare & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.* Ita ipse Paulus narrat, infra, cap 22, vers. 16. Partim vero Spiritu sancto implendus erat Saulus, per sacræ confirmationis effectum; quem (vt plane verisimile est) ipse sine visibili sacramento accepit immediate à Deo; sicut acceperant reliqui Apostoli die Pentecostes. Pergit B. Lucas;

VERS. 18. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ;

TANQVAM *squamæ.*] Id est, quædam reiectamenta similia squamis piscium vel serpentum. His squamis declaratum fuit magnam valde cæcitatem oculis Sauli fuisse, ait Oecum. vt tanto mirabilior fuerit illius cæcitatis remotio. *Et visum recepit.* Deinde sequitur,

ET *surgens baptizatus est.* Tum ex his verbis, tum æque manifeste ex cap. 22. v. 13 & seqq. patet quod corporalem visum Deus Saulo restituerit, antequam baptizaretur, quamuis nonnulli per inaduertentiam historiæ, contra sensisse videantur.

ET *surgens baptizatus est.*] Ex verbis paulo ante citatis quæ sunt cap. 22. v. 16. manifestum est Saulum per baptismum demum adeptum esse remissionem peccatorum, & consequenter gratiam iustificantem: quicquid nonnulli aliter dicant, qui credunt ante baptismum fuisse iustificatum, eo quod perinsignem eius contritionem animaduertant. Hi perinde loquuntur de gratia iustificante, ac si esset instar formarum naturalium, quæ in materiam vltima dispositione præparatam, vi eius introducuntur. Quod non ita est. Non enim vi alicuius dispositionis præuiæ infunditur aut exoritur gratia iustificans. Nec est putandum illi mulieri peccatrici de qua est Luc. 7. fuisse sua peccata remissa, antequam ei diceret Dominus, *Remittuntur tibi peccata tua:* quantumuis magna esset eius contritio. Sacramenta Christi conferunt gratiam ex opere operato; non autem eam sic conferunt dispositiones requisitæ in suscipiente. Pergit S. Lucas,

VERS. 19. Et cum accepisset cibum, confortatus est.

ID est, corporales vires recepit. Languebat enim eousque, partim ex alteratione illa maxima, etiam corporali, quæ ipsi acciderat in terram deiecto prope Damascum, ita vt toto corpore tremeret, supra v. 4. & 6. partim vero ex triduana illa inedia, de qua v. 9. Accedebat & tristitia illa ingens, postquam enormitatem scelerum suorum iam perspiceret; qua tristitia fuerat non parum debilitatus. Supra ad v. 9.

FVIT *autem cum discipulis qui erant Damasci, per dies aliquot.* Ex his verbis intelligitur iam tum fuisse Damasci complures Christi discipulos, id est, christianos, seu Christi fideles, scilicet qui crederent Iesum Nazarenum esse Christum; quod est caput & fundamentum religionis christianæ, seu euangelij salutis. Quid ex his verbis simus ratiocinati de Anania cuius hactenus facta mentio, id licebit repetere ex annotatione ad v. 10. Quod autem hic dicitur, *per dies aliquot*, quomodo non repugnet sequentibus, vers. 23. huius cap. vbi dicitur, *Cum autem implerentur dies multi;* ex illius particulæ expositione manifestum euadet, Deo propitio. Sequitur,

VERS. 20. Et continuo in synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei.

IN *synagogis*] scilicet quæ erant Damasci. Erat autem vsitatum in eadem aliqua ciuitate, præsertim maiore esse, plures synagogas Iudæorum.

PRÆDICABAT *Iesum*] quid de Iesu Nazareno prædicauerit, attexit S. Lucas, nempe *quod ipse sit vnigenitus Dei filius*, quem Pater hominem factum dederit Saluatorem & Redemptorem humano generi: atque hic est articulus

religionis primarius, vt paulo ante dicebamus, pro quo nobis contra Iudæos est omnis contentio.

PRÆDICABAT autem Paulus hoc de Iesu, non tanquam Apostolus tantum (vt ex his quæ ad v. 7. dicta sunt, facile intelligitur) quando hæc faciebat Damasci; sed vt discipulus Christi, profitens suam de Iesu Nazareno fidem: idque ideo quoniam honor Dei & salus proximorum, Iudæorum scilicet Christo aduersantium, eam professionem illo loco ac tempore, merito videbatur exigere; vt omnibus innotesceret vis diuinæ gratiæ, qua tantus fidei christianæ persequutor, iam erat ad eam conuersus; & vlterius, vt omnes intelligerent, non posse non veram esse eam fidem, ad quam ipse tanto miraculo esset conuersus.

NEQVE vero Paulum deterruit rusticus, imo noxius quispiam pudor quòd diceretur palinodiam canere, legem patriam deserere, & similia. Sciebat enim magnum esse peccatum siquis ab hominibus potius quam à Deo quærat gloriam. Ioan. 5. v. 44. cap. 12. v. 43. Intelligebat quod Christus coram Patre suo cælesti & angelis suis sit negaturus eum, quem hîc coram hominibus puduerit Christi & doctrinæ ipsius Marci. 8. in fine. Vtinam hoc Pauli exemplum commoueat multos quos hodie noxia verecundia in erroribus detinet.

VERS. 21. Stupebant autem omnes)

VELVT extra se rapiebantur præ admiratione, *Qui audiebant*] siue ipsum ista de Iesu Nazareno profitentem, siue hoc ipsum de illo.

ET *dicebant, Nonne hic est qui expugnabat*, Id est, qui quantum poterat, delebat & extinguebat, *In Ierusalem eos qui inuocabant nomen istud?* nempe Iesu Nazareni. Confer dicta ad v. 14.

ET *huc ad hoc venit vt vinctos illos duceret ad principes sacerdotum?* Hæc omnia nota sunt ex cap. 8. v. 3. & ex principio huius capitis. Quid autem? An hæc istorum admiratio, & hi tales de Saulo sermones, eum languidiorem reddiderant in profitendo nomen Iesu Nazareni quod ipse sit Christus? Minime verò; sed contrà potiùs tanto magis extimulabatur ad fidem suam de Iesu profitendam inter inimicos illi Iudæos. Hoc sonant illa sequentia,

VERS. 22. Saulus autem multo magis conualescebat;

CONVALESCEBAT] græcè est ἐνεδυναμοῦτο, Sensus est, fiebat robustior, fiebat potentior, fiebat vehementior. Nempe, in dies acrioribus ex vetere testamento petitis argumentis probabat apud Iudæos quod Iesus sit Christus; eaque argumenta maiore in dies vehementia spiritus & sermonis, apud eos proferebat. Et hæc faciens, *Confundebat Iudæos qui habitabant Damasci.* Bene reddidit Interpres illud *confundebat*, sed per metaphoram debet accipi, qua à corporeis ad animum transfertur. Sensus enim est, Perturbabat animos istorum infidelium Iudæorum, reddebat eos inopes consilij ac perplexos, vt nescirent quo se verterent; videlicet dum Paulus doctissimus Scripturarum

veterum,

veterum, ostenderet eas competere in Iesum Nazarenum tanquam Messiam Domini, quem tamen ipsi reiecerant atque pergebant reijcere. *Affirmans quod hic est*, adferens, sermonibus suis in medium conferens, *quoniam* (quod) *hic* Iesus sc. licet Nazarenus à Iudæis Ierosolymæ crucifixus, est *Christus*, est ille olim à Deo Patre promissus Messias, Redemptor ac Saluator humani generis; & quod non est expectandus alius, vt expectant infideles Iudæi. Exemplum similis sermonis & demonstrationis factæ ex Scripturis per Paulum apud Iudæos, est videre infra cap. 13. v. 16. & multis seqq. Videatur etiam cap. vlt. v. 23. & seqq.

VERS. 23. Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in vnum Iudæi, vt eum interficerent.

EX 2. Corinth. 11. in fine, satis apparet has molitiones Iudæorum de interficiendo Paulo, factas fuisse Damasci: quomodo igitur S. Lucas ait eas factas *post dies multos* à tempore rerum proxime narratarum; cum idem ipse dixerit v. 19. huius, Saulum fuisse Damasci cum christianis illius loci, *per dies aliquot*; significans breui duntaxat tempore illic eum hæsisse? Hæc quæstio soluenda est verbis ipsius Apostoli quæ sunt epistolæ ad Gal. c. 1. v. 17. Nempe, quum baptizatus fuisset Damasci, & statim à baptismo in synagogis Iudæorum professus nomen Domini Iesu, quod ipse sit Messias Dei patris, neque sit expectandus alius; quæ S. Lucas narrauit à v. 20. hucusque: eo tempore, paucis duntaxat diebus hæsit Damasci, & ex Damasco profectus est in Arabiam, vbi itidem nomen Domini Iesu prædicauit, inter Iudæos potissimum, qui illic erant; vt quidem Chrysost. existimat Com. in cap. 1. ad Gal. v. 17 credens multa & magna eum illic fecisse, tametsi scripta non sint neque à B. Luca, neque ab alio. At V. Beda Commentario ad v. 26. huius cap. credit Saulum non prædicasse in Arabia; quasi illic duntaxat latuerit ad tempus, velut in quodam secessu. Et probat suam opinionem ex verbis ipsius Pauli ad Regem Agrippam, infra cap. 26. vers. 20. vbi prædicationis quam fecerit in Arabia, nulla est mentio, cum reliquis in locis ab eo facta, commemoretur. Posset simile argumentum fieri ex huius cap. v. 27. vbi sunt verba Barnabæ de Saulo.

DEINDE ex Arabia reuersus est Damascum: vbi cum aliquantisper hæreret strenuè prædicans nomen Domini Iesu; structæ sunt illi à Iudæis insidiæ interficiendi eius causa, quæ hoc v. 23. & seq. 24. narrantur. Ex his intelligitur quod ait S. Lucas hoc loco, *cum implerentur dies multi* &c.

QVANTVM autem temporis consumpserit in Arabia, & quantum Damasci post reditum, vtcunque colligi potest ex huius historiæ quæ est hoc cap. collatione cum v. 17. & 18. c. 1. ad Gal. Nimirum quum anno Christi 36. Mensis Ianuarij die 25. conuersus fuisset Saulus, ac post triduum baptizatus, deinde aliquandiu Damasci apud christianos hæsisset; ex ea vrbe est profectus in Arabiam, vt sæpe iam dicto cap. 1. ad Gal. ipse commemorat. Quoniam autem triplex (alia aliis conterminna vt patet ex 4. & 6. tab. Asiæ apud Ptolemæum) est Arabia, Petræa, Deserta, & Felix, ipseque Paulus

lus nihil distinguit, sed simpliciter dicit se abijsse in Arabiam; & quoniam eodem illo cap. 1. dicit sese post annos sui conuersione tres redijsse Ierosolymam vt Petrum apostolum salutaret, & coram inspiceret; neque videtur postquam ex Arabia Damascum redierat, ibi diu hæsisse, propter ea quæ hîc leguntur v.26. ideo omnibus his inter se collatis, apparet Paulum diutius in Arabia hæsisse, quam opinetur Baronius, ad annum Christi 37. §. 1. & anno 39. § 4. Credit ille ex Arabia redijsse Damascum, anno illo 37. Christi; cum potius vsque ad annum 38. in Arabia videatur hæsisse. Nam alioqui dicendum erit ipsum post reditum in Damascum, illic moratum fuisse longo tempore, scilicet vsque post tertium à sua conuersione annum: quod dici non posse, satis colligitur ex v.26 huius cap. Si enim tunc diu hæsisset Damasci annuncians Christum Iesum: fama huius rei peruenisset Ierosolymam vtique, quinque duntaxat dierum itinere à Damasco distantem. Quare, nulla fuisset causa cur Paulum post triennium Ierosolymam ingressum omnes christiani timuissent, non credētes quod esset discipulus, vt hîc dicitur v.25. Adde, quod Iudæi Damasceni qui antequam in Arabiam iret, illi infensi erant propter fidem Christi; iam Damascum reuerso non distulissent per longum tempus, struere insidias ad occidendum. Quibus consideratis, arbitramur breui tempore moratum fuisse Damasci postquam illuc redierat: & per consequens, diutius in Arabia fuisse conuersatum.

CVM *autem implerentur dies multi*] Hoc est, post triennium à conuersione Pauli; intra quod triennium fuerat in Arabia, & erat reuersus Damascum. Quod de triennio dicimus facile probatur ex dicto 1. cap. ad Gal. v. 17. & 18.

CONSILIVM *fecerunt in vnum Iudæi*;] Damasci scilicet habitantes, *Vt eum interficerent*], tanquam qui ex propugnatore Iudaismi, & Prætore capitali aduersus christianos, esset factus ipsemet christianus, imo annunciator christianismi, & oppugnator Iudaismi; desertor patriæ legis, vt inquiebant

VERS. 24. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum.)

PER christianos vtique Damasci agentes, qui eas resciuerant, Deo volente sic seruare Saulum in longiora tempora ad Ecclesiæ profectum.

CVSTODIEBANT *autem & portas die ac nocte, vt eum interficerent*] Valde ardens igitur fuit studium istorum Iudæorum ad perdendum Saulum, quem videbant præconem Iesu Nazareni; quem Iesum illi cupiebant erasum ex omnium hominum memoria. Hanc partem historiæ ipse Paulus 2. Cor. 11. in fine ita narrat; *Damasci, Præpositus gentis Aretæ regis custodiebat ciuitatem Damascenorum vt me comprehenderet*. In quo nō est discrepantia ab hac naratione B. Lucæ; nam credere possumus Iudæos extimulasse istū ciuitatis gubernatorem vt ex cubijs per portas dispositis daret operam comprehēdēdo Saulo; & ipsos etiam auxilium lubenter obtulisse in augendo numero excubitorum: videlicet ne vlla via superesset Saulo ad elabendum. Sed non est prudentia contra Dominum. Nam quo modo, inter tot tamque vigilantes excubitores, fuerit elapsus; & Paulus ipse eodem loco narrat, & S. Lucas hîc, verbis seqq.

VERS.

VERS. 25. Accipientes autem eum discipuli nocte,

DIscipvli] Christi scilicet, vt monet V. Beda; id est, christiani qui erant Damasci. *Per murum.*] Per fenestram scilicet quæ in muro mœnium ciuitatis erat, 2. Cor 11. fin. *Dimiserunt eum; submittentes in sporta.* Id est, funibus ex alto demittentes insidentem sportæ. Quo vero deuenerit Saulus, ita ingeniose per singula, e Dei beneficium elapsus Damasco, verbis proximis dicit S. Lucas.

VERS. 26. Quum autem venisset in Ierusalem, tentabat se iungere discipulis;)

HOc est, conuersari cum christianis illius loci, tanquam christianus etiam ipse. *Et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus.* Sciebant fuisse capitalem Iesu Nazareni & fidem eius profitentium, hostem: de conuersione nihil certi adhuc audierant, neque de professione christianæ religionis quam fecerat Damasci & in Arabia. Accidit autem hic Sauli Ierosolymam aduentus post annos tres ab eo tempore quo inde exierat cum epistolis Pontificis Iudaici, & cum satellitio, vt prætor aduersus christianos; seu post annos tres à sua conuersione: vt ipse scribit Galatis cap. 1. v. 18. Non constat autem an tertius ab illo tempore annus fuerit expletus, an solum aliquousque inchoatus, tunc quando primum à sua conuersione rediit Ierosolymam. Ac Baronius quidem credit hunc eius in Ierusalem aduentum euenisse anno Christi 39. vt videre est in illius anni historia § 4. Quod si recipimus, ac præsertim si post initia illius anni factum credimus; illud quod Paulus ait dicto c. 1. Gal. *Post tres annos veni Ierosolymam* accipiendum erit de tribus annis completis.

ILLVD mirum videri posset, quod elapsus Damasco Ierosolymam inierit, vbi non minus periculi erat expectandum quam fuerat Damasci: sed ipse Paulus cap. illo 1. ad Gal. d. v. 18. causam huius suæ in Ierusalem profectionis reddit hanc, *Post annos tres veni Ierosolymam, videre Petrum; & mansi apud eum diebus quindecim. Videre Petrum.*] Hoc est, vt propius nossem, penitusque considerarem Petrum Apostolum, quem videbam apud omnes christianos esse maximi nominis; & cui sciebam à Christo Domino curam impositam totius Ecclesiæ. Beneuolentiam scilicet, imo honorem illi deferre volebam, Patri spirituali omnium christianorum. Et quod ea mente Petrum tunc viserit, ex eo quoque confirmatur quod tunc temporis aliorum apostolorum neminem viderit, nisi Iacobum fratrem Domini; ad Gal 1. v. 19. Forte & latendi causa inter hostiles Iudæos. Quam honoris delationem à Paulo factam Petro per hanc Ierosolymitanam profectionem, diligenter annotant Hier. Theodoretus & Oecum. in illum locum cap. 1. epistolæ ad Gal. Pergit S. Lucas;

VERS. 27. Barnabas autem appræhensum illum duxit ad Apostolos.

HIc est ille Barnabas cuius facta est mentio cum laude in fine cap. 4. Cur ipse nunc Saulum ducat ad Apostolos potius quam quiuis alius, illa à nonnullis causa probabiliter redditur, quod vetus ei familiaritas cum Saulo fuerat, iam inde quum condiscipuli essent sub Gamaliele Pharisæo illo celeberrimo, cuius mentio facta fuit cap. 5. huius libri, & cuius ipse Paulus tanquam Magistri sui, mentionem facit cap. 22. huius operis in princip. Hoc de condiscipulatu Sauli & Barnabæ authorem habet Alexandrum Monachum, græcum scriptorem, in Encomio quod scripsit S. Barnabæ Apostolo. Recitatur à Metaphraste, & extat apud Aloysium. Neque possumus dubitare quin Saulus sui conuersionis modum & ordinem, & quid iam triennio post conuersionem egisset, exposuerit familiari suo, Barnabæ; antequam is eum ad Apostolos deduceret.

DVXIT *ad Apostolos*] scilicet ad Petrum & Iacobum fratrem Domini. ad nullos tunc alios. Patet hoc ex Gal. 1. v. 18. 19 Et ita facile soluitur obiectio, quæ prima fronte difficultatem facit non bene aduertentibus ad singula, obiectio (inquam) de contrarietate inter hunc locum historiæ S. Lucæ, & inter illum capitis 1. ad Gal. Certe & infra cap. 12. ex v. 3. & 17. apparet nullos tunc Apostolos fuisse Ierosolymis, nisi Petrum & Iacobum Alphæi, Iacobo Zebedæi iam occiso.

ET *narrauit illis, quomodo in via vidisset Dominum, & quia (quod) locutus est ei; & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu*. Hæc omnia hactenus narrata fuerunt hoc capite; & ea Barnabas ab ipso Saulo accepta, narrauit Apostolis Petro & Iacobo.

ILLA verba, *& quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu*, hunc sensum habent; Et quomodo Damasci, inter Iudæos, magna libertate magnaque fidentia annunciauerit nomen Iesu, hoc est, dignitatem, potentiam ac meritum Domini Iesu Nazareni, quod ipse & non alius, sit vnigenitus Dei filius, Messias Dei Patris, Saluator & Redemptor humani generis. Vel sic, Et quomodo Damasci, tametsi in magnis periculis versaretur, tamen potentiæ & benignitati Domini Iesu inter christianos notæ, confisus, fecerit officium Apostoli; & tandem sese periculo subduxerit.

VERS. 28. Et erat cum illis intrans & exiens, in Ierusalem.

CVM *illis*] siue Apostolis de quibus proxime sermo præcessit; siue *discipulis*, de quibus dicebatur v. 26. quod tentabat se illis iungere, eum tamen non recipientibus quod non crederent esse fidelem Christi. Hoc posterius videtur magis germanum, ex mente B. Lucæ, postquam addit, *in Ierusalem*; vt non de duobus tantum Apostolis loqui videatur.

INTRANS

INTRANS *& exiens*] hoc est familiariter conuersans. Schema sermonis est, vsitatum etiam linguis vulgaribus.

ET *fiducialiter agens in nomine Domini.*] Græci codices addunt, *Iesu*. Sensus horum verborum ex proxime dictis habetur. Nempe, quod Ierosolymis liberè atque fidenter loquutus sit de dignitate, potentia ac merito Iesu Nazareni, tanquam Messiæ à Deo missi;& quod illius potentiæ ac benignitati notissimè fisus, hæserit Ierosolymis aliquamdiu, inter pericula vitæ.

VERS. 29. Loquebatur quoque gentibus & disputabat cum græcis:

ILLVD (*gentibus*) non est in textu V. Bedæ, vt neque in originali; abest etiam à bonis veteribus latinis quos vidit Desiderius. Vix dubium fuisse assutum per indoctos scribas, qui sermonem B. Lucæ non intelligebant. Tollatur ergo & retineatur germana nostri Interpretis versio hæc; *Loquebatur quoque & disputabat cum græcis*. In originali pro isto (*cum græcis*) est πρὸς τοὺς ἑλληνιστάς quod idem nomen fuit supra c. 6. v. 1. de quo satis multa ibi dicta sunt. est & infra cap. 11. vers. 20 Significat autem non quosuis græcos, multo minus quosuis gentiles, sed Iudæos seu Israelitas natos extra terram Israeliticam, extraque illam educatos, ac proinde loquentes alia lingua quam quæ tunc hebræa dicebatur, in primis autem lingua græca, quæ tunc latissimè in vsu erat apud doctiores. Istorum Hellenistarum multi versabantur vel etiam habitabant Ierosolymæ, vt ex cap 6 huius operis manifestum est. De his nunc sermo est, ac dicitur quod Saulus quo tempore iam hærebat Ierosolymæ, cum illis loquebatur & disputabat. Quod posterius verbum græce est συνεζήτει, q. d. conquirebat, simul inquirebat; vt disputandi verbum hic proprie sumptum sit. Videtur Paulus apud eos proposuisse quæstionem, velut disputatione in vtramque partem expendendam. An Iesus Nazarenus sit Messias Domini; & partem affirmantem ita valide astruxisse ex scripturis, vt Hellenistæ argumenta eius soluere non possent. Itaque cum non possent ei resistere: fecerunt quod sequitur,

ILLI *autem quærebant occidere eum. Quærebant.*] Vox græca amplius quiddam sonat, ἐπεχείρουν, q. d. iam in manibus habebant hoc negotij, iam aggrediebantur vt eum occiderent. Ita fecerant B. Stephano, cum non possent resistere sapientiæ & spiritui per illum loquenti. Sup. cap. 6. Sed impediuit Deus eorum conatus. Nam sequitur,

VERS. 30. Quod cum cognouissent fratres,) Deo vtique faciente vt Hellenistarum factio & machinatio ipsis innotesceret:

DVXERVNT *eum Cæsaréam*; Videri posset intelligi Cæsaréa maritima, quæ Cæsarea Palesthinæ dici solet, ad distinctionem alterius æquiuocæ illi, quæ in euangelio Cæsarea Philippi nominatur, posita iuxta Antilibanum, haud procul à fontibus Iordanis: sed conferentibus hunc locum cum cap. 1. ad Gal.

ad Gal v. 21. aliud videbitur. Ibi enim Paulus Apostolus loquens de eadem historia, ait, *Deinde* (cum scilicet vidissem Petrum Ierosolymis) *Veni in partes Syriæ & Ciliciæ*. Pro quo B. Lucas hic dicit quod *fratres*, id est christiani qui erant Ierosolymis, *deduxerunt Saulum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum*. Tarsus porro erat ciuitas Ciliciæ: vnde consequenter videtur quod Cæsarea quæ hic à S. Luca nominatur, non fuerit illa Palestinæ, sed altera quæ Philippi dicebatur. Nam hæc demum poterat dici esse in Syria (Phœniciæ nimirum ciuitas) prout Syria à Palestina distinguitur; non vero illa maritima, quæ sine controuersia est in Palestina. Tabula 4. Asiæ apud Ptolem.

Debemus autem certum tenere quod Saulus neque in Syria neque in Cilicia fuerit ociosus, sed fidem de Domino Iesu quod ipse sit Christus, apud Iudæos (nondum enim gentibus apertum erat ostium fidei) omni studio disseminauerit. Videtur autem diu in Cilicia, ac in sua patria Tarso, hæsisse; siquis conferat hanc narrationem cum cap. 11. v. 25. Nam Barnabas Saulum Tarsi reperit & adduxit Antiochiam, Anno Christi demum 42. siquis perpendat quæ Baronius habet Anno 43. §. 10. quum ea quæ à v. 26. huius cap. narrantur, contigerint anno 39. aut vt summum, 40. Pergit S. Lucas,

Vers. 31. Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem; & ædificabatur ambulans in timore Domini; & consolatione sancti Spiritus replebatur.

Totus hic versus in græco codice legitur pluraliter; sed ad sensum nihil interest: nam omnes Ecclesiæ particulares constituunt vnam vniuersalem & catholicam Christi Ecclesiam. *Habebat pacem.*] Libera erat à persequutionibus extraneis siue Iudæorum siue gentilium. Nam illa immanis persequutio quæ statim à cæde B. Stephani protomartyris, per Iudæos fuerat concitata Ierosolymis in christianos, iam deferbuerat, Deo faciente tranquillitatem, saltem per interualla quædam, prout eius sapientiæ & fidelium saluti ac fidei propagationi videbatur expedire.

Et *ædificabatur.*] Metaphora sumpta est à materialis templi structura. Sensus est, proficiebat in fidei constantia & cognitione, in pietate, in charitate, in omni genere virtutum; Imo & numero paulatim fiebat maior.

Ambulans *in timore Domini*; *Timor Domini*, recte intelligitur quem Theologi appellant filialem, quo pij cauent Deum offendere non tam ob metum pœnarum quæ forent expectandæ, quam ob ipsius culpæ deformitatem quam sciunt bonitati & maiestati eius displicere. Quanquam fidelibus etiam diuinæ seueritatis qua pœnas irrogat, timor non solum vtilis est, sed & necessarius; vt à peccatis retrahantur & arceantur, & vt de præteritis seriam agant pœnitentiam.

Et *consolatione sancti Spiritus replebatur.*] Posset alicui videri non fuisse locum consolationi postquam dictum est Ecclesiam in istis regionibus tunc temporis

temporis habuisse pacem: sed cogitare oportet quod etsi tunc nulla esset persequutio publica, tamen qui ex Iudæis fidem Christi amplectebantur erant odiosi reliquis in Iudaismo permanentibus, etiam consanguineis & maxime propinquis. Deinde penuria rerum necessariarum multi laborabant, & alijs huius mortalis vitæ incommodis. Denique, illa ipsa pax erat pars huius consolationis. Et post omnia hæc, Conscientiæ tranquillitas quam suscepta fide Christi sentiebant, accedente fraterna inter ipsos mutua dilectione, permagna erat ipsis à Spiritu sancto consolatio.

ILLVD his addendum est, quæ causa esse possit cur B. Lucas hanc periodum hic interponat, quæ neque præcedentibus neque sequentibus videtur cohærere. Responsio bene probabilis sumitur ex Chrysost. eam sequentibus cohærere, & propter narrationem quæ proxime de Petro Apostolo sequitur, à S. Luca præmitti. Versu enim proximo dicitur de Petro quod transiret per vniuersas Ecclesias Palestinæ, visitans scilicet tanquam bonus Pastor ouilia Christi Domini. Ibi rogare quis poterat, qui hoc tuto facere potuerit, quum tam multi & magni essent inimici nouellæ Ecclesiæ Christi. Poterat etiam rogare, qui cum officio boni pastoris conuenerit vt christianos qui in vrbe Ierosolyma erant, Petrus in medio luporum reliquerit, ipse velut statione deserta aliò atque aliò sese proripiens. Huic vtrique quæstioni occurrit S. Lucas, eamque præoccupat, dicens, neque in vrbe Ierusalem, neque in reliqua Iudæa, nec in Samaria aut Galilæa fuisse illo tempore persecutionem, sed pacem diuinitus omnibus illis Ecclesijs tunc concessam fuisse. Atque ita Petrum Apostolum Ierosolyma sine detrimento fidelium potuisse abesse; & sine suo periculo visitare omnes Palestinæ nouellas Christi ecclesias. Sequitur,

VERS. 32 Factum est autem vt Petrus, dum pertransiret vniuersos, deueniret ad sanctos qui habitant Lyddæ.

CAP. 8. v. 25. dixerat noster sacer historicus Petrum & Ioannem apostolos ex ciuitate & regione Samaritanorum fuisse reuersos Ierosolymam: ab eo loco hucusque nihil de Apostolo Petro dixit; nunc ad eum regreditur, ac de illo texit historiam, reliqua parte huius capitis, Deinde capp. 10. 11. 12. Toto reliquo opere nihil de Petro amplius; excepta parte cap. 15. sed omnia de Paulo Apostolo, cui indiuiduus comes peregrinationis adhæsit S. Lucas. Ait ergo,

FACTVM *est vt Petrus, dum pertransiret vniuersos;* Id est, dum pastorali solicitudine, tanquam vniuersalis Christi Domini vicarius, totiusque Ecclesiæ gubernator, dum (inquam) egressus Ierosolyma ac bene vtens illa temporali tranquillitate (quam Ecclesijs Christi per Palestinam Deus tunc dabat) visitaret omnes ecclesias vbicunque dispositas: &c. Visitabat vtique Petrus ad confirmandum fideles in vera fide de Christo ad præscribendum præcepta vitæ & morum christianismo congruentium, ad consolandum afflictos, cæteraque his similia facienda; vt ad hunc locum fusius explicat Chrys. Atque adeo

hoc fere tempore creditur Antiochenam fundasse ecclesiam, ibique episcopalem sedem collocasse, Anno scilicet Christi 39. vt illic § 8. 9. & seqq ponit & probat Baronius. Exemplum hic est episcopalis visitationis: vt & infra, cap. 14. v. 20. & seqq. cap. 15 v. 36. & cap. 16.

DVM ergo omnes visitaret Petrus; *factum est vt deueniret ad sanctos qui habitabant Lydda. Ad sanctos*] Id est, ad christianos. Diuersis enim nominibus vocabantur, vt liquet ex varijs locis epistolarum apostolicarum. Dicebantur *Discipuli Christi, fideles Christi*; dicebantur *fratres*, dicebantur *sancti*, quia scilicet in baptismo sanctificati, eam sanctitatem se retinere profitentur christiani, & multi retinent per Dei gratiam, aut amissam statim recuperant. Ergo, *ad sanctos*, seu ad fideles Iesu Nazareni Christi,

QVI *habitabant Lyddæ.*] Fit mentio huius ciuitatis 1. Machab. 11. v 34. ex quo loco etiam patet quomodo conciliandum sit quod nonnulli veteres historici hanc ciuitatem attribuant Samariæ, nonnulli vero Iudææ; Nempe cum prius censeretur inter oppida Samariæ, authoritate regis Demetrij, cum duabus alijs ciuitatibus esse attributam Iudææ, ita volente illo rege Iudæis gratificari in compensationem officiorum & fidelitatis.

ERAT Lydda haud procul à Ioppe, ciuitate Palestinę maritima, vt ex Ptolemæo patet Tab. 4. Asiæ, & ex huius cap. v. 38.

QVVM postea anno Christi 68. à Cestio præside Syriæ hoc oppidum fuisset incensum, vt narrat Iosephus belli Iudaici lib 2. cap. 23; denuo fuit instauratum, & Romani indiderunt ei nomen *Diospolis*, q. d. ciuitas Iouis. Atque hoc nomine notius est apud historicos posteriores Iosepho.

HÆC est illa *Diospolis* in qua quatuordecim episcoporum habita est prouincialis synodus, quæ Pelagium præsentem sua ipsius noua dogmata damnare & anathematizare coëgit, alioqui anathemate feriendum; Quam synodum S. Prosper cap. 2. Carm. de Ingratis nominat *Orientalem*; S. August. magis distinctè nominat Synodum *Palestinam*, lib. 1. Retractationum cap 47. & in opusculo quod superioribus demum annis prostare cœpit, cui titulus, *De gestis Pelagij*; passim toto opusculo: sed omnium distinctissimè, *Synodum Diospolitanam* nominat S. Hieronymus epist. 79. Habita est ea Synodus anno Christi 415. vt in illius anni historia est videre apud Baron. §. Noua hæc & plane admiranda, cum seqq. multis. Sequitur in textu,

VERS. 33 Inuenit autem ibi hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus.

DIVTVRNITAS languoris exprimitur, ad maiorem euidentiam miraculi subsequentis. *Nomine Æneam*] Ἀινέαν est græce; non Αἰνείαν, quod est nomen illius Troiani ducis. Vnde latine foret pronunciandum Æneas, sicut Andreas, vt quidem Laurentius censet, non sine ratione, & qui eum audiunt: quoniam per ε scribitur secunda syllaba, nec producitur positione. *Inuenit*]
siue

siue ad fores domus suæ expositum captando aëri; siue (si erat pauper) exportatum in plateas eleemosynæ accipiendæ causa.

VERS. 34. Et ait illi Petrus; Ænea sanat te Dominus Iesus Christus: Surge, & sterne tibi.

AENEA] Nomen huius viri B. Petrus cognouit vel spiritu prophetico vel fortassis ex sermone aliquorum Christi fidelium qui habitabant Lyddæ, de quibus dictum fuit v. 32.

SANAT *te Dominus Iesus Christus*] Ita est in Biblijs Clementinis, videlicet per indicatiuum modum (*sanat*); quum communes libri nostræ editionis habeant, *sanet*; modo deprecatiuo vel optatiuo. sed illud, *sanat*, est in vetustioribus & melioribus libris latinis, conformiter originali, ἰᾶταί σε.

OBSERVANDVM est, Petrum Apostolum gloriam miraculi expressis verbis tribuere Domino Iesu Saluatori; idque ad fidem eius corroborandam & propagandam in animis eorum ad quos notitia huius miraculi erat peruentura. Idem fecerat in miraculosa curatione illius claudi de quo in princ. cap. 3.

PORRO vna cum his verbis conferebatur Æneæ corporalis sanitas, per meritum & potentiam Christi Domini: quod significant verba quæ B. Petrus adiungit, *Surge, & sterne tibi.* q.d. Hactenus per annos octo iacuisti; nunc confertur tibi à Domino Iesu sanitas, vt possis surgere. Hactenus alij tibi strauerunt tuum lectum: nunc confertur tibi robur vt possis deinceps ipse tibi sternere. An ista B. Petri verba sint optantis, an quodammodo imperantis, quæri potest. Non male dicitur esse velut imperantis, non quidem ex authoritate, sed per ministerium, quo ipse Christo Domino seruiebat, etiam in edendis miraculis. Conferantur quæ dicta sunt ad cap. 3. v. 6. *Et continuo surrexit.*] Per hoc veritas miraculi est patefacta omnibus qui virum istum nouerant; nouerant autem plerique omnes in ea ciuitate, quoniam annos octo iacuerat paralyticus; atque ita per hoc miraculum in nomine Domini Iesu factum, conuersi sunt ad fidem de Iesu quod ipse sit Messias Domini. hoc illis verbis sequentibus dicitur à B. Luca;

VERS. 35. Vt viderunt eum omnes qui habitabant Lyddę & Saronæ; qui conuersi sunt ad Dominum.

DE Sarona alij aliud dicunt: sed non est cur quenquam potius audiamus quam B. Hieronymum; qui multos annos in Palestina egit, omniaque eius loca perlustrauit. is in libro de locis hebraicis tradit, suo etiam tempore regionem quæ est inter montem Thabor & stagnum Tiberiadis, Saronam fuisse appellatam: similiter & omnem terram mediam inter Cæsaream Palestinæ & oppidum Ioppen. In opusculo autem quod illi libro B. Hieronymi subiungitur, quo explicantur nomina locorum Hebraicorum in Actis Apostolorum posita, ita legitur, *Saronas, quod interpretatur Campestris, regio*

est

est Cæsarea Palæstinæ vsque ad oppidum Ioppen pertingens. Tum addit Author illius opusculi, Est & hic locus pascendis gregibus aptus: quæ Petro prædicante fidei continuo germinauit fructus. Sed & inter montem Thabor & stagnum Tiberiadis regio Saronitis appellatur. Ita ibi. Ex quibus discimus quod per Saronam hic loco recte accipiatur planities seu campestris illa regio Lyddæ ac Ioppe vicina, ipsa enim Ioppe propinqua erat Lyddæ, vt patet ex huius cap. v. 38.

Patet item ex dictis quod Saron seu Sarona sit nomen commune, generaliter significans planitiem seu locum campestrem, sed distinguitur secundum loca alia atque alia, vbi est planities. Quod confirmari potest etiam ex 1. Paralip. 27. v. 29. Sensus igitur huius loci est, quod non solum Lyddani, sed & incolæ agri circumiecti, viderunt hunc Æneam iam restitutum sanitati; venientes scilicet Lyddam, siue ad mercatum siue aliorum negotiorum causa, vt fit. Et quod permulti tam ex Lyddanis quam ex Saronitis istis, miraculo commoti, conuersi sunt ad fidem Domini Iesu.

Dvbitationem mouent nonnulli, An iste Æneas in Iesum crediderit antequam eum sanaret Petrus apostolus hoc miraculo. Respondendum est non esse dubium quin fuerit vnius veri Dei cultor secundum legem Mosaicam. An iam tum in Iesum Christum crediderit; non liquet. Potest fieri vt fuerit vnus ex numero sanctorum, de quibus dicebatur v.32. id est, Christi fidelium; & vt alij christiani qui erant Lyddæ eum B. Petro commendarint ac pro eo rogauerint tanquam pro fratre christiano. Potest etiam fieri vt nondum fuerit christianus, nec tamen christianorum inimicus, vt erant Iudaizantes; & pro illo christiani Apostolū orarint. Denique, vt nemo pro illo interpellarit, Apostolus tamen Petrus eum in nomine Iesu sanarit; vt sananerat prius illum claudum natum, de quo initio cap. 3.

Videantvr quæ dicta sunt ad cap. 3. v. 16. Conferantur etiam quæ sunt infra cap. 14. v. 9. vnde intelligetur quod Petrus Apostolus fortassis in isto viros cognoscebat per Spiritum Dei quod haberet tantum fidei vt ea iuuaret ad impetrandum sanitatem; sicut illic simile narratur de Paulo & viro quodam Lystrio claudo nato, quem ipse sanauit per nomen Domini Iesu, videns quod fidem haberet vt sanaretur.

Deinceps S. Lucas vsque ad finem cap. narrat alterum diuinitus per S. Petri ministerium factum miraculum, resuscitationem scilicet cuiusdam piæ mulieris christianæ. Ait ergo,

Vers. 36. In Ioppe autem fuit quædam discipula.)

Ioppe ciuitas erat Palestinæ, maritima, haud procul à Lydda, vt dicitur paulo post. v. 38. Superest hodie, & à vulgo Europæorum mercatorum appellatur Iaffa, aut Iappho. *Quædam discipula* Quædam mulier christiana. An fuerit maritata, an vidua, an cœlebs virgo; non liquet: nisi quod ex multitudine eleemosynarum quæ hîc factæ ab ea commemorantur, possumus argumentari eam sui iuris fuisse, vel viduam scilicet vel virginem cœlibem.

NOMINE *Tabitha*. Syriaco scilicet nomine. nam hebraicè aliter dicitur hatstebiah in Cantico canticorum & alijs locis vbi fit mentio caprearum. Ita Caninius in explic. hebræorum nominum quæ occurrunt in nouo testamento, cap. 11. in fine. Putauit autem B. Lucas hoc nomen quid significaret esse exponendum; ideoque illud reddit per æquiualens vocabulum græcum, inquiens,

QVÆ *interpretata dicitur Dorcas*. Est autem Δορκάς, latine Caprea, id est, Capra syluestris. cuius vna species est Dama; nequis idem valere putet Dorcadem & Damam.

CVR S. Lucas ita designate ponat & in græcam linguam interpretetur nomen huius matronæ, causa reddi potest, quod ea designatio faceret ad certitudinem miraculi circa eam patrati cum resuscitata est. Chrysost. tamen, Ven. Beda & Oecumen. etiam ad mysticam significationem id factum putant ab historico nostro sacro; vt scilicet quæ corporales proprietates reperiuntur in Dorcade seu Caprea, easdem per analogiam, hoc est, spirituales ijs corporalibus respondentes, intelligamus in hac sancta matrona eminuisse. Habet caprea visum acutissimum seu perspicacissimum, ac in longinqua vigentem, delectatur summitate abruptarum rupium. de quo est illud distichon,

Pendentem summa capream de rupe videbis:
Casuram speres; decipit illa canes.

Tribuitur etiam huic animali mira velocitas, 2. Reg. 2. v. 18. 1. Paral. 12. v. 8. Quæ omnia quomodo spiritualiter huic matronæ sanctæ adfuerint, quilibet facile apud se meditabitur. De hac addit B. Lucas;

HÆC *erat plena operibus bonis, & eleemosynis quas faciebat*. Hoc à sancto historico profectum encomium, considerent non tantum sectarij, qui bonis operibus per Christi spiritum factis, nimis parum tribuunt; sed & catholici multi qui ad ea nimis frigidè, ac nimis languidè sese accingunt. Sequitur.

VERS. 37. Factum est autem in diebus illis vt infirmata moreretur.

QVAM *cum lauissent*.] Obseruetur vetus mos inter fideles, lauandi corpora defunctorum fratrum seu aliorum fidelium, vt hoc extremum honoris inter cætera, ijs habeant, tametsi iam vita carentibus, quæ sperant ad gloriosam immortalitatem olim excitatum iri. *Posuerunt in cœnaculo*, donec scilicet efferretur in sepulcrum.

VERS. 38. Cum autem prope esset Lydda ad Ioppen; discipuli audientes quia (quod) Petrus esset in ea; miserunt duos viros ad eum rogantes, Ne pigriteris venire ad nos.

HÆC postrema verba minore incommodo fuissent versa quomodo sunt græcè, sic, *Rogantes ne pigritaretur*, seu *ne grauaretur*, *vel potius ne differret venire*

VERS. 42. Notum autem factum est per vniuersam Ioppen, & crediderunt multi in Domino.

HIc est fructus diuinorum miraculorum, conuersio scilicet hominum ad fidem, ad pœnitentiam, ad gratitudinem, ad profectum in via virtutis, ad perseuerantiam; & in primis honor & gloria diuinæ maiestatis quæ nihil incrementi adferunt ipsi, sed sicut in angelis & hominibus insunt, sic ijs prosunt. Vt honor non est in honorato, sed in honorante: sic gloria est in eo qui gloria afficit alium, non in eo qui afficitur.

IN *Domino*. Sermo est de Iesu Saluatore, quod fidem de illo susceperint, moti hoc miraculo. Nam antea iam vnum verum Deum credebant & colebant, Iudæi scilicet, non ethnici.

CREDIDERVNT *multi*.] Cur non omnes, viso, saltem certissime intellecto, tanto miraculo? Quia fides Dei donum est, quod ipse donat quibus vult, & quos vult relinquit indotatos, etiamsi tanta miracula videant & sciant. Cur non crediderunt cæteri per suum liberum arbitrium, tanto miraculo viso? Quia noluerunt credere, etiam illo viso.

QVOMODO potuerunt hoc nolle, viso illo? Quia liberi arbitrij erant. Et in talibus hominibus per exemplum discimus, quam corruptum, quam prauum, quam deflexum ad mala, quam infirmum ad salutaria, sit liberum arbitrium quando diuinæ gratiæ auxilium speciale, ipsum non præuenit, & præuentum adiuuat: vt, qui gloriatur, in Domino glorietur, non in seipso.

ILLVD hic obseruandum est priusquam longius progrediamur, quod humano forsan iudicio melius fuisset isti in vitam reuocatæ Tabithæ, si postquam erat bene mortua, non debuisset iterum experiri miserias & pericula huius vitæ; atque adeo ipsa fortassis maluisset non redire. Tamen quia eius in vitam mortalem istam resuscitatio, ad Dei gloriam pertinebat, illa in vtrumque parata fuit. Idem affectus fuit in Paulo Apostolo cum diceret, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*. Philipp. 1. *Quid eligam ignoro*. Idem debet esse affectus omnium: nam Dei gloriæ debent seruire omnes, siue viuendo, siue moriendo. Addit vltimo loco S. Lucas loquens de S. Petro Apostolo, quem iam Ioppen venisse dixerat, ibique Tabitham resuscitasse;

VERS. 43. Factum est autem vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium.

EX sequentis cap. v. 5. 8 manifestum est S. Lucam hanc pericopen superioribus attexere, tanquam parasceuen ad sequentem de Cornelio centurione narrationem.

ILLVD hoc loco post Chrysost. obseruat Oecumenius, Petrum Apostolum qui potuisset apud Tabitham manere (quanquam hoc non valde decuisset

set fortassis, ne videretur gratiæ relationem quærere) vel apud alium quempiam locupletem; voluisse excipi hospitio apud coriarium; quod genus hominum habetur & vile & sordidum: idque ea de causa, vt qui ecclesiis præsunt, discant non sectari hospitia nobilium, potentium aut locupletum; neque despiciant inferioris notæ christianos, memores Deo vnumquemque tanto esse maiorem quanto melior est. Discant etiam hinc diuites & nobiles non sibi deberi omnia: discant vulgares homines non abiicere animum, nec existimare sese à suis Episcopis vel pastoribus negligi. Potuit aliqua pia causa Apostolum præter hæc mouisse: siue quod domus istius coriarij esset extra strepitum ciuitatis, ad mare posita, vt dicitur v. 6. cap. seq. siue fortassis quod pietate excellebat hic Simon inter illius loci fideles. Illud enim certum esse debet Apostolum Petrum fecisse præceptum Domini quo iusserat suos apud eos demum excipi qui digni essent. Matth. 10. vers. 11.

ILLVD merito pia meditatione scrutari possumus, quid per dies tam multos egerit Princeps Apostolorum in ciuitate Ioppe: Ac illud quidem certissimum est confirmasse illius loci christianos in fide, in vita sancta; consolatum fuisse afflictos; quin etiam annunciasse euangelium Iudæis illius oppidi qui nondum Iesum credebant esse Christum, eorumque complures ad christianam fidem adduxisse. sed quæri potest, an non ordinauerit illic aliquos presbyteros & Diaconos qui ecclesiastica ministeria & officia sacra christianis propria, illic exercerent. Id quod nobis videri solet, conferentibus hunc locum cum cap. sequentis v. 23. & 48. & cap. 11. v. 12. Nam quum v. illo 48. dicatur quod Petrus Apostolus iusserit baptizari Cornelium centurionem & domesticos atque familiares ipsius: quærere merito possumus, per quos iusserit eos baptizari. Ac nihil promptius occurrit, quam eos esse baptizatos per fratres seu christianos illos, qui sex numero ex Ioppe Cæsaream cum Apostolo venerant. Porro, nemo sibi persuadere poterit quod Apostolus Petrus voluerit aut permiserit istos baptizari à christianis qui essent omnino laici, præsertim sine vlla necessitate, & se præsente. Restat igitur vt fuerint initiati sacris. Vbi & per quem? si non in ipsa Ioppe, & per Petrum ipsum eo tempore, quo bene longo illic egit, antequam ad Cornelium accerseretur. Posset forte quispiam respondere, hos fuisse baptizatos per aliquos presbyteros vel Diaconos Cæsarecnses, quos Petrus Apostolus in ædes Cornelij aduocarit. Sed nihil nisi coniectura est. Maiore probabilitate dicat quis, Apostolum Petrum iussisse illos baptizari per Philippum Diaconum, qui ibi domum habebat. Infra cap. 21. v. 8. Illum Cæsaream venisse dictum fuit sup. c. 8. v. vlt. Verum, an hoc tacuisset S. Lucas, si per S. Philippum (de quo tam multa cap. 8.) baptizati fuissent? Quare necessario fatendum est fuisse Cæsarea sacri ordinis homines per quos isti sint baptizati. Hi baptistæ vtique non seipsos sacris initiauerant: Ergo sacramentum ordinis hic videmus eiusque exercitium.

VERS. 42. Notum autem factum est per vniuersam Ioppen, & crediderunt multi in Domino.

HIc est fructus diuinorum miraculorum, conuersio scilicet hominum ad fidem, ad pœnitentiam, ad gratitudinem, ad profectum in via virtutis, ad perseuerantiam; & in primis honor & gloria diuinæ maiestatis quæ nihil incrementi adferunt ipsi, sed sicut in angelis & hominibus insunt, sic ijs prosunt. Vt honor non est in honorato, sed in honorante: sic gloria est in eo qui gloria afficit alium, non in eo qui afficitur.

IN *Domino*. Sermo est de Iesu Saluatore, quod fidem de illo susceperint, moti hoc miraculo. Nam antea iam vnum verum Deum credebant & colebant, Iudæi scilicet, non ethnici.

CREDIDERVNT *multi*.] Cur non omnes, viso, saltem certissime intellecto, tanto miraculo? Quia fides Dei donum est, quod ipse donat quibus vult, & quos vult relinquit indotatos, etiamsi tanta miracula videant & sciant. Cur non crediderunt cæteri per suum liberum arbitrium, tanto miraculo viso? Quia noluerunt credere, etiam illo viso.

QVOMODO potuerunt hoc nolle, viso illo? Quia liberi arbitrij erant. Et in talibus hominibus per exemplum discimus, quam corruptum, quam prauum, quam deflexum ad mala, quam infirmum ad salutaria, sit liberum arbitrium quando diuinæ gratiæ auxilium speciale, ipsum non præuenit, & præuentum adiuuat: vt, qui gloriatur, in Domino glorietur, non in seipso.

ILLVD hic obseruandum est priusquam longius progrediamur, quod humano forsan iudicio melius fuisset isti in vitam reuocatæ Tabithæ, si postquam erat bene mortua, non debuisset iterum experiri miserias & pericula huius vitæ; atque adeo ipsa fortassis maluisset non redire. Tamen quia eius in vitam mortalem istam resuscitatio, ad Dei gloriam pertinebat, illa in vtrumque parata fuit. Idem affectus fuit in Paulo Apostolo cum diceret, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*. Philipp. 1. *Quid eligam ignoro* Idem debet esse affectus omnium: nam Dei gloriæ debent seruire omnes, siue viuendo, siue moriendo. Addit vltimo loco S. Lucas loquens de S. Petro Apostolo, quem iam Ioppen venisse dixerat, ibique Tabitham resuscitasse;

VERS. 43. Factum est autem vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium.

EX sequentis cap. v. 5. 8 manifestum est S. Lucam hanc pericopen superioribus attexere, tanquam paraceuen ad sequentem de Cornelio centurione narrationem.

ILLVD hoc loco post Chrysost. obseruat Oecumenius, Petrum Apostolum qui potuisset apud Tabitham manere (quanquam hoc non valde decuisset

set fortassis, ne videretur gratiæ relationem quærere) vel apud alium quempiam locupletem; voluisse excipi hospitio apud coriarium; quod genus hominum habetur & vile & sordidum: idque ea de causa, vt qui ecclesijs præsunt, discant non sectari hospitia nobilium, potentium aut locupletium, nec despiciant inferioris notæ christianos, memores Deo vnumquemque tanto esse maiorem quanto melior est. Discant etiam hinc diuites & nobiles non sibi deberi omnia: discant vulgares homines non abijcere animum, nec existimare sese à suis Episcopis vel pastoribus negligi. Potuit aliqua pia causa Apostolum præter hæc mouisse: siue quod domus istius coriarij esset extra strepitum ciuitatis, ad mare posita, vt dicitur v. 6. cap seq. siue fortassis quod pietate excellebat hic Simon inter illius loci fideles. Illud enim certum esse debet Apostolum Petrum fecisse præceptum Domini quo iusserat suos apud eos demum excipi qui digni essent. Matth. 10. vers 11.

ILLVD merito pia meditatione scrutari possumus, quid per dies tam multos egerit Princeps Apostolorum in ciuitate Ioppe: Ac illud quidem certissimum est confirmasse illius loci christianos in fide, in vita sancta; consolatum fuisse afflictos; quin etiam annunciasse euangelium Iudæis illius oppidi qui nondum Iesum credebant esse Christum, eorumque complures ad christianam fidem adduxisse. sed quæri potest, an non ordinauerit illic aliquos presbyteros & Diaconos qui ecclesiastica ministeria & officia sacra christianis propria, illic exercerent. Id quod nobis videri solet conferentibus hunc locum cum cap. sequentis v. 23. & 48. & cap. 11. v. 12. Nam quum v. illo 48. dicatur quod Petrus Apostolus iusserit baptizari Cornelium centurionem & domesticos atque familiares ipsius: quærere merito possumus, per quos iusserit eos baptizari. Ac nihil promptius occurrit, quam eos esse baptizatos per fratres seu christianos illos, qui sex numero ex Ioppe Cæsaream cum Apostolo venerant. Porro, nemo sibi persuadere poterit quod Apostolus Petrus voluerit aut permiserit istos baptizari à christianis qui essent omnino laici, præsertim sine vlla necessitate, & se e præsente. Restat igitur vt fuerint initiati sacris. Vbi & per quem? si non in ipsa Ioppe, & per Petrum ipsum eo tempore, quo bene longo illic egit, antequam ad Cornelium accerseretur. Posset forte quispiam respondere, hos fuisse baptizatos per aliquos presbyteros vel Diaconos Cæsarienses, quos Petrus Apostolus in ædes Cornelij aduocarit. Sed nihil nisi coniectura est. Maiore probabilitate dicat quis, Apostolum Petrum iussisse illos baptizari per Philippum Diaconum; qui ibi domum habebat. Infra cap. 21. v. 8. Illum Cæsaream venisse dictum fuit sup. c. 8. v. vlt. Verum, an hoc tacuisset S. Lucas, si per S. Philippum (de quo tam multa cap. 8.) baptizati fuissent? Quare necessario fatendum est fuisse Cæsareæ sacri ordinis homines per quos isti sint baptizati. Hi baptistæ vtique non seipsos sacris initiauerant: Ergo sacramentum ordinis hic videmus eiusque exercitium.

VERS. 42. Notum autem factum est per vniuersam Ioppen, & crediderunt multi in Domino.

HIc est fructus diuinorum miraculorum, conuersio scilicet hominum ad fidem, ad pœnitentiam, ad gratitudinem, ad profectum in via virtutis, ad perseuerantiam; & in primis honor & gloria diuinæ maiestatis quæ nihil incrementi adferunt ipsi, sed sicut in angelis & hominibus insunt, sic ijs prosunt. Vt honor non est in honorato, sed in honorante: sic gloria est in eo qui gloria afficit alium, non in eo qui afficitur.

IN *Domino*. Sermo est de Iesu Saluatore, quod fidem de illo susceperint, mori hoc miraculo. Nam antea iam vnum verum Deum credebant & colebant, Iudæi scilicet, non ethnici.

CREDIDERVNT *multi*.] Cur non omnes, viso, saltem certissime intellecto, tanto miraculo? Quia fides Dei donum est, quod ipse donat quibus vult, & quos vult relinquit indotatos, etiamsi tanta miracula videant & sciant. Cur non crediderunt cæteri per suum liberum arbitrium, tanto miraculo viso? Quia noluerunt credere, etiam illo viso.

QVOMODO potuerunt hoc nolle, viso illo? Quia liberi arbitrij erant. Et in talibus hominibus per exemplum discimus, quam corruptum, quam prauum, quam deflexum ad mala, quam infirmum ad salutaria, sit liberum arbitrium quando diuinæ gratiæ auxilium speciale, ipsum non præuenit, & præuentum adiuuat: vt, qui gloriatur, in Domino glorietur, non in se ipso.

ILLVD hic obseruandum est priusquam longius progrediamur, quod humano forsan iudicio melius fuisset isti in vitam reuocatæ Tabithæ, si postquam erat bene mortua, non debuisset iterum experiri miserias & pericula huius vitæ; atque adeo ipsa fortassis maluisset non redire. Tamen quia eius in vitam mortalem istam resuscitatio, ad Dei gloriam pertinebat, illa in vtrumque parata fuit. Idem affectus fuit in Paulo Apostolo cum diceret, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*. Philipp. 1. *Quid eligam ignoro* Idem debet esse affectus omnium: nam Dei gloriæ debent seruire omnes, siue viuendo, siue moriendo. Addit vltimo loco S. Lucas loquens de S. Petro Apostolo, quem iam Ioppen venisse dixerat, ibique Tabitham resuscitasse;

VERS. 43. Factum est autem vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium.

EX sequentis cap. v. 5. 8 manifestum est S. Lucam hanc pericopen superioribus attexere, tanquam paraskeuen ad sequentem de Cornelio centurione narrationem.

ILLVD hoc loco post Chrysost. obseruat Oecumenius, Petrum Apostolum qui potuisset apud Tabitham manere (quanquam hoc non valde decuisset

set fortassis, ne videretur gratiæ relationem quærere) vel apud alium quempiam locupletem; voluisse excipi hospitio apud coriarium; quod genus hominum habetur & vile & sordidum: idque ea de caussa, vt qui ecclesijs præsunt, discant non sectari hospitia nobilium, potentium aut locupletum, ne que despiciant inferioris notæ christianos, memores Deo vnumquemque tanto esse maiorem quanto melior est. Discant etiam hinc diuites & nobiles non sibi deberi omnia: discant vulgares homines non abijcere animum, nec existimare sese à suis Episcopis vel pastoribus negligi. Potuit aliqua pia caussa Apostolum præter hæc mouisse: siue quod domus istius coriarij esset extra ste pitum ciuitatis, ad mare posita, vt dicitur v. 6. cap. seq. siue fortassis quod pietate excellebat hic Simon inter illius loci fideles. Illud enim certum esse debet Apostolum Petrum fecisse præceptum Domini quo iusserat suos apud eos demum excipi qui digni essent. Matth. 10. vers. 11.

ILLVD merito pia meditatione scrutari possumus, quid per dies tam multos egerit Princeps Apostolorum in ciuitate Ioppe: Ac illud quidem certissimum est confirmasse illius loci christianos in fide, in vita sancta; consolatum fuisse afflictos; quin etiam annunciasse euangelium Iudæis illius oppidi qui nondum Iesum credebant esse Christum, eorumque complures ad christianam fidem adduxisse. sed quæri potest, an non ordinauerit illic aliquos presbyteros & Diaconos qui ecclesiastica ministeria & officia sacra christianis propria, illic exercerent. Id quod nobis videri solet, conferentibus hunc locum cum cap. sequentis v. 23. & 48. & cap. 11. v. 12. Nam quum v. illo 48. dicatur quod Petrus Apostolus iusserit baptizari Cornelium centurionem & domesticos atque familiares ipsius: quærere merito possumus, per quos iusserit eos baptizari. At nihil promptius occurrit, quam eos esse baptizatos per fratres seu christianos illos, qui sex numero ex Ioppe Cæsaream cum Apostolo venerant. Porro, nemo sibi persuadere poterit quod Apostolus Petrus voluerit aut permiserit istos baptizari à christianis qui essent omnino laici, præsertim sine vlla necessitate, & se e præsente. Restat igitur vt fuerint initiati sacris. Vbi & per quem? si non in ipsa Ioppe, & per Petrum ipsum eo tempore, quo benè longo illic egit, antequam ad Cornelium accerseretur. Posset forte quispiam respondere, hos fuisse baptizatos per aliquos presbyteros vel Diaconos Cæsareenses, quos Petrus Apostolus in ædes Cornelij aduocarit. Sed nihil nisi coniectura est. Maiore probabilitate dicat quis, Apostolum Petrum iussisse illos baptizari per Philippum Diaconum, qui ibi domum habebat. Infra cap. 21. v. 8. Illum Cæsaream venisse dictum fuit sup. c. 8. v. vlt. Verum, an hoc tacuisset S. Lucas, si per S. Philippum (de quo tam multa cap. 8.) baptizati fuissent? Quare necessario fatendum est fuisse Cæsareæ sacri ordinis homines per quos isti sint baptizati. Hi baptistæ vtique non seipsos sacris initiauerant: Ergo sacramentum ordinis hîc videmus eiusque exercitium.

VERS. 42. Notum autem factum est per vniuersam Ioppen, & crediderunt multi in Domino.

HIc est fructus diuinorum miraculorum, conuersio scilicet hominum ad fidem, ad pœnitentiam, ad gratitudinem, ad profectum in via virtutis, ad perseuerantiam; & in primis honor & gloria diuinæ maiestatis quæ nihil incrementi adferunt ipsi, sed sicut in angelis & hominibus insunt, sic ijs prosunt. Vt honor non est in honorato, sed in honorante: sic gloria est in eo qui gloria afficit alium, non in eo qui afficitur.

IN *Domino*. Sermo est de Iesu Saluatore, quod fidem de illo susceperint, moti hoc miraculo. Nam antea iam vnum verum Deum credebant & colebant, Iudæi scilicet, non ethnici.

CREDIDERVNT *multi*.] Cur non omnes, viso, saltem certissime intellecto, tanto miraculo? Quia fides Dei donum est, quod ipse donat quibus vult, & quos vult relinquit indotatos, etiamsi tanta miracula videant & sciant. Cur non crediderunt cæteri per suum liberum arbitrium, tanto miraculo viso? Quia noluerunt credere, etiam illo viso.

QVOMODO potuerunt hoc nolle, viso illo? Quia liberi arbitrij erant. Et in talibus hominibus per exemplum discimus, quam corruptum, quam prauum, quam deflexum ad mala, quam infirmum ad salutaria, sit liberum arbitrium quando diuinæ gratiæ auxilium speciale, ipsum non præuenit, & præuentum adiuuat: vt, qui gloriatur, in Domino glorietur, non in seipso.

ILLVD hic obseruandum est priusquam longius progrediamur, quod humano forsan iudicio melius fuisset isti in vitam reuocatæ Tabithæ, si postquam erat bene mortua, non debuisset iterum experiri miserias & pericula huius vitæ; atque adeo ipsa forrassis maluisset non redire. Tamen quia eius in vitam mortalem istam resuscitatio ad Dei gloriam pertinebat, illa in vtrumque parata fuit. Idem affectus fuit in Paulo Apostolo cum diceret, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*. Philipp. 1. *Quid eligam ignoro*. Idem debet esse affectus omnium: nam Dei gloriæ debent seruire omnes, siue viuendo, siue moriendo. Addit vltimo loco S. Lucas loquens de S. Petro Apostolo, quem iam Ioppen venisse dixerat, ibique Tabitham resuscitasse;

VERS. 43. Factum est autem vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium.

EX sequentis cap. v. 5. 8 manifestum est S. Lucam hanc pericopen superioribus attexere, tanquam parasceuen ad sequentem de Cornelio centurione narrationem.

ILLVD hoc loco post Chrysost. obseruat Oecumenius, Petrum Apostolum qui potuisset apud Tabitham manere (quanquam hoc non valde decuisset

set fortassis, ne videretur gratiæ relationem quærere) vel apud alium quempiam locupletem; voluisse excipi hospitio apud coriarium; quod genus hominum habetur & vile & sordidum: idque ea de causa, vt qui ecclesijs præsunt, discant non sectari hospitia nobilium, potentium aut locupletium, nec despiciant inferioris notæ christianos, memores Deo vnumquemque tanto esse maiorem quanto melior est. Discant etiam hinc diuites & nobiles non sibi deberi omnia: discant vulgares homines non abijcere animum, nec existimare sese à suis Episcopis vel pastoribus negligi. Potuit aliqua pia causa Apostolum præter hæc mouisse: siue quod domus istius coriarij esset extra strepitum ciuitatis, ad mare posita, vt dicitur v. 6. cap. seq. siue fortassis quod pietate excellebat hic Simon inter illius loci fideles. Illud enim certum esse debet Apostolum Petrum fecisse præceptum Domini quo iusserat suos apud eos demum excipi qui digni essent. Matth. 10. vers. 11.

ILLVD merito pia meditatione scrutari possumus, quid per dies tam multos egerit Princeps Apostolorum in ciuitate Ioppe: Ac illud quidem certissimum est confirmasse illius loci christianos in fide, in vita sancta; consolatum fuisse afflictos; quin etiam annunciasse euangelium Iudæis illius oppidi qui nondum Iesum credebant esse Christum, eorumque complures ad christianam fidem adduxisse. sed quæri potest, an non ordinauerit illic aliquos presbyteros & Diaconos qui ecclesiastica ministeria & officia sacra christianis propria, illic exercerent. Id quod nobis videri solet, conferentibus hunc locum cum cap. sequentis v. 23. & 48. & cap. 11. v. 12. Nam quum v. illo 48. dicatur quod Petrus Apostolus iusserit baptizari Cornelium centurionem & domesticos atque familiares ipsius: quærere merito possumus, per quos iusserit eos baptizari. At nihil promptius occurrit, quam eos esse baptizatos per fratres seu christianos illos, qui sex numero ex Ioppe Cæsaream cum Apostolo venerant. Porro, nemo sibi persuadere poterit quod Apostolus Petrus voluerit aut permiserit istos baptizari à christianis qui essent omnino laici, præsertim sine vlla necessitate, & se ipso præsente. Restat igitur vt fuerint initiati sacris. Vbi & per quem? si non in ipsa Ioppe, & per Petrum ipsum eo tempore, quo bene longo illic egit, antequam ad Cornelium accerseretur. Posset forte quispiam respondere, hos fuisse baptizatos per aliquos presbyteros vel Diaconos Cæsareenses, quos Petrus Apostolus in ædes Cornelij aduocarit. Sed nihil nisi coniectura est. Maiore probabilitate dicat quis, Apostolum Petrum iussisse illos baptizari per Philippum Diaconum, qui ibi domum habebat. Infra cap. 21. v. 8. Illum Cæsaream venisse dictum fuit sup. c. 8. v. vlt. Verum, an hoc tacuisset S. Lucas, si per S. Philippum (de quo tam multa cap. 8.) baptizati fuissent? Quare necessario fatendum est fuisse Cæsareæ sacri ordinis homines per quos isti sint baptizati. Hi baptistæ vtique non seipsos sacris initiauerant: Ergo sacramentum ordinis hîc videmus eiusque exercitium.

est Cæsareæ Palæstinæ vsque ad oppidum Ioppen pertingens. Tum addit Author illius opusculi, Est & hodie locus pascendis gregibus aptus: qui Petro prædicante fidei communio germinauit fructus. Sed & inter montem Thabor & stagnum Tiberiadis regio Saronas appellatur. Hæc ibi. Ex quibus discimus quod per Saronam hoc loco recte accipiatur planities seu campestris illa regio Lyddæ ac Ioppe vicina, ipsi enim Ioppe propinqua erat Lydda, vt patet ex huius cap. v. 38.

Patet item ex dictis quod Saron seu Sarona sit nomen commune, generaliter significans planitiem seu locum campestrem, sed distinguitur secundum loca alia atque alia, vbi est planities. Quod confirmari potest etiam ex 1. Paralip. 27. v. 29. Sensus igitur huius loci est, quod non solum Lyddani, sed & incolæ agri circumiecti, viderunt hunc Æneam iam restitutum sanitati, venientes scilicet Lyddam, siue ad mercatum siue aliorum negotiorum causa, vt fit. Et quod permulti tam ex Lyddanis quam ex Saronitis istis, miraculo commoti, conuersi sunt ad fidem Domini Iesu.

Dubitationem mouent nonnulli, An iste Æneas in Iesum crediderit antequam eum sanaret Petrus apostolus hoc miraculo. Respondendum est non esse dubium quin fuerit vnius veri Dei cultor secundum legem Mosaicam. An iam tum in Iesum Christum crediderit; non liquet. Potest fieri vt fuerit vnus ex numero sanctorum, de quibus dicebatur v.32.id est, Christi fidelium; & vt alij christiani qui erant Lyddæ eum B.Petro commendarint ac pro eo rogauerint tanquam pro fratre christiano. Potest etiam fieri vt nondum fuerit christianus, nec tamen christianorum inimicus, vt erant Iudaizantes; & pro illo christiani Apostolū orarint. Denique, vt nemo pro illo interpellarit, Apostolus tamen Petrus eum in nomine Iesu sanarit; vt sananerat prius illum claudum natum, de quo initio cap. 3.

Videantur quæ dicta sunt ad cap. 3. v. 16. Conferantur etiam quæ sunt infra cap. 14. v. 9. vnde intelligetur quod Petrus Apostolus fortassis in isto viros cognoscebat per Spiritum Dei quod haberet tantum fidei vt eū iuuaret ad impetrandum sanitatem; sicut illic simile narratur de Paulo & viro quodam Lystrio claudo nato, quem ipse sanauit per nomen Domini Iesu, videns quod fidem haberet vt sanaretur.

Deinceps S. Lucas vsque ad finem cap. narrat alterum diuinitus per S. Petri ministerium factum miraculum, resuscitationem scilicet cuiusdam piæ mulieris christianæ Ait ergo,

Vers. 36. In Ioppe autem fuit quædam discipula.)

IOPPE ciuitas erat Palestinæ, maritima, haud procul à Lydda, vt dicitur paulo post. v. 38. Superest hodie, & à vulgo Europæorum mercatorum appellatur Iaffa, aut Iappho. *Quædam discipula* Quædam mulier christiana. An fuerit maritata, an vidua, an cœlebs virgo; non liquet: nisi quod ex multitudine eleemosynarum quæ hîc factæ ab ea commemorantur, possumus argumentari eam sui iuris fuisse, vel viduam scilicet vel virginem cœlibem.

Nomine

NOMINE *Tabitha*. Syriaco scilicet nomine. nam hebraicè aliter dicitur hatstebiah in Cantico canticorum & alijs locis vbi fit mentio caprearum. Ita Caninius in explic. hebræorum nominum quæ occurrunt in nouo testamento, cap. 11. in fine. Putauit autem B. Lucas hoc nomen quid significaret esse exponendum; ideoque illud reddit per æquiualens vocabulum græcum, inquiens,

QVÆ *interpretata dicitur Dorcas* Est autem Δορκάς, latine Caprea, id est, Capra syluestris. cuius vna species est Dama; nequis idem valere putet Dorcadem & Damam.

CVR S. Lucas ita designate ponat & in græcam linguam interpretetur nomen huius matronæ, causa reddi potest, quod ea designatio facere ad certitudinem miraculi circa eam patrati cum resuscitata est. Chrysost. tamen, Ven. Beda & Oecumen. etiam ad mysticam significationem id factum putant ab historico nostro sacro; vt scilicet quæ corporales proprietates reperiuntur in Dorcade seu Caprea, easdem per analogiam, hoc est, spirituales ijs corporalibus respondentes, intelligamus in hac sancta matrona eminuisse. Habet caprea visum acutissimum seu perspicacissimum, ac in longinqua vigentem, delectatur summitate abruptarum rupium. de quo est illud disticho,

Pendentem summa capream de rupe videbis:
Casuram speres; decipit illa canes.

Tribuitur etiam huic animali mira velocitas, 2. Reg. 2. v. 18. 1. Paral 12. v. 8. Quæ omnia quomodo spiritualiter huic matronæ sanctæ adfuerint, quilibet facile apud se meditabitur. De hac addit B. Lucas;

HÆC *erat plena operibus bonis, & eleemosynis quas faciebat*. Hoc à sancto historico profectum encomium, considerent non tantum sectarij, qui bonis operibus per Christi spiritum factis, nimis parum tribuunt; sed & catholici multi qui ad ea nimis frigidè, ac nimis languidè sese accingunt. Sequitur.

VERS. 37. Factum est autem in diebus illis vt infirmata moreretur.

QVAM *cum lauissent*.] Obseruetur vetus mos inter fideles, lauandi corpora defunctorum fratrum seu aliorum fidelium, vt hoc extremum honoris inter cætera, ijs habeant, tametsi iam vita carentibus, quæ sperant ad gloriosam immortalitatem olim excitatum iri. *Posuerunt in cœnaculo*, donec scilicet efferretur in sepulcrum.

VERS. 38. Cùm autem prope esset Lydda ad Ioppen; discipuli audientes quia (quod) Petrus esset in ea; miserunt duos viros ad eum rogantes, Ne pigriteris venire ad nos.

HÆC postrema verba minore incommodo fuissent versa quomodo sunt græcè, sic, *Rogantes ne pigritaretur*, seu *ne grauaretur*, *vel potius ne differret venire*

nire ad ipsos. Interpres videtur voluisse vitare ambiguitatem relationis, nequis istud relatiuum referret ad illos viros qui missi fuerant. Cuius rei non erat magnum periculum. Sequitur,

VERS. 39. Exurgens autem Petrus venit cum illis.

SINE mora, sine omni tædio ac fastidio, nihil sese arbitratus indignum proficisci cum gregarijs istis christianis qui missi fuerant.

ET *cum aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum.*] Illud scilicet vbi erat corpus Tabithæ. *Et circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas.* Erant nimirum indutæ vestibus quas ab ea acceperant. Quanquam fieri potest vt nonnullæ ex propinquo eas quoque attulerint quibus tunc non essent indutæ, si habebant mutatorias. Porro, omnis hic viduarum fletus, & hæc eleemosynarum à Dorcade acceptarum ostensio atque commemoratio, apud Apostolum Petrum tacita quædam supplicatio erant pro defuncta; & doloris sui testificatio. Credibile est autem istas viduas etiam voce suum desiderium exposuisse Apostolo Petro, imo & alios nonnullos fideles, de quibus v. 41. An expresse petiuerint vt Apostolus eam resuscitaret, siue vt Deum rogaret pro eius reditu ad vitam; non est manifestum. Forte non absolutè id ab eo petiuerunt, sed cum quodam addito, veluti, Si non timeremus offendere Deum, rogaremus te vt tua intercessione illi vitam recuperes. vel simili aliquo modo; memores videlicet miraculi quod Lyddæ sciebant patratum circa Æneam.

HOC ita videtur; quoniam simulatque esset resuscitata, Apostolus vocauit fideles ad se, & illis eam viuam exhibuit ac veluti tradidit, perinde ac si pro eius resuscitatione illum precati fuissent. Sequitur,

VERS. 40. Eiectis autem omnibus foras; Petrus ponens genua orauit:)

EIECTIS *omnibus foras.*] Id est, omnibus è cœnaculo iussis secedere, indeque digressis. Cur S. Petrus neminem illic esse præsentem voluit quando erat Deum pro resuscitatione Tabithæ oraturus? Respondet Oecumen. post Chrysost. ne viduarum illic præsentium eiulatibus turbaretur attentio animi ipsius inter orandum. Voluit igitur secreto orare & solitariè, vt tanto feruentior esset oratio. Potest etiam fieri vt S. Apostolus noluerit ab alijs conspici suam in orando humilitatem, suosque omnes humilitatis externos gestus, ne hominum gloriam videretur quærere.

PONENS *genua orauit.*] *Genua*, dicit sacer historicus. Et de Salomone est 3. Reg. 8. v. 54. quod vtrumque genu in terram fixerat. Quare neque S. Petrum Apostolorum Principem, neque Salomonem regem habent ducem & exemplar suum, ij qui vel militaris rei vel nobilitatis gloria sese inclytos existimantes, magnam rem sibi facere videntur si vel vnum genu suum Deo altissimo humi ponant.

NON

NON possumus dubitare fuisse valde feruentem hanc B. Petri orationem; par etiam est credere fuisse non valde breuem: vt vel sic hominibus magnitudo beneficij quod expectabatur, magis eluceret. Porro hoc beneficium à Deo per nomen Christi Iesu id est, per dignitatem & meritum passionis ac mortis eius, Apostolum petijsse; certum est, etsi in hac historia S. Lucas id non exprimat: quoniam ad confirmationem & propagationem fidei de Christo, omnia hæc miracula fiebant; vt patet ex his quæ toto opere passim hucusque dicta sunt, & deinceps dicentur Imo & miraculum quod proxime ante hoc de Tabitha, isto eodem capite narratum est; vbi paralyticus sanabatur, audiens ab hoc eodem Apostolo, *Ænea, sanat te Dominus Iesus Christus; surge, & sterne tibi.*

HOC etiam credendum est, Apostolum antequam velut imperans diceret, *Tabitha, surge;* iam prius per Spiritum Dei cognouisse suam exaudiam esse orationem: ac propterea, certus de effectu subsequuturo,

CONVERSVS *ad corpus, dixit; Tabitha, surge;* Quæ verba quo modo sint velut imperantis, expositum est ad v. 34. & prius cap. 3 v 6.

CVRIOSVLVS quispiam hic rogabit, Quem vel quid alloquatur Petrus Apostolus, quum dicit, *Tabitha;* an ipsum corpus exanime, an ipsum totum compositum. Responsio, Quid alloquebatur Dominus Saluator cum diceret, *Puella, surge.* Marci 5. v. 41. quum diceret item, *Adolescens, tibi dico surge;* Lucæ 7. v. 14. Erunt qui omnibus his locis corpus exanime connemi intelligant, ac iuberi vt surgat è sopore mortis. Sed quomodo ad eundem modum explicabunt verba Domini illa, Ioan. 11. *Lazare, veni foras?* An dicent sensum esse, Corpus exanime Lazari, veni foras? Quare multo melius est intelligere quod hi sermones omnes dicti sunt ad ipsum compositum, ad ipsum hominem, dico, mente designatum vt prætetito tempore viuum, & vt proximè iam denuo victurum. Deus enim vocat ea quę non sunt, tanquam ea quæ sunt Rom. 4 v. 17. Obseruandum, propter formas sacramentorum Eucharistiæ Quam vero efficax fuerit istud verbum B. Petri, tametsi ministeriale sub potente virtute diuina, effectus docuit; Nam sequitur in sacra historia,

AT *illa aperuit oculos suos.*] Hoc erat signum & effectus vitæ; sicut & illud quod sequitur; *Et viso Petro resedit.* quod non poterat nisi seipsam mouendo. Sunt autem in animante certissima signa vitæ sensus & motus quo animal seipsum mouet. Sequitur de ipso Petro Apostolo;

VERS. *41.* Dans autem illi manum, erexit eam:) vt in pedes staret.

INCERTVM est an aliqua necessitas fuerit dandæ manus vt posset consurgere & stare in pedes; an potius sola humanitate hoc fecerit B. Petrus.

ET *cum vocasset sanctos*] Id est, christianos qui illic extra cœnaculum erant; *Et viduas*] ibidem expectantes, quæ prius Petrum Apostolum cum planctu circumsteterant, vt dictum est v. 39. Quum igitur sanctos & viduas *vocasset*, intro scilicet in cœnaculum; ipse ijs *eam viuam assignauit* Id est, statuit, repræsentauit, coram exhibuit, ac velut in manus tradidit. Græcè est παρέστησεν.

VERS. 42. Notum autem factum est per vniuersam Ioppen, & crediderunt multi in Domino.

HIc est fructus diuinorum miraculorum, conuersio scilicet hominum ad fidem, ad pœnitentiam, ad gratitudinem, ad profectum in via virtutis, ad perseuerantiam; & in primis honor & gloria diuinæ maiestatis quæ nihil incrementi adferunt ipsi, sed sicut in angelis & hominibus insunt, sic ijs prosunt. Vt honor non est in honorato, sed in honorante: sic gloria est in eo qui gloria afficit alium, non in eo qui afficitur.

IN *Domino.* Sermo est de Iesu Saluatore, quod fidem de illo susceperint, moti hoc miraculo. Nam antea iam vnum verum Deum credebant & colebant, Iudæi scilicet, non ethnici.

CREDIDERVNT *multi.*] Cur non omnes, viso, saltem certissime intellecto, tanto miraculo? Quia fides Dei donum est, quod ipse donat quibus vult, & quos vult relinquit indoratos, etiamsi tanta miracula videant & sciant. Cur non crediderunt cæteri per suum liberum arbitrium, tanto miraculo viso? Quia noluerunt credere, etiam illo viso.

QVOMODO potuerunt hoc nolle, viso illo? Quia liberi arbitrij erant. Et in talibus hominibus per exemplum discimus, quam corruptum, quam prauum, quam deflexum ad mala, quam infirmum ad salutaria, sit liberum arbitrium quando diuinæ gratiæ auxilium speciale, ipsum non præuenit, & præuentum adiuuat: vt, qui gloriatur, in Domino glorietur, non in seipso.

ILLVD hic obseruandum est priusquam longius progrediamur, quod humano forsan iudicio melius fuisset isti in vitam reuocatæ Tabithæ, si postquam erat bene mortua, non debuisset iterum experiri miserias & pericula huius vitæ; atque adeo ipsa fortassis maluisset non redire. Tamen quia eius in vitam mortalem istam resuscitatio ad Dei gloriam pertinebat, illa in vtrumque parata fuit. Idem affectus fuit in Paulo Apostolo cum diceret, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Philipp. 1. *Quid eligam ignoro* Idem debet esse affectus omnium: nam Dei gloriæ debent seruire omnes, siue viuendo, siue moriendo. Addit vltimo loco S. Lucas loquens de S. Petro Apostolo, quem iam Ioppen venisse dixerat, ibique Tabitham resuscitasse;

VERS. 43. Factum est autem vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium.

EX sequentis cap. v. 5. 8 manifestum est S. Lucam hanc pericopen superioribus attexere, tanquam paraſceuen ad sequentem de Cornelio centurione narrationem.

ILLVD hoc loco post Chrysost. obseruat Oecumenius, Petrum Apostolum qui potuisset apud Tabitham manere (quanquam hoc non valde decuisset

set fortassis, ne videretur gratiæ relationem quærere) vel apud alium quempiam locupletem voluisse excipi hospitio apud coriarium; quod genus hominum habetur & vile & sordidum: idque ea de causa, vt qui ecclesijs præsunt, discant non sectari hospitia nobilium, potentium aut locupletium, neque despiciant inferioris notæ christianos, memores Deo vnumquemque tanto esse maiorem quanto melior est. Discant etiam hinc diuites & nobiles non sibi deberi omnia: discant vulgares homines non abijcere animum, nec existimare sese à suis Episcopis vel pastoribus negligi. Potuit aliqua pia causa Apostolum præter hæc mouisse: siue quod domus istius coriarij esset extra strepitum ciuitatis, ad mare posita, vt dicitur v. 6. cap. seq. siue fortassis quod pietate excellebat hic Simon inter illius loci fideles. Illud enim certum esse debet Apostolum Petrum fecisse præceptum Domini quo iusserat suos apud eos demum excipi qui digni essent. Matth. 10. vers. 11.

ILLVD merito pia meditatione scrutari possumus, quid per dies tam multos egerit Princeps Apostolorum in ciuitate Ioppe: Ac illud quidem certissimum est confirmasse illius loci christianos in fide, in vita sancta; consolatum fuisse afflictos; quin etiam annunciasse euangelium Iudæis illius oppidi qui nondum Iesum credebant esse Christum, eorumque complures ad christianam fidem adduxisse: sed quæri potest, an non ordinauerit illic aliquos presbyteros & Diaconos qui ecclesiastica ministeria & officia sacra christianis propria, illic exercerent. Id quod nobis videri solet, conferentibus hunc locum cum cap. sequentis v. 23. & 48. & cap. 11. v. 12. Nam quum v. illo 48. dicatur quod Petrus Apostolus iusserit baptizari Cornelium centurionem & domesticos atque familiares ipsius: quærere merito possumus, per quos iusserit eos baptizari. Ac nihil promptius occurrit, quam eos esse baptizatos per fratres seu christianos illos, qui sex numero ex Ioppe Cæsaream cum Apostolo venerant. Porro, nemo sibi persuadere poterit quod Apostolus Petrus voluerit aut permiserit istos baptizari à christianis qui essent omnino laici, præsertim sine vlla necessitate, & se præsente. Restat igitur vt fuerint initiati sacris. Vbi & per quem? si non in ipsa Ioppe, & per Petrum ipsum eo tempore, quo benè longo illic egit, antequam ad Cornelium accerseretur. Posset forte quispiam respondere, hos fuisse baptizatos per aliquos presbyteros vel Diaconos Cæsareenses, quos Petrus Apostolus in ædes Cornelij aduocarit. Sed nihil nisi coniectura est. Maiore probabilitate dicat quis, Apostolum Petrum iussisse illos baptizari per Philippum Diaconum, qui ibi domum habebat. Infra cap. 21. v. 8. Illam Cæsaream vero esse dictum fuit sup. c. 8. v. vlt. Verum, an hoc tacuisset S. Lucas, si per S. Philippum (de quo tam multa cap. 8.) baptizati fuissent? Quare necessario fatendum est fuisse Cæsarea sacri ordinis homines per quos isti sint baptizati. Hi baptistæ vtique non seipsos sacris initiauerant: Ergo sacramentum ordinis hic videmus eiusque exercitium.

ARGVMENTVM CAPITIS X.



PETRVS Apostolus cælesti visione docetur iam aduenisse tempus à Deo constitutum prædicandi euangelium etiam gentibus; gentilesque ad fidem Christi conuersos, per baptismum in Ecclesiam cooptandi. Cuius rei ipse initium facit à Cornelio Centurione eiusque familiaribus, diuinitus ita facere admonitus.

VERS. 1. Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, centurio cohortis quæ dicitur Italica.

IN *Cæsaréa*] Est sermo de Cæsaréa Palestinæ, ciuitate maritima; vt ex sequente narratione certum est; non de illa quæ in Euangelio appellatur Cæsaréa Philippi, sita iuxta montem Antilibanum. Nam hæc longius à Ioppe aberat quam vt tantillo tempore confici potuerint quæ hoc capite narrantur.

NOMINE *Cornelius*] Disputent quibus talia lubet excutere, an hoc fuerit huic viro Prænomen an Nomen, id est, vt more nostro loquamur, an nomen illi proprium, an appellatiuum vocabulum totius gentis S. Lucas ita loquitur quasi fuerit nomen illi proprium; tametsi non ignoremus inter cæteras romanas fuisse Corneliorum gentem: sed est vsitatissimum, vt nomina communia fiant quibusdam propria; & contra, quædam propria fiant communia.

CENTVRIO *cohortis, quæ dicitur* (seu dicebatur) *Italica. Centurio cohortis.*] Id est ex ea cohorte: vt est græcè. Nam præfectus cohorti alicui, non centurio erat, sed tribunus; qui in græco codice Ioan. 18. v. 12. dicitur χιλίαρχος, eo quod plena cohors contineret circiter mille pedites; semiplena verò sexcentos, vt patet ex Gellio lib. 16. cap. 4. in fine. Diuersitatem cohortium est videre apud Vegetium lib. 2. cap. 6.

VERS. 2. Religiosus ac timens Deum, cum omni domo sua; faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper.

PRIVSQVAM longius progediamur, videtur necessarium discutere hoc loco illam quæstionem, quam plerique expositores tractauerunt, An Cornelius centurio fuerit iustificatus per remissionem peccatorum & donum gratiæ sanctificantis, priusquam euenirent quæ hoc capite narrantur de apparitione Angeli qui illi iussert accersere Simonem Petrum ex Ioppe. Sunt autem tres diuersæ sententiæ. Prima, quæ tenet, illum iam antea per remissionem peccatorum,

catorum, & per infusionem diuinæ gratiæ iustificatum fuisse. Alteræ, qua tenet demum fuisse iustificatum, quando, Petro Apostolo in eius domo ad ibi congregatos fidem Christi annunciante cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum; vt dicitur huius c. v. 44. Tertia, quę per baptismum demum fuisse iustificatum asserit; qui eius baptismus narratur v. 48. Sed antequam ex ijs sententijs vnam eligamus, duo præmittenda sunt: Prius, Cornelium istum, etsi vnius veri Dei pium cultorem, non fuisse tamen Iudaismi proselytum. Id constat ex cap. 11. v. 3 & seqq. vnde certum est non fuisse circumcisum. Posterius, non esse hanc quæstionem mouendam potius de Cornelio, quam de eius domesticis. Nam quæ laudes à Scriptura sacra tribuuntur ei, tribuuntur & domesticis eius; & quæ extraordinaria signa diuinitus ostensa sunt circa ipsum, ostensa sunt & circa illos: quorum vtrumque manifestum est hoc v. 2. & v. 44. & cap. 11. v. 14. 15.

QVIBVS consideratis; perpensis etiam argumentis ex Scriptura, quæ deinceps afferentur; videbatur nobis eligenda sententia tertia ex tribus dictis. Quia angelus dicebat Cornelio vt mitteret in Ioppen, & inde accersiret Simonem cognomento Petrum: addens, *Hic dicet tibi quid te oporteat facere.* v. 5 & 6. huius cap. *Oporteat* (inquit) *facere:* vtique ad consequendum statum salutis. Ergo nondum erant isti in statu salutis. Id quod manifestius exprimitur cap. 11. vers. 13. & 14. vbi refertur Angelum dixisse Cornelio, de Simone Petro; *Loquetur tibi verba, in quibus saluus eris tu, & vniuersa domus tua.* Statum igitur salutis nondum erant adepti, angelo hæc ad Cornelium loquente; neque adepturi erant antequam ea facerent quæ ex Petro apostolo essent audituri; inter quæ haud dubiè erat explicita fides in Christum, & susceptio baptismi. Adde quòd hoc cap. narratur Petro ecstatico dictum tertiò, *Occide & manduca.* Erat igitur locus spirituali interfectioni in Cornelio & eius familia.

HVC facit quod S. Petrus in sua catechetica ad Cornelium & familiam eius concione, inter cætera de Christo hæc dicit; *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* vers. 43.

QVIBVS verbis valde apparet, Petrum apostolum voluisse ipsis significare quod remissionem peccatorum essent accepturi per fidem in Iesum Christum, id est, de Iesu quod ipse sit Messias, & consequenter Mediator inter Deum patrem & genus humanum; & per eius fidei professionem, quæ fit susceptione baptismi à Christo instituti. Huc etiam potest adferri quod legitur cap. seq. v. 18. Item quod ipse Petrus Apostolus in sua ad Synodum apostolicam concione infra 15. c. loquens de Cornelio & domesticis eius, ait (v 9) *quod deus fide purificauerit corda eorum.* Intelligit autem haud dubiè fidem, & quidem explicitam, de Iesu quod sit Christus. Nam fidem vnius Dei expressam habebant etiam Iudæi nondum credentes Iesu Christo; & fidem mediatoris implicitam. Ergo Cornelius cum suis non fuerunt purificati corde, antequam accepissent explicitam de Iesu Christo fidem eiusque fidei sacramentum & quandam professionem, Baptismum; qui sub *fide* videtur comprehendi in plerisque omnibus scripturis, quibus *fides* velut ex altera parte opponitur operibus

tribus legis, aut ceremoniarum legalium ob eruationi. Videtur huic tertiæ sententiæ fauere Chrysost. comm. ad v. 34 huius cap. & S. August. De prædest. sanctorum cap. 7. his verbis; Cornelij acce ptæ fuerunt eleemosynæ & exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo inuocabat in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse saluus: non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus; quamuis nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam. Videatur idem August. Epistola 57 sub finem, Deus vbique præsens est & vbique totus præsens: nec vbique habitans, sed in templo suo; cui per gratiam benignus est & propitius. *Et post*. Nec mouere nos debet quod per quosdam ad hoc templum non pertinentes, vel nondum pertinentes, id est, in quibus non habitat, vel nondum habitat Deus, aliquid virtutis operatur: sicut &c. Cornelius *etiam* centurio antequam regeneratione incorporaretur huic templo, missum ad se angelum videt, audítque dicentem quod &c. Contra Donatistas lib. 1. c. 8 lib. 4. c. 21. Horum priore ita dicit de Cornelio, Quidquid boni in orationibus & eleemosynis habebat, prodesse illi non poterat, nisi per vinculum christianæ societatis & pacis incorporaretur Ecclesiæ. In 2. loco, dicit, Iustitiam quæ in Cornelio esse cœperat priusquam ipse esset in plebe christiana, neque fuisse improbatam, neque ad capessendum regnum cælorum suffecisse.

AD Simplicianum q. 2. in princip. In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cælorum: sicut in catechumenis; sicut in ipso Cornelio antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam vero tanta est vt iam corpori Christi & templo sancto Dei deputentur.

ALIBI tamen idem S. Augustinus videtur propendere in secundam opinionem; quæ sane est probabilior prima. Sed in re ambigua nihil mirum est variasse doctissimum Augustinum. S. Gregorius homil. 19. in Ezechielem, (cuius inde verba in huius loci commentario V. Beda transcripsit, digna recitatu) ita de hac re loquitur. Non virtutibus venitur ad fidem; sed per fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim centurio, cuius eleemosynæ ante baptismum, Angelo testante, laudatæ sunt; non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera. Nam et per Angelum dicitur, *Orationes tuæ & eleemosynæ ascenderunt in conspectum Dei*. Si enim Deum verè & ante baptismum non crediderat; quid orabat? Vel, quomodo hunc Omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici, petebat? Sciebat igitur creatorem omnium, Deum: sed quod eius omnipotens filius incarnatus esset, ignorabat. Neque enim poterat bona agere, nisi credidisset: scriptum namque est, *Sine fide impossibile est placere Deo*. Fidem ergo habuit, cuius operationes & eleemosynæ placere potuerunt: Bona autem actione promeruit vt Deum perfecte cognosceret, & Incarnationis eius mysterium crederet, quatenus ad sacramentum baptismatis perueniret. Per fidem ergo venit ad opera: sed per opera est solidatus in fide. Ita Greg. Sic & Bernardus loquitur Sermone 78. in Cantica, ad finem, de hoc eodem Cornelio. S. Thomas 2. sec. q. 10. art. 4. post solutionem tertij, negans Cornelium fuisse

fuisse tunc infidelem;nihil tamen dicit vnde colligamus illum sensisse quod eo tempore fuisset iustificatus.

Si quæratur, An igitur si Cornelius antequam ad illum venit Petrus Apostolus, fuisset defunctus, perijsset in æternum: respondebitur verisimile esse fuisse saluandum; quia fides implicita Mediatoris omni tempore suffecerat ad salutem ijs qui de incarnatione filij Dei non erant plenius instituti. Suffecerat dico, presupposita vera super peccatis pœnitentia. Cur igitur ad eum est missus Petrus Apostolus vt eum doceret fidem de Mediatore explicitam? Resp. Quia tempus aduenerat quo mysterium Incarnationis, & generatim redemptionis humani generis nunc factæ per aduentum Messiæ, esset omnibus manifestandum: oportebat illud iam palam prædicari hominibus per Apostolos & alios Christi discipulos, etiam gentilibus. Et deinceps nec Iudæis nec gentilibus quantumuis vnius veri Dei cultoribus (qualis erat hic Cornelius cum domesticis suis) salus erat obuentura, nisi expresse ac designatè crederent hunc Iesum Nazarenum crucifixum esse vnicum Dei filium ac Saluatorem & redemptorem humani generis.

His ita expositis; erit facilior sacri textus explicatio: ac simul patebit quod illa magnifica encomia quæ hîc Scriptura tribuit Cornelio & domesticis eius, non iuuent primam ex illis tribus sententiam. Dicitur ergo de Cornelio quod erat

Vers. 2. Religiosus ac timens Deum, cum omni domo sua; faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper.

Religiosvs] græce est εὐσεβὴς. id est pius seu rectus Dei cultor. Nempe iste Cornelius ex Iudæorum, inter quos viuebat, colloquijs & doctrina, ac præcipue ex dono supernaturalis fidei diuinitus infuso, nouerat vnicum illum verum Deum, quem colebant Iudæi: & in eius cultum exercebat actus pietatis seu religionis, suis temporibus ac locis. Videlicet quando offerebat sacrificium, non illud alicui falso Deo, more paganorum, offerebat; sed huic vnico vero Deo, quem colebat gens Israelitica. & ita de cæteris actibus religionis: veluti de adoratione & oratione &c.

Ac *timens Deum*] φοβούμενος τὸν Θεόν. Sensus, Dans operam ne Deum amplius offenderet. Ita & Lir. *Cum omni domo sua.*] Referenda est hæc clausula ad vtrumque præcedens, *Religiosus*, ac *Timens Deum*. Ergo & tota domus ipsius dedita erat cultui diuinæ maiestatis, ac metuens offensarum aduersus eam committendarum. Per *domum* autem intelligitur familia; vxor scilicet, liberi, famuli & ancillæ, saltem ij qui intra heri domum habitabant.

An per domum possit accipi stirps seu prosapia, vt sæpe alibi in sacris & prophanis literis, disputari potest. Non videtur autem sic intelligere B. Lucas; propter illud *omni* seu *tota*. Nec enim credibile est Cornelij omnes consanguineos qui in Iudæa erant fuisse tales qualis ipse hîc describitur. Aliquos eorum

Nn fuisse

fuisse tales id est, vnius veri Dei pios cultores, ambigi non potest, si quis videat huius cap. v. 24. cum 44.

FACIENS *eleemosynas multas plebi*] Non dubium quin de pauperibus Iudæis sit sermo: quoniam in ea ciuitate præter milites præsidiarios & quosdam fortasse mercatores (erat enim littoralis ciuitas) nulli habitabant nisi Iudæi. Charitas igitur Cornelij in hoc commendatur quod ipse gentilis nec Iudaismi proselytus, Iudæis tamen egentibus succurrebat. Est autem verisimile (& ex v. 5. & 6. potest colligi sicut inde colligit V. Beda commentario ad v. 5. huius cap.) quod istam eleemosynarum largitionem intentione animi sui etiam illuc referebat vt Deus misericordiam sibi misericordi exhiberet, seque in viam salutis dirigeret: ita vt tacita ad Deum supplicatio esset hæc in pauperes eleemosynarum distributio. Id quod conuenit vnumquemque qui in egenos beneficentiam exercet, imitari.

ET *deprecans Deum semper.*] *Semper*, oratione mentali, saltem virtuali: oratione etiam vocali, temporibus ad eam aptis.

DEPRECANS] δεόμενος, orans, rogans, precans. Recte dixit noster, *deprecans*, quasi valde seu vehementer precans. Particula enim (de) in compositione sæpe auget. Quod autem nonnulli literatores crediderunt, istud (deprecor) latinis non aliud significare quam precari ne hoc vel illud mali eueniat: falluntur. Vt enim dixit ille,

Sæpe precor mortem; mortem quoque deprecor idem:

Sic Tullius, Liuius, Suetonius, à grammaticis citati, eo verbo etiam priore illo modo vsi sunt. Quod maxime in Liuij verbis apparet qui vtramque significationem in vna sententia vsurpauit. De bello Maced. Ego siquid scelerate in fratrem admisi, nullam deprecor pœnam: si innocens sum, ne inuidia conflagrem, cum crimine non possim, deprecor. Hoc semel dictum sit pro Interprete nostro qui infinitis locis deprecari dixit pro vehementer precari, & deprecationem, pro precatione.

QVID autem Deum semper rogabat Cornelius? Respondet Liranus vt se dirigeret in viam salutis. Rectè. sed præstat hoc nonnihil distinctius explicare. In via salutis prima pars est recta de Deo rebusque diuinis, ac integra fides. Hanc primo loco à Deo petebat Cornelius; idque eo magis quod videbat inter vnici veri Dei cultores esse magnam dissensionem in negotio religionis: dum sciret discipulos Iesu Nazareni iam tota Palæsthina diffusos, docere ipsum esse Saluatorem mundi, quondam à Deo promissum, & illius lege esse viuendum; suamque illam doctrinam maximis miraculis confirmare certo intelligeret: contra vero videret & quotidie suis ipse auribus audiret Iudęos alios, etiam ipsos vnius veri Dei cultores, detestari Iesum illum & eius doctrinam eiusque discipulos. Itaque hærebat hîc Cornelius vtris crederet: & perpetuis à Deo precibus contendebat, vt sese ab hac perplexitate liberaret. Plenioremigitur salutaris veritatis & rerum pro salute agendarum cognitionem à Deo petebat assidue. Et hoc B. Gregorius significat illis verbis hom. 19. in Ezech. quibus ait petiuisse Cornelium se à Deo in bonis perfici. Pergit S. Luc. narrare de Cornelio,

VERS.

VERS. 3. Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli.

VIDIT *in visu manifeste.*] Corporaliter seu corporalibus oculis. Angelus enim ei apparuit in corpore assumpto, specie viri induti veste candida seu splendida: vt dicitur infra v. 30.

IN *visu*] græcè ἐν ὁράματι de qua voce diximus ad c. 9. v. 10.

QVASI *hora diei nona*] id est circiter horam tertiam pomeridianam: Cornelio scilicet eo tempore in domo sua orante. vt dicitur huius cap. v. 30.

ET *dicentem sibi*] stantem nimirum ante ipsum Cornelium orantem. eodem. v. 30.

CORNELI.] Proprio nomine eum compellat Angelus ita declarans & suam rerum nostrarum scientiam, & in ipsum beneuolentiam.

VERS. 4. At ille intuens eum, timore correptus, dixit; Quid est Domine? Dixit autem illi; Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

TIMORE *correptus.*] Hoc mortalibus naturale est. Timore corripiebatur Cornelius propter subitaneam, & cum tanto splendore luminis, apparitionem Angeli.

DIXIT: *Quid est Domine?*] Ita legitur hæc interrogatio in Biblijs Romanæ correctionis, conformiter originali: quum vitiosi codices latini hic haberent, Quis es Domine? ex cap. 9. v. 5 Cornelius verò non ignorabat esse Angelum Domini qui sibi appareret: sed cupit ex eo scire quid adferat nunciandum; & ad hoc respondet Angelus. Sequitur enim;

DIXIT *autem illi; Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Sensus est, Tuæ assiduæ orationes, & tuæ in egenos eleemosynæ sunt Deo gratæ: Deus statuit tibi dare quod per eas ab ipso petiuisti & petis.

Ex hoc loco non potest colligi quod Cornelius iam tum esset iustificatus: quia etiam pœnitentium orationes & alia opera bona quibus ambiunt diuinam gratiam, remissionem scilicet peccatorum & veram coram Deo iustitiam, vtique ascendunt in conspectum Dei; quia cor contritum & humiliatum Deus non despicit. Psal. 50. Quid vero præcipue Cornelius à Deo petiuerat, quod nunc illi tribuat; ex seqq. Angeli verbis colligitur vers. 5. & 6.

VERS. 5. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accerse Simonem quendam qui cognominatur Petrus:

VERS. 6. Hic hospitatur apud Simonem quendam Coriarium, cuius est domus iuxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere.

ILLVD (*quendam*) quod est v. 5. deest græcis: & videtur à scribis assutum ex v. 6. Dominus per Angelum suum nunciat Cornelio à quo debeat petere maiorem cognitionem credendorum & agendorum ad salutem. Quæ fuit haud dubie magna & insueta Dei in Cornelium misericordia. Sed quare ipse Angelus non docuit Cornelium, ea quæ ex Petro Apostolo auditurus erat? Resp. Angeli faciunt quæ iussi sunt à Deo. Non per Angelos nos vult Deus docere; sed per homines nostri similes: vt humilitas retineatur & exerceatur à discipulis, charitas vero exerceatur à docentibus.

HIC *dicet tibi quid te oporteat facere.*] q. d. Eleemosynis tuis & assiduis precibus hoc apud Deum agis vt ipse velit te docere quid ad consequendam salutem tibi faciendum sit: ecce, prouidit tibi Dominus Doctorem ex quo id cognoscas, & tu & vniuersa domus tua. Nam de ipsa etiam Cornelij domo hoc angelus ei dicebat, tametsi hîc non exprimatur. Exprimitur enim infra cap. 11. vers. 13. 14.

AD hunc locum ita Vener. Beda, Cum, eleemosynis precibusque susceptis, mox Doctor salutis accersiri iubetur: manifeste innuitur quod eleemosynis illis ac precibus, plenam suæ salutis cognitionem à Domino quæsierit. Atque hoc est quod admonebamus ad v. 2.

VERS. 7. Et cum discessisset angelus qui loquebatur illi, vocauit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum.

METVENTEM *Dominum*] græcè est εὐσεβῆ, idem quod v. 2. Interpres verterat, *religiosum*. Hoc porro addit B. Lucas, ne miremur militem adhiberi ad hoc salutis negotium. *Ex his qui illi parebant.* Græca vox potius significat, ex his qui illi perpetuo assistebant, ministerij scilicet causa. Alioqui parebant omnes qui erant illius Centuriæ.

VERS. 8. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Ioppen.

STATIM scilicet, eodem illo die ac pene eâdem horâ Confer græca v. 33. & (vt apparet) bonam partem noctis consumpserunt in itinere faciendo: quoniam postridie hora meridiana peruenerunt Ioppen ad ædes Simonis; quum Petrus Apostolus cum ipsis diem & tres quadrantes in eodem itinere consumpserit. Inf. v. 30.

VERS.

VERS. 9. Postera autem die iter illis facientibus & appropinquantibus ciuitati; ascendit Petrus in superiora vt oraret, circa horam sextam.

POSTERA *die*] quàm iter erant ingressi. *In superiora*] ἐπὶ τὸ δῶμα. *super doma*; id est, super tectum planum ipsius domus. Hoc enim est doma: & talia tecta erant in Palestina multisque alijs prouincijs, vbi minus frequentes sunt pluuiæ vel minus copiosæ. Vide S. Hieron. tum alibi, tum in epistola ad Sun. & Fretel. in notationibus ad Psal. 101. Verba eius sunt, *Δῶμα in orientalibus prouincijs ipsum dicitur quod apud latinos tectum*. In Palestina enim & Ægypto, vbi vel scripti sunt diuini libri vel interpretati, non habent in tectis culmina, sed *domata*; quæ Romæ vel solaria, vel meniana vocant, id est, plana tecta, quæ transuersis trabibus sustentantur. Et in Actis Apostolorum, Petrus quando ascendit in *doma*, in tectum ædificij ascendisse credendus est. Et quando præcipitur nobis (Deuter. 22. v. 8) vt faciamus domati nostro coronam; hoc præcipitur vt in tecto faciamus per circuitum qualdam eminentias, ne facilis in præceps lapsus sit.

ERGO B. Petrus ascendit in doma ædium quibus excipiebatur, vt illic à strepitu remotior oraret, idque *circa horam sextam*, id est circa meridiem.

EXEMPLVM hinc sumant Episcopi, Pastores, & concionatores, alijque ordinis ecclesiastici, quando sub tempus prandij veniunt domum peractis laboribus officij sui; vt, si aliquantisper adhuc expectandum sit antequam prandeatur, ipsi sese in locum quempiam secretiorem subducant, ibi sese colligant, & orationi vel meditationi tantisper vacent dum expectatur opportunitas prandendi. Ita hic fecit Petrus Apostolus; de quo subdit B. Lucas;

VERS. 10. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus:

MENTIS *excessus*] græce est ἔκστασις sed vt intelligeremus cuius rei fuerit hæc ecstasis, Interpres recte apposuit istud *(mentis)*. Nec enim fere alterius rei in sacris literis intelligitur ecstasis, quam mentis. Ea est quando homo à sensuum exteriorum functionibus, mente velut absistit, abducitur, alienatur; abductus scilicet ad rerum intelligibilium vel formarum quæ virtuti imaginatrici diuinitus obijciuntur, contemplationem; sensibus exterioribus interim veluti ligatis. Vocant Theologi abstractionem seu alienationem à sensibus. De qua consuli potest S. Thom. 2. sec. q. 173. art. 3. in corpore. & q. 175. tota, De raptu mentis. Et 1. sec. q. 28. a. 3. in corp. & quæ illic annotauimus ex S. Augustino & aliunde. Oecum. hîc, Ecstasis significat & consternationem quæ in admiratione contingit; & quum quispiam extra sensibilia factus, ad spiritualia deducitur. S. August. conc. 3. in Psal. 103. paulo post initium; Facta est Petro Apostolo oranti mentis alienatio, quam græci ecstasin dicunt; Id est,

VERS. *14.* Ait autem Petrus)

IN spiritu nimirum, quomodo omnia hæc sunt accipienda quæ narrantur in illa imaginaria visione. Videbatur ergo ei quod ipse responderet Domino ad superiorem illam suæ iussionem siue inuitationem, responderet, inquam, his verbis; *Absit Domine; quia nunquam manducaui omne* (id est, vllum) *commune & immundum.* Intelligit *immundum* legaliter; secundum ea quæ iam diximus ad v. 12. Quod sic immundum erat id Hebræi vocabant *commune*, gentibus scilicet, quia talia gentiles promiscue edebant, non Iudæi. Et consequenter *communicare*, appellabant, legaliter immundum facere vel censere. Vide Matth. 15. vers. 11. in originali sic legitur, Non quod intrat in os *communicat* (id est, commune facit) *hominem; sed quod procedit ex ore, hoc hominem communicat.* Quare hoc loco non sunt accipienda tanquam duo diuersa, *commune*, &, *immundum*; sed posteriore explicatur prius. Sensus ergo responsionis est; Nequaquam Domine hoc sum facturus, quia tota vita mea hucusque nihil vnquam edi ex animali vllo quod iuxta legem tuam est immundum. Hinc patet quod Christus Dominus & eius familia, ac, post eius ascensionem Apostoli eius, seruabant legem Mosaicam disponentem de immundis legaliter; licet pharisaicas traditiones de lotionibus non seruabant.

VERS. 15. Et vox iterum, secundo, ad eum; Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.

GRÆCE sic ad verbum, *Quæ Deus purificauit, tu ne communica.* Id est, tu ne facias communia; hoc vero est, Tu ne dicas, ne iudices immunda. His verbis Petri recusatio repellitur & quasi increpatur.

VERS. *16.* Hoc autem factum est per ter.)

HOc, scilicet Deum ita iubere, & Petrum ita respondere, responsionemque eius repelli. *Factum est*] scilicet secundum imaginariam visionem. Petrus ecstaticus sibi videbatur tertiò hanc iussionem audire, & ipse ad eam sic respondere tertiò, tertioque increpari. *Per ter.*) mirum si Interpres scripsit *per ter:* & tamen ita legitur in libris nostris etiam cap. 11. v. 10. Græcè est, ἐπὶ τρίς: quod Latine reddas, Ter, Tertiò, vel, vsque ter, vsque tertiò: aut, ad tres vsque vices.

ET *statim receptum est Vas in cælum*] Nimirum cum omnibus quæ illius magni lintei conceptaculo tenebantur animantibus, Nam hoc significatur cap. 11. v. 10. Et hoc quoque, vt superiora, intelligendum est fuisse factum in imaginaria S. Petri visione.

PRIVSQVAM progrediamur, sunt aliquot quæstiones hic dissoluendæ, quæ nascuntur ex huius mirabilis visionis historia. Prima est, Qui fieri potuerit vt Petrus apostolus tertiò recusaret edere ex animalibus legaliter immundis;

dis; quum non potuerit ignorare id sibi non fore peccatum, si faceret Deo iubente, qui erat legis author; quam vtique ipse relaxare poterat, quum non esset lex naturalis sed positiua tantum, qua nonnulla animalia constituebantur immunda; dictis locis Leuitici & Deuteron. Responsio videtur facilis. B. Petrum reuera non fecisse hanc ternam recusationem sed solummodo in visione imaginaria diuinitus illi immissa cum ecstasi. Videbatur sibi, à corporis sensibus abducto, ista à Domino audire, istaq; se dicere respondendo: sed reuera nil tale faciebat.

SECVNDA quæstiuncula; Quare *tertiò* visus est sibi hæc diuinitus audire, ipseque tertio recusare, & recusans increpari? Resp. hoc in eius spiritu ita operatus est Deus, vt ipsi Petro tanto firmior esset defensio apud Iudæos, qui eum forent repræhensuri quod ad gentiles homines misset, & cum ijs manducasset. vt videmus factum fuisse postea. Infra cap. 11. vers. 2. & seq. & vers. 10. & seqq.

TERTIA quæstio, Quid allegorice significabat tota ista diuinitus B. Petro immissa visio? Resp. Per animalia immunda omnis generis, significabantur nationes gentilium tunc adhuc idola colẽtium: Per linteum illud magnum demissum è cælo, sed quatuor angulis cælo alligatum, significabatur ecclesia catholica per Orientem, Occidentem, Septentrionem & meridiem diffundenda, cœlesti gratia semper colliganda, seruanda, atque augenda; & quod per fidem in Christum forent omnia hominum genera in Ecclesiam ingressura. Quod autem iubetur Petro vt animalia immunda occideret & manducaret, significabat quod ipsius, vt vniuersalis Ecclesiæ pastoris, Christi vicarij, authoritate & cura de necessitate essent interficiendi gentiles (quatenus tales) & in Ecclesiæ corpus traijciendi. Interficiebantur autem gentiles, interfecta idolatria & omni reliqua scelerum caterua quibus laborabat gentilitas. Hæc allegoricæ huius visionis expositio habetur partim ex ipsius B. Petri verbis, infra v. 28. huius capitis, partim ex Chrys. in huius loci Comment. ex S. August. lib. de Vnitate Ecclesiæ cap. 11. sub finem, & fusius conc. 3. in psal. 103. princip. nec non qui hos authores sequitur, Venerabili Beda ad hunc locum.

QVOD linteum illud magnum cum animalibus eo conclusis rursus in cælum recipitur; significat, etiam gentiles & quosuis peccatores per fidem Christi & eius fidei professionem (cuius pars est Baptismus & sancta post Baptismum conuersatio) ad cælestem beatitudinem parari, & ingressum habere, non minus quam Iudæos fideles. Et hæc erat purificatio de qua Dominus Petro loquebatur, iam proxima effectui.

RESTAT vnus scrupulus Quare ex verbis Domini ad Petrum in visione dictis, *Quod Deus purificauit, tu ne commune* (id est immundum) *dixeris*: non recte colligatur Cornelium iam tum fuisse iustificatum per remissionem peccatorum & gratiam iustificantẽ. Resp. Quia hæc verba non dicuntur præcisè de Cornelio & familia eius, sed generatim de gentilibus cuiusuis nationis, vt patet ex verbis B. Petri v. 28. huius c. Et tamen gẽtiles toto orbe tunc adhuc iacebant in sordibus idololatriæ & variorũ scelerum. Ergo quod dicitur (*purificauit*) non

non est intelligendum secundum præsentem tunc iustitiam; sed secundum diuinam prædestinationem, iamiam effectum habituram. q. d. nunc tempus est annunciandi euangelium gentibus, nunc tempus est quo ego illas magno numero per omnes nationes ad fidem mei decreui conuertere, per vestrum meorum discipulorum ministerium; & conuersas, per mei fidei sacramentum baptismum, sanctificare: ideo non diutius inter animalia immunda sunt habendæ, nec vobis ab ijs abstinendum. Spiritaliter ergo occidite; & manducantes in corpus meum Ecclesiam traijcite. Certe, si Cornelius iam tum fuisset iustificatus; non habuisset locum spiritualis interfectio illius, quæ facienda erat per remissionem peccatorum seu reatus noxij abolitionem. Progreditur S. Lucas in historia,

VERS. 17. Et dum intra se hæsitaret Petrus quidnam esset visio quam vidisset:

PETRVS] iam sibi redditus, iam finita ecstasi; *Quidnam esset visio quam videret*] hoc est, quidnam significaret: An scilicet Deus vere ipsum hortaretur ad edendas carnes lege immundas; an vero sub illa hortatione aliquod mysterium lateret: *Ecce viri qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad ianuam.*

VERS. 18. Et cum vocassent;

ID est inclamassent vt quispiam prodiret; *Interrogabant si* (num) *Simon qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium.*

VERS. 19. Petro autem cogitante de visione;

SCILICET quidnam significaret ista visio; vt dictum nunc est ad vers. 17. Petro igitur adhuc intra se disputante quid sibi vellet visio ista: *Dixit Spiritus ei; Spiritus*] sanctus vtique, vt probat Chrysost ex postremis verbis v. seq. illis, *Ego misi illos. Dixit*] intrinsecus in corde, paulatim scilicet eum erudiens quid significaret visio illa ecstatica. Beda, Non aure carnis audiuit à Spiritu, sed mente.

ECCE *viri tres quærunt te.*] Quos ex colloquio intelliges esse gentiles. *Quærunt te*] habentes negotium magni momenti tibi significandum, imo huc missi vt te adducant ad virum gentilem.

VERS. 20. Surge itaque, descende, & vade cum eis, nihil dubitans: quia ego misi illos.

NIHIL *dubitans*] μηδὲν διακρινόμενος, nihil disceptans in animo tuo, an liceat tibi ire cum eis, cum sint gentiles, an non. Noster non male dixit *nihil dubitans*, Nam talis disceptatio quæ fit argumentis in vtramque partem quæ-

Oo stionis

stionis ambiguæ allatis, etiam à Philosopho vocatur *dubitatio*, ad finem cap de Relatis in Categor. De singulis *talium* (ait) dubitare non est inutile. Vtilitatem dubitationis huiusmodi & alibi commendat. 3. Metaph. princ. 8. Topic. c. vlt. paulo post initium. 1. de cælo tex. 101. & alibi.

NON versabantur Iudæi cum ethnicis: quod vel ex illo dicto Saluatoris manifestum est Matth. 18. *Si Eccl siam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus* Id est, eodem loco ubi sit quo homini Iudæo ethnicus aut publicanus. scilicet vt consortium eius plane vites. Ideo B. Petro peculiare præceptum dat hic Spiritus sanctus, quo fretus accedat gentiles.

QVIA *ego misi illos*] Ego Cornelium monui, & ad hoc moui vt istos ad te mitteret qui te adducerent. Quum illuc perueneris, ad plenum intelliges significet ista quam animo tuo immisi, visio imaginaria.

VERS. 21. Descendens autem Petrus ad viros.)

ANTEQVAM scilicet à domesticis coriarij Simonis esset ei significatum adesse viros tres qui cuperent eum conuentum. Nam illa interior alloquutio Petro à Spiritu sancto facta, de qua iam dictum est, fuit priusquam quispiam ex domo Coriarij ascenderet ad Petrum: Deo etiam isto modo volente his nuncijs Cornelij, indicare sanctitatem Petri, quod scilicet nullo mortalium ipsi significante eos adesse, sciret tamen eos ibi esse & se petere.

DIXIT *ad eos, Ecce ego sum quem quæritis: quæ causa est propter quam venistis?* Hoc est initium conuersationis Petri cum gentilibus, iuxta diuinum mandatum recens acceptum, contra Iudæorum consuetudinem vitantium omne cum ethnicis contubernium.

QVÆ *causa est propter quam venistis?* Spiritus hanc B. Petro non reuelauerat, sed ex istis nuncijs illum intelligere volebat; charitatis & humilitatis nutriendæ causa; vt monet hoc loco V. Beda.

VERS. 22. Qui dixerunt; Cornelius centurio vir iustus & timens Deum,)

IVSTVS] δίκαιος. *Et timens Deum*; In græco est eodem modo vt vers. 2.

VIR *iustus*.] Id est, bene viuens, & faciens opera iustitiæ. Non significatur autem his verbis Cornelium iam tum fuisse coram Deo iustificatum per remissionem peccatorum & gratiam sanctificantem: tum quia id dicunt eius ministri, qui hoc scire non poterant, quoniam sine sensibili signo fuisset ei gratia iustificans collata ante hoc tempus, si omnino collata fuisset, tum, quia etiam si Scriptura affirmaret quod affirmant hi domestici eius, tamen non esset accipiendum, de gratia iustificationis per remissionem peccatorum & infusionem charitatis, propter ea quæ attulimus supra ad v. 2. Quibus addi potest, quòd Dominus qui in Cornelio & familia eius volebat auspicari publicam conuersionem

sionem gentium, easque suorum sacramentorum vim intelligere & percipere; effectum baptismi sine sacramento nullo modo videri potest hic contulisse.

Et *timens Deum.* Eadem verba sunt v. 2. huius c. ibi exposita. *Et testimonium habens,*) bonum scilicet, de religiosa conuersatione sua, deque charitate in egenos. Nam ea commemorata fuit vers. 2. *Ab vniuersa gente Iudaeorum,* q. d. Non solum à nobis eius domesticis; sed etiam ab externis; nec illis quibuscunque, sed Iudæis, qui non temere laudant hominem gentilem; neque ab vno aliquo Iudæo, sed à multitudine ipsa Iudæorum Cæsareæ degentium.

Responsvm accepit ab angelo sancto.] *Responsum accepit*, ἐχρηματίσθη. id est, diuino oraculo monitus ac iussus est, per sanctum Angelum; supra v. 3. 4. 5.

Accersire *te in domum suam.*] Ita sane iussus erat Cornelius, vt ex versibus illis notum est; sed insuper per hanc narrationem videntur isti nuncij præoccupare tacitam quæstionem; hanc videlicet, Quare Cornelius ipse non venit huc ad me? Dicunt, Iussit ei Angelus Domini vt te accerseret missis nuncijs. Porro voluit diuina bonitas Petrum venire ad Cornelium, vt eàdem operâ plurium salus curaretur, familiarium scilicet ipsius: vt patet ex seqq. v. 24. & 44. *Et audire verba abs te.* Indefinite loquuntur, sed intelligunt verba ad negotium salutis pertinentia; vt exprimitur infra cap. 11. v. 14. vbi dicitur, *Loquetur tibi verba in quibus saluus eris tu & vniuersa domus tua.*

Vers. 23. Introducens ergo eos, recepit hospitio.

Iam intelligens nimirum quid significaret visio sua ecstatica; nempe non esse diutius abstinendum à conuersatione cum gentilibus; sed dandam operam vt Christi fidem audiant & recipiant, baptizentur & Ecclesiæ incorporentur.

Seqventi *autem die, surgens, profectus est cum illis.*] Cæsaream versus. *Et quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum. Ex fratribus.*] Id est, ex christianis qui erant Ioppes. Fuerunt autem numero sex, vt manifestum est cap. 11. v. 12. & quidem Iudæi natione. Infra v. 45.

Singvlari Dei ordinatione hoc factum ait Chrysost. quod sex illi comitarentur Petrum Apostolum euntem ad gentilem hominem Cornelium: nimirum vt postea testes essent rerum gestarum, quando Petro opus esset defensione apud alios Iudæos, christianos quidem, sed præposteros legis Mosaicæ obseruatores. vt videmus factum postea, cap. 11. v. 2. & 12.

Vers. 24. Altera autem die.)

Postridie quam se in iter dederat. *Introiuit Cæsaream*] circiter horam tertiam pomeridianam, vt doceri potest ex vers. 30. huius cap. collato cum vers. 3.

Cornelivs *vero expectabat illos, conuocatis cognatis suis & necessarijs amicis.* Nimirum cupiens illos secum adducere ad salutem: non vero cupiens illos rei alicuius nouæ spectaculo vanè exhilarare.

VERS. 25. Et factum est quum introisset Petrus Cæsaream; obuius venit ei Cornelius,

NIMIRVM ab vno alterone nunciorum præcurrente admonitus Petrum iam ingressum ciuitatem, & aduentare. *Obuius venit ei*] haud dubiè non solum ciuiliratis sed & pie a is causa, & religiosi honoris: vt quem Angelus ei doctorem salutis attribuerat. Hoc declarant verba sequentia;

ET *procidens ad pedes eius adorauit.*] Quem adorauit? Petrum vtique; nam hoc subintelligere sanctum Lucam, præcedentia verba arguunt, illa, *Procidens ad pedes eius*. Sed sciendum est quod hebraismo in sacris literis vsitato, adorandi verbum signi ficat honorem eum quoque qui creaturæ, defertur cum corporis inclinatione; non tantum religiosum, sed etiam ciuilem duntaxat. Hinc est illud Gen. 23. vers. 7. *Adorauit Abraham filios Heth.* Pluribus ea de re agunt Controuersiarum explicatores qui cultum & inuocationem sanctorum contra sectarios defendunt.

CREDIBILE est Cornelium hoc fecisse in publico, quoniam è domo sua prodierat obuius B. Petro: vt meminerimus ea quæ sunt pietatis & religionis, re ita postulante, coram toto mundo nobis esse facienda.

VERS. 26. Petrus vero eleuauit eum, dicens; Surge: & ego ipse homo sum.

SATIS absurdum est quod ex his verbis B. Petri nonnulli argumentantur Cornelium existimasse Petrum esse vel Deum quempiam, saltem ex ijs quos ethnici nominabant Deos minorum gentium; vel esse Angelum humana forma apparentem; vel alioqui esse quippiam supra homines. Petri verba nihil tale conuincunt; & de ipso Cornelio, quem in principio huius capitis Spiritus sanctus tantopere laudauit, quis sanus tale quippiam opinetur? Sed sicut Cornelius Petrum honorabat propter sanctitatem & excellentem cognitionem rerum salutarium; item propterea quod Angelis ipsis charus erat; item propter dignitatem Doctoris à quo salutaria sibi iubebatur petere: ita vice versa Petrus, non quidem eum repræhendit de honore exhibito, sed pauxillum illius honoris suscepisse contentus, recusat amplius; considerans in Cornelio naturæ communionem (quam quidem his suis verbis Petrus expressit) & diuinam ipsius & domesticorum eius ad Christianismum electionem, tanquam primitiarum ex gentilitate.

VERS. 27. Et loquens cum illo, intrauit: & inuênit multos qui conuenerant.)

VT dictum fuit v. 24. quod Cornelius conuocauerat suos cognatos & necessarios amicos. Præterea, illic erant domestici ipsius Cornelij, de quibus dictum est v. 2. fuisse eos omnes religiosos & timentes Deum. Accesserunt autem cum B. Petro illi sex Iudæi christiani, de quibus v. 23.

VERS.

VERS. 28. Dixitque ad illos; Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo, coniungi aut accedere ad alienigenam;

DIXITQVE] verisimiliter latinè. *Vos scitis.*] Per experientiam; habitantes inter Iudæos.

ABOMINATVM] græce ἀθέμιτον, nefas, iniquum, iniustum, illicitum. quod autem tale est, idem merito abominantur omnes pij, sicut reuera est abominabile. Tale erat Iudęis consortium cum alienigena, id est, homine qui non esset ex gente Israelitica, neque circuncisione factus esset proselytus. Quia videlicet præter gentem Israeliticam cateræ nationes sordebant idololatria, & varijs sceleribus: Ideo cum illis erat Israelitis, saltem ordinariè, vetitum contubernium; tum lege naturali tum etiam lege positiua diuina, Exodi 34. vers. 12. & seqq. Deuter. 7. v. 2. & seqq. Iosue 23 v. 12. & seqq. Vnde psal. 105. v. 35.36. Dominus exprobrat populo illi, *Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum* &c. *& factum est illis in scandalum.* Addit B. Petrus;

SED *mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem.* Hoc Deus illi ostenderat per illam ecstaticam visionem, & eius quadam parte, expositionem, quando Spiritus S. iussit eum descendere ad nuncios Cornelij, & cum ijs proficisci, addens se illos misisse. v. 20.

NEMINEM *hominem dicere* (Id est, censere, reputare) *immundum:* deinceps videlicet; ideoque me non debere à gentilibus abstinere; sed curam gerere omnium vt ad fidem vnius veri Dei & Christi eius, adducantur nostro ministerio. *Ostendit mihi Deus* deinceps sese gentes per nos mundaturum: ac propterea non esse nobis eas diutius vitandas tanquam prophanas & immundas.

VERS. 29. Propter quod sine dubitatione,

(SINE contradictione græcè) *veni accersitus,* à vobis, etsi gentilibus. Quare B. Petrus hoc veluti procemio sit vsus ad eos qui conuenerant; illa videtur idonea à nonnullis reddi causa; vt scilicet ab istis adhuc infirmis, auerteret scandalum de persona sua, quasi esset violator religionis Iudaicæ, ipse Iudæus. Quæ suspicio si animis eorum hæsisset de Petro Apostolo: parum fructuosa fuisset apud ipsos eius quæ deinceps describitur, concio. Minorem enim authoritatem habuisset, tanquam profecta ab homine religionis suæ violatore. Hoc itaque præfatus S. Petrus, addit;

INTERROGO *ergo, quam ob causam accersistis me?* Iam causam audierat ex nuncijs Cornelij: sed interrogat tamen, eo fine, vt ipse Cornelius coram omni illa multitudine eam narret; & sic detur gloria Deo; ipsique omnes spiritalem profectum accipiant ex gratitudine erga Deum, & ex fidei atque obedientiæ professione hac, quæ fieret coram Apostolo Petro. Ita fere Chrysost. & ex eo Oecumen.

VERS. 30. Et Cornelius ait, A nudiusquarta die vsque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea:

VENERABILIS Beda hoc loco in Comm. ait in græcis codicibus ita esse scriptum; *A quarta die vsque ad hanc horam eram ieiunans, & orans à sexta hora vsque ad nonam*: &c. At hodierni codices græci non omnino ita habent; nullam enim horæ sextæ faciunt mentionem; sed ita sonant *Quarta abhinc die vsque ad hanc horam eram ieiunans, & hora nona orans.* Sed interim habent illud verbum *ieiunus* quod græca habebant Bedæ conspecta: Cur igitur noster Intepres illud omisit, quum non sit leuis momenti? Respondemus, hanc omissionem argumento nobis esse Interpretem in suis græcis non habuisse istud de ieiunio; alioqui non prætermissurum. Videtur sane & Chrys. in suis libris non habuisse: nam quum totius orationis huius singulas voces diligenter excutiat; de ieiunio tamen nullum verbum facit: (Et alioqui ex dictis manifestum est quod codices visi V. Bedæ non per omnia consentiant græcis hodiernis) vt nihil mirandum sit Interpretis nostri libris græcis istud de ieiunio defuisse.

ALIQVOS tamen græcos libros iam olim habuisse, ex Beda manifestum est. Apparet & Oecumenium habuisse, tametsi non exprimat Ieiunium. Generali enim vocabulo vtitur, dicens de Cornelio, ad hunc locum, Videtur hic sibi ipsi *aspeniorem viuendi modum* præfixisse, idque certis quibusdam diebus. Sed longe vetustior Tertullianus, qui propria ex græco interpretatione vtebatur, sine dubio in suo codice habuit, dum in libro de Ieiunijs cap. 8. enumerans ex nouo testamento exempla ieiunij, inter cætera, sic ait; vt in Centurionem Cornelium necdum tinctum, dignatio Spiritus sancti cum charismate insuper prophetiæ festinasset, ieiunia eius legimus exaudita. Syriacus quoque Interpres hoc loco meminit ieiunij Hæc idcirco paulo fusius; ne vel nostrum latinum Interpretem vel codices hodiernos græcos, quispiam temerarius respuere audeat.

CÆTERVM eius quod nos habemus, planus & expeditus sensus est hic; Hac hora, seu, Hoc nunc tempore, siue, hac parte diei, quartus (inchoatus) nunc est dies, quo horâ nona ego in domo mea orabam. Narrat nimirum Cornelius ea quæ S. Lucas iam narrauit vers. 3 huius cap. & seqq. Studiosi exerceant se in supputatione horum quatuor dierum; sed meminerint quartum diem tunc fuisse inchoatum dumtaxat, reliquos tres plenos supputando.

ET *ecce vir stetit ante me in veste candida; & ait: Vir*] v. 3. dicebatur angelus: vnde colligere debemus hunc Angelum Cornelio apparuisse specie viri. Sicut & illi duo angeli qui Christo Domino in cælos ascendente Apostolis apparuerunt, *viri* appellantur; huius lib. cap. 1.

IN *veste candida*] græce pro (candida) est *λαμπρᾷ, splendida*; sed recte Noster; tum quia inter omnes colores albus proxime accedit ad splendorem; tum quia (candidum) latinis potius splendidum vel quid simile significat, quam album; neque videtur albedinem significare quatenus albedo est, sed quatenus tanta est vt splendeat. Candere dicitur ferrum, non quia albet, sed quia splendet

splendet ignitum, Carbones candentes, eodem modo. Et *Candorem* albedinem cum splendore propriè dici, notant Grammatici. *Et ait,*

VERS. 31. Corneli, exaudita est oratio tua; & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt.)

ID est, in memoria habitæ, *In conspectu Dei.* Supra. versu 4.

VERS. 32. Mitte ergo in Ioppen &c.) Supra. v. 5. & 6.

VERS. 33. Confestim ergo misi ad te.) Supra v. 7. & 8. Et tu bene fecisti veniendo.)

CIVILITER agit Petro apostolo gratias pro suo aduentu: deinde adiungit petitionem, dicens, *Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus audire* (id est, ad audiendum) *omnia quæcunque tibi præcepta sunt à Domino.*

IN *conspectu tuo*] græci codices habent, *in conspectu Dei*: sed possis dubitare an scribæ id huc non transtulerint ex v. 31. Certe Noster legit σοῦ, loco τοῦ θεοῦ. Syriacus quoque Interpres in suis græcis habuit vt noster, nam eodem modo reddit, *coram te.* Vtraque lectio optimum sensum habet: sed non est reijcienda nostra præ græcanica hodierna

AVDIRE *omnia* &c. His verbis fit illa professio promptitudinis ad credendum & ad obediendum; de qua dicebamus ad finem v. 29. q. d. Parati sumus audire salutarem veritatem, eamque suscipere; parati sumus Dei præcepta audire, ijsque obedire.

VERS. 34. Aperiens autem Petrus os suum, dixit; In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus;

APERIENS *os suum*] hebraismus est, hoc sensu: Componens sese ad sermocinandum, seu ad diutiuscule disserendum. *In veritate comperi*] hoc est, rebus ipsis depræhendo, *quod Deus non est acceptor personarum.* De personarum acceptione videndus est B. Th. 2. sec. q. 63. tota. Potest etiam videri S. Augustinus epistola 105. post medium, ibi. *Verum illi qui.* & ad Bonifacium lib. 2. c. 7. præclarè. Ex quibus intelligetur quod non habet locum in his quæ mere gratuito dantur, quum sit vitium oppositum iustitiæ, distributiuæ nimirum. Vbi autem committitur hoc peccatum acceptionis personarum, ibi aliquod meritum reperitur in eo qui per hanc iniquitatem vel præteritus est, vel minus digno postpositus.

QVÆRITVR ergo hic, An si Deus non vocasset gentes ad fidem Christi, sed solos Iudæos: an fuisset acceptor personarum. Non videtur: quoniam in

in merè gratuitis prosopolepsia esse non potest, etiamsi, duobus æqualiter se habentibus, beneficium præstes vni & non alteri: est autem plane gratuitum à Deo beneficium, quod homines vocet ad fidem Christi. Cur igitur B. Petrus significat quod Deus fuisset acceptor personarum, si Cornelius homo gentilis non fuisset illi acceptus? Respondetur, Non hoc ita simpliciter dicit aut significat B. Petrus; sed ita demum, si Cornelium, gentilem quidem, sed tamen vnius veri Dei pium cultorem & timentem Deum, ac propter Deum multas eleemosynas facientem, Deus non habuisset charum, ideo solum quia gentilis natione erat, non Iudæus. Nam ad hoc negotium impertinens est cuius nationis sit quisp iam: Est autem acceptio personæ quando Iudex aut distributor accipit pro causa conditionem illam personæ quæ non facit ad negotium; ait S. Thom. Quodl.b. 4. art. 15. in corpore.

SENSVS igitur horum B. Petri verborum iste est; Rebus ipsis experior quod Deus non præponit Iudæos gentilibus, si cætera paria sint. seu, quod Deus non ideo quemquam pluris æstimat quod Iudæus sit. Et hunc sensum requirunt sequentia eiusdem Petri apostoli verba, quum addit;

VERS. 35. Sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.

IN *omni gente*] Etiam extra gentem Iudaicam; ***Qui timet eum***] Id est, Qui eum religiose colit, qui metuens illum offendere abstinet à malo; ***Et operatur iustitiam***] Hoc est, ex dilectione Dei facit bona opera;

ACCEPTVS *est illi*] Iam enim eum Deus dilexit inspirando illi timorem sui, veramque pietatem, & dando ei opera bona: & per hæc ipsa is homo est ei charus ad accipienda vlteriora dona, & tandem vitam æternam. Q. d. Etiam extra gentem Iudaicam multos esse illi acceptos depræhendo, eos nimirum omnes qui eum pie colunt & iuste agunt. Nam quum id non faciant nisi eius munere: per hæc ipsa Deus facit eos sibi charos, eosque sibi acceptos testatur. Sic oportet hæc intelligere: Non autem quasi homo quispiam suis dumtaxat viribus Deum vera pietate colat ac timeat, bonaque opera ad salutem valentia faciat; & sic Deum quasi sibi deuinciat, atque hoc apud eum mereatur vt sit ei deinceps charus & acceptus. Qui intellectus foret merus Pelagianismus; quasi diuina gratia secundum merita quæ homini ex se ipso sint, detur; & ita iam non sit gratia, sed humani meriti præmium.

ADVERSVS illum falsum intellectum sunt euidentissimæ scripturæ: Ioan. 15. vers. 5. & 16 Rom. 11. vers. 35 1. Cor. 4. vers. 7. 1. Ioan. 4. vers. 10. & 19. Et vbi non? Cæterum vnus locus scripturæ tantum valet quantum sexcenti.

ATQVE hæc quidem quæ iam audiuimus versibus proximis, 34. 35. velut procemium sunt quo B. Petrus auspicatur suam concionem: inde, tantillum præfatus, ad rem sibi propositam venit annuncians fidem de Iesu Nazareno, quod ipse est Christus, cui credendum, cui obediendum sit, siquis velit saluari. habet enim propositum sibi hanc fidem animis eorum, Deo operante, inserere.

ferere. Quod vt assequatur, hanc seruat methodum vt ex rebus quæ ipsis aliquousque notæ erant, doceat eos cætera quæ ignorabant; eaque præcipua & fundamentalia; scilicet hunc Iesum esse Saluatorem mundi; esse ei credendum & obtemperandum. Ait itaque,

VERS. 36. Verbum misit Deus filijs Israel, annuncians pacem per Iesum Christum: hic est omnium Dominus.

VERBVM] græcè est τὸν λόγον; quo nomine B. Ioannes vtitur quando secundam diuinitatis personam designat cap. 1. Euang. & 1. epist. c. 5. Eoque modo hoc loco intelligit B. Athanasius in oratione super illo dicto, *Deum de Deo*, contra Arianos, & in alio quodam suo Tract. contra Samosatenos. Eodem modo hic intelligit Vener. Beda, Hugo Cardinalis, & glossa interlin. Quem intellectum nos putamus retinendum, vt quam maxime expeditum. Eo recepto: non sunt illa verba (*hic est omnium Dominus*) parenthesi separanda à reliquo orationis corpore, vt fecerunt recentiores nonnulli, tam in græcis libris quam in latinis: sed planus est contextus totius sententiæ, hunc habens sensum. Illud Verbum Dei patris, quod carnem factum ipse misit directè ac primò filijs Israel, annuncians ijs pacem, per illud ipsum suum Verbum, per Iesum Christum, inquam; Hoc Verbum est omnium rerum Dominus.

HVIC intellectui obijci potest, quod videatur à prudentia B. Petri alienum, statim initio concionis suæ tam sublime mysterium istis rudibus proponere de Verbo illo diuino Patri consubstantiali. Sed qui hoc obijcere volet, eadem opera arguat B. Petrum imprudentiæ quod verbis deinde sequentibus locutus sit de illa mystica vnctione qua Deus Pater Iesum Nazarenum *unxerit Spiritu sancto & virtute*. Nempe S. Petrus hæc ijs nunc proponit dumtaxat, postea latius explicanda: sicut solet fieri in legitimo docendi ordine, vt principio multa auditoribus proponantur, quæ nondum capere possunt, sed confusa & indistincta tantum notione apprehendere, postea, suo tempore, latius exponenda, & facilius atque distinctius tunc percipienda.

POSSIT etiam obijci, non bene cohærere orationem, imo esse absonam tautologiam, si τὸν λόγον in principio huius sententiæ intelligamus Verbum illud diuinum Patri coessentiale, potius quam verbum prædicationis: eo quod adiungatur, *annuncians pacem per Iesum Christum*; quasi nimirum, ille λόγος quem misit Deus Pater, diuersus sit à Iesu Christo; alioqui sermo hic idem sit repetiturus quod dictum iam erat. Sed hæc obiectio facile repellitur, dicendo, non plane idem repeti, sed ratione diuersum, ac diuersis verbis, vt scilicet posterius sit explicatio prioris. Quod si ijsdem etiam verbis fuisset facta repetitio: ne sic quidem tautologia esset sententiæ alicuius, sed hebraismus ille, quo loco relatiui repetitur ipsum antecedens. Cuius rei exempla sunt in sacris literis. B. Athanasius adfert istud ex 1. Cor. 1. vers. 7. *Expectantibus reuelationem Domini*

nostri Iesu Christi: qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine, in die Domini nostri Iesu Christi pro eo quod diceretur, *in die suo, in die ipsius.* Adfert & aliud exemplum S. Athanasius ex Leuit. 9. v. 7. iuxta 70. Plura facile obseruabit diligens lector. Tale est Genes. 19. v. 24. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino, de cælo. A Domino.*] Id est, à seipso, seu suaipsius vi & potentia. Ita & in Cantico Deiparæ, in princ.

Erit fortasse qui obijciat in verbis B. Petri solœcismum, si (*Verbum*) in fronte huius sententiæ aliud intelligatur quam verbum prædicationis, vt pendere possit à subsequente illo, *Vos scitis.* est enim istud (Verbum) quarti casus, vt patet ex græco; τὸν λόγον. Sed huic facillimè respondetur, esse antiptosin quarti casus pro primo, tam græcis quam latinis in tali concursu antecedentis & relatiui, vsitatam. Plane similis est tam apud 70. quam nobis, Psal. 117. ibi, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quanquam, ad vitandum hoc quicquid est antiptoseos, Interpres noster forte omisit relatiuum quod in græco codice ponitur proxime ante verbum (misit) sic, τὸν λόγον ὃν: & potuit omittere, quia nihil perit de sensu aut orationis perfectione. Nec enim vlla hîc apud nos est oratio imperfecta.

Svperest hoc vnum explicandum ex v. 36. *Annuncians pacem per Iesum Christum.* Intelligitur autem pax cum Deo: quatenus is & Iudex est & Legislator. Pax cum Deo iudice reconciliatio est cum ipso qui peccatis offensus fuerat; ea vero fit remissione peccatorum. Pax cum Deo quatenus Legislator est, consistit in prompta obedientia legum ipsius. Nam qui diuinis præceptis recalcitrat, non vtique habet pacem cum ijs; vtpote quibus sua voluntate aut etiam externo opere reluctetur, renitatur, resistat. Vera pax ista cum Deo legislatore habetur per gratiam ipsius qua voluntas humana sanatur & roboratur ad faciendum quod ipse iubet; faciendum vero, amore iustitiæ, non præcipuè timore pœnarum.

Annvnciavit hanc vtramque pacem Dominus Saluator ipse per se filijs Israel, ad quos missus fuerat vt primi isto læto nuncio exhilararentur. nec ipsam solum pacem annunciauit; sed hoc etiam, quod nec hæc, nec illa à Patre detur hominibus nisi per meritum passionis, crucis & mortis suæ.

Eandem hanc vtramque pacem Apostoli & alij discipuli Christi iussi sunt annunciare omni hominum generi: nam ipsa est pars euangelij salutaris. De pace hac vtraque per Iesum Christum obtinenda à Deo, sunt scripturæ passim obuiæ. Hæc est illa pax bonæ voluntatis diuinæ, quam nascente Domino Angeli optabant hominibus. De illa ait Dominus Ioannis 14. vers. 17. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hæc est illa pax quam in exordijs epistolarum suarum Apostoli, in primis autem Paulus, precantur fidelibus; & cuius toties mentionem faciunt.

Non est tamen omittendum quod locutione hebræis vsitata *pax* ponatur pro salute generaliter, pro rerum prospero statu; tropo fortassis aliquo, effectus pro causa: eo quod homines quum prospere agunt, solent esse animo tranquillo & pacato. Ea generalis significatio huic loco bene conuenit; & complectitur vtramque illam quam diximus cum Deo pacem; ac nonnulla præterea, veluti

veluti pacem cum proximis quæ secundum Deum sit, Imo pacem hominis talem cum seipso. Complectitur insuper ipsam sempiternam felicitatem, quæ est cõsummata salus ac prosperitas. Et omnis hęc bona, hęc Deo consentanea, pax, hominibus venit per meritum Christi Redemptoris, qui per sanguinem crucis suæ pacificauit quæ in cælis & quæ in terris sunt; vt loquitur Apostolus Colossens. 1. vers. 20.

NVNC ad vers. 37. veniendum est; vbi Petrus Apostolus ita prosequitur sermonem;

VERS. 37. Vos scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudæam;

VERBVM.] Græcè est ῥῆμα, & videtur hebraismo in scripturis frequentissimo poni pro re gesta: sicut Lucæ 2. ibi, *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* Sensus itaque est, Vos, siue per experientiam, siue saltem ex publica certissimaque fama, nouistis ea quæ superioribus annis gesta sunt (annus enim 41. à nato Domino agebatur, id est annus septimus post ascensionem Domini, quando hæc B. Petrus concionabatur) per totam Iudæam. Id est, terram Israeliticam, initio facto à Galilæa. Nam hoc est quod sequitur.

INCIPIENS *enim à Galilæa; Incipiens*] est epitheton illius quod præcessit *(verbum)*: vt patet ex græco. vbi deest istud (enim). Ita B. Petrus rem superioribus annis gestam (quam vt illis notam commemorat) describit à loco vbi gesta sit, à loco vnde initium eius fuerit; quin & à tempore quando inceperit, addens, *Post baptismum quod prædicauit Ioannes:* Christus enim Dominus neque prædicare, neque miracula facere incepit nisi postquam Ioannes baptista homines ad Christi doctrinam suscipiendam præparasset suo baptismo; Imo nisi postquam ipse Christus Ioannis baptismo esset baptizatus, & eo tempore voce Patris cælestis ac descensu Spiritus sancti declaratus Messias ille quondam promissus. Quod totum ex euangelica historia notum est. Et hæc à Christo post illud tempus facta prædicatio, & miracula, sunt illæ res gestæ quas B. Petrus istis auditoribus reuocat in memoriam; vt inde progrediatur ad fidem Christi ipsis inserendam. Patet hoc ex verbis sequentibus.

VERS. 38. Iesum à Nazareth.)

PENDET à verbo præcedente *(scitis)*: sicut & ista quæ Petrus Apostolus adiungit, *Quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute; Vnxit*] id est, copiosè perfudit, imo prorsus imbuit, *Spiritu sancto*] ipso Spiritu, & donis eius gratia sanctificante in primis. Hæc vnctio facta fuit tunc quando humanam naturam Deus Pater filio suo sibi consubstantiali copulauit; semperque permansit hæc vnctio *Verbum enim caro factum est, & habitauit inter nos, plenum gratia & veritatis.* Ioan. 1.

ET *virtute*] græcè est *καὶ δυνάμει, & potentia*: Consentiunt satis expositores hoc loco potentiam intelligi efficiendi magnifica opera, sed vel in primis faciendi miracula; quibus Christus sese Vnigenitum Dei filium declarauit; non solum per ipsam miraculorum magnitudinem, sed & per modum quo ea faciebat; nimirum per authoritatem & imperium. Sæpe hoc ipse discipulis & Iudæis dixit, illuc pertinere sua miracula, essque inexcusabiles qui ijs cogniti non crederent ipsum esse Messiam Dei patris. Ioan. 5. v. 36. & seqq. c. 10. v. 25. 37. 38. c. 15. v. 24. Addit S. Petrus de Iesu,

QVI *pertransijt.*] Id est, qui inter homines versatus fuit per Iudæam seu terram Israeliticam vniuersam: non otiosus sane, sed perpetuo aliqua in re beneficum sese præbens hominibus, siue ad animæ siue ad corporis salutem pertinente. Hoc dicitur verbis istis adiunctis, *Pertransijt, benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo. Benefaciendo.*] Prædicauit enim doctrinam salutarem credendorum & agendorum, multis inspirauit fidem, pœnitentiam, spem veniæ, dedit remissionem peccatorum, cum gratia iustificante, dedit profectum & perseuerantiam in iustitia: item mortuos suscitauit, ægrotos innumerabiles sanauit. Ex historia euangelica nota sunt omnia hæc, sicut & quod sequitur,

ET *sanando omnes oppressos à Diabolo.*] Nimirum eijciendo dæmones ex corporibus obsessorum, idque solo imperio. Sanando item homines ab ijs morbis quos Diabolus ijs immiserat. Exemplum huius est in illa muliere miserrime curuata & in terram deflexa, de qua legitur Lucæ 13. v. 11. & seqq. De hac dicebat Dominus ibidem v. 16. quod *ipsam Satanas alligauerat decem & octo annis.* Vnde nos ratiocinamur hanc oppressionem cuius hîc fit mentio, non in sola obsessione intelligi. Qua autem potentia Iesus Nazarenus omnia ista facere, & tali modo facere, potuerit, licet ex proxime dictis satis intelligeretur, quum *à Deo vnctum diceret Spiritu sancto & virtute*: tamen repetit B. Petrus, addens, *Quoniam Deus erat cum illo. Deus.*] Verisimile est Deum patrem intelligi, sicut in priore huius versus parte, & in his quæ sequuntur. Hic vtique, modo prorsus singulari fuit cum Christo homine, in omnibus quæ dixit & fecit; per plenitudinem scilicet gratiæ ipsi propriam. Addit B. Petrus.

VERS. 39. Et nos testes sumus omnium;

ILLVD (*nos*) valde emphaticum est. q. d. Horum quæ commemoraui saltem pars aliqua vobis nota est, siue, quod ipsi videritis, siue quod ex oculatis testibus acceperitis: sed vt hoc abesset; *Nos, Nos* inquam, quem iubente Angelo Domini vos accersiuistis, Ego nimirum & collegæ mei, Apostoli Iesu, qui ei constanter adhæsimus ab eo tempore quo cœpit prædicare & miracula facere; *Nos*, dico, *sumus testes omnium quæ* hic Iesus Nazarenus diuina virtute *fecit in regione Iudæorum.* (hoc est, per vniuersam terram Israeliticam, vt v. 37. intelligebatur Iudæa) *& in Ierusalem*, primaria Israelitarum ciuitate; vbi sæpissimè fuit conuersatus, docuit, miracula maxima patrauit. Sequitur,

QVEM *occiderunt suspendentes in ligno.*] q. d. Hunc tamen talem ac tantum, Iudæi occiderunt, non vulgari cæde, sed quam probrosissima & durissima,

nimirum

nimirum crucifixione: cupientes nomen & gloriam eius penitus delere, eo quod odissent eum pessimè, tanquam moribus & vitijs suis contrarium. Verum frustra id tentauerunt. Nam

VERS. 40. Hunc Deus suscitauit tertia die:)

HOC ex historia euangelica notum est. Suscitauit Iesum ex morte Deus Pater, suscitauit & ipse seipsum, quoniam opera Trinitatis externa, sunt indiuisa.

ET *dedit eum*, iam ex morte resuscitatum videlicet, *Manifestum fieri*, palam exhiberi, manifeste conspici, Quibus?

VERS. 41. Non omni populo.)

SICVT quum adhuc mortalem vitam ageret conspectus fuit omnibus indiscriminatim. At post resurrectionem nemo impiorum illum vidit, ait S. August. Tract. 75. in Ioannem, ad illud cap. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*. Quare (vt hoc obiter addamus) vitiosè pingitur historia resurrectionis Domini, quasi milites ipsum resurgentem viderint. Sunt in eadem pictura & alij flagitiosi ac euangelio contrarij errores: videlicet sepulcrum apertum; quum Dominus clauso sepulcro exierit. Tum milites dormientes, & splendore corporis Domini quidam eorum excitari, qui arma corripiant quasi sese defensuri: quum magno terræ motu fuerint excitati si dormiebant, lumenque magnum fulserit ab Angelo Domini qui reuoluit lapidem ab ostio monumenti; cuius angeli species fuit velut fulgur, vestimentum autem eius candidum sicut nix; Præ timore autem eius exterriti fuerint custodes milites, & facti velut mortui. Quæ omnia leguntur Matth. vlt. Ergo, *non omni populo:* Verum nec omnibus pijs & fidelibus suis Christus rediuiuus sese exhibuit, *Sed testibus præordinatis à Deo*; hoc est, sed certis quibusdam hominibus quos Deus ad hoc delegerat vt essent testes resurrectionis Vnigeniti filij sui. Eosdem certe ipse Christus delegerat; supra cap. 1. vers. 8 cap. 4. vers. 33. Pro illo *(præordinatis)* græce est προκεχειροτονημένοις, participium tricompositum; quæ vox dicitur quidem à protendenda manu, quo gestu suffragium ferebant populares homines in Reipub. negotijs: sed manifestum est hîc non ita sumi, quum Deo tribuatur; & conformiter non est cur alijs locis noui testamenti ita sumatur, quando agitur de ordinatione vel præfectura sacra, quasi ea suffragijs popularium sit facienda. Sic infra c. 14. v. 22. χειροτονήσαντες. Videatur latè Bellar. de sacr. Ordinis cap. 2.

QVI autem fuerunt illi testes à Deo præordinati ac delecti? Inquit Apostolus Petrus, *Dedit eum manifestum fieri testibus præordinatis à Deo*,

NOBIS,] hoc intelligendum est, vt illud *(Nos)* v. 39. Nobis ergo, id est, mihi & meis collegis, Apostolis ipsius Domini. Viderunt enim rediuiuum multi alij præter nos, viri ac mulieres: nobis tamen sese manifestauit & sæpius, & modo magis familiari, quam vllis alijs; nobis inquam,

QVI *manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Cum illo*] nempe simul edente ac bibente. hoc enim latet in verbis græcis; q. d. *qui comedimus & combibimus illi;* Dominum à resurrectione manducasse manifestum est ex Lucæ 14. v. 43. & Ioannis 21. v. 12. & seqq. huius libri cap. 1. v. 4. Bibisse, illic non dicitur, sed facile poterat intelligi; & vt non potuisset; hic tamen (quod vnum sufficit) à B Petro dicitur, & significãter exprimitur; ad maiorem confirmationem resurrectionis Domini Saluatoris, quæ est totius fidei Christianæ fundamentum; eo quod per illam specialiter Deus Pater demonstrauit Iesum Nazarenum esse suum Messiam, esse Saluatorem quem ipse humano generi miserit. Supra cap. 2. v. 24. & seqq. c. 3. v. 14. & seq. c. 4. v. 33. cap. 5. v. 30. & seqq. Quo modo post resurrectionem suam Dominus verè manducauerit. ex B. Th. discendum est 3. p. q. 54. a. 3. ad 3. & q. 55. a. 6. ad 1. Item quodl. 3. art. 5 Pergit B. Petrus.

VERS. 42. Et præcepit nobis prædicare populo & testificari quia (quod) ipse est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum.

PRÆCEPIT] Vix dubium quin de Deo Patre hoc dicat, vt superiora: idem tamen tota SS Trinitas præceperat, ob causam prius dictam.

NOBIS] id ex superioribus iam intelligitur. *Nobis*, id est mihi & meis collegis.

PRÆDICARE *populo & testificari.*] *Populo*] non soli Iudaico, sed indiscriminatim cuiuis populo, cuilibet nationi; initio tamen facto à gente Iudaica, propter diuinas promissiones patribus Israelitarum factas. *Cuilibet nationi*, diximus: Matth. vlt. Marci vlt. Luc. vlt. Initio facto à gente Iudaica: Lucæ 24. v. 47. sup. cap. 1. v. 8.

QVIA (quod) ipse sit ille *constitutus à Deo Iudex viuorum & mortuorum.* Vt hoc prædicarent Apostoli ipsis præceptum fuit eâdem lege qua iubebantur prædicare Euangelium omni creaturæ: Nam totius euangelij de Iesu hæc est vna pars, ipsum esse Iudicem generalem à Deo patre constitutum; qui, etiam manifestè coram tota hominum multitudine, suis fidelibus in iustitia perseuerantibus præmia reddat: qui eos ab oppressionibus impiorum liberet; impijs & alijs peccatoribus in peccato permanentibus, supplicia iusta irroget. Et alioqui hunc de futuro generali iudicio articulum, voluisse Deum omnibus gentibus, etiam specialiter, annunciari, ad salutarem timorem animis hominum incutiendum; dubitari non potest; quum sit creditu valde salutì necessarius. Neque Cornelius vnius veri Dei cultor iudicium illud futurum ignorabat profectò; sed nesciebat eundem esse Iudicem quem mundi Saluatorem; nempe, Iesum Nazarenum merito passionis & mortis suæ, esse potestate atque authoritate huius iudicij ferendi donatum à Patre; hoc ignorabat. Sunt Scripturæ, Ioan. 5. v. 21. 2. Timot. 4. v. 1. 1. Petri 4. v. 4 quibus posterioribus locis non solum potestas Iudiciaria Christo homini attribuitur,

sed

sed hoc etiam additur, eodem modo quo hîc, illam exercẽdam *in viuos, & mortuos*. Quod idem repetitur in Symbolis & in Exorcismis Ecclesiæ. Si quæratur quis sit sensus istorum verborum: breuiter hîc sufficiet dicere, significari quod in fine mundi Christus Dominus sit manifestus toti hominum multitudini venturus ad iudicandum omnes, non illos tantum qui tunc viuent, quod facilius est creditu; sed eos quoque qui ab exordio mundi vsque ad tempus illud mortui fuerint; quorum corpora interea temporis, in mille alias formas versa fuerint quod quidem videtur difficilius creditu: verum Deo, post tot interea factas mutationes, nihil omnino ex corporibus humanis perijt aut peribit; reuocabit materiam corporis cuiusque ad ipsum; resuscitabit omnia; Deinde omnes homines in suis corporibus iudicabit; etiam illos quorum, longè antea mortuorum, corpora videbantur irrecuperabilia. An autem illi qui tunc viui reperientur, morte media subito sint resuscitandi: an vero, sine morte, dumtaxat immutandi, præsertim si sint ex numero electorum: id non est omnino liquidum apud Theologos; quum sint Scripturæ probabiliter concludentes, & Veterum sententiæ, in vtramque partem. Examinatur ea materia ad Supplem. q. 75. a. 2 & 78, a. 1.

ADDIT vltimo loco B. Petrus;

VERS. 43. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere, per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

SENSVS: De hoc Iesu Nazareno omnes veteres prophetæ sancti, sunt diuina reuelatione edocti, nobisque sunt testati, quod omnes in eum credentes, forent ea via remissionem suorum peccatorum accepturi; idque propter meritum passionis & mortis eius, quod fide cogniti non sint inuocaturi.

OMNES *prophetæ*) qui siue per scripta, siue viua voce sunt loquuti de remissione peccatorum: inquit Oecum. per hunc dixerunt ea remitti. Conferatur cap. 3. v. 24, & ibi annotata.

REMISSIONEM *peccatorum*. Hæc commemoratur vt vnum ex longe principalibus Dei beneficijs: quoniam sine hac nemo saluari potest; & cui datur, non datur sola, sed simul datur iustificatio, id est, gratiæ infusio per quam homo fit iustus & sanctus coram Deo, adeoque filius Dei adoptiuus.

PER *nomen eius*] Sæpe dictum est, *Nomen Dei*, *Nomen Christi*, in talibus locis scripturæ appellari attributum diuinum quodcunque, quatenus nobis innotescit, quatenus à nobis celebratur, quatenus à nobis inuocatur. *Accipitur ergo remissio peccatorum per nomen Domini Iesu*, quoniam per meritum passionis & mortis eius, nobis fide notum, & per nos inuocatum, obtinemus à Deo remissionem peccatorum nostrorum. Qui? *Omnes qui credunt in eum. Omnes*] Non Iudæos tantum sed & gentiles comprehendit. Ioelis 2. v. 32. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit*. Cæterum, non de sterili fide sermo est, quam sine operibus mortuam esse ait B. Iacobus epistolæ c. 2. v. 17. 20, sed, vt plerumque

rumque Scriptura de fide loquitur, de fide affectuosa & obediente. Tunc enim demum fides sese exerit, sese viuere demonstrat, quando homo dil gic quæ credit; & quæ ad salutem necessaria factu, fide nouit, ea obedienti animo libenter facit. Dominus ipse Marci 16. aiebat, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et baptizatus fuerit*, inquiebat Dominus: S. Petrus hîc solum dicit, *omnes qui credunt in eum*; nulla facta mentione baptismi: sed oportet nos intelligere, siquis credat euangelio de Christo, & nolit baptizari; eum reuera non credere, ad sensum horum verborum Apostoli; quia cum fide teneat baptismum esse saluti necessarium, & tamen recuset baptizari: nullo indicio prodit se hoc credere. Non igitur est in illo affectuosa illa & obediens fides, à Christo sæpe laudata: sed ipse est ex numero eorum de quibus dicit Apostolus, Tit. 1. in fine. *Confitentur se nosse Deum; factis autem negant.*

PORRO non sine causa factum est, vt B. Petrus in hac catechetica sua ad Cornelium & domesticos, atque consanguineos & amicos eius concione, commemoraret hunc articulum de remissione peccatorum: atque hinc ratiocinari possumus, existimasse B. Petrum, quod ipsis nondum facta esset peccatorum remissio, etsi vnum Deum religiose colerent. Diximus ea de re plura supra ad vers. 2.

ATQVE hactenus à vers. 35. concio fuit catechetica B. Petri; de qua Ven. Beda (ad vers. 37.) dixit eâ breuiter comprehendi omnia quæ in fidei symbolo dici solent: nempe, ait, Quod Iesus sit Christus, quod omnium Dominus, quod mundum Deo reconciliare missus, quod Ioannis voce præconatus, quod Spiritu sancto perunctus, quod Deo inhabitante per miracula declaratus; quod crucifixus, & à mortuis suscitatus, suisque manifestatus; quod Iudex omnium in fine venturus, quodque Ecclesiam suam per fidem totum sit dilaturus in orbem. Pergit S. Lucas texere historiam, & ait;

VERS. 44. Adhuc loquente Petro verba hæc; cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.

CECIDIT *Spiritus sanctus super omnes &c.*] *Cecidit*] visibili aliqua specie, velut linguarum ignearum. Hoc colligi potest ex cap. seq. v. 15. Sane & in Samaritanos aliquo sensibili signo Spiritum sanctum venisse, Apostolis manus super eos imponentibus, patuit ex cap. 8. v. 17. 18.

SVPER *omnes qui*] super Cornelium videlicet & eius domesticos, item consanguineos & amicos eius, quos conuocauerat, supra v. 24. An & super illos sex Iudæos christianos, qui comites venerant Petro Apostolo, & huic concioni intererant vt patet ex v. proximè sequente? Non videtur: sicut nec super ipsum B. Petrum. Causa enim non erat cur super hos. Vnde c. proximo v. 15. Apostolus narrans hanc rem gestam, distincte ait, *Cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut & in nos, in initio.* Ad quem effectum delapsus sit in hos Spiritus sanctus tunc temporis, id intelligetur ex proxime seqq.

VERS.

VERS. 45. Et obstupuerunt ex circuncisione fideles qui venerant cum Petro;

NIMIRVM sex illi Iudæi christiani, de quibus dicebatur v. 23. Hi *obstupuerunt*, seu præ admiratione extra seipsos rapti sunt (nam ecstaseos verbum hîc est græcè) *quod etiam in nationes gratia Spiritus sancti effusa esset. In nationes*] ἐπὶ τὰ ἔθνη, in ethnicos, in gentiles: quales erant Cornelius cum suis qui illic aderant. *Gratia*] ἡ δωρεά, donum. Vtroque nomine idem significatur, id scilicet quod non datur ex merito sed gratis. Quæ porro erat Spiritus S. gratia, quod donum, quod hi admirabantur? sequitur,

VERS. 46. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.

ERGO illo sensibili Spiritus S. illapsu, conferebatur ijs gentilibus donum linguarum, & gratia Sapientis sermonis ad laudandam diuinam bonitatem atque potentiam; & hoc coram Apostolo Petro & sex illis Iudæis, eius comitibus. De dono linguarum agit S. Thom. in sec. 2. q. 176. articulis duobus. De gratia sermonis, q. 177. itidem duobus articulis. Secundum hos igitur effectus delapsus est in istos Spiritus sanctus; idque factum est potissimum propter istos Iudæos comites Petri Apostoli, vt intelligerent eos habere fidem Christi, quam Petrus annunciabat; & esse diuinam voluntatem gentiles quoque recipi in Ecclesiam, per fidem Christi & baptismum ab eo institutum: & vt non auderent Petrum Apostolum reprehendere, sed potius apud suos contribules christianos defendere, si talibus ac tantis signis diuinitus præeuntibus, istos gentiles in gremium Ecclesiæ per baptismum reciperet. Vnde Chrysost. ponderans illud quod est vers. 44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus* &c. prudenter obseruat Cornelium quidem & domesticos eius, ex B. Petro intellexisse quod per baptismum essent accepturi remissionem peccatorum: cæterum antequam B. Petrus sese ad illos baptizandos accingeret, Deum in eos quædam gratiæ suæ munera (illa quæ diximus, quæ à Scholasticis dicuntur gratiæ gratis datæ) sensibiliter effudisse, vt eo signo Iudæis christianis declararet, esse suæ voluntatis, etiam gentiles qui in Christum Iesum crederent, per baptismum consequi remissionem peccatorum, & incorporari Ecclesiæ suæ.

QVARE, quamuis hîc audiamus Spiritum sanctum super istos cecidisse; inde non est consequens ipsos vel antea habuisse vel saltem nunc accepisse remissionem peccatorum; sed tunc demum quando fuerunt baptizati. Quam sententiam pluribus confirmauimus ad vers. 2. huius cap. scripturis aliquot allatis.

VERS. 47. Tunc respondit Petrus, Nunquid aquam quis prohibere potest vt non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos?

TVNC.] Hoc expendit Chrysost. istud (*tunc*) inquam; dicens Petrum Apostolum opportunitate hac sibi diuinitus oblata, prudenter vsum ad baptizandos istos gentiles, & corpori Christi inserendos; postquam scilicet sui comites, Iudæi, miraculo illo didicissent id fieri oportere.

SENSVS, Nulla iam causa est cur à baptismo arceantur, & à communitate christianorum, gentiles fidem Christi recipientes; quandoquidem Deus insitato miraculo declarat se illos nobis Iudæis pares velle esse. Debemus igitur nostrum ministerium ijs impendere, eos baptizando; vt baptismo consequantur remissionem peccatorum & characterem christianitatis; quibus Deus iam nunc dona sui Spiritus confert, eadem quæ nobis die Pentecostes pridem conferebat. Conf. c. 11. v. 17.

VERS. 48. Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi.

IVSSIT *eos baptizari*] per quos? nihil expeditius occurrit quàm quòd per comites suos, christianos illos Iudæos sex, de quibus sæpe dictum est, iusserit eos baptizari. Ex quo nos vlterius sumus argumentati, istos sex non fuisse laicos, sed vt minimùm Diaconos, & quidem ordinatos in ciuitate Ioppe ab ipso Apostolo Petro, eo tempore quo illic, post resuscitatam Tabitham, dies multos est commoratus apud Simonem coriarium iuxta mare, vt dicebatur in fine cap. 9. Repetantur quæ illic annotauimus. Vbi & de S. Philippo Diacono coniectauimus fuisse horum baptistam; sed coniectauimus tantum, adiungentes argumentum in contrariam partem.

IN *nomine Domini Iesu Christi.*] Non velle B. Luc. quod hac verborum forma isti fuerint baptizati, vel ipsa diuersitas lectionis in græcis codicibus arguit: dum plerique non plus habent, quam, *Iussit eos baptizari in nomine Domini;* Complutensis vero editio, *In nomine Domini Iesu;* Pauci alij libri græci, *In nomine Domini Iesu Christi.* Sed sensus est, consentaneus præcedentibus, Iussit eos baptizari in fidei professione de Iesu quod ipse sit Christus, vnigenitus Dei filius, Saluator mundi; sicut sua concione eos docuerat B. Petrus. Conferantur quæ diximus ad secundi cap. v. 38. Sequitur,

TVNC *rogauerunt eum vt maneret apud eos aliquot diebus.* Cupiebant nimirum plenius instituì ab eo in religione christiana, simulque diuturniorem consolationem spiritualem capere ex ipsius præsentia. Neque dubitare possumus Petrum Apostolum annuisse eorum petitioni: sed simul contemplari hic licet diuinam prouidentiam, quæ hanc diuturniorem commorationem Petri Apostoli & comitum eius, Iudæorum illorum sex, christianorum, eò destinarit, vt Iudæo-

Iudæorum cum gentilibus istis iam christianis nouella miscela, per hanc temporis moram nonnihil coalesceret; ipsaque cum gentilibus versandi nouitas aliquantulum dettereretur.

ARGVMENTVM
CAPITIS XI.



DVERSVS Petrum Apostolum Iudæi nonnulli, christiani quidem, sed præposteri æmulatores legis ceremonialis Mosaicæ, contentionem mouent quod esset versatus cum Cornelio & alijs gentilibus: quos Iudæos ille narrata totius rei veritate cum suis circumstantijs, plane pacauit. Deinde describitur mirifica Ecclesiæ Christi propagatio facta Antiochiæ in Syria; & christianorum illius loci charitas in pauperes Iudæos Christi fideles, degentes in Palestina.

VERS. 1. Audierunt autem Apostoli, & fratres qui erant in Iudæa, quoniam (quod) & gentes receperunt verbum Dei.

GENTES] Non est dubium de Cornelio & his qui ad eum attinebant esse sermonem; de quibus fuit superioris cap. narratio, & de quibus aduersus Apostolum Petrum querela instituitur hoc cap.

RECEPERVNT *verbum Dei.*] Generaliter quidem dicitur, sed intelligitur tamen certa pars verbi Dei, illa scilicet qua docetur quod Iesus Nazarenus est Messias Domini. Cornelius enim cum suis iam antea vnum Deum colebat priusquam Petrus Apostolus ad eum mitteretur; sed nesciebat Iesum esse Messiam Domini, esse Saluatorem mundi. Quum igitur hæc facta essent Cæsareæ: non poterat res tanta latere, neque danda erat opera vt tegeretur, sed potius vt diuulgaretur: quoniam opera Dei reuelare & confiteri honorificum est. Tob. 12. v. 7. Audierunt ergo hæc Apostoli; qui vtique non turbabantur ex Gentilium in nouellam Christi Ecclesiam introitu, sed diuinas promissiones iam adimpleri videntes, Deo gratias agebant.

AVDIERVNT hoc ipsum & *fratres qui erant in Iudæa;* hoc est, christiani ex gente Iudaica, & in Iudæa habitantes: sed horum nonnulli, infirmiores scilicet, & necdum satis intelligentes gratiam Dei exhibitam per Christum, adeo non gaudebant de gentium in Ecclesiam receptione, vt hoc nomine postea reprehenderint Petrum Apostolum. Nam hoc est quod sequitur,

VERS. 2. Cum autem ascendisset Petrus Ierosolymam;

POSTQVAM scilicet adhuc aliquantisper hæsisset Cæsareæ apud Cornelium & eos qui eius, vt dicebatur vltimis verbis cap. præcedentis Neque

vero nunc solus Petrus Ierosolymam ascendit, sed cum eo sex illi comites qui cum eo ex Ioppe Cæsaream fuerant profecti, omnes Iudæi & christiani. Quod hi cum illo ascenderint Ierosolymam, discimus ex v. 12. huius cap.

DISCEPTABANT *aduersus illum qui erant ex circuncisione.*] Magna vis erat præposteri illius zeli, quo hi laborabant pro lege ceremoniali Mosaica, quamuis christiani, sed rudes & infirmi; Magna (inquam) vis zeli eorum, quod non vererentur aggredi ipsum principem Apostolorum, Patrem & pastorem omnium christianorum; & grauiter illum obiurgare tanquam legis Mosaicæ violatorem.

QVI *erant ex circuncisione.* Credebant scilicet neminem admittendum ad consortium Iudæorum nisi esset circuncisus; quantumuis vnum verum Deum coleret, & crederet Iesum esse Christum Dei patris. In quo fallebantur; non considerantes, circuncisionis præceptum etiam quoad Iudæos iam cessare, simul cum tota ceremoniali lege Moysi; veritate nimirum iam per Christum exhibita, quam omnes illæ ceremoniæ futuram præfigurabant.

VERS. 3. Dicentes, Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?

QVO colore hoc obiecerint, potest intelligi ex his quæ diximus ad cap. præced. vers. 28. Objiciunt autem duo, quodam velut incremento: nam posterius volebant grauius esse priore. Quare nihil objiciunt de baptismo gentilibus collato, & de prædicatione verbi Dei illis facta? Respondendum est (licet quidam aliter dicant) ipsos etiam hæc objecere, tametsi non exprimant. Qui enim culpant Apostolum quod commercium habuerit cum illis incircuncisis: vtique consequenter culpant quicquid negotij apud illos peregerat. Intellexit ita B. Greg. lib. 9. epist. 39. & conclusio defensionis B. Petri arguit, ipsum sensisse sese reprehendi propter omnia quæ apud illos gentiles egerat.

IMO, hi infirmi in fide Iudæi, tametsi christiani, existimabant euangelium Christi solis Iudæis esse annunciandum, non idololatris gentilibus: tum quod hi indigni erant ea annunciatione, tum quod Deus Pater promiserat suum Messiam nasciturum ex semine Abrahæ & Dauidis, eumque se missurum genti Israeliticæ. Verum, Neque Iudæi digni erant annunciatione euangelij, varijs sceleribus cooperti etiam ipsi: & Deus promiserat per suos prophetas, etiam gentibus missurum sese Christum suum; primo tamen Iudæis. Vnde Saluator ipse qui dixerat Matt. 15. *Non sum missus nisi ad perditas oues domus Israel;* & qui Apostolis præceperat, *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis;* Matth. 10. idem ijsdem à resurrectione sua præcepit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. *docentes eos seruare* &c. Matth. vlt. Est multus Paulus Apostolus in hoc argumento, epistola ad Rom.

VERS.

VERS. 4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens:

ETIAM hîc modestiam & humilitatem Petri Apostoli obseruat Chrysost. & meritò. Obseruat in iterata expositione simul & eius prudentiam, in tota hac defensione sua. Cuius summa est, Se quidquid fecit circa istos gentiles, Deo authore Deoque iubente fecisse. quod vt liqueat, repetit seriem totius rei gestæ. Quæ B. Petri defensio, quoniam continet eandem historiam quæ cap. præcedente exposita fuit, & siquid vsquam hic exprimitur quod illic à Sancto Luca expressum non fuerat, id omne in ipsa expositione nos admonuimus: idcirco ab explicatione narrationis quæ hîc est, vers. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. tanquam à re superuacanea abstinendum ducimus; & progredimur ad versum

VERS. 16. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat; Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.

RECORDATVS *sum.*] Tunc quando me concionante delapsus est Spiritus sanctus in gentiles istos; (nam hoc exprimitur v. 15.) eodem modo quo in nos duodecim Apostolos *in initio*, id est, in principio propagationis Ecclesię, hoc est, in die Pentecostes, fuerat delapsus: tunc, inquam, *recordatus sum* illius *verbi, quod Dominus* iam rediuiuus, paulo antè quam cælos ascenderet, *nobis* suis Apostolis, dixerat, *Ioannes quidem* &c. supra cap. 1. v. 5. Vnde repetatur istorum Domini verborum expositio. Summa est, copiosam aliquorum donorum Dei collationem significari per baptismum in Spiritu sancto.

HORVM verborum tunc Apostolis à Domino dictorum, ait B. Petrus se se recordatum, quando vidit in Cornelium reliquosque gentiles sensibiliter Spiritum S. delabi, & cum eodem effectu, quo in ipsos Apostolos d e Pentecostes descenderat; illo saltem duplici, videlicet dono linguarum & sermonis sapientiæ: vt dictum est ad vers. 46. cap. præcedentis. Recordabatur illorum verborum, & considerabat eam Domini promissionem nunc in istis gentilibus quoque adimpleri: ideoque videbat esse baptizandos, & sic in Christi Ecclesiam recipiendos & hanc esse voluntatem Domini, per ista signa plane intelligebat. Id quod verbis seqq. magis explicatur.

VERS. 17. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis qui credidimus in Dominum Iesum Christum: Ego quis eram qui possem prohibere Deum?

CONCLVSIO est defensionis B. Petri. *Eandem gratiam.*] *Æquale donum*, g. est ad verbum, duplex scilicet illud donum de quo iam diximus.

DEDIT *illis Deus.*] Iam credentibus in Christum, sed antequam essent baptizati: supra cap. præced. v. 44 & seqq.

SICVT *& nobis qui credidimus in Dominum Iesum Christum.* Id est, æquale donum illi quod nobis Deus prius contulerat die Pentecostes, annis ad hunc septem; *nobis* (dico) fidem Iesu Christi antea amplexis, & insuper antea baptizatis: His igitur ita se habentibus, *Ego quis eram qui possem prohibere Deum?* Id est, An ego poteram impedire quo minus illos Deus cooptaret in Ecclesiam suam? Imo, An ego poteram auertere Dei præceptum, quo mihi iubebat vt meum ministerium adhiberem quo illi per baptismum Ecclesiæ ipsius incorporarentur? Hoc enim sibi volebat illud præceptum Dei, factum mihi ecstatico, *Surge Petre, occide & manduca.* Supra cap. præced. v. 13. & fuit repetitum huius cap. v. 7. Sequitur,

VERS. 13. His auditis tacuerunt:)

INTELLEXERVNT nimirum hanc esse Dei voluntatem; id quod eo facilius intellexerunt, eoque libentius in animum admiserunt, quo maiore modestia Petrus Apostolus vsus fuerat in sui facti reddenda ratione. Quam modestiam tanti Apostoli diligenter hic ob oculos ponit Chryſ

SVNT & alij qui hoc B Petri exemplum proponant imitandum ijs qui præsunt; videlicet vt etiam iniuste repræhensi à subditis, modestiæ & mansuetudinis in eos exercendæ meminerint, eosque non semper nuda authoritate compescant, sed interdum probabili ratione reddita, ijs satisfaciant: & vt subditi vice versa, audita ratione, acquiescant; sicut fecerunt isti Iudæi christiani. Locum habere ista etiam in Superioribus sæcularibus, docet nos B. Gregorius scribens ad nobilem & Imperialis sanguinis mulierem Theoctistam, lib. 9. epist. 39. Videatur eiusdem, libri 3. epist. 41. præsertim ad finem.

ADDITVR de istis Iudæis christianis;

ET *glorificauerunt Deum*] super misericordia & benignitate sua in gentiles demonstrari tunc cœpta. *Dicentes*] Deo scilicet attribuentes quod ab ipso erat, non naturæ aut Institutioni humanæ;

ERGO *& gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Gentibus*] etiamsi non circumcidantur, neque fiant proselyti legis Mosaicæ. Nam tales erant Cornelius cum suis: supra v. 3.

POENITENTIAM *dedit Deus*] Locus specialis expressissimus aduersus Pelagianos, quod pœnitentia vera quæ ad salutem valeat, non habeatur nisi ex supernaturali dono Dei. Similia loca specialia, Supra c. 5. v. 31. 2 Timot. 2. v. 25. & omnes Scripturæ quibus Deo tribuitur conuersio peccatorum: nam illa est pœnitentia. Docuit hoc semper Ecclesia; & olim aduersus Pelagianos, & similes illis ethnicos Philosophos morales; & nuper in Concilio Trid. sess. 6. cap. doctr. 5. & 6. Item canone 3. Meminerimus imitari istos christianos, vt omnia bona salutaria Deo ascribamus.

AD *vitam*] Id est, pœnitentiam quæ valeat ad consequendam vitam spiritualem; nimirum ad remissionem peccatorum, ad salutem præsentem quæ posita est in vera sanctitate & iustitia coram Deo.

VERS.

VERS. 19. Et illi quidem qui dispersi fuerant à tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano;

HAC posteriore parte c. est propositum B. Lucæ narrare insignem plantationem & propagationem fidei christianæ factam Antiochiæ in Syria. Quod vt faciat, eiusque plantationis prima initia commemoret necessario reducit narrationem ad ea quæ cœperat dicere c. 8. v. 1. & 4. sed interrupta deinde fuerat narratione rerum gestarum à Philippo Diacono, conuersionis Sauli persequutoris, diuersorum item miraculorum B. Petri, aliarumque rerum quas ipse gessit, specialim vero pertinentium ad Gentilium in Christi Ecclesiam receptionem. Ergo, illi qui ex Ierosolyma fuerant disturbati tribulatione & persecutione illa atrocissima quę per Primores Iudęorum fuit excitata eo tempore quo occiderunt S. Stephanum protomartyrem Christi; illi (inquam) de quibus in principio c. 8. dicebatur fuisse dispersos per regiones Iudææ & Samariæ, & diuersa loca peragrantes euangelizasse verbum Domini de Iesu quod ipse sit Christus; hi non hæserunt in Iudæa & Samaria, sed *Perambulauerunt Vsque Phænicen, & Cyprum, & Antiochiam:* Phœnice seu Phænicia pars est Syriæ, in qua ciuitates celebres ac maritimæ Tyrus & Sidon, in sacris literis frequenter commemoratæ. Cyprus insula est insignis quam nostra ætate Turca Christianis eripuit: habet ab oriente Syriam strictè dictam; à Septentrione Ciliciam, ab occidente vastum mare Pamphylium, à meridie Palestinam. Videri potest apud Ptolemeum Tabula 1. & 4. Asiæ. Antiochia quæ hic nominatur, haud dubie est Antiochia Syriæ, vt patet ex tota sequente narratione, & clarissime ex cap. 14. v. 25. collato cum v. 20. eiusdem & cum principio cap. 13. Est haud longe à mari Syriaco, posita ad fluuium Orontem, apud Ptolemeum dicta Tabula 4. Asiæ. A Iustiniano Imperatore in Constitutionibus suis est appellata Theopolis, à secundo anno Imperij eius. Vide Baronium ad martyrologium 6. Nouembris notatione 2. Præter eam est altera in hoc ipso libro commemorata, Antiochia Pisidiæ, in Asia minore. fit eius mentio cap. 13. huius operis v. 14. & c. 14. v. 20. Plures alias eiusdem nominis ciuitates lector inueniet in thesauro geographico Ortelij: nobis sufficit notitia illarum duarum quarum est in sacris literis mentio. Addit de his dispersis B. Lucas.

NEMINI *loquentes Verbum nisi solis Iudæis.*] *Verbum*] illud scilicet de Iesu quod ipse sit Christus. id est, doctrinam fidei Christianæ. Ita colligimus ex v. proxime sequente, vbi dicitur, *Annunciantes Dominum Iesum.* Iudæis solis annunciauerunt isti: Iudæi autem colebant vnicum verum Deum; itaque non erat illis inculcanda doctrina de vnico vero Deo; sed ignorabant Iesum Nazarenum esse Messiam: Hoc erant docendi. Sed oritur scrupulus, Quare isti solis Iudæis Euangelium prædicabant, quum iam etiam gentibus esset apertum ostium fidei, Deo scilicet iubente illis annunciari Christum, & credentes baptismo recipi in Ecclesiam? Respondendum est, ea quæ hic narrantur, contigisse diu ante illa quæ de Cornelio & alijs gentilibus sunt narrata cap. præcedente. Contigerunt enim paulo post interfectionem B. Stephani, quæ fuit anno Christi

Christi 34. in fine. quum ista de Cornelio, acciderint circiter annum Christi 41. Et idcirco B. Lucas, vt paulo ante dicebamus, suam quæ hic est historicam narrationem reducit ad superiora illa tempora, vicina martyrio B. Stephani, commodis ad hoc vtens verbis quæ sunt hoc v. 19. Tum addit,

VERS. 20. Erant autem quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi.

DE Cypro iam diximus De Cyrene, prouincia Africæ dictum est supra ad cap. 2. v. 10. & c. 6. v 9 Videntur autem isti fuisse Iudæi sanguine, quoniam erant è numero illorum dispersorum ex Ierosolyma; de quibus cap. 2. v. 5. dicebatur, esse Iudæos.

QVI *cum introissent Antiochiam.*] Illam Syriæ de qua v. præcedente. *Loquebantur ad Græcos.*] In quibusdam libris interponitur coniunctio (*&*) sed à plerisque abest, etiam à textu Lirani; sicut abest ab originali Qui apposuerunt, videntur id fecisse eo quod hoc loco per *Græcos* intelligerent Gentiles, vt sæpe in Scriptura: sed in eo errauerunt. Nam pro isto (*Græcos*) in originali est πρὸς τοὺς ἑλληνιστὰς idem nomen quod fuit supra cap 6. vers. 1. cap. 9. v. 29. quo significantur non gentiles seu ethnici, sed Iudæi siue Israelitæ extra terram Israeliticam in regionibus gentilium nati & educati, ideoque lingua gentilium vtentes. Talibus igitur Iudæis (nam & v. præcedenti solis Iudæis hos annunciasse Iesum, dictum est) Antiochiæ degentibus *loquebantur* isti *viri Cyprij & Cyrenæi, Annunciantes Dominum Iesum.*] Hoc est, docentes eos quæ sunt fidei christianæ propria, scilicet Iesum Nazarenum esse Messiam; & quid ille fecerit, quid passus sit redemptionis nostræ causa, Item, quæ præcepta dederit, necnon quomodo à Deo patre sit exaltatus. Pergit B. Lucas.

VERS. 21. Et erat manus Domini cum eis:)

CVM *eis.*] Illis scilicet prædicatoribus fidei de Iesu quod sit Christus.

CVM *eis erat manus Domini.*] Id est diuina potentia qua auditorum corda conuertebantur ad fidem, ad pœnitentiam, ad bonam voluntatem. Sine hac Domini manu omnis prædicatio fuisset frustranea: quoniam *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum; Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*: ait ipse Dominus Ioannis 6. v. 44. 66. Chrysost. quidem & eum sequutus Oecumen. intelligunt hic per manum Domini efficaciam patrandi miracula, quibus isti suam de Domino Iesu doctrinam confirmabant; & hos sequitur Liranus. quæ expositio confirmari potest ex c. 4. v. 30. ea tamen quam dedimus reijci non potest; quoniam *manus* Domini in sacris literis generaliter significat eius potentiam, ad quemcumque effectum. vt infra cap. 13. v. 11. Item Ioan. 10. v. 28. 29. & alibi infinitis locis. Et ab illa quam nos diximus potentiâ proximè pendebat effectus de quo hic agitur, videlicet multorum Hellenistarum conuersio; quam S. Lucas attexit, dicens,

MVLTVSQVE *numerus credentium conuersus est ad Dominum*. Sensus, Et magnus

magnus numerus Hellenistarum, audita horum virorum de Iesu doctrina, credidit Iesum esse Christum, & hac fide ac bona voluntate viuendi secundum legem Iesu, est ad ipsum Dominum Iesum conuersus. Quare superiora verba rectè de illa etiam Domini manu seu potentia accipiuntur, qua ipse conuertit infideles & peccatores. Quæ expositio (Nam de ipsa re nemo nisi Pelagianus ambigit) eo magis recipi debet quod Complutensia græca & nonnulla alia (ita notat Rob.) hîc addunt duo aut tria verba; hoc modo; *Et erat manus Domini cum eis ad sanandum illos.* Quæ sententia ita suppleta est similis, imo potius eadem cum illa Lucæ 5. v. 17. *Et virtus Domini erat ad sanandum eos.* Confer not. ad cap. 4. vers. 28. Sequitur,

VERS. 22. Peruenit autem sermo ad aures Ecclesiæ quæ erat Ierosolymis, super istis.

SENSVS, Fama harum rerum, videlicet esse permultos Iudæos Antiochenos conuersos ad fidem Iesu Christi, peruenit ad Ecclesiam Christi Ierosolymis degentem, & in primis ad illius præfectos ac Præpositos, Apostolos scilicet Domini, qui illic adhuc residebant, nec post cædem B. Stephani, cæteris christianis Ierosolyma profugis, eam vrbem reliquerant, vt dicebatur cap. 8. vers. 1.

CONSTAT tamen id quod hîc narratur non contigisse statim postquam horum virorum opera Antiochiæ complures Hellenistæ essent conuersi ad fidem Christi: Nam Barnabas ad eos missus, paulò post iuit Tharsum vt quæreret Paulum: qui Paulus tunc quartum facile annum in sui conuersione agebat. Post tres enim ab ea annos venerat Ierosolymam; & inde vitans insidias Iudæorum iuit Cæsaream, deinde Tarsum. Supra c. 9. v. 23. 26. & Gal. 1. v. 17. 18. Atque ita nihil impedit quin tempore medio S. Petrus iuerit Antiochiam & ibi sedem suam episcopalem constituerit; quod Baronius recitat anno Christi 39. §. 8. 9. & seqq. licet S. Lucas ea de re nihil in hoc opere dixerit; vt & alia multa omisisse certum est ex cap. 1. & 2. ad Gal. Quibus ex locis id affirmat S. Hieron. Commentario in illius epistolæ cap. 2. Ergo quarto circiter post Pauli conuersionem anno factum est quod hic narratur, & quod sequitur;

ET *miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam.* Hic est ille Barnabas de quo supra cap. 4. in fine. & cap. 9. v. 27. Eius laudes hîc B. Lucas paucis verbis complectitur vers. 24. dicens quod *erat vir bonus, plenus Spiritu sancto & fide.* Ex fine autem cap. 4. constat fuisse Cyprium patria: ex multis etiam quæ deinceps in hoc opere commemorabuntur, veluti in fine huius cap. in fine duodecimi; in principio decimitertij, & ex sequentibus vsque ad finem decimiquinti, constat fuisse virum sapientissimum, seu in religione christiana doctissimum, fuisse disertum, fuisse ad res gerendas valde idoneum. Hunc igitur talem virum, genere Cyprium Apostoli mittunt Antiochiam, ad plantatores fidei Cyprios, qui ibi erant, vt dicebatur v. 20. vt tanto commodius, maioreque consensione illos iuuaret in negotio euangelico; ac simul vt nouellos istos christianos Antiochenos,

tiochenos, diuinæ gratiæ auxilio confirmaret in fide, pleniusque institueret; corroboraret in charitate, in patientia cæterisque virtutibus. Quod & fecit. Nam,

Vers. 23. Qui cum peruenisset.)

ANTIOCHIAM scilicet, *Et vidisset gratiam Dei;* fidem istorum conuersorum Hellenistarum reliquorumque multorum Iudæorum Antiochiæ degentium; & fidei feruorem: *gauisus est,* De honore Dei & Christi eius, quem nunc isti agnoscebant; necnon de salute proximorum suorum: *& Hortabatur omnes.*] Non solum in concionem aliquam conuocatos; quod tunc rarius fieri potuisse videtur: sed etiam separatim adiens nunc hos nunc illos per totam ciuitatem. Quid eos hortabatur? *Proposito cordis permanere in Domino;* hoc est, perseuerare in Christo, in fide Iesu Christi, in eius dilectione, in eius obedientia; idque *proposito cordis,* id est, ex animo, destinata voluntate, non humano pudore vel metu.

TALES vero adhortationes ijs faciebat Barnabas Apostolus, *Quia erat vir bonus,* amans Deum & proximorum salutem; qui idcirco eas hortationes lubenter faciebat: faciebat item eas sapienter & fructuosè, quia erat *& plenus Spiritu Sancto,* abunde cumulatus donis Spiritus sancti, tam ijs quæ vocantur gratiæ gratis datæ, quam gratia gratum faciente; ac nominatim, plenus erat fide; quia fidei mysteria plenius quam plerique alij intelligebat. Eadem dicebantur de protomartyre Stephano, c. 6. v. 5.

NEQVE dubium esse potest quin B. Barnabas vir bonus & plenus Spiritu sancto, ijs quas his faciebat adhortationibus, adiunxerit ardentes ad Deum pro ipsis preces, sicut eundem ipsum & Paulum Apostolum pro alijs fecisse legimus, infra. c. 14. v. 22. Quid autem omni hac cura & industria atque charitate profecerit idem S. Barnabas; adiungit sacer historicus noster, dicens,

Vers. 24. Et apposita est turba multa Domino.

NEMPE, non solum constantes sunt effecti in fide quos ille iam ibi conuersos repererat; sed eius opera plures alij ex Antiochenis fidem Christi sunt amplexi. Ita hanc sententiam intelligit author glossæ interlinealis; & alij; idque rectè. Addit S. Lucas de Barnaba,

Vers. 25. Profectus est autem Barnabas Tarsum, vt quæreret Saulum; quem cum inuenisset perduxit Antiochiam.

CAPITE 9. v. 30. dictum fuit Paulum Apostolum vitantem persequutiones infidelium Iudæorum, ex Ierusalem secessisse Cæsaream, Deinde Tarsum ciuitatem Ciliciæ, in patriam nimirum suam. Vbi adhuc illum hærere

cum

cum sciret S. Barnabas, illuc profectus est vt eum quæreret, & repertum perduxit secum Antiochiam. Experiebatur enim esse illic messem multam; & cupiebat plures operarios in eam immitti, præsertim autem hunc tam strenuum operarium Paulum Apostolum. quod & factum est. Nam sequitur,

VERS. 26. Et annum totum conuersati sunt,

PAVLVS nimirum & Barnabas, *ibi in Ecclesia*; fideles confirmando, consolando, plenius instruendo; infideles autem ad Christi fidem & religionem conuertendo. quod S. Lucas proximis verbis exponit, inquiens;

ET *docuerunt turbam multam: Docuerunt*] vtique fidem & religionem Iesu Christi. Docuerunt autem, cum effectu ita scilicet vt multa turba didicerit euangelium Iesu Christi, illudque per baptismi susceptionem sit professa. Sic enim intelligi istud (*docuerunt*) liquet ex seqq. Porro in hac *turba multa* S. Lucas non solos Iudęos vel Hellenistas Antiochiæ degentes, comprehendit; sed etiam gentiles illius loci, quorum plurimi per hos duos Apostolos sunt ad christianam religionem conuersi. Hoc discimus ex fine cap. 14. & principio 15.

QVORVM locorum posteriore dicitur quod Paulus & Barnabas totis viribus sese opposuerunt Iudaizantibus ijs, qui docebant quod Gentiles, quamuis fidem Iesu Christi suscepissent, non possent tamen saluari, nisi circumciderentur & ceremonialem legem Mosaicam obseruarent. Intererat nimirum magnopere Pauli & Barnabæ refutare istorum Iudaizantium hunc errorem: quoniam illos ex gentibus ipsi conuerterant ad Christum, & nihil de obseruandis legalibus illos docuerant. Visi igitur fuissent insufficienter illis tradidisse doctrinam salutis, si verum fuisset quod docebant isti Iudaizantes. Imo, quoniam post diuulgatum euangelium de Christo, lex ceremonialis Moysi & præceptum de circuncisione, non solum non obligant ne Iudæos quidem (nedum gentiles quos nunquam obligauerant) sed sunt mortifera obseruatu: ideireo, alia quoque ratione intererat Pauli & Barnabæ confutare istos Iudaizantes, vt videlicet hanc noxam à suis discipulis, quos ex ethnicismo ad christianismum adduxerant, auerterent. In eadem causa Paulus scribit Galatis, *Ecce ego Paulus dico vobis quod, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* c. 5. v. 2. Docuerunt ergo Paulus & Barnabas Antiochiæ *turbam multam*, etiam ethnicorum;

ITA *vt cognominarentur primùm Antiochia discipuli, Christiani.* Qui Iesum Nazarenum credebant esse Messiam seu Christum Dei patris, vt erat; hi & tempore quo ipse in terris versatus est, & postea, vocati sunt *discipuli Iesu, discipuli Christi*; vt ex historia euangelica & ex hoc libro vbique liquet; fuerunt etiam appellati *fratres*, passim in scriptis apostolicis. At primùm Antiochiæ in Syria, cœperunt appellari *Christiani*, & quidem isto anno quo Paulus & Barnabas turbam multam illic docuisse referuntur; quem fuisse annum Christi 43. Baronius illic ponit, § 10. & seqq.

COGNOMINARENTVR.] A quo, vel à quibus? Ab ipsis Apostolis Paulo & Barnaba. Id rectè colligitur ex græca huius loci lectione, vbi sic est;

FACTVM *est autem vt annum totum illic versarentur in Ecclesia, & docerent turbam*

 multam,

multam, primumq́ Antiochiæ discipulos appellarent christianos. Vnde, dignitas huius vocabuli, etsi proficiscatur præcipue ab ipso Christo Domino, è cuius nomine illud deriuatur; non parum tamen crescit ex horum duorum Apostolorum eminentia, qui illud fidelibus Christi imposuerunt. Videtur autem propriè & principaliter hoc nomen impositum fidelibus Christi ab his Apostolis, vt eos distinguerent à Iudæis infidelibus, id est, vnum verum Deum colentibus, sed nolentibus agnoscere Iesum Nazarenum esse Christum, esse vnigenitum Patris filium, quem ipse humano generi miserit Saluatorem. Nam de hoc articulo propriè & peculiariter cum Iudæis est nobis dissensio. Gentiles enim idololatræ non à Christianis tantum sed & à Iudæis infidelibus Christum auersantibus, differunt hoc ipso quod colunt falsos Deos.

ATQVE ex his iam intelligi potest quid sit esse *Christianum:* hoc nimirum, credere quod Iesus Nazarenus sit Christus, id est, quod sit vnigenitus Dei Patris filius, quem hominem factum ipse humano generi miserit Doctorem, Redemptorem & Legislatorem; & per baptismum corpori Christi esse insitum, ac in eo manere. Qui talis affectuosa & obediente fide illa de Christo credit; est verus & nomine suo dignus, *Christianus:* Qui autem hæc credit quidem, sed mandatis Christi non obedit, is propriè etiam christianus potest dici, sed imperfectè. Minùs imperfectè Christianus dicitur is qui hanc fidem habens non habet charitatem, sed tamen vera ducitur pœnitentia suorum peccatorum, & quærit veniam. Neque enim est negandum, eos quoque esse christianos qui veram catholicam fidem tenent, non habent tamen charitatem: nam siquis id negarit, anathemate configitur à Synodo Tridentina sess. 6. c. 28. Quæri posset, An hæretici sint christiani. Negant veteres Ecclesiæ doctores. S. August. lib. de gratia Christi c. 10. in fine. Hanc gratiam debet Pelagius confiteri; *si vult non solum vocari, verum etiam esse christianus.* S. Hieron. in Dial. contra Luciferianos, statim in principio. *Quem hæreticum dixeris, christianum negasti.* Et mox, Præfixum inter nos habemus, *de hæretico sic loquendum, sicut de gentili.* Ita etiam his antiquior B. Athanasius ser. 2. contra Arianos, in princ. *Qui Arianos christianorum titulo insigniunt, plus nimio errant; vt qui declarent se neque Scripturas legisse, neque vllo modo scire quid sit Christianismus, aut quæ eius fides.* Et pòst nonnulla, *Quo modo christiani fuerint, qui non Christiani, sed Ariomanitæ appellantur?* Et Athanasio vetustior S. Cyprianus, epistola 52. Scias nos curiosos esse non debere quid Nouatianus doceat; cum foris doceat. *Quisquis ille est, & qualiscunque est; christianus non est qui in Christi Ecclesia non est.* Quæ verba S. Cypriani adeo generalia sunt vt nec schismatici dicendi sint christiani; Imo neque illi quibus hoc solum mali est, quod verè sint excommunicati, nulla tamen hæresi nulloque schismate laborantes: quoniam videlicet omnes hi extra Ecclesiam sunt. Est tamen inter hos agnoscendus gradus: vt ad rationem *Christiani* propius accedant tales excommunicati, quam schismatici; sicut hi minus longè ab ea distant quam hæretici. Certe catechumenos non esse christianos habemus apud S. August. Tract. 44. in Ioan. De hæreticis Tertull. de præscrip. c. 37. *Si hæretici sunt: christiani esse nõ possunt.* S. Seruatius in Synodo Agrippinensi, de Euphrata Episcopo Ariano; *Censeo illum non esse iudicandum christianum qui eiusdem finitimus fuerit inuentus.*

CÆTERVM

CÆTERVM hæretici quamuis christiani non sint, seseipsos tamen christiano nomine insigniunt, & à suis sectatoribus curant insigniri; Imo sese solos iactant esse genuinos christianos; ea re fucum facientes rudibus & imperitis fidelibus: ideo ad euidentius discrimen faciendum inter veros christianæ fidei discipulos, & inter hæreticos & schismaticos, ideo, inquam, iam olim veris fidelibus vltra nomen *christiani*, est additum alterum epitheton, vt dicerentur *Christiani catholici*, Item vt dicerentur *fideles Romani*. Nam id quoque epitheton apud veteres vsurpabatur causa distinctionis: vt oratiuncula propria demonstrauimus suo olim tempore. Nam veterum hæreticorum nemo suam factionem aut congregationem seu communitatem ausus vnquam fuit nominare catholicam. Vnde Augustinus lib. contra epistolam Manichæi c. 4. Cum omnes hæretici se catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui vbi ad catholicam conueniatur, nullus hæreticorum basilicam suam audet ostendere. Vide similia apud Bellarminum de ecclesia lib. 4. c. 4.

QVOCIRCA, in ipso quoque Symbolo Apostolorum ij hanc proprietatem tribuerunt Ecclesiæ, quod sit & dicatur *catholica*.

ATQVE hæc S. Lucas de ingenti multitudine suorum conterraneorum, id est, Antiochenorum ad Christi fidem conuersa, hoc loco retulit.

QVANDO B. Petrus sedem suam Antiochiæ in Syria collocauerit; & quidnam hoc ipsum sibi velit, vel quo modo factum fuisse debeat intelligi; exposuit Baronius Tomo 1. Annalium diuersis locis. Videatur, Anno Christi 39. §. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. Anno Christi 43. §. 10. 11. Anno Christi 44. §. 10. 11. & seqq. §. 25. & seqq.

VERS. 27. In his autem diebus superuenerunt ab Ierosolymis prophetæ Antiochiam:

VERS. 28. Et surgens vnus ex eis, nomine Agabus, significabat per Spiritum, famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum; quæ facta est sub Claudio.

HANC generalem famem accidisse anno 4. Claudij Imperatoris ponit Eusebius in Chronico, & qui eum sequuntur: at Baronius anno Christi 44. § 62. videtur idoneo argumento, potissimum ex Dione Cassio Romanæ historiæ lib. 60. probare quod inciderit in annum Claudij secundum; id est, in annum Domini non 46. sed 44. Quo constituto; facilius capiemus illa verba B. Lucæ, *In his autem diebus*; vt sensus sit, His temporibus, Circa hæc tempora. Vnde colligere possumus hanc prædictionem famis per hunc S. prophetam factam vel primo anno Claudij (quod ibidem putat Baronius) vel extremo anno Caij, Id est, vel 43, vel 42, anno Christi. Meminit eiusdem famis Iosephus Antiquit. Iud lib. 20. cap. 2. Meminit & Eusebius hist. lib. 2. cap. 8. vbi temporibus Claudij famem illam accidisse narrat, nullo certo Imperij eius anno (secus quam in Chronico) designato; vt neque designat Iosephus. Hanc

famem, vno alteroue anno antequam eueniret, prædixerat Agabus (idem qui postea Paulo Apostolo suam captiuitatem prædixit infra, cap. 21. v. 10. 11.) vnus ex istis prophetis christianis, qui Ierosolymis Antiochiam venisse hoc loco narrantur. Hi prophetæ per reuelationem Spiritus sancti cognoscebant & prædicebant futura, ea potissimum quæ statum Ecclesiæ concernebant: qualis erat ista fames ventura; vt scilicet tempestiuè pauperioribus christianis alij prospicerent de necessarijs in talem egestatem subleuandam. Quod & factum est; vt ex sequentibus habemus.

VERS. 29. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus.

DISCIPVLI *autem*] Sermo est de christianis Antiochenis, qui maximo numero erant. hoc patet tum ex præcedente narratione, tum ex fine cap. 12. collato cum extremis verbis huius cap.

PROVT *quis habebat*] Id est, pro modo facultatum vniuscuiusque,

IN *ministerium mittere*] hoc est ad subministrationem rerum victui necessariarum. Vtitur ad eandem rem significandam eodem hoc nomine Paulus Apostolus sæpiuscule 1. Cor. 16. v. 15. 2. Corinth. 8. v. 4. c. 9. v. 1. 12. 13.

HABITANTIBVS *in Iudæa fratribus*] Qui pauperiores erant cæteris: quippe quorum multi omnia sua in commune contulerant, vt dictum fuit c. 2. ad finem, cap. 4. ad finem: Multi vero illorum à perfidis Iudæis suis contribulibus, fuerant exuti facultatibus; vt Apostolus commemorat 1. Thess. 2. v. 14. Heb. 10. v. 34.

CONTRIBVERE igitur proposuerunt Antiocheni in subsidium Christianorum pauperum Ierosolymæ & per reliquam Iudæam degentium:

VERS. 30. Quod & fecerunt; mittentes ad seniores, per manus Barnabæ & Sauli.

MITTENTES *ad Seniores*] qui scilicet habita ratione paupertatis cuiusque ex subditis suis, distribuerent. Miserunt autem,

PER manus Barnabæ & Sauli.] qui hanc collectam pecuniam ipsimet transportarunt in Iudæam, ac iterum redierunt Antiochiam. Infra cap. 12. in fine. Longo tempore postea Paulus solus aliam collectam tulit Ierosolymam, tunc quando ibi captus fuit à Iudæis: quæ collecta fuerat contributa à Macedonibus, à Corinthijs & reliquis Achaicis christianis, & Galatis. & de hac collecta agitur infra c. 24. v. 17. Rom. 15. v. 25. & seqq. 1. Cor. 16. v. 1. & seqq. Et 2. Corinth. 8. & 9. totis capitibus.

ARGV-

ARGVMENTVM CAPITIS XII.


Erodes rex Iacobum Apoſtolum fratrem Ioannis occidit; in gratiam Iudæorum Apoſtolo Petro quem in carcere tenebat idem facturus, niſi is diuino miraculo liberatus fuiſſet. Herodes paulo pòſt, propter ſuperbiam, Deo vltore à vermibus eroſus, mortuus eſt.

Vers. 1. Eodem autem tempore miſit Herodes rex manus vt affligeret quoſdam de Eccleſia.

Ante omnia examinandum eſt quis fuerit iſte Herodes rex: fuerunt enim diuerſi regis titulo inſigniti, qui id nominis habuerunt. Solet circumferri verſus vnus & alter, quibus tres deſcribebantur, videlicet *Aſcalonita necat pueros; Antipa Ioannem;*
Agrippas Iacobum, claudens in carcere Petrum.
Nempe in ſacris litteris, ac ſpeciatim in libris noui teſtamenti tres reperiuntur principes qui habuerunt nomen Herodis. Primus fuit ille cuius tempore natus eſt Chriſtus Dominus. Hic gente fuit Idumæus (incertum quare nonnulli Aſcalonitam dicant, niſi forte quod caſu quopiam Aſcalone natus ſit.) ſicut & pater eius Antipater, eiuſque auus Antipas: vt eſt apud Ioſephum Antiquit. Iudaicarum lib. 14. c. 2. Hic titulum regis Iudææ obtinuit per Senatuſconſultum, Olymp. 184. vt eſt apud eundem Ioſephum lib. eodem cap. 26. diu ſcilicet ante Chriſti natiuitatem; quæ fuit Olympiade 194.

Secvndvs, Herodes Antipas, filius fuit primi Herodis; qui neque à patre deſignatus fuit rex neque ab Imperatore vel Senatu (etſi improprie ita appelletur à Matth. c. 14. v. 9. Marco c. 6. v. 14.) ſed Tetrarcha Galileæ à Patre conſtitutus, Romanis deinde approbantibus. (Ioſephus Antiqq. lib 17. c. 10, 11.) De hoc legitur Lucæ 3. in principio, Hic eſt qui Ioannem baptiſtam occidit, & Dominum Saluatorem in paſſione illuſit veſte alba indutum. Hic miſerè in exilio perijt, Lugduni in Gallia; illuc extruſus ab Imperatore Caio. Ioſephus Antiq. lib. 18. c 9.

Tertivs fuit iſte, de quo hoc c. ſermo eſt; habens & ipſe duo nomina, Herodes ſcilicet & Agrippa vel Agrippas; vt & Euſebius hiſtoriæ lib. 2. c. 9. fatetur, dùm quem S. Lucas hic nominat Herodem, fatetur eſſe eundem quem Ioſephus vocarit Agrippam. Intelligit autem Ioſephi librum Antiq. 18. c. 8. & lib. 19. c. 4. 5. 7. Quibus locis refert Ioſephus Agrippam iſtum à Caio Imperatore titulum regis accepiſſe; eumque deinde titulum confirmaſſe ei Claudium Imperatorem; vt & Baronius Anno Chriſti 43. §. 2 & 7. probat ex Ioſepho Antiq. dicto 19. c. 4. 5. Fuit hic Agrippas nepos primi Herodis ex filio

filio Ariſtobulo. Ioſephus belli Iud. lib. 1. c. 18. Eſt diuerſus ab hoc ille qui Rex Agrippa nominatur huius libri cap. 25 verſ. 13. & ſeqq. & cap. 26. pene toto. Ex his hactenus commemoratis ipſa ſeries temporum docet quod cum S. Lucas in principio huius cap dicit,

EODEM *autem tempore*] ſeu vt græca ſonant, *Secundum illud tempus*, *Per illud tempus*, *Circiter illud tempus*] intelligat tempus illud famis vniuerſalis;quam nos ad cap. præced. v. 28. cum Baronio poſuimus Anno Chriſti 44. ſeu anno 2. Claudij Imperat. quo eodem anno idem Baronius ponit martyrium B. Iacobi Apoſtoli maioris, & B. Petri captiuitatem Herodianam, quæ hoc capite narrantur.

MISIT *Herodes rex manus vt affligeret quoſdam de Eccleſia.* Fuit iſte Herodes Agrippa Iudaicæ religioni valde addictus, & Iudaicæ genti valde amicus, vt cognoſci poteſt ex his quæ de illo ex Philone & Ioſepho recitat Baronius ad annos Chriſti 39. §. 3. Annum 40. pene totum. 42. §. 11. vſque ad 25. 43. §. 2. 5. 7. 8. 9. Vt non debeamus mirari, ſi regia poteſtate auctus ſæuierit in nouellam Chriſti Eccleſiam, vt hîc dicitur. *Miſit Herodes rex manus*, hoc eſt, manus ſuas iniecit in quoſdam ex Eccleſia, in quoſdam chriſtianos, vt eos affligeret, vt eos male tractaret (κακῶσαι, græcè) etiam occidendo: nec vulgares tantum ex numero chriſtianorum, ſed & capita ipſa. Vnde ſequitur,

VERS. 2. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.

OMNES hiſtorici conſentiunt hunc ſanctum Apoſtolum fuiſſe occiſum Ieroſolymæ. Cæterum quod à rege Herode Agrippa ſit occiſus, mirari quis poſſet, quum Iudæa ſuum haberet à Romanis conſtitutum Præſidem; Imo tota Syria ſuum, qui his temporibus fuit vel Petronius vel Marſus eius ſucceſſor. Vide Baronium anno Chriſti 43. §. 9. Sed meminiſſe oportet eorum quæ paulo ante diximus de regia poteſtate huic Herodi attributa per Caium Imperatorem; Deinde, cum anctario, per Claudium; qui vtrique Syriæ & Iudææ præfectis iuſſerunt vt eum ſuo iure vti ſinerent, præſertim quando de Iudæorum religione quæſtio agitaretur; vt in hoc negotio, vbi propter nouellam de Ieſu Nazareno doctrinam occiſus eſt B. Iacobus.

QVOD attinet ad tempus quo ſit occiſus, fuerunt qui dicerent occiſum Kalendis Aprilis; quod pene accedit ad illam opinionem quæ habet occiſum poſtridie paſchatis;ſed id non valde conſentit cum narratione B. Lucæ in hoc iſtius capitis principio. Ex ea enim conſtat Petrum appræhenſum intra dies azymorum; Iacobum autem aliquanto ante illud tempus fuiſſe occiſum. Herodem videlicet occiſo Iacobo progreſſum fuiſſe ad Petrum capiendum, poſtquam obſeruaſſet gratam Iudæis fuiſſe interfectionem Iacobi. Vnde veriſimile eſt S. Iacobum aliquanto tempore ante menſem Aprilem fuiſſe occiſum. Paſcha Iudæorum erat luna 14. poſt æquinoctium vernum; & tum incipiebant dies azymorum, qui durabant vnam hebdomadam.

EST alia quæſtio, An hic Apoſtolus Iacobus antequam ab Herode interficeretur, adierit Hiſpaniam, ibique plantauerit fidem Chriſti, deinde reuerſus fuerit

sus fuerit Ierosolymam. Respondendum est, hoc sine dubio fieri potuisse: nam post ascensionem Domini in cælum anno demum decimo fuit occisus, nempe anno Christi 44. intra quos decem annos multa loca potuit peragrare; sicuti constat peragrasse Iudæam & Samariam, euangelium seu fidem Christi annunciando.

AN autem reipsa factum sit vt in Hispania fidem plantarit; non valde certum est. Habet quidem ita Hispanicarum ecclesiarum traditio; & eam sequutus est Baronius in Notis ad Martyrol. Romanum die 25. Iulij: at postea, quum in contrariam partem non contemnendas obiectiones reperisset; dubitare cœpit, & rem velut in medio reliquit. Tomo nono ad annum Christi 816. illic vbi finita narratione de rebus Orientalibus, de Occidentalibus agere incipit. Et tamen quod corpus huius S. Apostoli ex Ierosolyma est auectũ in Hispanias à fidelibus, est signum quod vita durante illic fuerat. Cur enim illuc alioqui?

ILLVD non est controuertendum, Corpus S. Iacobi Apostoli fuisse repertum Compostellæ, tempore regis Hispaniarum Alfonsi cognomento Casti, eximiæ pietatis viri; Deo nimirum sensibilibus signis illud reuelante, quum annos multos latuisset sub vepribus & sentibus. Quam inuentionem factam esse circiter annum Domini 800. viuente adhuc Carolo magno, ex eodem loco Baronij, patet: &, quum miraculis multis sanctum illud corpus coruscaret, ex illo iam tempore frequentes fuisse peregrinationes fidelium ad S. Iacobi reliquias, Compostellam.

QVO autem tempore olim sanctum Apostoli corpus Hierosolyma in Hispanias fuerit translatum, prius quidem Iriam Flauiam, deinde Compostellam: meminit ibidem Baronius cuiusdam epistolæ Leonis Papæ 3. (cuius tempore fuit inuentio eiusdem sancti corporis) qua is dicat translatum fuisse nauigio, statim post mortem, quum bestijs deuorandum fuisset proiectum ab impijs Iudæis. Quod postremum, reddetur verisimile, si repetantur quæ supra ad cap. 8. vers. 1. ex B. Luciani epistola dicta sunt de S. Stephani protomartyris corpore, dedisse Iudæos operam ne sepeliretur sed à bestijs consumeretur. Sequitur de Herode,

VERS. 3. Videns autem quia (quod) placeret Iudæis.)

HOc scilicet quod Iacobum, vnum ex præcipuis christianæ fidei Doctoribus ac Iesu Nazareni discipulis, occidisset;

APPOSVIT *apprehendere & Petrum.* Vt magis etiam Iudæis gratificaretur, ex quibus audiebat Petrũ maiore in authoritate esse apud christianos, quã fuerat Iacobus; nec minore studio propagare fidem de Iesu Nazareno quod ipse sit Christus quam vllum reliquorum Apostolorum. Hunc igitur apprehendit, eo animo vt & ipsum è medio tolleret; habens zelum legis Mosaicæ, sed non secundum scientiam; eodem modo quo fecerat Saulus. Sed hic Herodes eo erat nocentior quod regia potestate erat armatus. Acceperat enim à Claudio Imperatore non solum regnum, idque plurium quàm fuerat sub Caio, prouinciarum accessione auctum; sed etiam ius in res sacras, in templum scilicet, &

 sacer-

sacerdotium, & in tutelam religionis partiæ seu Iudaicæ. Legitur hoc apud Baronium anno Christi 43. §. 7. ex Iosepho, & anno 44. §. 3.

PORRO Petrum appræhendit iam reuersum ex Antiochia Syriæ, & locis alijs vbi ecclesias fundarat vel confirmarat. Antiochiæ id factum ab eo anno Christi 39. probat Baronius §. 8. 9. & seqq. illius anni 39. Sed postea quoque Antiochiæ fuisse, liquet ex v. 26. cap. præced. collato cum c. 2. ad Gal. Nam ille annus quo toto Paulus & Barnabas conuersati sunt Antiochiæ, fuit Domini annus 43. iuxta Baronium §. 10. & seqq. Addit S. Lucas,

ERANT *autem dies azymorum.*] Hoc interponit sacer historicus, volens insinuare causam quare Herodes Petrum Apostolum appræhensum, non statim occiderit. nempe, quia rex iste hunc honorem tribuere volebat solemnitati paschali seu Azymorum, vt ea durante neminem curaret interfici; sed finita demum solemnitate id decreuerat facere. Nam hoc est quod sequitur,

VERS. 4. Quem cum appręhendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum:

SEXDECIM igitur milites designati erant custodiæ huius captiui, tametsi in carcere positi: ne videlicet vlla via esset elabendi. Non est autem intelligendum quod singulæ excubiæ fierent per quatuor dumtaxat milites; contrarium enim colligitur ex vers. 10. collato cum 6. Ergo, saltem octo singulis excubijs erant.

VOLENS *post pascha producere eum populo.* hoc est, publicè occidere, & hoc spectaculo exhilarare infidelem populum Iudaicum.

VERS. 5. Et Petrus quidem seruabatur in carcere:

IN *carcere*, haud dubiè bene firmo; & insuper munito sexdecim militibus custodiæ huic assignatis, vt iam dictum est.

ORATIO *autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia, ad Deum pro eo. Sine intermissione.*] Græcè est ἐκτενὴς, quod non vno modo verti potest, ac inter cæteros modos, vel *intenta*, vel *prolixa*. quo posteriore modo Interpres reddidit in euangelio Lucæ c. 22. v. 44. Et ea magis huic loco quadrat vt patet ex v. 12. huius. cum præsertim ἐκτένεια, propriè assiduitatem & perseuerantiam significet. Vnde recte noster dixit, *Sine intermissione.*]

AB *Ecclesia.*] Quoniam indefinitè dicitur, accipiendum est non tantum de Ecclesia Ierosolymitana, sed de vniuersa, saltem quæ captum audierat Petrum Apostolum. Audierat autem longè lateque; quoniam captus fuerat durante solemnitate paschali, quando vndique Iudæi Ierosolymam ex legis præscripto conueniebant.

PRO *eo.*] Non legimus simile quid factum pro B. Iacobo Apostolo cum captus esset, tametsi merebatur & ipse, vtpote apostolus Domini: sed pro Petro factum com memorat S. Lucas, tanquam scilicet pro vniuersali totius Ecclesiæ pastore, quem ipsa cupiebat adhuc seruare incolumem, propter ouium commissarum

missarum spiritualem vtilitatem, & propter multorum infidelium conuersionem deinceps per illius ministerium diuinitus faciendam.

ORATIO *fiebat.*] Oratione & patientia sese tuentur christiani,& vix alijs armis,quando persecutionem patiuntur à suis superioribus potestate abutentibus; vt abutebatur Herodes rex: idque ideo ab ijs fit ne videantur potestatem diuinitus datam (Rom. 13. in principio) contemnere,si resistant. Dicit aliquid huc faciens Chrysost. iterata expositione. Et S. Thom. lib. 1. de Regimine Principum cap. 6. si tamen est eius. Sequitur in textu,

VERS. 6. Cum autem producturus eum esset Herodes) finita iam solemnitate Azymorum seu paschatis;

IN *ipsa nocte*] proxime præcedente diem illum quem Herodes destinauerat Petri Apostoli interfectioni, Hucusque enim Deus distulerat Petri liberationem, vt tanto magis inclaresceret hoc beneficium. Simile in Susanna, Danielis 13. & alijs sanctis.

ERAT *Petrus dormiens inter duos milites*; Mirum videri posset alicui quod Petro libuerit dormire, in carcere constituto, ibique ad cædem detento: nisi experientia notum esset somnum obrepere etiam inuitis. Ac præterea,somnum esse valetudini necessarium,notum est. Deinde,licet existimare hunc somnum ei diuinitus fuisse immissum,vt tanto illustrior esset eius liberatio. Credi etiam potest quod Petrus Apostolus certo confidebat sese eo tempore non interficiendum; confidebat, inquam; tum propter diuinam benignitatem erga se & erga Ecclesiam Christi,cuius ipse vniuersalis ab eo pastor erat constitutus, illi adhuc necessarius; tum propter eiusdem Christi Domini prædictionem, qua prænunciauerat Petro Apostolo ipsum occidendum in senectute. Ioannis 21. v. 18. Hoc autem tempore nondum erat senex: vixit enim deinceps vigintiquinque annos,interfectus demum à Nerone,anno Christi 69 cum hæc captiuitas inciderit in annum 44. vt diximus cum Baronio ad v. 1. huius. Dormiebat corpore Petrus: sed cor eius vigilabat ad Deum, inquit Chrysost partim prima,partim iterata expositione; & Domino rem omnem committebat.

INTER *duos milites, vinctus catenis duabus; & custodes ante ostium custodiebant carcerem.* Totum hoc commemorat sanctus historicus noster, vt tanto magis elucescat magnitudo diuinæ benignitatis & potentiæ quæ Petrum Apostolum liberarit, tanta vigilantia asseruatum in carcere.

DVO milites eum hinc inde cingebant:insuper erat *vinctus catenis duabus;* vinctus autem vtraque manu, ne quid vel minimum posset facere manibus. Hoc colligitur ex v. proxime sequente in fine.

PRÆTEREA, *custodes ante ostium*,carceris nimirum, *custodiebant ipsum carcerem*, reliqui videlicet quatuordecim milites. Erant enim ad hunc captiuum diligenter asseruandum, selecti milites sexdecim. supra vers. 4. Erant autem hi quatuordecim distributi in duas custodias; vt liquet ex v. 10.

SCIEBAT Herodes ante aliquot annos cum Princeps sacerdotum omnes Apostolos in carcerem publicum compegisset,fuisse noctu eductos per Ange-

lum Domini, & mane ingressos in templum ibi conciones ad populum habuisse, quum putarentur bene asseruati in custodia publica: Supra cap. 5. v. 19. & seqq. Ne igitur nunc aliquid simile fieret; omnem hanc diligentiam adhibet rex Herodes Agrippas, stultus homo, & præpostero Iudaismi zelo cæcus, quasi esset aliqua prudentia vel potentia quæ Deo queat præualere. Docuit illum experientia; omnesque eius conatus irriti fuerunt; vt deinceps narrat noster historicus.

VERS. 7. Et ecce.)

Q. d. En rem admirandam. Omnibus istis sic sese habentibus, *Angelus Domini astitit*; iuxta Petrum dormientem; *Astitit*, vtique in corpore assumpto, habente figuram corporis humani; in quali solent angeli apparere. Sed quomodo potuit illud corpus in carcerem probè clausum introduci? Non est impossibile Deo omne verbum. Virtute diuina potest fieri, & sæpe facta est corporum penetratio: exemplum hîc sit vnum è multis. *Et lumen refulsit in habitaculo*; in ipso scilicet carcere, alioqui obscurissimo. Hoc lumen diuinitus procuratum est Apostolo Petro, vt videret quæ circa se erant, & sic promptè posset facere ea quæ Angelus ei esset præcepturus, pertinentia ad liberationem. Quis huius luminis author? Videtur quod angelus, assumendo materiam aliquam corporalem lucidam à qua illud lumen diffundebatur. De Angelo Domini qui resuscitato iam Saluatore reuoluit lapidem à monumento, dicitur Matth. vlt. quod *aspectus* seu species *eius erat sicut fulgur; vestimentum autem eius candidum sicut nix*. Ita & hoc lumen, manasse ab assumpto Angeli corpore, verisimile est. Id quod possumus etiam inde coniectare, quod lumen istud vsui fuerit B. Petro non solum in carcere, sed toto itinere quod describitur v. 10. Cum enim esset nox, neque luna splenderet nisi sub finem noctis (erat enim luna 22. vt minimum, quoniam finiti erant dies azymorum) non poterat illud iter sine lumine confici.

ADDIT S. Lucas de Angelo Domini, *Percussoque latere Petri excitauit eum, dicens, Surge velociter*. Iam enim dictum fuit Petrum illo tempore dormiuisse, & quidem inter duos milites. Sed qui factum est vt hi duo milites (qui etiam ipsi haud dubiè dormiebant) non fuerint excitati neque lumine locum illum collustrante, neque colloquio Angeli cum Petro, neque motu ipsius Petri sese induentis & parantis ad exitum? Et idem potest ex parte quadam quæri de reliquis quatuordecim militibus, qui ante ostium carceris erant dispositi in duas custodias; vt ex v. 6. & 10. manifestum est. Est vna eademque ad vtramque q. responsio; videlicet Deo authore omnes hos altum dormiuisse, donec negotium liberationis Petri Apostoli esset confectum. Simile quiddam legitur 1. Reg. 26. vers. 12. vbi de Saule & tribus millibus electorum ex Israel, dicitur, quod *sopor Domini irruerat super eos*; ideoque nemo euigilauerit, Dauide cum Abisai nocte transeunte per Castra Saulis, imo auferente hastam Saulis ac scyphum aquæ quæ erant ad caput eius dormientis in tentorio.

ANGELO ita pulsante latus B. Petri dormientis, & iubentis vt surgeret velociter,

velociter, factum est quod sequitur, *Et ceciderunt catenæ de manibus eius.*] siue fractæ, siue reclusæ ab angelo. Nam vtrumque horum ille naturali sua virtute poterat facere. Si quispiam inde colligat non fuisse hîc veri nominis miraculum, eo quod ista catenarum siue diffractio siue solutio vel apertura non excederet omnem vim creatam: admittendum est quod infertur; & tamen debet hæc catenarum solutio celebrari tanquam singulare diuinum beneficium, singulari modo præstitum, nempe per ministerium Angeli, contra omnem vim humanam. sicut & hoc quod narratur paulo post, de porta ferrea, quod nullius hominis opera sit eis aperta.

EODEM modo illud beneficium diuinum celebratur, quum vna nocte Angelus Domini percussit centum octoginta quinque millia Assyriorum obsidentium Ierusalem, tempore regis Ezechiæ. 4 Reg 19. in fine.

QVOD si catenæ ceciderunt ex manibus Petri Apostoli clausæ & integræ, vt erant (quod quibusdam ita factum videtur): fuit non solum ingens beneficium, sed etiam fuit veri nominis miraculum; valde simile illi quod Petroniæ nobili matronæ Cartaginensi diuinitus factum commemorat S. August. De ciuit. lib. 22. c. 8. sub finem. Si autem catenæ fuerint fractæ vel solutæ, non ab hoc Angelo, sed immediatè à Deo: fuit miraculum quoddam, videlicet inferioris ordinis: quoniam etsi per vim creatam hoc fieri poterat; non est tamen factum, sed virtute increata Dei omnipotentis sola. Tale fuit miraculum sustentatio corporis B. Petri ne mergeretur in aquas. Matth. 14 De varijs gradibus miraculorum licebit consulere S. Thom. 1. p. q. 105. a 8 c.

VERS. 8. Dixit autem angelus ad eum, Iam liberas manus habentem vt posset ijs vti;

PRÆCINGERE seu circumcingere, circumcinge teipsum. græcè περίζωσαι.

ET *calcea te caligas tuas:*] Hoc prima fronte videtur absurde redditum ab Interprete, & sunt sciolí qui eum hîc & alibi reprehendant iniquè, ipsi non habentes dimidium notitiæ latini sermonis, quam habuit Interpres noster vetus. Græce sic est, καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σε. quod sonat, *& subliga sandalia tua:* at hominibus latinæ linguæ peritis noster Interpres idem dicit. Certe Marci 6. v. 9. vbi nos habemus, *calceatos sandalijs;* in originali est, ὑποδεδεμένους σανδάλια: quod est simillimum, vel potius idem, ei quod hîc legitur. Vtrumque enim ad pedem (latino more intellectum) pertinet, & ὑπόδημα scilicet & σανδάλιον. Nam *sandalium* quidem græcis sonat genus calceamenti quod plantas solum pedis tuetur, superne ansulis vinculisque quibusdam alligatum: *Hypodemata* autem inde nomen habent quod inferne alligentur; tibijs ac pedibus nimirum. Quoniam autem & hoc loco, & illic Marci 6. videmus in græco codice vtrumque coniungi: credibile fit Euangelistas inter sandalia & hypodemata non fecisse discrimen tanquam rerum diuersarum, sed tanquam distinctorum ratione. Hypodemata noster Interpres frequenter vertit *calceos*, & illi vocabulo ὑποδέω. (subligo) coniugata, reddit per coniugata huius Vnde hoc Actorum loco illud ὑπόδησαι, vertit, *calcea te.* Quod vero τὰ σανδάλιά σε reddit, *caligas tuas;*

 probe

probe illum fecisse, is intelliget, qui meminerit veteribus latinis *caligam* fuisse dictam genus calceamenti, quod aliquam partem tibiæ includebat: quales sunt ocreæ vrbanæ aulicorum, & perones hiberni viatorum atque agricolarum. Hinc Caio Imperatori additum agnomen *Caligulæ*, à caliga militari, quam gestabat; & castrensi dicterio in prouerbium abijt *caliga Maximini*, eo quod illius calceus argueret pedes ei supra iustam longitudinem fuisse. Ita fere Desiderius Annot. ad illum locum Marci 6 citans authores Suetonium, Capitolinum, Ausonium. De Iulio Maximino sermo est, non de Galerio. addit Lorinus Tacitum & Dionem. Quibus omnibus perpensis, optime dixit Noster Interpres, *Calcea te caligas tuas*. Sequitur,

E T *fecit sic*. Petrus Apostolus sese circuncinxit, & induit sua sandalia. *Et dixit illi*] *Circunda tibi vestimentum tuum; & sequere me. vestimentum*] Græcè est ἱμάτιον, quod extimam vestem significat, qualis est toga vel pallium. Videtur autem pallium hîc potius intelligi quam toga; ex verbo illo, *Circunda*: Nam toga induitur, vt vel manicata; vel ad humeros perforata: pallium vero corpori circumjcitur. Quo verbo audito, Petrus Apostolus haud dubie extimam vestem seu pallium suum sibi circumiecit. Sequitur,

V E R S. 9. Et exiens sequebatur eum:)

E X I E N S] ex carcere, *sequebatur eum*, Angelum scilicet præeuntem. Quæritur an exierint clauso ostio carceris; quod sine dubio clausum tenebatur toto tempore quo Petrus fuit captiuus, præsertim nocte. Hoc autem est illud ostium de quo dicebatur v. 6. *custodes ante ostium custodiebant carcerem*. Responsio. Non liquet. quod eo clauso exierint, argumentum probabile ducitur ex vers. sequente, vbi de *porta ferrea* specialiter dicitur quod *vltrò aperta est eis*. Eo dato: alterum hîc est miraculum sola diuina virtute factum, scilicet altera penetratio corporearum dimensionum; vt tanto admirabilior sit hæc B. Petri liberatio.

E T *nesciebat quia (quod) verum est quod fiebat per Angelum; existimabat autem se visum videre*. Sensus est, Non sibi persuadebat reuera fieri quod Angelus Domini faciebat; sed capiebat illud tanquam somnium; & sic afficiebatur quasi rerum istarum species tantummodò, per vim imaginatiuam conspexisse, vt fit à somniantibus. Et hoc dicitur de omnibus his rebus quæ narrantur hoc versu & proxime sequente: vt patet ex initio versus 11.

S E D oritur difficultas, quomodo quod hic dicitur, non pugnet cum v. 7. vbi dicebatur quod Angelus pulsato latere Petri, eum excitauit. Deinde, qui potuisset Angelum Domini subsequi toto isto itinere vsque ad finem vici vnius extra portam illam ferream; nisi plane vigilans, & intelligens quid ageret? Respondetur, quod Deus, ad augendum hoc suum beneficium, Apostolum Petrum per Angelū excitauerit quidem, sed non perfectè, relinquens eum semisopitum somno, & ea quæ reuera fiebant, apprehendentem per intellectum tanquam somnia. Quæ responsio habetur ex his verbis B. Lucæ; & sic fere intellexit bonus author Dionysius Carthusianus in Comm. ad hunc locum.

cum. eam responsionem ille confirmat per ea quæ certissima experientia constant, scilicet solere quosdam homines dum inter dormiendum apprehendunt sese hoc aut illud debere aut velle facere; surgere è lecto dormientes, & non solum ambulare, sed etiam facere illa, perinde ac si vigilarent; ascendere gradus, imo sine scalis ascendere culmina domorum; aperire tabernas mercatorias, exponere merces venales, arripere quempiam & portare in humeris. Qualia & nos à nonnullis facta esse, certò nouimus. Ita nihil miri est quod Petrus Apostolus existimauerit per intellectum, sese somniare ea fieri per angelum, quæ reuera fiebant. Potest hæc res explicari, & data responsio confirmari, per ea quæ dicit Philosophus in libello de insomnijs, paulo ante finem, Sæpè (inquit) euenit vt quis dormiendo, in animo suo dicat, somnium esse quod videt. Et paulo post, Fieri potest vt siquis non omnino dormiat, quodammodo vigilet; & vice versa. Ita ille. Quare nihil mirum quod, Deo ita faciente, Petrus Apostolus toto hoc tempore fuerit semiuigilans & semisopitus. Aliquid horum attingit Chrysost. in iterata expositione.

De illo (*Visum*) quod græcè est ὅραμα, videtur satis dictum ad cap. 9. vers. 10. Sequitur,

Vers. 10. Transeuntes autem primam & secundam custodiam,

Qvarvm vtraque erat septem militum, vt dictum fuit ad vers. 6. Qui factum sit vt omnes hi milites dormirent, nec excitarentur, diximus ad vers. 7.

Venervnt *ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem*] Hæc porta ferrea erat vltima carceralium ianuarum, attingens plateam ciuitatis; ideoque dicitur quod *ducebat ad ciuitatem*. Qui vero ex his verbis colligunt carcerem hunc fuisse extra ciuitatem: non considerant sequentia, quæ sunt tum hoc tum vers. 12. Neque est nouum, sed quotidianum vt qui è domo sua intra ciuitatem posita, negotij causâ quopiam egreditur, manens tamen intra ciuitatem, dicatur exire in ciuitatem, præsertim si in mediam ciuitatem eat è loco remotiore ab illius medio.

Qvæ *vltro aperta est eis*] Hæc porta, sicut ferrea erat, ita haud dubiè supra communem modum erat obserata ac firmata claustris & vectibus: & tamen est eis aperta *Vltro*; hoc est nullius hominis opera, sed velut per se ipsa seipsam aperuisset. Credibile autem fuisse apertam potentia ipsius Angeli: magis etiam credibile quod immediate à Deo fuit aperta, ne angeli quidem ministerio; cuius rei fidem facit illud plurale (*eis*).

Videtvr autem ista porta ferrea iterum fuisse clausa ab Angelo Domini; quoniam si aperta mansisset, non latuisset Petri liberatio vsque ad clarum diem (vt infra vers. 18. significatur); quandoquidem ducebat hæc porta ad ciuitatem, conspicua proinde omnibus prætereuntibus, quorum aliquis miratus esse apertam, monuisset milites custodes, vel carcerarium inquilinum. Sequitur,

ET *exeuntes* portam istam ferream,& sic intrantes in plateam seu vicum ciuitatis quem illa attingebat; *processerunt vicum vnum: & continuo discessit Angelus ab eo*, quum iam in tuto esset Petrus, possetque vlterius sibijpsi prospicere.

VERS. 11. Et Petrus ad se reuersus,

GRÆCE ad verbum sonat, *factus in seipso*; sed Interpres docte expressit sensum; vt sit, Iam plane expergefactus, ac recto certoque rationis iudicio vtens. fuerat veluti peregrinatus mente, dum errabat, credens esse somnia, quæ reuera fiebant. Non erat apud se, vt latini loquuntur. *Dixit*] intra animum suum;

NVNC *scio verè*, Q. d. Quod me somniare existimabam, nunc video non somniasse, sed reipsa partim fecisse partim passum esse, diuinitus. *Nunc scio verè quoniam* (quod) *misit Dominus angelum suum*; Credebam me somniare quod Angelus à Deo missus me liberaret; neque sciebam me liberari: scio nunc certissimè vtrumque, & me liberatum, & opera Angeli à Deo missi esse liberatum.

ET *eripuit me*.] Ambiguum est vtrum subaudiatur tanquam suppositum verbi (*eripuit*): Dominus, an Angelus Domini: prius videtur rectius. idem enim videtur suppositum vtriusque verbi, *misit*, &, *eripuit*; vt Deo vtrumque tribuatur, authori huius liberationis.

DE (græcè ἐκ) *manu Herodis*, hoc est, ex Herodis potestate, tyrannica nimirum;

ET *de omni expectatione plebis Iudæorum*.] Et primores & vulgus infidelium Iudæorum spectauerant me interficiendum, idque publicè ipsis spectantibus; & eo spectaculo sese exhilarandos: omnem eorum spem frustratus est Dominus, me cædi eripiens.

VERS. 12. Considerans que)

ΣΥνιδών τε, *Consciusque*, quod exponit Chrysost. q. d. Iàque certò sciens se esse liberum; *venit ad domum* &c. quæ forte in vicino erat. Vel, *considerans que*] hoc scilicet (innuit Chrys. dicit Oecum.) quod sui liberatio esset significanda fidelibus, vt Deo agerentur gratiæ. Item, apud se perpendens quid opus esset facto in re præsente, vt posset latere, nec iterum apprehenderetur. Considerans etiam qua in parte ciuitatis esset; erat enim obscura nox;

VENIT *ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus. Qui cognominatus est Marcus*] Videtur additum ad secernendum hunc à Ioanne apostolo; cuius proinde mater videtur Maria dicta. De hoc Ioanne mentio est vltimis verbis huius cap. Item c. 13 v. 5. 13. c. 15. v. 37. & seqq. Fit mentio eius ab Apostolo Paulo, Coloss. 4. v. 10 quo ex loco liquet fuisse consanguineum Barnabæ Apostolo. 2. Timoth. 4 vers. 11. Philem. v. 24. Errauerunt nimirum qui putauerunt hunc esse sanctum Marcum euangelistam. Mater huius Ioannis videtur fuisse vidua (alioqui pater hic nominatus fuisset) cui ampla domus esset Ierosolymæ. Ad huius igitur, tanquam mulieris Christianæ, domum venit Petrus Apostolus iam liber vinculis.

QVOD

Qvod Deus ita disposuit, vt qui in illa domo erant magno numero orantes pro Petro captiuo, primi viderent fructum precum suarum. Nam hoc est quod attexit S. Lucas;

Vbi *erant multi congregati & orantes*, etiam nocte, vt patet Nec dubium, etiam præcedentibus noctibus hoc eos in illa domo, & alios christianos per alias domos, fecisse: quoniam v. 5. dictum fuit quod *oratio sine intermissione fiebat ad Deum ab Ecclesia pro Petro Apostolo captiuo.*

Vers. 13. Pulsante autem eo ostium ianuæ,

Ianvæ] græcè τοῦ πυλῶνος, quæ vox & *vestibulum* significat & *ianuam.* Sunt qui mallent hic ab Interprete redditum fuisse *vestibulum*, quod non satis videant quomodo dici possit *ostium ianuæ*. Sed hi meminisse debebant id quod videmus quotidie; sæpe intra maiorem ianuam seu portam esse ostium minus quod quotidiano egressui & ingressui aperiatur, maiore ianua manente immota; sæpe etiam ipsam ianuam domus diuidi in duas medietates æquales, quarum vtraque ostium dicatur. Quare melius noster Interpres hic vertit *ianuam* quam *vestibulum*; sicut & v. proxime sequenti semel ac iterum.

Observandvm quod B. Petrus iam pulsat ostium huius domus, qui exiuerat carcerem clauso ostio: quia Deus miracula non facit nisi postulante necessitate aut iusta vtilitate. Pulsante igitur B Petro ostium, *Processit puella ad audiendum.*] scilicet quis esset. Quærebat nimirum, vt fieri solet; quis esset qui pulsaret. Constat vero Petrum Apostolum ei respondisse, nec tamen nomen suum videtur expressisse, sed vel dixisse, *Ego sum*; vel terminis generalibus, *Est amicus*. Totum hoc partim constat, partim verisimile fit ex vers. proximè seq. Addit S. Lucas, *Nomine Rhode.* Non dubium est fuisse castissimam Deoque gratam virgunculam, quæ fuit delecta diuinitus, vt omnium prima audiret loquentem B. Petrum vinculis absolutum. Forte S. Lucas ideo & nomen eius expressit, dicens, *Nomine Rhode*. Est autem ῥόδη, propriè ipse frutex rosæ, vt norunt grammatici.

Vers. 14. Et vt cognouit vocem Petri;

Ergo constat quod Petrus fuerit ei loquutus, sicut proximè dicebamus; sed non proinde constat quid fuerit locutus eorum quæ commemorauimus.

Præ *gaudio non aperuit ianuam; sed intrò currens nunciauit stare Petrum ante ianuam*. Nimirum tam magnum erat gaudium, vt illud sola capere non posset; neque sese tenere quin ante omnia ijs qui intus erant rem tantam nunciaret. Quid responderunt nuncianti?

Vers. 15. At illi dixerunt ad eam, Insanis.

Qvod Non es sanæ mentis quæ credas rem adeo incredibilem, imo impossibilem.

ILLA *autem affirmabat sic se habere.* Constanter persistebat in eo, Petrum Apostolum esse qui staret ante ianuam.

ILLI *autem dicebant, Angelus eius est.* Ad hunc locum ita V. Beda; Quod vnusquisque nostrum habeat angelum, in multis sanctæ scripturæ locis inuenitur. Nam & Dominus de paruulis, *Angeli* (inquit) *eorum semper vident faciem Patris mei.* & Iacob de se loquitur (Genes. 48. vers. 16.) *Angelus qui eruit me de cunctis malis.* Et hîc discipuli Angelum B. Petri Apostoli venire credebant Monuerat idem Chrysost. & post eum Oecumen.

HI tamen fideles in hoc errabant, rei nouitate scilicet attoniti, quod crederent esse Angelum qui pulsauerat ostium. Non faciunt hoc Angeli; sed clausis etiam ostijs ingrediuntur, & de improuiso sese hominibus exhibent. Videntur autem existimasse Angelum B. Petri ad ipsos venire, consolandi gratia, vtpote in oratione magno numero positos. Sequitur,

VERS. 16. Petrus autem perseuerabat pulsans. vt qui non dubitaret puellam annunciasse sese esse qui pulsasset.

CVM *autem aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt. Aperuissent.*] Plures igitur accurrerunt ad ianuam, puella constanter affirmante, & Petro perseueranter pulsante.

OBSTVPVERVNT.] Præ rei nouitate & magnitudine. Nec obstupuerunt taciti; sed erumpentes in voces letitiæ, vt patet ex seq. Sic enim sequitur,

VERS. 17. Annuens autem eis manu vt tacerent;

QVO possent eum audire loquentem; *Narrauit quomodo Deus eduxisset eum de carcere:* eo scilicet modo qui superiore huius capitis historia hactenus est descriptus. *Dixitque, Nunciate Iacobo & fratribus hæc. Iacobo*] qui minor dictus est, episcopo Ecclesiæ Ierosolymitanæ; *& fratribus*, fidelibus seu christianis Ierosolymæ degentibus. *Nunciate.*] Tum vt à tristitia sua liberentur, tum vt vna vobiscum Deo agant gratias.

CVR hîc nulla fit mentio aliorum Apostolorum? Hæc reticentia signum est nullum aliorum Apostolorum tunc fuisse Ierosolymæ: siue quod post occisum Iacobum maiorem sese periculo simili subduxerant, ita volente ipso Petro, suo principe; siue quod iam antea alij aliò ad plantandum nouellas Christi ecclesias, vel ad iam plantatas rigandum & corroborandum, fuerant digressi. Etiam ante hoc tempus, diu antea, plerique Apostolorum subinde aberant Hierosolyma: vt doceri potest ex cap. 9. huius ver. 27. collato cum Galat. 1. vers. 18. 19.

AN igitur ante hoc tempus contigerat illa celebris quæ commemoratur Apostolorum diuisio? Ita videtur: Nam alioqui, omnino apparet quòd rex Herodes ad gratificandum Iudæis, non solum Petrum, sed & alios Apostolos studuisset tollere è medio, si eousque hæsissent Ierosolymæ. Ponit Baronius Apostolorum diuisionem Anno Christi 44. qui est Claudij Cæsaris 2. quo & ista

B. Petri

B. Petri captiuitas ac liberatio contigit. Ita ille, dicto anno 44. § 13. & multis seqq. Sed merito credi potest eam diuisionem ante hunc annum Domini 44. fuisse factam, videlicet paulo post quàm Cornelio Centurione cum suis diuino monitu in Ecclesiam receptis, (quod anno Christi 41. contigisse, ponit Baronius) Apostoli intellexerunt tempus adesse quo Deus vellet ipsos ire in prouincias gentium. Itaque credibile est quod anno illo Christi 41. fuerit facta præparatio ad hanc dimisionem, scilicet vt communi decreto suæ cuique Apostolo sint attributæ prouinciæ; & ad retinendam vbique fidei & doctrinæ ac rituum consensionem, sit ab eis (præter cætera) confectum symbolum christianitatis; quod *symbolum apostolorum* ideo dicitur. In quod symbolum, quum singuli Apostoli singulas contulerint sententias; vt testificantur veteres Ecclesiæ doctores, Hieron. epist. 61. Ruffinus in exposit. Symboli in princip. August. serm. 115. de tempore, S. Leo epist. 13. Cum hoc (inquam) ita sit: etiam Iacobus maior in hoc symbolum suam contulit sententiam. Idem probari potest ex eo quod S. Matthæum antequam in prouinciam suam iret, veteres affirmant scripsisse euangelium propter Iudæos christianos, & ijdem scripsisse aiunt anno post Christi ascensionem octauo.

Non est tamen putandum Apostolos omnes ita tunc abijsse Ierosolymâ, vt nemo eorum deinde vnquam illuc redierit. De Petro enim contrarium constat ex cap. 15. huius, & ex cap. 2. ad Gal. cuius capitis historia incidit in annum 15. à conuersione Pauli, vt constat ex initio cap. illius. id est, in annum Domini 51. quo tempore & B. Ioannem Ierosolymæ fuisse ex eodem cap. 2. Gal. patet; sed reuersum Ephesо, sicut Petrus redierat Roma, quum Claudius Imperaror Iudæos expulisset ex Vrbe, vt dicitur infra huius lib. cap. 18. v. 2. Sequitur de Petro,

Et *egressus abijt in alium locum.*] Dubitatur an hæc verba significent, Petrum è domo Mariæ in alium locum iuisse qui tamen esset intra ciuitatem Ierusalem; an potius abijsse extra ciuitatem, vitandi omnis periculi gratia; ne tentare videretur Deum, si illic hæsisset post liberationem. Nobis horum duorum posterius magis probatur; & iuuat eam opinionem quod verbis præcedentibus dixerat Petrus fidelibus in domo Mariæ congregatis, *Nunciate Iacobo & fratribus hæc.* Si enim Petrus deinceps mansisset intra ciuitatem: vtique ipsemet Iacobo suo coapostolo & Ierosolymorum Episcopo, historiam liberationis sui, per se erat narraturus. Quare verisimile est B. Petrum vsum fuisse beneficio noctis, & secreto abijsse Ierosolymis.

Illvd certe inter historicos ecclesiasticos satis constat, Petrum Apostolum hoc eodem anno (qui erat Claudij Imperatoris secundus) primum omnium venisse Romam. Cœperat Claudius imperare Anno Christi 43. initio Februarij: quare secundo anno eius contigerunt captiuitas ista & liberatio B. Petri, nimirum anno Christi 44. ad finem Martij aut initio Aprilis. & cum Cathedra B. Petri Romana ponatur die 18. Ianuarij, ea inciderit in finem anni secundi huius Imper. nimirum illic collocata anno Christi 45. mense Ianuario. Sequitur,

VERS. 18. Facta autem die, erat non parua turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro.

INTER *milites*] custodes nimirum illos sexdecim de quibus dictum fuit v. 4. & v. 6. Hi valde fuerunt turbati, quum viderent suum captiuum abesse, ideoque capiti suo metuebant.

VERS. 19. Herodes autem quum requisisset eum.)

A CVSTODIBVS scilicet, postulans sibi repræsentari captiuum quem illorum curæ commiserat;

ET *non inuenisset*,] quem illo die cupiebat publicè interficere:

INQVISITIONE *facta de custodibus*; Id est, habita de ijs quæstione; seu, examine eorum facto;

IVSSIT *eos duci*. In carcerem, vt minimum. An etiam ad supplicium? Verisimile est, si quis iram pudefacti regis consideret. Vrebat enim illum vehementer quod spe occidendi Petrum frustratus esset, neque posset eius cæde exhilarare Iudæos. sicut auum ipsius hoc valde vsserat quod illusus fuisset à Magis Christi infantis adoratoribus. Matth. 2. Ita fere Oecum. post Chrysost.

VIDETVR autem hæc pudefactio regis Herodis, causa fuisse cur statim postea deseruerit Ierusalem & Iudæam, ac se contulerit Cæsaream Palestinæ: cum præsertim & aliam causam haberet illuc eundi, præparare scilicet bellum in Tyrios & Sidonios; vers. 20. & seqq. Volebat etiam illic ludos & spectacula exhibere in honorem & pro salute Cæsaris; vt est apud Iosephum Antiq. 19. c. 7. In horum omnium præparationem videtur abijsse sesquiannus. Nam anno demum 4. Claudij Cæsaris, seu anno Christi 46. ea spectacula & ludi, magna pompa exhibiti sunt, vt est apud Baronium illius anni Christi §. 3. & seqq. quorum ludorum die secundo contigit quod narratur huius cap. v. 21. vt est ibidem apud Iosephum. Et ex his faciliora erunt quæ deinceps narrat B. Lucas. Addit ergo, de Herode Agrippa loquens;

DESCENDENSQVE *à Iudæa in Cæsaream, ibi commoratus est*. Anno hunc præcedente, id est, anno Claudij primo, Christi vero 43. Herodes iste ab eodem Claudio auctus fuerat regno Iudææ & Samariæ, & ditione huius maritimæ ciuitatis Cæsareæ; vt ex eodem loco Iosephi constat. Ergo iuit Herodes Cæsaream, ibique commoratus est, tanquam in sua ciuitate. Et fortassis, quoniam nuper in eius ditionem venerat, Reipublicæ ordinandæ gratia, illic iam diutius hæsit, præter cæteras causas. Sequitur,

VERS. 20. Erat autem iratus Tyrijs & Sidonijs)

AB hoc loco vsque ad finem capitis est noua de Agrippa Herode narratio, qua exponitur occasio & causa mortis ei diuinitus inflictæ ob superbiam.

IRATVS.]

IRATVS.] Græca vox θυμομαχῶν, plus significat quam simpliciter iratum, videlicet fuisse sic iratum vt animo meditaretur bellum denunciare & inferre,

TYRIIS *et Sidonijs.*] Ciuitatibus maritimis ac potentibus in Phœnicia, vicinis regno Herodis. Quam ob causam iratus ijs fuerit, non exprimitur; sed facilè oriuntur bellorum causæ aut prætextus inter potentes vicinos.

AT *illi vnanimes*, id est, vna mente & iunctis operis, *Venerunt*, per legatos videlicet, *ad eum* commorantem Cæsareæ;

ET *persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis*. hoc est, Et quum legati Tyriorum ac Sidoniorum supremum regis cubicularium Blastum eò adduxissent vt intercederet pro vtroque populo apud Regem;

POSTVLABANT *pacem:* Non cupientes bello experiri aduersus hunc regem vicinum. Cuius rei vnam causam addit B. Lucas,

EO *quod alerentur regiones eorum ab illo. Alerentur*] siue perpetuis temporibus, per commercia cum prouincijs huic Regi subiectis, siue illo tantum tempore quo hæc gerebantur. Erat enim tempus illius duræ & vniuersalis famis, de qua in fine cap. præcedentis & in fine huius.

AB *illo*] græcè est, *a basilica*, ἀπὸ τῆς βασιλικῆς; & incertum quid subaudiatur, an domo, an annona vel alimonia, aut regio, quod præcessit, aut quid simile. Sensus tamen non est obscurus, videlicet quod Tyrij & Sidonij necessariam suam alimoniam accipiebant ab hoc rege, nimirum permittente suis prouincijs commercia cum Tyrijs & Sidonijs. Itaque hæc causa mouit eos vt peterent pacem; ne exorto bello cessantibus commercijs, ipsi penuria rerum consumerentur. Videntur autem Tyrij & Sidonij obseruasse tempus opportunum quo legatos suos ad Regem mitterent, videlicet tempus illud quo is ludos & spectacula pro salute Cæsaris erat exhibiturus; existimantes, in illo triumpho & publica lætitia clementiorem fore. Hoc ita videtur ex cap. illo 7 lib. 19. Antiq. Iud. apud Iosephum: Nam die secundo illorum ludorum ait Regi immissam calamitatem istam quæ deinceps hoc loco narrabitur, & qua is extinctus fuit die morbi quinto.

PACEM igitur quam postulabant, videntur obtinuisse à Rege, die secundo huius solemnitatis; eamque Regem illis concessisse publicè, celebri ad eos concione habita, omni hominum genere audiente, qui erant tunc plurimi in ea ciuitate, ait ibidem Iosephus, propter ludorum solemnitatem. Hæc sunt quæ deinceps à S. Luca narrantur.

VERS. 21. Statuto autem die,

ID est, die quem constituerat rex, quo esset responsum daturus postulatis Tyriorum & Sidoniorum; Erat autem dies secundus illorum solemnium ludorum, vt ex Iosepho diximus, & quidem mane.

HERODES *vestitus veste regia*] ex argento affabrè contexta, ait Iosephus; quæ proinde orientis solis radijs exposita, mirificè resplendebat;

SEDIT *pro tribunali*] in loco publico, cupiens audiri ab omnibus quæ dicturus esset ad postulata Tyriorum & Sidoniorum.

ET *concionabatur ad eos.* Tyrios nimirum & Sidonios, seu ad eorum legatos; de quibus dictum est quod per Blastum cubiculo regio præfectum postulabant pacem à Rege. Videtur igitur hac publica oratione ijs respondisse Rex, & pacem petentibus dedisse.

VERS. 22. Populus autem acclamabat; Dei voces, & non hominis.

HOC ita narrat Iosephus; *Mox adulatores perniciosi*, alij aliunde acclamantes, Deum consalutabant; rogantes vt faueret propitius. Hactenus enim vt hominem reueritos; nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali vita excellentius. Ita Iosephus. Ergo quod hic narrat B. Lucas *populum acclamasse*, Dei voces, & non hominis, hunc sensum habet, Hæ voces tuæ non hominem sonant sed Deum. Diuinum igitur honorem ei tribuebat ista turba adulatorum. Addit Iosephus; Hanc impiam adulationem ille nec castigauit nec repulit. Id quod consentit cum seqq. B. Lucæ verbis,

VERS. 23. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo:

PERCVSSIT *eum*] morbo illo quo extinctus est intra quinque dies, vt est apud Iosephum; quem morbum S. Lucas verbis sequentibus expressit,

ET *consumptus à vermibus expirauit.* Videtur fuisse morbus pedicularis. Adiuncta fuerunt magna viscerum tormina, si credimus Iosepho. Ita autem est percussus, *eo quod non dedisset honorem Deo, ait B. Luc.* Id est, eo quod passus fuisset sibi ab adulatoribus ascribi honorem diuinum, eorumque acclamationes non repulisset; sed superbia & cenodoxia inflatus acquieuisset adulationi isti impiæ. Debet hoc Domino suo vnusquisque minister ne sibi patiatur tribui quod verè est Domini sui: &, si contra fiat à ministro Regis alicuius, est crimen læsæ maiestatis.

DISCIMVS ex hoc loco & illud, quod Angeli sancti zelo honoris Dei accensi, puniunt eius violatores.

ATQVE hæc de interitu Herodis Agrippæ; quem Deus puniuit ad hunc modum, etiam propter cædem B. Iacobi, & studium occidendi S. Petrum Apostolorum principem. Addit S. Lucas,

VERS. 24. Verbum autem Domini crescebat & multiplicabatur.

VERBVM *Domini.*] Prædicatio euangelij, hoc est, doctrina de Iesu quod ipse sit Christus, & doctrina eorum quę ipse nos credere & facere voluit.

CRESCEBAT *& multiplicabatur.*] *Crescebat*] his qui ante hoc tempus crediderant in sua fide confirmatis: *Multiplicabatur*, multis ad fidem de Christo accedentibus, multis ab infidelitate ad christianismum cõuersis. Hoc augmentum

tum fidei & hæc multiplicatio videtur hoc loco à B. Luca commemorari; vt nobis innuat ad vtrumque horum, per Dei gratiam valuisse miraculosam illam Apostoli Petri liberationem, & mortem Herodis Agrippæ, qui potestate regia abutebatur ad opprimendam & extinguendam nouellam Christi Ecclesiam. Addit B. Luc.

VERS. 25. Barnabas autem & Saulus reuersi sunt), videlicet Antiochiam Syriæ; vt patet ex fine capitis præcedentis.

AB *Ierosolymis*, quo iuerant, portantes illuc subsidium pecuniarium, ad pauperes christianos, tempore illius generalis famis in Iudæa agentes; vt in eodem fine c. superioris dicebatur; & hoc ipsum significatur hic per verba ista adiuncta, *expleto ministerio*. Illius enim eleemosynæ subministratio, vocatur vt ibi, sic & hoc loco, *ministerium*. Reuersi sunt autem Antiochiam, *assumpto Ioanne qui cognominatus est Marcus*. Adduxit nimirum Barnabas Apostolus suum consanguineum, hunc Ioannem, ex Ierosolymis vbi mater eius habitabat. De qua matre ipsius, & de Ioanne ipso, fuit satis dictum ad v. 12. huius cap.

HOC de Sauli & Barnabæ regressu Antiochiam hic attexuit S. Lucas, tanquam ansam ex qua pendeat narratio cap. seq.

ARGVMENTVM

CAPITIS XIII.

PAVLVS & Barnabas apostoli, peculiari Spiritus S. iussu, verbum Dei de Iesu Christo annunciant ijs in locis vbi hactenus non annunciauerant; videlicet in Cypro insula, in Pamphylia, in Pisidia; vnde eiecti venerunt Iconium.

VERS. 1. Erant autem in Ecclesia quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores;

ANTIOCHIÆ] Intelligitur Antiochia Syriæ sine dubio, de qua in fine cap. 11. & quo reuersi dicuntur Barnabas & Saulus, in fine cap præcedentis. In Ecclesia igitur Antiochena erant *Prophetæ & doctores*; Per *prophetas* non intelliguntur qui de Christo in mundum venturo prænunciarunt; nam hi ad vetus testamentum pertinent, & eorum vltimus fuit Ioannes baptista, de quo Dominus Matth. 11. v. 13 *Omnes prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt*. Intelliguntur igitur hic nomine *prophetarum* ij qui per diuinam reuelationem cognoscebant quæ ab hominibus naturaliter sciri non possunt, siue illa essent futura, siue præterita, siue præsentia. Veluti qui scripturarum intelligentiam, qui religionis sublimia mysteria, non per humanam industriam, sed diuina reuelatione nouerant, & alijs exponebant. De quali genere prophe-

prophetarum & prophetiæ, mentionem facit Apostolus Rom. 12. v. 6. 1. Cor. 12 v. 26. 29. & c. 14. pene toto. Ad Ephes. item c. 4. v. 11. Hi sunt prophetæ noui testamenti; & tenent secundum gradum prophetiæ inter illos tres qui à S. Thom enumerantur, 2. sec. q. 171. a. 3.

VERVM, si nomine prophetarum hi qui dicti sunt intelliguntur; quinam igitur vocatur Doctores? Nam alio Spiritus sancti dono effici prophetas, alio Doctores, ex Apostolo manifestum est tam cap. illo 12. prioris ad Corinth. quam cap. 4. ad Ephes. & vtroque loco doctores prophetis postponit; sicut & S. Lucas his verbis quæ nunc exponimus. Responsio. Per *Doctores* intelliguntur qui fidei ac morum salutarium doctrinam verbo Dei consentaneam, fidelibus exponunt; non quidem ipsi ex reuelatione diuina illam immediatè habentes, sed tamen peculiari Spiritus S. dono ad eam consequendam & alijs tradendam, adiuti. Et quoniam valde vastum est sacræ Theologiæ corpus; nihil vetat, ratione diuersarum sacræ doctrinæ partium, eosdem fuisse prophetas & Doctores. Nam sanè Apostolos Paulum & Barnabam, vtrosque fuisse non est cur dubitemus: & de tribus reliquis qui hic nominantur, Imo & de alijs qui hîc non nominantur, videtur B. Lucas velle dicere, fuisse ipsos & prophetas & Doctores.

IN *quibus Barnabas*] de quo iam sæpe dictum est; cap. 4. in fine. c. 9. v. 27. c. 11. vers. 22. & seqq cap. 12. in fine Et deinceps de ipso dicetur, vt de collega Pauli.

ET *Simon, qui vocabatur Niger*, Græci codices plerique habent Συμεὼν· sed alibi docuimus idem nomen esse quod hebraico more pronunciatur Sim-on, & quod 70 Interpretes græco more efferunt *Simeon*.

QVI *vocabatur Niger*. verisimiliter à colore, vt fit; siue faciei siue capillorum.

ET *Lucius Cyrenensis*] De Cyrene diximus ad c. 2. v. 10. & cap 6. v. 9. Est prouincia Africæ Cyréne; ex qua hic S. propheta & Doctor Lucius. Nomen eius est in Martyrol. Romano die 6. Maij.

ET *Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus*; Hoc videtur addere B. Lucas, vt intelligamus hunc Manahen fuisse virum etiam in sæculo magnum, vtpote qui enutritus fuerat cum Herode Tetrarcha tempore infantiæ & pueritię. Herodes Tetrarcha, non fuit ille Herodes Agrippa, de quo tam multa c. superiore dicta sunt; sed prædecessor eius; ille qui Ioannem baptistam occidit, & Dominum Saluatorem in passione sua illusit candidatum; qui Herodes Antipas dicebatur. Huius S. Manahen mentio est in Romano Martyr. d e 24. Maij.

ET *Saulus*. Non videtur anxie quærendum quare Saulum vltimo loco commemoret S. Lucas: nulla enim peculiari causa fecisse videtur, cum v. proxime sequente præponatur Barnabæ; in nostra saltem versione, *Segregate mihi Saulum & Barnabam*, &c.

ILLVD *quæri possit*, An omnes prophetæ & doctores qui tunc temporis Antiochiæ erant, fuerint hi quinque. Resp. Non liquet: Imo nec hoc omnino liquet, an hos quinque B. Lucas numeret tanquam compræhensos nomine istorum prophetarum & doctorum. Nam versus hic primus ita græcè sonat, *Erant autem quidam Antiochia in Ecclesia propheta & Doctores,*

illeque

illeque Barnabas, & Simeon appellatus Niger, & Lucius &c. Non liquet enim an ista enumeratio horum quinque fiat tanquam diuersorum, qui addantur illis prophetis & Doctoribus; an verò fiat tanquam explanans quos voluerit dicere prophetas & Doctores. Noster Interpres posteriore modo intellexit. Id quod probandum videtur. Nam vt demus Saulum & Barnabam à S. Luca non comprehensos nomine prophetarum & doctorum, tanquam altioris gradus in Ecclesia, Apostolos videlicet: quid de reliquis tribus dicemus? Apostolos non possumus dicere; restat vt prophetas & doctores fateamur fuisse, quos secundo & tertio gradu ponit Apostolus cap. illo 12. prioris ad Corint. quum primo loco Apostolos collocasset. Quare & Saulum & Barnabam diuersa ratione, ac per diuersa Dei dona dicemus etiam prophetas & doctores fuisse, etsi essent Apostoli. Quo posteriore modo & Erasmus in paraphrasi; licet in versione ponat vt verba sonant, relinquens ambiguum latinè, vt est græcè. Vertit enim, Barnabasque & Simeon &c.

VERS. 2. Ministrantibus autem illis Domino.

ILLIS.] Quinque scilicet iam enumeratis, & siqui præter hos ibi erant alij, prophetæ & Doctores. Id enim in ambiguo relinquimus per proxime dicta. Forte istud (*illis*) refert Ecclesiam Antiochenam, congruè secundum sensum, non secundum vocem. Et signum huius videtur, quod in secunda parte huius versus, græcè non exprimitur istud (*illis*) quia scilicet non toti Ecclesiæ.

MINISTRANTIBVS *Domino.*] Pro isto (*ministrantibus*) græcè est λειτουργούντων, pro quo Erasmus vertit, *sacrificantibus.* & in Annotatiuncula ad hunc locum, ait vocem græcam esse propriam operantium sacris. Consentit vox Græcis Ecclesiæ scriptoribus vsitatissima, λειτουργία, qua illi intelligunt christiani sacrificij actionem, præsertim publicam, eiusque ritum ac formam. Extant Liturgiæ Sanctorum Iacobi Apostoli, Marci euangelistæ, Basilij, Chrysost. Itaque, magna probabilitate hic Scripturæ locus à catholicis multis adfertur contra Sectarios pro confirmatione sacrificij christiani.

SED non est dissimulandum, huncistius grecæ vocis ecclesiasticum vsum, non esse omnino proprium, verum per excellentiam huic sacrificio appropriari: quum originaria significatione vox ea designet generatim quoduis ministerium vel officium publicum. Vnde & in libris noui testamenti hæc generalis huius vocis significatio reperitur; in codice vtique græco. Ad Rom. 13. v. 6. Paulus Apostolus ciuiles potestates, tunc ethnicas, vocat λειτουργοὺς Θεοῦ, vbi noster dixit *Ministri enim Dei sunt.* Et ad Hebr. 1. in fine vbi nos habemus de Angelis, *Nonne omnes sunt administratorij spiritus*; pro illo (*administratorij spiritus*) græcè est λειτουργικὰ πνεύματα. Item ad Philip. 2. vbi nos habemus (v. 25) de Epaphrodito, *ministrum necessitatis meæ*; pro illo, *ministrum*, græce est λειτουργόν. & v. 30 vbi nos habemus, *vt impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium*; pro isto, *obsequium*, in græco codice est λειτουργίας. Rursum quum ad Rom. 15. v. 16. legimus, *vt sim minister Iesu Christi in gentibus*, seu (vt est græcè) *in gentes*; pro illo, *minister*, est illic λειτουργός, & 2. Cor. cap. 9. vers. 12. vbi nos habemus,

Quoniam ministerium huius officij &c. pro illo, *officij*, in originali est λειτουργίας. Quibus cōsideratis non est omnino certum quod hoc loco illud λειτουργούντων debeat verti *sacrificantibus*; tametsi valde probabile sit, ita intellexisse B. Lucam. Non est, inquam, omnino certum: Nam & noster Interpres vertit, *ministrantibus*, generali vocabulo quod vox græca originariè sonat; & quamuis illud ipsum generale vocabulum (ministrantibus) posset κατ' ἐξοχὴν exponi de sacro ministerio sacrificij christianis proprij; tamen Liranus illud ita explicat, *Ministrantibus Domino*, scilicet in bonis operibus secundum suos gradus & officia. Vt sensus secundum eum sit, Quum hi prophetæ & Doctores Domino sedulo deseruirent, fungentes suo singuli officio prophetico aut doctorali: &c. Et Oecumenius, Quid est, *ministrantibus?* hoc est, prædicantibus. quod ijsdem verbis prius dixerat Chrysost.

QVARE, quando sacrificium christianum contra Sectarios, Antichristi præcursores, defendendum est, præstat alijs Scripturæ locis vti, qui magis vrgeant. Pondere videlicet, non numero argumentorum contra hæreticos est pugnandum: Nam vnum argumentum quod plane conuincit, tantum valet, quantum mille. Hoc ipsum & supra. monebamus ad cap. 6. v. 3. & 6. & copiosius ad cap. 2. v. 42. causa etiam reddita. Atque hinc est quod quidam catholicus ex Soc. scriptor laudat Bellarminum, tanquam ingenuè agentem, dum non omnino conuincere locum istum Actor. 13. agnoscit, Lib. priore de Missa c. 15. vbi de hoc Scripturæ loco iterum agit, quum prius egisset eiusdem lib. cap. 13. Circumstantiæ tamen huius loci fauent illi expositioni quæ hanc liturgiam accipit *sacrificium*. Additur enim, *& ieiunantibus:* Ieiunium autem videtur vicinius coniungi sacrificio & orationi (quæ per illud fit & purior & feruentior) quam fortassis officio prophetico aut doctorali. Item, quia Spiritus Sanctus tempore huius liturgiæ, dixit velle se vt seligerentur Saulus & Barnabas: inde ea potius sacrificium & precatio vel adoratio fuisse videtur, quam actio prophetæ vel doctoris.

ET *ieiunantibus.*] Videtur sermo esse de ieiunio quopiam ecclesiastico, forte quod primores istius Ecclesiæ Antiochenæ indixerant, ad Deum placandum, & ad feruentius orandum pro conseruatione & augmentatione nouellæ Christi Ecclesiæ. Sed, quoniam hæc non ante annum Christi 44. contigerunt, qui erat decimus ab Ascensione Christi; quo quidem tempore iam facta erat Apostolorum diuisio, vt ad præced. c. v. 17. diximus; ac proinde quæcunque ad totius Ecclesiæ mores, ritus & gubernationem pertinentia, constituerunt Apostoli, ea iam constituta & in vsum deducta erant; quoniam hæc, inquam, ita se habent: idcirco nihil improbabile dixerit, qui putet S. Lucam hîc voluisse designare vel ieiunium Quadragesimæ, vel vnum ex quatuor anni temporibus, quibus & ieiunari solet, & fieri ordinatio ministrorum Ecclesiæ. Nam certum est Apostolos antequam quaquauersum dispergerentur, communi consilio statuisse ea quæ vellent per totam Ecclesiam obseruari: Ieiunia autem non solum quadragesimæ, sed & quatuor temporum esse Apostolicæ institutionis, nos & ratione fundata in B. Augustini authoritate & testimonijs varijs S. Leonis Papæ demonstrauimus ad S. Thom. 2. sec. q. 147. art. 5. Probabilis

fit

sit ista coniectura ex verbis Chrysost. quæ habet in iterata huius loci expositione, istis; *Quando ordinatio erat, tunc ieiunabant* : & ieiunantibus illis dixit Spiritus sanctus,

DIXIT *illis Spiritus sanctus*; Istud (illis) non est in græco, vt neque in bonis latinis: tamen non dubium est subaudiri: ita tamen vt non totam referat Ecclesiam Antiochenam sed eam partem cui quod iubetur congruit. Confer notata ad initium huius versus. Prophetis igitur illis & Doctoribus in ieiunio reliquoque suo officio Deo ministrantibus; Spiritus sanctus dixit, saltem verbo mentali, id est per internam reuelationem, (erant enim prophetæ) hoc quod sequitur,

SEGREGATE *mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Græcè additur vocula δή. Segregate *tum* mihi &c. Atque hinc iuuari possit coniectura proxime allata, hæc contigisse aliquo ex quatuor temporibus sacræ ordinationi assignatis.

IN *opus ad quod assumpsi eos.* Sermo (vt patet ex seqq. & ex cap. 14.) est de exercitio Apostolatus; ad quem Paulus iam pridem fuerat à Deo aduocatus & assumptus, sine hominis alicuius opera, vt ipse ait Gal. 1. v. 1. & 11. Barnabas autem videtur ministerio Apostolorum fuisse assumptus à Deo ad Apostolatum, supra. cap. 11. v. 22. & seqq. Neque vero hic sermo est de exercitio Apostolatus inter gentiles præcise, sed indistinctè: quoniam ex hoc cap. & ex 14. & aliquot seqq. constat Paulum post hoc tempus non solis gentilibus, sed, priore etiam loco, (Infra c. 17. initio, & antè ac postea) Iudæis quoque euangelium annunciasse, vbicumque esset commoditas. Apostolatus est dignitas & à Deo tributa authoritas atque potestas annunciandi fidem Christi infidelibus, vt in Ecclesiam introducantur. Paulus autem & Barnabas (velut intermittentes apostolicum officium) iam aliquamdiu operam suam ponebant confirmandis in fide & exactius instituendis fidelibus, exercentes munus prophetarum & Doctorum potius quam Apostolorum. Quoniam vero per alios id fieri poterat; ipsique ad difficiliora erant per donum Spiritus sancti instructi: idcirco iubentur nunc discedere Antiochia, ad conuertendos infideles, Iudæos & ethnicos.

VERS. 3. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.

IEIVNANTES.] Videmus hic morem primorum christianorum, quod, cum rem alicuius maioris momenti à Deo cuperent obtinere, vt oratio qua id rogarent esset feruentior & purior, soliti sint adhibere ieiunium. Nec hac solum de causa; sed etiam vt illa corporali afflictione & humiliatione suipsorum, Deum placarent & sibi redderent propitium.

CONFORMITER his quæ ad v. præcedentem diximus tanquam probabilia, posset dici quod hoc ieiunium fuerit pars ieiunij ecclesiastici vnius ex quatuor temporibus: vt si illa quæ v. præcedente dicebantur, contigerint feria 4. aut 6. quatuor temporum; istud quod nunc dicitur, contigerit sabbatho.

N ſi quis obſtare putet quod in Orientali Eccleſia nunquam fuerit ieiunatum ſabbato; obſtante canone apoſtolico 65 excipiebatur vnicum ſabbatum pridianum Paſcati. Quid ſi illo hæc contigerint? Ac tum, ieiunium nobis dictum quadrageſimale his verſibus 2. & 3. intelligetur.

ET *orantes.*] Vix poſſumus dubitare quin ſub *oratione* hîc ſacrificium comprahendatur; quum pro re magni momenti hæc ab illis prophetis & doctoribus oratio ad Deum fieret. Etiam alibi ſub adoratione & oratione ſacrificium contineri manifeſtum eſt, ex Eſaiæ 56. v. 7. ex Ioannis 4. v. 20 & ſeqq. collatis cum cap. 12. v. 20 & huius libri cap. 6. v. 4. c. 8. v. 47.

IMPONENTESQVE *eis manus*] hæc manuum impoſitio non videtur fuiſſe nuda benedictio; licet nonnulli, etiam catholici, ſic intelligant, & S. Tharaſius Conſtantinopolitanus Epiſcopus in Synodo Nicena ſecunda actione 1. expreſſe dicat, Fieri poteſt vt χειροθεσία pro benedictione accipiatur, non pro ordinatione (agit autem de Canone 8. Concilij Niceni primi): ſed ſacram ordinationem hîc fuiſſe ſuadent circumſtantiæ huius manuum impoſitionis, ſcilicet quod facta ſit cum ſolemni ieiunio, & oratione itidem ſolemni; quibus opus non erat ad ſimplicem benedictionem. Vnde Chryſoſtomus in huius loci expoſitione tam priore quam iterata, manifeſte ſacram ordinationem intelligit. Addi poteſt, quod illa *ſegregatio* quam miniſtrantibus Domino & ieiunantibus his prophetis, iniunxerat Spiritus Sanctus, verſ. præcedente, maius quiddam fuiſſe omnino videtur, quam vt ſimplici benedictione omnino perageretur.

CONSTITVTO igitur quod ſacra ordinatio hîc per manuum impoſitionem intelligatur: reſtat videre quæ hoc loco facta ſit ſacra ordinatio Pauli & Barnabæ. Non fuiſſe eos nunc demum creatos Apoſtolos, ſiue indiſtinctè, ſiue præcisè ad Gentes, patet de ipſo quidem Paulo, ex verbis eius, initio epiſtolæ ad Gal. de ambobus autem ſimul, patet ex v. præced. vbi Spiritus ſanctus ait iam tunc ipſos à ſeſe eſſe aſſumptos ſeu accerſitos ad illud opus, apoſtolatus nimirum. Quod vero poſt hoc tempus Paulus & Barnabas non ſolis gentibus euangelium *Chriſti annunciauerunt*, illic probauimus ex ſequentibus huius capitis, ex cap. item 14. & aliquot ſeqq. Et alioqui nulla erat opus peculiari ordinatione qua fierent Apoſtoli gentium, hi, qui iam antea erant conſtituti Apoſtoli indiſcriminarim ad omnes nationes. Quid igitur per hanc ordinationem collatum eſt Paulo & Barnabæ? An ordo Sacerdotij? Hoc quidam dixerunt: ſed non videtur, nam in eo quod dicebatur v. 2, *Miniſtrantibus illis Domino*, etiam Paulus & Barnabas comprahenduntur: Erant igitur & illi ſacerdotes, ſi de ſacrificio chriſtiano illa verba accipienda ſint. Quod ſi non ſint: tamen, cum non dubium ſit fuiſſe illo tempore (anno ſcilicet Chriſti 44 cum S. Petrus iam ſeptem annos ſedem Antiochiæ tenuiſſet) aliquot in Antiochena eccleſia ſacerdotes, nulla ratio ſinit vt tales non fuerint Barnabas & Saulus, facile primi inter prophetas & Doctores qui erant Antiochiæ.

QVARE nobis maxime veriſimilis videtur eorum expoſitio, qui ipſos hîc ordinatos credunt Epiſcopos, quales hucuſque non videntur fuiſſe. Nam cap. demum ſeq. v. 22. leguntur fidelibus quos conuerterant, conſtituiſſe ſeu ordinaſſe

nasse per singulas ecclesias presbyteros, cum oratione & ieiunio. Sed statim exoritur quæstio, Quo modo, non fuerint antehac Episcopi, quum fuerint Apostoli? Hæc quæstio nullo negotio soluitur, dicendo quod duodecim illi à Christo Domino constituti, longo tempore fuerint Apostoli, & officium apostolicum exercuerint, Lucæ 6 vers. 13. c. 9. in princip. & v. 10. antequam ab ipso crearentur Episcopi, imo antequam crearentur sacerdotes. Nam tales facti sunt demum in vltima cœna, parte vna; parte altera, die resurrectionis Dominicæ. Apostolatus enim sine Episcopatu (vt patet ex dictis ad v. 2 in fine) esse potest: potest & Episcopatus ei coniungi, siue certæ diœceseos siue nullius certæ: vt quando per summum pontificem mittitur quis ad conuertendos infideles, & additur ei potestas Episcopaliter gubernandi eos quos conuerterit. Quoniam igitur apostolatus exerceri potest à non Episcopo: nihil mirum quod Paulus & Barnabas fuerint Apostoli & munus Apostolicum exercuerint, antequam essent Episcopi. Qui autem dicunt, Paulum & Barnabam hîc munus apostolicum per ordinationem sacram consecutos: improprie loqui censendi sunt, vt sub apostolatu compræhendant potestatem episcopalem indistinctam qualem diximus, id est, nullius certæ diœceseos.

DIFFICILIOR quæstio est, à quibus Paulus & Barnabas nunc sint creati Episcopi. Videtur enim quod ab illis tribus qui in principio huius capitis sunt numerati, Simone, Lucio, & Manahen. Sed vnde constat hos fuisse Episcopos, vt possent alium quempiam creare Episcopum? Huic quæstioni potest duabus vijs satisfieri. Prior est, vt dicamus hos duos non consecratos fuisse episcopos per Simonem, Lucium, & Manahen, sed per duos aut tres alios, quos Antiochiæ residentes B. Petrus creauerit Episcopos, in diuersa loca mittendos; inter quos potuerint esse S. Euodius & B. Ignatius, qui in Antiochena sede Petro Apostolo successerunt; quorum Euodius hoc ipso anno (scilicet Christi 44. Claudij Imperatoris 2.) illic sedere cœpit, quo scilicet Petrus Apostolus primò Romam iuit, ibique supremi pontificatus cathedram collocauit. Videre est quæ Baronius de his duobus sanctis, B. Petri proximis in Antiochiæ episcopatu successoribus, dicit in Notis ad Martyrol. Rom. 1. Febr. & 6. Maij.

SI QVIS obijciat, seriem narrationis huius requirere vt ijdem illi manus imposuerint Paulo & Barnabæ, de quibus vers. 2. dicebatur, *Ministrantibus illis Domino;* hos autem non alios videri intelligi quam illos quinque principio capitis numeratos; ita fieri vt tres illi Simon, Lucius, & Manahen hos debuerint creare Episcopos, si quidem hîc ordinationem Episcopalem isti duo acceperunt: Responderi potest, quum dicitur, *Ministrantibus illis Domino*, contineri quidem illos quinque principio capitis numeratos; sed non liquere an ij soli. nam cum in principio cap. dicatur, quod tunc in ecclesia Antiochena fuerint aliqui prophetæ & Doctores; & subiungatur, *In quibus Barnabas* &c. hic sermo ita potest accipi vt non soli hi quinque in numero istorum prophetarum & doctorum fuerint. Monuimus de ambiguitate illius relationis, etiam prius ad ipsum initium versus secundi.

ALTERA via est, vt fateamur Paulum & Barnabam à Simone, Lucio & Manahen fuisse consecratos hoc tempore Episcopos. Si rogetur, quis eos

ipsos tres creauerit Episcopos; respondebimus facile id fieri potuisse per Apostolum Petrum, si non ante hunc annum Domini 41. saltem hoc ipso anno, quando liberatus & carcere, relicta Ierosolyma, multas vrbes transiuit, & inter cæteras Antiochiam (vbi iam ante sex annos sedem episcopalem fixerat) ex qua petiuit Romam.

Si quæratur, Quare non eadem opera episcopos creauit Saulum & Barnabam? respondere possumus, hos duos quo tempore Petrus vinculis liber Antiochiam nunc venit; non fuisse Antiochiæ, sed vel Ierosolymæ, vel in itinere, euntes aut redeuntes, quando scilicet pecuniarium subsidium a Christianis Antiochenis collatum in leuamen pauperum christianorum qui erant in Iudæa, hi duo illuc pertulerunt, vt dictum fuit in fine cap. 11. itemque duodecimi. Arator in suo carmine hoc loco aperte dicit quod S. Petrus Paulo & Barnabæ manus imposuerit. Quæ foret tertia via satisfaciendi quæstioni illi quam dicebamus difficiliorem.

Dimiserunt illos,] Ergo opus illud illud in quod Spiritus Sanctus eos iusserat segregari, erat tale, vt Antiochiæ manentes non possent exequi; nimirum opus apostolicæ prædicationis per nationes & prouincias.

Vers. 4. Et ipsi quidem, missi à Spiritu sancto,)

Hoc ita dicitur, quoniam primores Ecclesiæ Antiochenæ illos dimiserant iussu & peculiari spiritus Sancti monitione, vt dicebatur v. 2.

Abierunt *Seleuciam*,] Quoniam sequitur, *& inde nauigauerunt Cyprum*: non dubium quin de illa (multæ enim fuerunt istius nominis ciuitates quas suo vocabulo insigniuit Seleucus, primus post Alexandrum magnum Asiæ rex, earum conditor) Seleucia sermo sit quæ 1. Mach. 11. v. 8. vocatur maritima; eo quod in littore maris esset posita, & quidem sic vt ex ea esset breuissimus traiectus in Cyprum Insulam. In Tabula 4. Asiæ apud Ptolemæum vocatur Seulecia Pieria, à promontorio videlicet, in quo erat ædificata. Regio in qua erat, vocabatur Seleucis. ibidem apud Ptolem.

Et *inde nauigauerunt Cyprum*. Videntur non hæsisse Seleuciæ, neque illuc alia de causa iuisse quam vt inde traijcerent in Cyprum insulam, euangelij plantandi causa. Id quod ibi facilius erat quam multis alijs in prouincijs, eo quòd in Cypro non ferueret aduersus nomen Christi persequutio, ne Iudæorum quidem. Eam causam, adfert Chrys.

Vers. 5. Et cum venissent Salaminam:)

Hæc erat ciuitas in orientali parte Insulæ Cypri; quæ postea fuit dicta *Constantia*, à Constantio Imperatore filio Constantini magni, Ariano homine, & catholicorum infestissimo persecutore. Deinde vero creditur appellata *Famagosta*, quam Turcæ anno Christi 1566. cum tota insula expugnarunt, saltem ad deditionem compulerũt. Alij tamen credunt Famagostam loco propinquo ædificatam; veterem autem Salaminam ita fuisse destructam per Saracenos

cenos tempore Heraclij Imp. vt nunquam postea sit habitata. Videri potest Thesaurus Geographicus Ortelij.

PRÆDICABANT *verbum Dei in synagogis Iudæorum.* Non neglexerunt Iudæos, quoniam ex eorum stirpe erat Christus Dominus; & ipse homo factus primò & directè ad ipsos, in sua persona, venit; sicut per prophetas Deus promiserat. Ideo Iudæis, etiam per ciuitates gentilium dispersis, priore loco Apostoli annunciauerunt regnum Dei, seu aduentum Messiæ quondam promissi. Sequitur,

HABEBANT *autem & Ioannem in ministerio.*] *In ministerio*, græcè est ὑπηρέτην, *ministrum.* Sermo est de Ioanne Marco, consanguineo Barnabæ Apostoli, de quo capite præcedenti v. 12. & 25. & huius capitis v. 13. Hic Ioannes Saulo & Barnabæ Apostolis in prædicatione fidei christianæ occupatis, ministrabat, procurando quotidianis necessitatibus opportuna, & alijs in rebus quæ ad euangelij prædicationem facerent, ijs subseruiendo; veluti curando negotia hæc aut illa quæ iniungebantur, inquirendo & explorando qui & quales essent in ciuitate vnaquaque Iudæi, & principes synagogarum; & similibus modis.

VERS. 6. Et quum perambulassent.)

VBIQVE prædicando euangelium Christi, maxime Iudæis, in ipsorum synagogis, diebus sabbati de more congregatis:

VNIVERSAM *insulam*] Cyprum; quæ tamen magna insula est,

VSQVE *Paphum*] Ambigiuum est, an de vetere an de noua Papho sit sermo: sed parum refert vtra intelligatur; nam vtraque est in occidentali plaga insulæ Cypri. Ac propterea per hæc verba exponit S. Lucas quod dixerat hos Apostolos *vniuersam insulam peragrasse.* Credibile tamen est significari veterem: nam illa olim erat Cypri metropolis: ipsam autem metropolim hîc designari, argumento est quod in hac Papho residebat Sergius Paulus Proconsul, Cypri præfectus. Fuit ea postea frequentibus terræ motibus ita euersa, vt ruinarum tantū vestigijs monstraret quid aliquando fuisset. Testatur hoc de suo tempore B. Hieronymus vel quisquis est author opusculi De locis quæ in Actis Apostolorum memorantur. Forte Deus hoc pacto voluit punire idolatriam, quæ tempore ethnicismi, illic fuerat exhibita impuræ Veneri. Postea autem abolita idololatria & spurcitia; videtur reædificata: quoniam Geographi in tabulis duas Paphos ponunt, nouam & veterem, non procul à se mutuo disiunctas, vt est videre apud Ptolem. Tab. 4. Asiæ. Vbi totius Cypri quatuor prouinciæ numerantur, hæ; Salaminia, Orientalis; Amathusia, meridionalis; Paphia, occidentalis, Lapithia, borealis. Sequitur,

INVENERVNT *quendam virum magum, pseudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Bariesu:*] Hic homo Bariesu, vel, vt græcè est, *Bariesus*, dicebatur, quod significat Filius Saluator, vel Filius Saluatoris; dicebatur, inquam, siue quod hoc nomen à Patre, more hebræorum acceperat, qui Pater dictus fuerit Iesus; siue ipsemet sibi hoc nomen imposuerat, volens significare se esse filium Dei Salua-

Saluatoris. Fuit enim non solum magus, sed & Pseudopropheta; vt hic dicitur: Quid autem docuit hîc pseudopropheta?

NON est absimile vero quod venditarit sese pro Christo: aut saltem docuerit quòd, tametsi iam esset tempus aduentus Messiæ; Iesus tamen Nazarenus non esset Messias Domini. Illis temporibus erat communis inter vulgares (Ioan 4. v. 25) etiam homines, persuasio, conformis vaticinijs prophetarum, iam esse tempus aduentus Messiæ; & hac occasione multi impostores sese voluerunt populo venditare pro Messia seu Christo Domini. Prædixerat ipse Saluator id futurum, Matth. 24. v. 23. 24 & seqq. fecit hoc & Simon magus, de quo dictum fuit cap. 8. huius, v. 9. & 10.

VERS. 7. Qui erat cum Proconsule Sergio Paulo, viro prudente.

HIc erat Præfectus seu (vt nos loquimur) Gubernator insulæ Cypri; quam administrabat titulo Proconsulis siue Viceconsulis, sed cum potestate consulari, more & iussu Romanorum. Fuerat quidem tempore Augusti Cyprus prouincia prætoria: vt constat ex Strabone lib. 14. in fine: sed facile potuit fieri vt titulus præfecti, honoris causa fuerit postea auctus; vt proconsul diceretur.

VIRO *prudente*] Est sermo de prudentia partim naturali, partim acquisita. Fuisse scilicet naturali ingenio, ac iudicio bono; habuisse præterea notitiam rerum agendarum a agnatis, partam & lectione authorum & vsu rerum.

HANC particulam ideo fortassis apponit S. Lucas, vt nobis innuat quod iste Proconsul naturalis iudicij bonitate vsus, & à Deo specialiter protectus ne seduceretur ab isto mago pseudopropheta; suspectam habuerit doctrinam & facta istius hominis; ideoque voluerit audire viros illos de quibus iam audierat quod totam Cyprum peragrassent, docentes viam salutis. Id est enim quod sequitur;

HIC *accersitis Barnabe & Saulo, desiderabat audire verbum Dei.* Accersiuit eos iam Paphum ingressos, vt ex v. præcedente notum est; desiderans audire doctrinam istorum virorum, quæ vtique erat *verbum Dei* per eos loquentis. Proconsul nondum credebat eorum doctrinam esse verbum dei: ideoque istud (*verbum Dei*) hîc appellatur (vt logicè loquamur) secundum significatum materiale, non secundum formale.

VERS. 8. Resistebat autem illis Elymas, magus (sic enim interpretatur nomen eius) quærens &c.

SANCTVS Lucas subaudit, & tanquam rem ex præcedentibus facilè colligendam prætermit, quod hi Apostoli ad Proconsulem venerint, & ei doctrinam salutis tradiderint. Quod cum facerent, præsente isto pseudopropheta; *ipse eis resistebat*, nimirum contradicens his quæ illi dicebant, magnaque contentione vocis (hoc enim videtur latere in illo, (*resistebat*) asserens falsa esse

quæ

quæ proferebant; vt fecerunt Iudæi illi, de quibus infra v. 45. Hoc vero faciebat iste impostor,

Qværens *auertere Proconsulem à fide*. Videtur esse sermo de fide Christi, id est, de fide qua tenetur Iesum Nazarenum esse Christum. Non enim verisimile est, quod iste, quantumuis pseudopropheta, voluerit auertere Proconsulem à fide vnici veri Dei; quem credebant Iudæi, etiam illi qui Iesu Christi & Ecclesiæ eius hostes acerrimi erant. hic autem pseudopropheta erat Iudæus: quare non est verisimile quod proconsulem voluerit retinere in cultu idolorum. De fide ergo qua Iesus creditur Christus, sermo esse videtur: à qua iste nefarius quærebat auertere Proconsulem; ideo fortassis vt postquam Apostoli hi duo abijssent Cypro; fides Christi illic plantata, per Proconsulem extingueretur, tanquam falsa.

Qvod parenthetice interponitur (*sic enim interpretatur nomen eius*) hunc habere videtur sensum; Quod nunc à me homo iste vocatur *Elymas*, ideo est, quod ipse alio nomine sic appelletur. Fuit igitur binominis, dictus & *Bariesus* & *Elymas*: sed non ideo duo hæc nomina sunt Synonyma (vt neque Simon & Petrus) neque hoc voluit S. Lucas his verbis; sed solum aliud eiusdem viri nomen ponere, magis vulgo tritum, ideoque notius. Fit mentio huius hominis apud Sanctum Dionysium Areopagitam in opusculo de diuinis nominibus c. 8. vbi ab eo vocatur non *Bariesu*, sed *Elymas magus*. Verba Dionysij sunt Inquit Elymas magus, Si est omnipotens Deus; quomodo à vestro Theologo, aliquid non posse, dicitur? Beatum insimulans Paulum, qui ait Deum seipsum negare non posse. 2. Timot. 2. v. 13 Ex quibus B. Dionysij verbis apparet istum magum postea scripsisse nonnulla aduersus christianos. Nam christiani sunt quos ille, verbis à Dionysio recitatis, alloquitur.

Vers. 9. Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum, dixit;

Hactenus S. Lucas *Saulum* dixit pene semper, quem interdum vocauit *Saul*, quomodo hebraicè dicebatur *Saûl*, eodem nomine quo primus rex Israelitarum, persecutor ille Dauidis innocentis. Diximus ea de re ad cap. 7. v. 57. Nunc, omnium primùm, sacer historicus noster, altero nomine eundem appellat, inquiens, *Qui & Paulus*. Romanum est hoc vocabulum, significans Pusillum, paruum, modicum. Et dicebatur olim triplici terminatione, vt cætera talia, Paulus, paula, paulum; vnde remansit aduerbium paulùm, & eius diminutiuum pauxillùm; sicut à nomine illo paulus, a, um, formatur pauxillus, pauxilla, pauxillum. Comicus in Andriá, Cum in dubio est animus, *paulo momento* huc, illuc, impellitur. Patet autem ex ipso loquendi modo quo S. Lucas hîc vtitur, Apostolum hunc fuisse binominem; non vero nomen (Saulus) mutatum fuisse in istud (Paulus), vt quidam voluerunt. Neque obstat quod deinceps S. Lucas eum semper vocet Paulum, nusquàm Saulum, vt hactenus: nam & ipse Apostolus in omnibus suis epistolis sese Paulum vocat, nusquam Saulum. Videlicet, nomen illud quod persecutor Christi & eius Ecclesię habuerat;

libenter omisit: & Pauli vocabulum constanter retinuit; quod græcè quidem significat *quietum*, latinè autem (vt diximus) *pusillum*. Credibile autem est, ipsum latinam significationem spectasse in hoc nomine; qui se *minimum Apostolorum* nominat 1. Cor. 15. v. 9. & qui, magnus humilitatis magister, etiam nomine ipso se & alios admonere huius virtutis satagebat. Id quod magis etiam credibile fiet, si, post conuersum ab eo hunc Proconsulem Cypri Sergium Paulum, hominem vtrique romanum, ex romana Paulorum familia ortum; Nomen *Pauli* Apostolum adsumpsisse credamus; quod tradit B. Hieron. Catal. in Paulo, & alij; fortassis vt hac etiam ciuilitate virum illum iam Christo lucrifactum arctius sibi deuinciret, quòd illius nomen assumeret.

REPLETVS *Spiritu sancto.*] Hoc addit B. Lucas, vt intelligamus sequentem hoc loco obiurgationem Pauli Apostoli in magum istum, non ex ira aliòue turbulento animi affectu processisse: sed ex Dei & proximorum caritate, & iustitiæ amore. Cupiebat enim ipsum magum ita corripi & corporaliter affligi, vt & ipse resipisceret; quomodo visa eius plaga, conuersus est Proconsul. Ideoque non perpetuam, sed temporariam dumtaxat cæcitatem ei immisit tanquam Dei minister, quam certe iamiam adfuturam prænunciauit. Ita Chrysost. & ex eo Oecumenius. *Repletus* dicitur nunc *Paulus Spiritu S.* qui semper Spiritu Sancto plenus erat ad sanctitatem; dicitur, inquam, repletus Spiritu Sancto, id est, Spiritus S. efficacia, ait Chrysost. quoniam præsentanea Spiritus sancti impulsione agebatur, ad dicendum; cum animi constantia & fortitudine, id quod huic homini dicendum erat; simul ad prædicendum ei calamitatem instantem.

INTVENS *in eum.*] Acres in eum oculos defigens, prænuncios duræ obiurgationis, & afflictionis proximè instantis. *Dixit:*

VERS. 10. O plene omni dolo & omni fallacia, Fili Diaboli,

FALLACIA.] Sunt qui mirentur Interpretem ita reddidisse quod græce est ῥᾳδιουργίας: sed Budæus in Commentarijs linguæ græcæ docet ῥᾳδιουργεῖν præter cætera etiam hoc significare, mala fide in re quacunque versari: quod est haud dubiè, fallacem esse. Vocat igitur Apostolus istum Elymam magum pseudoprophetam, plenum omni dolo & omni fallacia, quia gaudebat imposturis vti, & quidem in re omnium maxima, pertinente scilicet ad salutem æternam. Erat dolosus in verbis, fallax in factis: quum esset & Pseudopropheta & magus.

FILI *Diaboli.*] q. d. Tu gaudes nomine *Bariesu*: non conuenit tibi; vt qui sis non filius Saluatoris, sed Diaboli filius. Diabolus est mendax; te illius facis filium qui in hoc illum imitaris. Diabolus studet perdere animas, in hoc quoque tu Diabolum imitando, filius es ipsius.

INIMICE *omnis iustitiæ.*] Displicet tibi quicquid recte fit; gaudes omni scelerum genere. Vera coram Deo iustitia non est sine recta fide, quæ ipsius prima est pars & fundamentum: tu à recta fide laboras auertere hunc virum, eam non auersantem. His verbis compellans hominem addit;

NON *desinis subuertere vias Domini rectas?* Melius hæc pars legitur interrogatiuè, vt legunt constanter codices græci, & multi latini: est enim sic acrior Pauli oratio. Et vix est vt aliter quam interrogatiuè legatur in originali; quia illic est verbum futuri temporis, οὐ παύσῃ, *non cessabis? V æ Domini rectæ* sunt quibus ad Dominum itur, per quas ipse ducit eos quos vult saluare; vt recta fides, conuersio cordis, pœnitentia fidei professio, bona opera, perseuerantia in bono. Has vias Domini iste magus, quantum poterat, subuertebat siue distorquebat, & ex rectis faciebat obliquas; dum conabatur docere falsa esse quæ de rebus credendis & agendis saluti necessarijs, tradebat Paulus. Addit Apostolus.

VERS. 11. It nunc, ecce manus Domini super te; & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus.

MANVS *Domini.*] Domini potentia, sed vltrix malitiæ tuæ. *Et eris cæcus*] hoc explicatur per id quod sequitur, *Non videns solem vsque ad tempus.* Non itaque fuit proprie cæcus; quia sensus videndi non fuit ei ablatus, sed vsus potentiæ huius naturalis, fuit diuinitus impeditus, ad tempus aliquod. Non percussit eum Apostolus cæcitate perpetua: quia temporalis satis erat ad compescendam malitiam eius præsentem, & ad Proconsulem alienandum à doctrina istius magi; Imo, & ad ipsum magum conuertendum à sua malitia, si ipse non indurasset cor suum aduersus diuinam hanc correptionem. Attigimus aliquid huius rei ad finem vers. 9.

HIC notant plerique expositores, miram Dei sapientiam qui corporali cæcitate punierit cæcitatem mentis in isto homine; eademque corporali cæcitate istius, sit vsus ad oculos mentis aperiendum Sergio proconsuli.

ET *confestim cecidit in eum caligo & tenebræ*] *Confestim.*] Inde erat manifestum quod hæc obcæcatio huic mago diuinitus immittebatur, non per causas vllas naturales.

IN *eum*, hoc est, in eius corporales oculos; qui euestigio fuerunt obtenebrati & caligine repleti, ita vt apertis etiam oculis nihil videret.

ET *circumiens quærebat qui ei manum daret.* In loco vbi erat *circuibat*, & extenta manu palpitans, quærebat aliquem qui appræhensa manu ipsum duceret. Hoc ita factum est, vt Proconsul certò videret plagam repentinam diuinitus immissam, verè subsistere; non esse præstigias, sed effectum subitaneum habere, hominemque reuera esse priuatum vsu oculorum in vindictam malitiæ qua veritatem salutarem oppugnauerat. Vidit hoc Proconsul magno suo bono. Nam

VERS. 12. Tunc proconsul cum vidisset factum, credidit; admirans super doctrina Domini.

FACTVM] quod perspiciebat esse supernaturale, à sola Dei potentia. *Credidit*] doctrinæ Apostolorum istorum, per quos Deus tam insolita opera faciebat, idque in manifestam pœnam istius magi qui eam oppugnabat. Porro,

vt ad verſ. 8. dicebamus, doctrina eorum erat non tantum de vnico vero Deo; ſed etiam de Ieſu Chriſto quem Deus pater miſit generi humano ſaluatorem. Hanc ille iam firmiter credidit; noua vtique diuina gratia præuentus & adiutus, ſupra iſtius miraculi exhibitionem. Nam Elymas illo miraculo non eſt adductus ad bonam mentem; vt ex his colligitur quæ ad verſ. 8. diximus in fine annotat.

ADMIRANS.] Græca vox paulo amplius ſonat, ἐκπλησσόμενος: q. d. animo perculſus, horrore concuſſus.

SVPER *doctrina Domini*; tam ſancta, tam bonis moribus congrua, tam veraci; cuius veritatem Deus per talia miracula demonſtrabat.

NON dubium vero eſt hunc virum fuiſſe ab Apoſtolis plenius inſtructum, de rebus credendis & pro ſalute agendis, ac deinde fuiſſe baptizatum, eoque modo cooptatum in numerum chriſtianorum. Sed fuiſſe poſtea non vnum ex communi plebe chriſtianorum; facilè poſſumus ratiocinari, quem Deus tali modo voluit vocare ad fidem, prius naturalibus donis à Deo inſtructum, & multis acquiſitis exornatum, vt ſignificabat B. Lucas verſ. 7. Quid poſtea in Chriſti eccleſia fecerit, & vbi; non valde certum eſt ex veteribus ſcriptoribus: niſi quod in Martyrologio Romano die 22. Martij, ex traditione vetere dicitur, eum à Paulo Apoſtolo fuiſſe conſtitutum Epiſcopum Narbonenſem, & ijs in locis fidem chriſtianam prædicaſſe, plantaſſe & propagaſſe.

EST Narbo ciuitas Galliæ haud procul à mari mediterraneo, neque procul à montibus Pirenæis, quæ & hodie nomen hoc retinet. Ab ea ciuitate, tota illa prouincia dicebatur olim Prouincia Narbonenſis, vel Gallia Narbonenſis; & complectebatur tres illas regiones quæ hodie vocantur Languedoc, Prouence, & Dauphiné. Veterem illam traditionem valde confirmat quod apud veterem ſcriptorem Prudentium hymno 4. peri Stephanôn, his verſibus legitur,

Barcinon claro Cucufate freta
Surget, & Paulo ſpecioſa Narbo.
Teque præpollens Arelas habebit
Sancte Geneſi.

Conſentiunt huic traditioni Martyrologia Adonis Viennenſis & Vſuardi; ſed non eodem die ponunt diem huic Paulo ſacrum: ille 11. Cal. Febr. hic, pridie Idus Decembris. Sequitur,

VERS. 13. Et cum Papho nauigaſſent Paulus & qui cum illo erant; venerunt Pergen Pamphyliæ.

POST conuerſionem Sergij Pauli proconſulis quam diu Apoſtoli hi duo hæſerint Paphi; non exprimitur à S. Luca: credibile tamen eſt, iuſtum temporis ſpatium fuiſſe, videlicet vſque dum ipſe proconſul eſſet baptizatus, & ſacra confirmatione roboratus; & negotia Eccleſiæ per totam Cyprum eſſent diſpoſita, & conſtituta.

PAMPHYLIA à Ptolemæo Tab. 1. Aſiæ, ponitur pene ex aduerſo Cypri inſulæ,

insulæ, habens à meridie mare, quod Pamphylium idcirco nominatur. In extrema parte aquilonari Pamphyliæ, ponitur Perga oppidum, ad flumen Cataractum, per quod flumen fortassis hi Apostoli illuc sunt aduecti. Sequitur,

IOANNES *autem discedens ab eis, reuersus est Ierosolymam.* Est Ioannes Marcus de quo vers. 5. huius, & locis alijs quæ illic indicauimus. Discessit Ioannes postquam venerant in Pamphyliam; non autem ex ipsa Cypro: vt patet ex cap. 15. vers. 38.

CVR discesserit Ioannes, non exprimit S. Lucas: tamen ex illo loco cap. 15. satis apparet fuisse causam aliquam quæ indicio Pauli non esset satis magna ad deserendos Apostolos. Videtur fuisse territus magnitudine laborum & periculorum. Nam ex verbis Pauli Apostoli quæ sunt loco illo cap. 15. recte id colligi potest: & inde verisimiliter collegerunt Chrysost. & Oecumenius. Sequitur,

VERS. 14. Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ:

NON videntur diu hæsisse Pergæ, forte quod tunc nulla aut parua esset commoditas ibi prædicandi euangelium Christi.

VENERVNT *Antiochiam Pisidiæ.*] Pisidia est prouincia Asiæ, attingens Pamphyliæ latus aquilonare. In hac erat ciuitas celebris, non procul à monte Tauro; quæ Antiochia dicebatur. & quia multæ erant ciuitates illius nominis, idcirco, discriminis causa, hic additur nomen prouinciæ, dicendo, *Antiochiam Pisidiæ*, vt solet fieri in talibus. Sequitur,

ET *ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. Synagogam*] vtique Iudæorum. Iudæi enim per varias nationes dispersi inter gentiles, permittebantur tamen in plerisque ciuitatibus habere locum sacrum in quem conuenirent diebus sabbathi, & alijs festis lege præscriptis; synagogam ideo appellatum; Conuenirent autem, non ad offerendum sacrificium, sed ad audiendum lectionem legis & prophetarum, & ad orandum. Inf. v. 27. Quoniam igitur per ciuitates gentilium habitabant sparsim Iudæi; hi Apostoli illic se gerunt pro Iudæis (vt verè erant) ne à gentilibus repellerentur vel eijcerentur. Obseruat hoc Chrysost. hic. Simul autem, & primo loco, agebant vt Iudæos conuerterent ad fidem Christi.

DIE *sabbatorum;*] Id est, die vno ex sabbatis, seu quodam die sabbati.

SEDERVNT] inter eos qui lectionem legis & prophetarum essent audituri. Captabant hoc modo occasionem loquendi de aduentu Messiæ, iam scilicet esse factum, Iesum enim Nazarenum esse Messiam Domini. Hæc occasio, Deo agente, fuit illis oblata per ipsos Iudæos. Nam

VERS. 15. Post lectionem autem legis & prophetarum.)

SINGVLIS sabbatis fieri consuetam omnibus in synagoga præsentibus. Est hic mos imitandus, vt diebus Dominicis & festis, illi etiam parochi quibus

deest gratia verbi, saltem legat populo euangelium & aliqua catechetica ad fidem & mores christianos pertinentia.

MISERVNT *principes synagogæ* (archisynagogi, ait origin.) Hoc est præfecti & curatores synagogæ illius, & rerum ad illam pertinentium;

AD eos] quos ex habitu & vultu, similibusque indicijs coniectabant esse viros doctos in lege; & credibile est quod ipsi Apostoli postquam Antiochiam intrauissent, salutauerant archisynagogos istos, honoris specie, sed verâ causâ fabricandæ occasionis loquendi de Christo. Nam die sabbati demum hæc acciderunt.

MISERVNT ergo archisynagogi ad hos Apostolos, ac dixerunt,

VIRI *fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Exhortationis* græcè est παρακλήσεως, quæ vox etiam consolationem significat: & vtrumuis horum, vel potius vtrumque rectè hic intelligitur; vt sensus sit, Viri fratres, viri ex gente Israelitica ex qua sitis vos & nos; si habetis aliquid paratum quod vtile sit ad populum monendum vel consolandum: fit vobis potestas loquendi in hoc conuentu; dicite quod habetis.

VERS. 16. Surgens autem Paulus,

BARNABA Apostolo dicendi locum ei deferens, Vide Barnabam vbique cedere Paulo; ait Chrys.

ET *manu silentium indicens*] Est mos pene naturalis, apud omnes vsitatus, vt multitudini cuipiam locuturus, mota manu silentium exigat. Idem fecit Petrus Apostolus in domo Mariæ, Supra. c. 12. v. 17.

AIT, *Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite.* Breuissimum est exordium, quo beneuolentiam parat & attentionem. Beneuolentiam enim merebatur hoc, quòd eos laudet à genere & à religione. Genere, erant Israelitæ; quæ natio vsque ad illud tempus, non solum ipsorum Iudæorum persuasione, sed etiam rei veritate, antecellebat omnibus nationibus alijs, propter tam ingentia & peculiaria in ipsam Dei beneficia; id quod & ipse Paulus mox initio huius suæ concionis explicabit. Ad laudem religionis pertinet quod addit, *Et qui timetis Deum*; Id est, & vnici veri Dei cultores, quum nationes aliæ colant idola & alios falsos Deos. *Timorem Domini* sæpe generatim poni pro Dei cultu, passim est obseruare in sacris literis.

AVDITE] Porro in hac Pauli Apostoli, concione quæ extenditur vsque ad v. 42. Chrys. monet hæc circa Pauli prudentiam esse obseruanda, quæ sane & nostri concionatores prudentes debeant imitari. Primum, quod quæ videbantur explicatione non valde egere, ea paucissimis verbis attingat; pluribus autem exponat quæ vel minus alioqui poterant intelligi, vel plus spiritualis vtilitatis videbantur habitura. Secundum est, quod quæ Iudæorum genti poterant exprobrari, siue peccata siue calamitates quas ob peccata etiam tunc patiebantur: ea omnia nunc temporis apud istos dissimulet; in tempus opportunum differens commemorationem talium, quando videlicet Deo corda tangente, suscepissent fidem Christi; aut certe illa ipsis relinquens cogitanda, ait Chrys.

Chryſ. vbi Dei miſericordiam in ipſos, ijs ante oculos poſuiſſet. Nam hoc Tertium eſt, quod Dei in iſtum Iudaicum populum beneficia & ſpecialem curam prolixè commemorat, tot iam ſæculis, totque exemplis demonſtratam. quæ commemoratio eo tendebat vt iſti Iudæi intelligerent quod nunc etiam Deus illorum ſpecialem habuerit curam, mittendo illis filium ſuum vnigenitum, Meſſiam tanto tempore expectatum: qui ſe eſſe illum eſſe declarauerit tum teſtimonio Ioannis baptiſtæ, tum miraculis plurimis & maximis, quibus beneficerit Iſraelitis. Itaque fidem Chriſti ipſis commendat, tanquam bonum ijs quodammodo proprium, ait Chryſ. Nunc concionem Pauli audiamus.

VERS. 17. Deus plebis Iſrael elegit patres noſtros, & plebem exaltauit cum eſſent incolæ in terra Ægypti:

DEVS *plebis Iſrael.*] Id eſt vnicus ille verus Deus, quem eius beneficio colit noſtra gens Iſraelitica,

ELEGIT *patres noſtros.*] Ex omni hominum genere per gratuitam miſericordiam ſuam, maiores noſtros elegit, quos doceret ſui cognitionem, veramque religionem qua ſit colendus. Initium huius electionis actualis ſiue exercitæ reipſa, fuit quando Deus Abraham eduxit ex Vr Caldæorum, extra ſcilicet conſortium idololatrarum. Geneſ. 11. in fine. cap. 12. in princ.

ET *plebem exaltauit cum eſſent incolæ in terra Ægypti: Exaltauit*] quia hunc populum fecit cunctis admirabilem, per beneficia multa & magna quæ coram toto mundo peculiariter contulit huic nationi. Eorum beneficiorum vnum erat quod præmiſerat Ioſeph in Ægyptum, qui tempore famis illic eos aleret. Pſal. 104. verſ. 17. Aliud, quod ipſum Ioſeph fecit præfectum totius Ægypti. Aliud, quod poſt mortem Ioſephi, quanto magis opprimebatur populus Iſraeliticus à Rege Ægypti & eius mandato ab Ægyptijs; tanto magis augebatur illius populi numerus Exodi 1. v. 12.

INCOLÆ] Hoc eſt extranei qui illuc habitatum venerant. Hoc vult vox græca.

ET *in brachio excelſo eduxit eos ex ea:* Brachium Domini excelſum dicitur potentia eius inſuperabilis. Sequitur,

VERS. 18. Et per quadraginta annorum tempus mores eorum ſuſtinuit in deſerto.

HIS verbis Dei benignitatem & patientiam erga Iſraelitas exponit. Sæpe enim intra illos 40. annos, quibus poſt liberationem ex Ægypto hæſerunt in deſerto, priuſquam ingrederentur terram promiſſam, ſæpe, inquam, & grauiter Deum offenderunt; vt varijs locis Exodi & Numerorum patet. Pertinet autem ad charitatem, non tantum beneficia alijs conferre; ſed etiam infirmitates & defectus eorum patienter ferre, ſpe correctionis, & paternam vel fraternam correptionem ijs adhibere.

VERS.

VERS. 19. Et destruens gentes septem in terra Chanaan;

SI maiores portiones terræ Chanaan supputentur; fuerunt septem prouinciæ quas Deus Israelitis promiserat in terra Chanaan, seu in Palesthina & locis vicinis: si autem diuidamus eam in partes minores, erant plures. Hinc gentes quas subuertit Dominus pro filijs Israel, in sacris literis interdum dicuntur septem, interdum plures. Septem, vt hîc, & Deuter. 7. v. 1. Iosue 3. v. 10. 2. Esdræ. 9. v. 8. vbi nos quidem sex habemus, sed alij libri latini addunt Heuæum, vt additur locis illis prioribus, quamuis heb. & græca non addant isto loco.

PLVRES quam septem nominantur Genes. 10. v. 15. & seqq. cap. 15. v. 19. Quamquam & aliter hæc apparens contradictio quorundam iudicio potest tolli, vt dicamus fuisse gentes septem in terris Chananæorum quos Israelitæ, id est, posteri Iacob debuerint expugnare: alias quasdam fuisse expugnatas per posteros Esau, nonnullas per posteros Ismaelis: erant autem & Ismael & Esau ex posteris Abrahæ, vt patet: Fuisse etiam quasdam expugnatas per Ammonitas & Moabitas, qui erant ex Loth nepote Abraham. Atque ita verificatur promissio Dei ad Abraham quæ extat cap. illo 15. Genes. in fine. Conferatur 2. capite Deuteron. Conferatur tamen Pererius ad finem capitis illius 15. vbi aduersus hanc Abulensis conciliationem disputat.

SORTE *distribuit eis terram eorum*; Hoc Deus fecit per ministrum suum Iosue, ducem populi Israelitici post mortem Moysi; vt in libro Iosue latè describitur, à c. 13. deinceps.

VERS. 20. Quasi post quadringentos & quinquaginta annos.

CIRCA hæc verba duplex occurrit difficultas. Prior, vnde sit faciendum initium supputationis horum quadringentorum quinquaginta annorum. Posterior de discrepantia lectionis nostræ à codicibus græcis hodiernis. Post longam considerationem, videbatur nobis (Deo authore, vt credimus) in magna varietate sententiarum, via expeditissima; si dicamus quod initium huius supputationis sit faciendum ab eo tempore quo Deus primum elegit (actu scilicet & reipsa) patres gentis Israeliticæ; vt dicebatur v. 17. Illud vero fuit, quando eduxit patriarcham Abraham ex Chaldæa. (Genes. 11. v. 31. & cap. 15. v. 7.); Magis etiam quando postea eduxit illum & Loth, ex Haran in terram Chanaan. Genes. 12. v. 1. 4. & sequent. Ab isto autem tempore vsque ad exitum Israelitarum ex Ægypto, fuerunt anni 430. vt patet ex cap. 12. Exod. v. 40. iuxta lectionem 70. Interpretum, (Nam hæbræa illic, siue per incuriam siue per audaciam scribarum, videntur mutila) vbi dicitur, *Habitatio filiorum Israel qua manserunt in Ægypto & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, fuit quadringentorum triginta annorum.* quæ lectio confirmatur ex Apostolo, Gal. 3, v. 17. His si addas quadraginta annos, quibus liberati ex Ægypto hæserunt

ſerunt Iſraelitæ in deſerto; ac deinde quinque vt minimum annos quibus Ioſue expugnauit & deleuit veteres illos incolas terræ Chanaan; fiunt anni 475. ab ingreſſu Abrahæ in Chanaan, vſque ad diuiſionem eiuſdem terræ factam Iſraelitis per Ioſue. Atque ita Apoſtolus meritò potuit hic dicere, *Deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan, ſorte diſtribuit eis terram eorum, circiter* (ὡς ζ.) *poſt quadringentos & quinquaginta annos. Circiter* (noſter vertit, quaſi) ait: quoniam exacto calculo ſunt 25. anni plures. Ergo ab eo tempore quo cœpit Deus eligere patres Iſraelitarum, vſque ad diuiſionem terræ ipſis promiſſæ, fluxerunt anni quaſi quadringenti & quinquaginta. Atque hæc breuiſſimè circa priorem difficultatem.

QVOD attinet ad poſteriorem; Codices græci hodierni, clauſulam iſtam de hoc numero annorum non annectunt præcedentibus, vt noſtra lectio facit, ſed iungit ſequentibus, facto hîc nouæ periodi initio; hoc modo: *Et poſt hæc quaſi (ſiue circiter) quadringentis & quinquaginta annis, dedit Iudices vſque ad Samuel prophetam.* Vbi ſtatim oritur difficultas vix extricabilis; quum non reperiantur Iudices poſt Ioſue vſque ad Samuelem prophetam præfuiſſe annos 450. vix enim 340. ſi quis ſupputet Iudicum tempora. Huic difficultati tollendæ alij aliud dicunt; ac nonnulli eſſe vitiatos græcos codices arbitrantur, & in hac diſcordia adhærendum noſtræ editioni. Sed videtur, diligenter omnia circumſpicienti, neque arguendus corruptelæ textus græcus; neque in ſenſu diſcrepare ab his quæ nos hîc habemus. Dicemus enim, totum illud complexum: *circiter quadringentis & quinquaginta annis*, non ſignificare ſpatium temporis, ſiue tempus quamdiu, vt Grammatici loquuntur; neque determinare iſtud (dedit Iudices); ſed ſignificare menſuram exceſſus, vt iidem loqui ſolent, & determinare id quod præcedit, *poſt hæc*. q. d. quanto tempore poſt hæc? & reſpondeatur, *Circiter quadringentis & quinquaginta annis*. Quæres, illud (hæc) quo refertur? Reſpondetur, ad initium huius narrationis quæ cœpit v. 17. ad primam ſcilicet electionem actualem Patrum huius populi; quæ tunc fuit quando Abraham à Deo eſt eductus ex Haran in terram Chanaan; iuxta ea quæ ad priorem difficultatem tollendam iam diximus. Atque hæc nobis videtur eſſe mens Chryſoſt. in hunc locum ſcribentis, ſi diligenter verba eius perpendantur. Sequitur,

ET poſt hæc dedit Iudices vſque ad Samuel prophetam. *Iudices*] qui gubernarent, & aduerſus vicinos hoſtes defenderent populum Iſraeliticum, à Ioſue vſque ad tempora Samuelis. De his eſt liber Iudicum.

VERS. 21. Et exinde poſtulauerunt regem)

HISTORIA eſt 1. Reg. 8. *Et dedit illis Deus Saul, filium Cis de tribu Beniamin*, eiuſdem lib. cap. 9. & 10. *Annis quadraginta*. Hic difficultas aliqua eſt. Non enim videtur regnaſſe Saul quadraginta annos, dixerit aliquis; cum 1. Reg. 13. in principio ita legatur, *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet; duobus autem annis regnauit ſuper Iſrael.* Verum, non eſt dubium figuratè hæc eſſe dicta. Repugnat enim ſacræ hiſtoriæ, Saulem fuiſſe vnius dumtaxat anni,

quum cœpit regnare. Pari modo repugnat diuersis locis historiæ primi libri Regum, si dicatur non nisi duos annos regnauisse. Figuratus illorum verborum sensus est quem S. Gregor. in expositione primi Regum ad illa verba dedit; videlicet, Saülem quum cœpit regnare fuisse moribus similem puero vnius anni, fuisse scilicet innocentem, modestum, mansuetum, planeque bonum (sicut eiusdem lib. cap. 9. v. 2. dictum fuerat); & talem permansisse duos annos. Nam postea mutauit mores, multaque commisit scelera; propter quæ Deus priuauit illum iure regiæ potestatis, & vita. Ea scelera commemorantur 1. Reg. 13. v. 9. & cap. 15. Cap. 21. 22. 28. & summatim repetuntur 1. Paralip. cap. 10. in fine. Denique fuit inter eius scelera, longa illa persecutio innocentis Dauidis. Cæterum hi anni quadraginta quos commemorat Apostolus hoc loco, non sunt accipiendi de tempore quo Saul regnauit post mortem Samuelis; sed neque de illo quo regnauit solus, partim viuo Samuele partim eo defuncto: (Vide Ioseph. Antiq. lib. 6. cap. 14. §. 6.) sed de toto tempore quo præfuit, partim vna cum Samuele partim solus. Præfuerat Samuel tanquam Iudex populi, annos facile duodecim (imo viginti annos nonnulli colligunt ex 1. Reg. 7. vers. 2.) antequam Saul esset à Domino electus rex; deinde annos octodecim vna cum Saule gubernauit, postea solus Saul regnauit annos circiter viginti (ita est in græco Iosephi) duos. Ita fiunt anni Saulis in regno quadraginta. Ad hunc modum idem Iosephus antiq. lib. 6. cap. vlt. extremis verbis; & satis congruit cum primo libro Regum; ex quo passim liquet quod tempore nonnullo quasi iunctis consilijs parique manu Samuel & Saul gesserunt negotia populi Israelitici; scilicet vsque dum Saulem Samuel reliquit. Videatur 1. Reg. c. 10. v. 8. cap. 11. v. 7. cap. 15. v. 1. 16. c. 25. v. 1. Obijci potest quod est 1. Reg. 15. in fine; sed inde solum potest concludi quod etiam viuente Samuele, Saul regnauit solus aliquamdiu.

Pergit Paulus in sua concione.

VERS. 22. Et amoto illo.)

SCILICET per ipsum Deum; quod græcus codex exprimit, sic, *Et amouens illum*. Causa amotionis fuerunt peccata Saulis, diuersa, quæ varijs locis Scripturæ commemorantur, iam paulo ante allegatis. *Suscitauit illis Dauid* (in, g) *Regem*.]

HABVIT Dauid ius regiæ potestatis sibi diuinitus traditum, diu antequam haberet exercitium & executionem iuris sui regalis: habuit nimirum ius, ex eo tempore quo Dei iussu eum vnxit Samuel in Bethlehem, 1. Reg. 16. sed interim via facti Saul regnauit quamdiu vixit. *Cui testimonium perhibens*, dixit, *Inueni Dauid Filium Iesse, Virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, Bene monet Oecumenius Apostolum hîc non verba sed sensum recitare eius quod legitur 1. Reg. 13. vers. 14. vbi Samuel ad Saulem ita loquitur, *Nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum; & præcepit ei Dominus vt esset Dux super populum suum: eo quod non seruaueris quæ præcepit Dominus.* Pene eadem verba de Dauide Deus per suum prophetam fuit loquutus

loquutus ad Ieroboam 3. Reg. 11. v. 33. 34. 38. & cap. 14. vers. 8. Hanc tandem à Deo tributam Dauidi, nunc commemorat Apostolus apud istos, auditores suos Iudæos, vt quæ de Christo ex semine Dauid promisso diuinitus, & his temporibus præstito, vult subnectere, gratius illabantur in animos eorum. Subnectit ergo ista;

VERS. 23. Huius Deus ex semine, secundum promissionem, eduxit Israel Saluatorem, Iesum.

SECVNDVM *promissionem.*] Ea extat psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ad Dauidem nimirum ea promissio facta fuit: præcedit enim. *Iurauit Dominus Dauidi veritatem & non frustrabitur eam.* Per Isaiam Dominus eandem promissionem repetit, non ad Dauidem, sed de Dauide loquens, cap. videlicet 11. his verbis. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini,* &c quæ prolixè sequuntur, manifestissimè in Messiam quadrantia, interprete ipso etiam Paulo Apostolo Rom. 15. vers. 12. Obseruandum hîc quam apposite Paulus, Spiritu Dei mentem & linguam eius gubernante, delabatur ad persuadendum his Iudæis Iesum Nazarenum esse Messiam Domini, missum ad ipsam gentem Israeliticam; vt hoc beneficio Deus velut extremam manum adderet omnibus suis prioribus in eam nationem beneficijs. Quasi ita diceret Apostolus; Post alia tam multa beneficia, Deus gentem nostram Israeliticam illo insigni beneficio affecit quod ipsi præfecerit Dauid Regem, etiam ipsius Dei iudicio laudatissimum, & in sanctitate perseueraturum. Addidit aliud, item longè maximum, quod huic ipsi Dauidi promiserit, Messiam tot iam sæcula expectatum, ex ipsius posteritate nasciturum. Quæ omnia vobis ex prophetarum & reliquæ sacræ Scripturæ lectione sunt notissima. Ne putate autem, Deum in sua hac promissione vanum fuisse; quum sit fidelis in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis: psal. 144. Iam fecit quod promiserat: *eduxit nimirum ex semine Dauid Saluatorem,* eumque misit *ipsi Israeli*; nempe Iesum Nazarenum, qui superioribus annis inter nos est conuersatus. Et ne dicaris non liquere, quod ille Iesus Nazarenus qui ante decem circiter annos per totam Iudæam & Galilæam circuiuit, docens populum; sit ipse Messias Domini, quondam promissus; ne (inquam) hoc dicatis: Memoria repetite ea quæ vir sanctissimus Ioannes Baptista, quem vos esse Messiam putabatis, de ipso vobis dixerit; nempe non se sed illum ipsum esse Messiam Domini qui expectabatur. Repetite etiam memoria Ioannem Baptistam miracula nulla fecisse: hunc autem Iesum fecisse & plurima & maxima quibus sese esse Christum demonstrauit; & eâdem operâ infinitæ multitudini Iudaicæ nostræ gentis beneficia contulit innumerabilia. Denique, certo sciatis ipsum, pessimo consilio à nostris primoribus interfectum; tertio die resurrexisse in vitam immortalem & gloriosam: cuius resurrectionis supersunt etiam hodie testes plurimi, omni exceptione maiores, qui eam annuncient. Et ne quid [illegible] m, vos qui semper legitis, vel auditis legem & prop[illegible] prophetæ iam olim
præ-

prænunciauerunt Messiam facturum, & passurum; non quadrent omnia in hunc Iesum Nazarenum, quem nos vobis prædicamus vt Christum Domini, & humani generis Saluatorem: perpendite, dico, & ne contemnatis aut negligatis.

HÆC est veluti epitome eorum quæ deinceps hac concione dicturus est his Iudæis Paulus Apostolus. Postquam enim dixerat, quod Deus, secundum quod fuerat pollicitus, eduxit Israeli ex semine Dauidis Iesum Saluatorem; seu, quod promissio Dauidi facta sit completa in Iesu Nazareno: testimonio Ioannis Baptistæ id confirmat, dicens;

VERS. 24. Prędicante Ioanne ante faciem aduentus eius, baptismum pœnitentiæ omni populo Israel.

IOANNE, illo eximiæ sanctitatis viro, quem vos propter admirabilem eius vitam credebatis esse ipsum Messiam Domini. Lucæ 3. vers. 15. *Prædicante baptismum pœnitentiæ omni populo Israel.* Non prædicante solum, sed etiam administrante baptismum, cuius susceptione homines inuitarentur & pararentur ad veram pœnitentiam; qua præparati consequerentur deinde remissionem peccatorum, dandam ab ipso Messia; quem Ioannes præcurrebat, *Diuinitus ad hoc missus.* Ioan. 1. v. 6. 7. 8. 15. & seqq. v. 33. & seqq. cap. 3. v. 27. & seqq.

ANTE *faciem aduentus eius.* Per *aduentum* non potest intelligi incarnatio Domini, vt patet: sed intelligitur progressus in publicum, quando ipse per se cœpit prædicare euangelium salutis; id est, lætum nuncium quod Messias iam venisset qui perageret negotium redemptionis humani generis, & quod salutis per eum præstandæ forent participes qui doctrinæ eius crederent, & super peccatis suis agerent pœnitentiam. Hic aduentus Christi describitur Matth. 4. v. 17. 23. & deinceps. Marci 1. v. 14. & deinceps. Lucæ 4. v. 15. & deinceps.

VERS. 25. Cum impleret autem Ioannes cursum suum dicebat, Quem me arbitramini esse? non sum ego: sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere.

HIs verbis Paulus probat per testimonium Ioannis Baptistæ, quod illa promissio Dauidi facta, de qua v. 23. sit præstita in Iesu Nazareno, quem Apostoli prædicabant: non in ipso Ioanne Baptista, multoque minus in alio vllo. Ait igitur, *Cum impleret Ioannes cursum suum*; hoc est, quum Ioannes, à Deo Patre missus vt doctrina salutari & præparatorio baptismo populum disponeret ad recipiendum ipsum Messiam, paulo post palàm sese exhibiturum: dicebat, *Quem me arbitramini esse? non sum ego.* Sensus est, vos suspicamini me esse Messiam Domini; cuius aduenturi tempus scitis nunc instare, iuxta vaticinia prophetarum: ne erratе; Ego non sum Messias seu Christus Domini, sed proximè.

ximè adfuturo ego præcurro, vt nunciem aduentare. Hæc Ioannem Iudæis dixisse,tam primoribus quam populo,patet ex Euangelio: Matth. cap. 3. v. 11. & sequentibus. Marci 1. v. 7, 8. Lucæ 3. v. 15. 16. 17. Ioan. 1. v. 15. & multis sequentibus. & cap. 3. v. 27. & deinceps toto cap. Dignitatem autem Christi Ioannes,& hoc non semel,illis verbis exprimebat, valde emphaticis: *Sed ecce venit*,id est iam aduentat,iam in proximo est,*post me,cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere*. q. d. Tantum est discrimen inter illum & me,quem tamen vos in pretio habetis, & in quo Deus multa & magna dona posuit de quibus gratias ei semper ago; tantum (inquam) est discrimen sanctitatis & dignitatis, vt ego non sim dignus vel infimum ministerium ei exhibere.

NEQVE indefinitè dumtaxat ita loquebatur Ioannes,nulla certa persona demonstrata : sed distinctè quoque & designatè,ostendens personam Domini Iesu; cum diceret Ioan. 1. v. 15. *Hic erat quem dixi; Qui post me venturus est, ante me factus est*, id est,me præcessit. & postea v. 29. *Vidit Ioannes Iesum venientem ad se & ait, Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo dixi; Post me venit vir qui ante me factus est; quia prior me erat.* Hoc igitur est testimonium Ioannis Baptistæ, Iudæis vtique his quibus concionabatur Paulus, notum, & adhuc hærens in memoria eorum; quo ipse probat promissionem Dauidi factam nunc esse impletam,idque in persona Iesu Nazareni:ideoque non amplius expectandum Messiam, sed hunc esse recipiendum & adorandum.

TESTIMONIO illo suo triplex bonum officium Ioannes faciebat : liberabat populum Iudaicum ab errore, credentem quod ipse Ioannes esset Christus; seruabat seipsum ab inani gloria,nolens admittere honorem sibi quidem oblatum à populo sed sibi minimè debitum; denique illum deferebat ei ad quem verè pertinebat, & ab aliјs deferri curabat, Christo Domino, scilicet Iesu Nazareno,satisfaciens in hoc muneri suo,quod Deus pater ei imposuerat Miserat enim illum,vt vir tam sanctus tantæque apud Iudæos authoritatis, testimonio suo doceret ipsos,quod Iesus hic Nazarenus sit Filius Dei vnigenitus,Christus Domini, Saluator mundi. Ioan. 1. v. 6. 7. 31.

Ex hoc testimonio Ioannis Baptistæ, & ex probatione quam inde facit Paulus Apostolus, illud debemus præterea discere, quòd tempore noui testamenti,postquam nimirum Christus aduênit,non sufficiat ad salutem, si credamus quod Deus pater aliquem vel miserit vel missurus adhuc sit, Saluatorem mundi:sed necessarium saluti est credere in particulari, quod Iesus Nazarenus est Christus, à Deo patre missus humano generi redimendo; & quod alius Messias neque venerit neque sit venturus. Et in hoc articulo propriè consistit fides Christiana : quum recta persuasio vnius veri Dei possit esse in Iudæis, in Hæreticis,in Mahumetanis. Sæpè alias idem diximus.

ET (vt obiter hoc addamus) eadem ratio est de vera Christi ecclesia : videlicet, non sufficit saluti si credas esse aliquam in terris multitudinem, quæ Christi nomen profitens sit ipsius ecclesia : sed oportet credere quod hæc in particulari & designatè, sit Dei ecclesia & nulla alia multitudo; hæc inquam, quæ cœpit colligi ab ipso Christo inter nos versante, & per Apostolos eius est propagata quaquauersum; hæc inquam cui Christus vniuersalem pastorem dedit

dedit S. Petrum Apoſtolum, quæque illi & ipſius ſucceſſoribus adhæret. Sequitur,

VERS. 26. Viri fratres filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum ſalutis huius miſſum eſt.

EST Concluſio, ex hactenus dictis collecta, & ſpecialiter applicata Iudæis illis qui tunc audiebant Paulum Apoſtolum. q. d. Ex omnibus hactenus dictis & probatis, iam videtis quod vobis, vobis inquam hic præſentibus, vt toti reliquæ Iudaicæ nationi vnum verum Deum colenti Deus pater miſerit filium ſuum hominem factum, ad vos ſaluandos. Vnde relinquit ſubintelligendum, quod hunc ipſum Dei filium Ieſum Nazarenum debeant prompta fide totaque animi deuotione recipere

QVOD ait, *Fratres, Filij generis Abraham, & qui inter vos Deum ſincerè colunt*, ad beneuolentiam captandam pertinet; ſimulque illud (Fratres) eo valet, vt intelligant Paulum, non ſui cauſa, ſed ipſorum ſalutis gratia ex fraterno amore hæc eis proponere. Quod dicitur, *Verbum ſalutis huius*; iſtud, *verbum*, videtur hebraiſmo in ſcripturis etiam noui teſtamenti vſitatiſſimo, poni pro re, negotio, vel ſimili quopiam, q. d. Hæc ſalutis adminiſtratio, adeoque ipſe æternæ ſalutis author & reparator Ieſus Dei Filius, vobis primum, vobis per ſeipſum, à Deo Patre miſſus eſt. Hoc beneficium Deus omnibus ſuis prioribus in vos beneficijs, adiunxit, ad complementum ſuæ erga vos beneficentiæ. Videte ne ſitis ingrati. Sequitur,

VERS. 27. Qui enim habitabant Ieruſalem, & Principes eius, &c.

PAVLVS Apoſtolus 1. Corinth. 1. verſ. 23. de ſe & alijs Euangelij annunciatoribus ait, *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*. Ab hoc igitur loco vſque ad v. 38. Apoſtolus occupatur in amoliendo ſcandalo crucis, ab animis iſtorum Iudæorum concionem hanc audientium. Occurrit nimirum tacitæ obiectioni vel quæſtioni animos eorum pulſanti; perinde ac ſi dixiſſent; Quo tandem modo nos, hominem ignominioſo crucis ſupplicio Ieroſolymis affectum, recipiemus pro Meſſia Domini? qui conuenit vt hunc credamus nobis eſſe miſſum à Deo Patre Regem & Saluatorem? Huic tacitæ quæſtioni bifariam occurrit Apoſtolus, per ea quæ ſequuntur. Priore modo; dicens, ita fuiſſe à Deo Patre conſtitutum ipſumque per ſanctos ſuos Prophetas prænunciaſſe, Meſſiam pro generis humani redemptione ſubiturum mortem crucis. Altero modo; dicens fuiſſe quidem mortuum idque in cruce; ſed breuiſſimo poſtea tempore fuiſſe à Deo Patre ſuſcitatum ad vitam glorioſam. Id quod probat teſtimonio viuentium adhuc diſcipulorum eius, qui rediuiuum viderunt frequenter, ſuntque cum eo

verſati

versati post resurrectionem. Probat idem testimonijs prophetarum quibus hæc Christi resuscitatio erat prænunciata. Itaque, crucem Iesu Nazareni, adeo non obstare quo minus ipse sit Messias Domini: vt propter illam ipsam magis sit credendum, ipsum esse vnicum illum iam diu expectatum Messiam. Hæc est summa eorum quæ deinceps hac concione dicentur: nunc percurramus verba Pauli Apostoli.

QVI *enim habitabant Ierusalem*, Ciuitatis Ierusalem incolæ ex nostra gente Iudaica, & *Principes illius Ciuitatis* tam in sacerdotio quam in politia; *Hunc ignorantes*, Illud (hunc) valde emphaticum est, q. d. Hunc Iesum Nazarenum, tametsi à Ioanne Baptista, teste ipsis quoque Iudæis irrefragabili, declaratum quod ipse sit Christus; tamen præ mentis cæcitate ignorauerunt esse Messiam; sicut etiam per eandem mentis cæcitatem *ignorauerunt* voces seu testimonia prophetarum de Christo loquentia, quæ per omne sabbatum, inter eos in ipsorum synagogis, de more leguntur: & per hanc ignorantiam, eum occiderunt; ira ad hoc moti, quod vitia ipsorum repræhenderet; inuidia etiam & ambitione stimulati, quod per maxima miracula eius, plurimi in eum crederent, illumque colerent vt Messiam.

QVOD autem dicit, *Ignorantes*, Non est putandum quod excusationis causa hoc addiderit Paulus, sed potius grauioris accusationis. Ignorantia enim hæc fuit crassa, imò affectata. Nam Ierosolymitani vel in primis debebant credere Iesum hunc esse Messiam Domini, debebant, dico, propter miracula quæ in Ierusalē & locis vicinis fecit maxima & plurima; inter quæ eminet resuscitatio Lazari. Videri potest Ioan. 2. v. 23, c. 5. v. 5 & seqq. c. 7. v. 31. c. 9. v. 6. & seqq. c. 11. v. 41. & seqq. Rectè igitur censet Chrysost. non ad extenuandum, sed ad grauius accusandum hæc à Paulo dici. Et facile confirmatur hæc expositio, per verba Domini Ioan. 15. v. 22. & seqq. *Si non venissem & locutus fuissem eis; si opera non fecissem inter eos quæ nemo alius fecit: peccatum non haberent, Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Eadem ignorantia affectata nescierunt seu voluerunt nescire quod vaticinia prophetarum, quæ assiduè in synagogis audiebant, adimplerentur in hoc Iesu Nazareno. Hæc affectata ignorantia, magis etiam per hoc manifestata est, quod Ioanni Baptistæ testificanti hunc esse Messiam, noluerunt credere: qui tamen huius rei testificandæ causa à Deo missus erat, & singulariter in hoc ipsum electus ac præparatus. Imo, vix est dubium quin multi ex doctioribus inter Iudæos viderint Iesum esse Messiam; sed hoc ipsum non attente considerabant, varijs affectibus impediti, in primis autem odio in ipsum, castigantem eorum vitia; & inuidia in eundem, cum multi eum reuerenter colerent vt Christum Domini. Conferantur quæ diximus ad cap. 3. v. 17. Item quæ habet S. Thomas in 1. Cor. 2. lectione 2. ad illa verba, *Quam nemo principum huius sæculi cognouit.* & 3. p. q. 47, a. 5. toto. Ergo, *Hunc ignorantes & voces prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur; Iudicantes, impleuerunt. Impleuerunt*] scilicet illas ipsas voces prophetarum: iuxta id quod paulo post sequitur v. 29. *Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant* &c. Nempe malitia Iudæorum interficientium Christum, præter eorum intentionem subseruiebat Christo ad redemptionem generis humani, subseruiebat toti Trinitati ad verificandum

rificandum dicta prophetarum, quæ erant de passione, cruce & morte, venturi Messiæ. *Impleuerunt* igitur *voces prophetarum*; idque *Iudicantes*, id est hunc Iesum condemnantes morte. Id fecerunt quando in suo concilio clamauerunt, *Reus est mortis* Matth. 26. sub finem. Marci 14 sub fin. Et coram Pilato, *Nos legem habemus & secundum legem nostram debet mori; quia filium Dei se fecit.* Ioan. 19. v. 7. Sequitur,

VERS. 28. Et nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato,

IMo quodammodo vi extorserunt, nam ipse censebat innocentem, & volebat dimittere; *Vt interficerent eum*; Græcè est, *interfici eum*: sed non malè Noster vertit pluraliter. *Vt interficerent eum*; nam verè Iudæi Christum occiderunt, abusi ad hoc authoritate Pilati, & ministerio militum Romanorum. Vnde S. Petrus sup. cap. 2. v. 23. dicit Iudæis, *Hunc per manus iniquorum affigentes interemistis* & cap. 3. v. 14. Viri Israelitæ &c. *authorem vitæ interfecistis* & cap. 5. v. 30. Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, *quem vos interemistis*.

VERS. 29. Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant.)

QVÆ, scilicet passurum esse Christum vsque ad mortem, inclusiuè; *Deponentes eum* &c. Non ijdem illi qui occiderant sed alij, ex nostra tamen gente Iudaica; pij eius discipuli, Ioseph. Arimathæus & Nicodemus Pharisæus; vt est in euangelica historia passionis Domini.

VERS. 30. Deus verò suscitauit eum à mortuis tertia die.

CHRISTVS haud dubiè seipsum suscitauit; cum opera Trinitatis extera sint indiuisa: Deo tamen Patri hoc ascribit Paulus, sicut & Petrus Apostolus in suis ad Iudæos concionibus, sup. cap. 2. v. 24. 32. cap. 3. v. 15. cap. 5. v. 30. ad significandum quod Deus Pater isto facto, præter cætera, voluerit declarare hunc Iesum esse suum Messiam, esse à se missum. Ipsum verò esse à deo Patre resuscitatum, deinceps probat duplici testimonio, vt prius diximus; videlicet discipulorum adhuc viuentium, & sanctorum prophetarum qui id prædixerint.

VERS. 31. Qui visus est per dies multos.)

NEMPE quadraginta sup. cap. 1. *his qui simul ascenderant* &c. His verbis non soli Apostoli designantur, sed & alij ex Galilæa discipuli Christi, qui eum conspexerant rediuiuum.

VERS.

VERS. 32. Et nos vobis annunciamus eam quæ ad patres nostros, repromissio facta est, quoniam (quod) hanc &c.

SENSVS est, Nos idem vobis annunciamus quod testificantur illi Iesu Nazareni discipuli: nempe hunc Iesum esse ex morte resuscitatum à Deo Patre; qui Pater voluerit sic declarare ipsum esse suum filium vnigenitum, suum Messiam, quem nunc iuxta promissiones suas veteres, miserit in terras, Saluatorem mundi. Patribus nostris olim hoc Deus promiserat futurum: non præstitit temporibus illorum sed nostris demum, qui illorum sumus posteri. Hoc volunt ista,

VERS. 33. Quoniam (quod) hanc Deus adimpleuit filijs nostris; resuscitans Iesum:

IN re nihil est obscuritatis: est aliquid difficultatis in verbis. Nam græcus codex ita sonat, *hanc Deus adimpleuit Filijs eorum* (scilicet patrum) *nobis*]. Quorum verborum planus est sensus. Mirum vnde nos habeamus, quod in latinis nostris codicibus legitur, incommodo sensu. Sed satis certum est eam quam nos hîc habemus lectionem, non esse admodum probam: id quod vel ipsa varietas permagna arguit quæ hoc loco reperitur in latinis codicibus; vt in suis ad hæc verba Notationibus ostendit vir eruditissimus Franciscus Lucas. Credibile est Scribas, quum veram nostri Interpretis versionem non intelligerent, alios aliter immutasse: ipsum verò reddidisse quod habent græca, *Filijs eorum, nobis*. aut sic; *Filijs*, (vt subaudiatur, *eorum*); *nobis*. Sensus clarus est, Quam Deus fecerat patribus populi Israelitici de Messia, promissionem; eam præstitit posteris eorum, nobis scilicet; præstitit autem, & adimpleuit omnino, per hoc quod resuscitauit Iesum. Sequitur,

SICVT *& in psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Satis mirum videtur si Apostolus Paulus, vel S. Lucas historicus noster, numerum psalmi expresserit: quum Dominus Saluator, Apostoli & Euangelistæ quando ex psalmis testimonia referunt, non consueuerint numerum psalmi vllius exprimere; sicut nec caput vllum certo numero designant, quando ex alijs prophetis producunt testimonia. Fortassis igitur S. Lucas scripsit, & Apostolus in concione sua dixit, ita solum; *sicut & in psalmo scriptum est; Filius meus* &c. quo modo quosdam latinos libros legere testis est idem Franciscus Lucas in Notatione ad hunc locum. Plerique codices græci & latini qui hodie extant, habent quod nos habemus, *psalmo secundo*: Quod tamen non est prorsus indubitatæ authoritatis; quum alij codices boni, græci & latini, olim habuerint & hodie habeant, *psalmo primo*; quo pacto etiam B. Hilarium & S. Hieronymum legisse, manifestum est ex Commentatio huius, in psalmum primum; il-

VERS. 19. Et destruens gentes septem in terra Chanaan;

SI maiores portiones terræ Chanaan supputentur; fuerunt septem prouinciæ quas Deus Israelitis promiserat in terra Chanaan, seu in Palestina & locis vicinis; si autem diuidamus eam in partes minores, erant plures. Hinc gentes quas subuertit Dominus pro filijs Israel, in sacris literis interdum dicuntur septem, interdum plures. Septem, vt hîc; & Deuter. 7. v. 1. Iosue 3. v. 10. 2. Esdræ. 9. v. 8. vbi nos quidem sex habemus, sed alij libri latini addunt Heuæum, vt additur locis illis prioribus, quamuis heb. & græca non addant isto loco.

PLVRES quam septem nominantur Genes. 10. v. 15. & seqq. cap. 15. v. 19. Quamquam & aliter hæc apparens contradictio quorundam iudicio potest tolli, vt dicamus fuisse gentes septem in terris Chananæorum quas Israelitæ, id est, posteri Iacob debuerint expugnare: alias quasdam fuisse expugnatas per posteros Esau nonnullas per posteros Ismaëlis: erant autem & Ismael & Esau ex posteris Abrahæ, vt patet: Fuisse etiam quasdam expugnatas per Ammonitas & Moabitas, qui erant ex Loth nepote Abraham. Atque ita verificatur promissio Dei ad Abraham quæ extat cap. illo 15. Genes. in fine. Conferatur 2. capite Deuteron. Conferatur tamen Pererius ad finem capitis illius 15. vbi aduersus hanc Abulensis conciliationem disputat.

SORTE *distribuit eis terram eorum*; Hoc Deus fecit per ministrum suum Iosue, ducem populi Israelitici post mortem Moysi; vt in libro Iosue latè describitur, à c. 13. deinceps.

VERS. 20. Quasi post quadringentos & quinquaginta annos.

CIRCA hæc verba duplex occurrit difficultas. Prior, vnde sit faciendum initium supputationis horum quadringentorum quinquaginta annorum. Posterior de discrepantia lectionis nostræ à codicibus græcis hodiernis. Post longam considerationem, videbatur nobis (Deo authore, vt credimus) in magna varietate sententiarum, via expeditissima; si dicamus quod initium huius supputationis sit faciendum ab eo tempore quo Deus primum elegit (actu scilicet & reipsa) patres gentis Israeliticæ; vt dicebatur v. 17. Illud vero fuit, quando eduxit patriarcham Abraham ex Chaldæa. (Genes. 11. v. 31. & cap. 15. v. 7.); Magis etiam quando postea eduxit illum & Loth, ex Haran in terram Chanaan. Genes. 12. v. 1. 4. & sequent. Ab isto autem tempore vsque ad exitum Israelitarum ex Ægypto, fuerunt anni 430. vt patet ex cap. 12. Exod. v. 40. iuxta lectionem 70. Interpretum, (Nam hæbræa illic, siue per incuriam siue per audaciam scribarum, videntur mutila) vbi dicitur, *Habitatio filiorum Israel qua manserunt in Ægypto & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, fuit quadringentorum triginta annorum.* quæ lectio confirmatur ex Apostolo, Gal. 3. v. 17. His si addas quadraginta annos, quibus liberati ex Ægypto hæserunt

ferunt Israelitæ in deserto; ac deinde quinque vt minimum annos quibus Iosue expugnauit & deleuit veteres illos incolas terræ Chanaan; fiunt anni 475. ab ingressu Abrahæ in Chanaan, vsque ad diuisionem eiusdem terræ factam Israelitis per Iosue. Atque ita Apostolus meritò potuit hic dicere, *Destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, circiter* (ὡς g.) *post quadringentos & quinquaginta annos. Circiter* (noster vertit, quasi) ait: quoniam exacto calculo sunt 25. anni plures. Ergo ab eo tempore quo cœpit Deus eligere patres Israelitarum, vsque ad diuisionem terræ ipsis promissæ, fluxerunt anni quasi quadringenti & quinquaginta. Atque hæc breuissimè circa priorem difficultatem.

QVOD attinet ad posteriorem; Codices græci hodierni, clausulam istam de hoc numero annorum non annectunt præcedentibus, vt nostra lectio facit, sed iungit sequentibus, facto hîc nouæ periodi initio; hoc modo: *Et post hæc quasi (siue circiter) quadringentis & quinquaginta annis, dedit Iudices vsque ad Samuel prophetam.* Vbi statim oritur difficultas vix extricabilis; quum non reperiantur Iudices post Iosue vsque ad Samuelem prophetam præfuisse annos 450. vix enim 340. si quis supputet Iudicum tempora. Huic difficultati tollendæ alij aliud dicunt; ac nonnulli esse vitiatos græcos codices arbitrantur, & in hac discordia adhærendum nostræ editioni. Sed videtur, diligenter omnia circumspicienti, neque arguendus corruptelæ textus græcus; neque in sensu discrepare ab his quæ nos hîc habemus. Dicemus enim, totum illud complexum: *circiter quadringentis & quinquaginta annis*, non significare spatium temporis, siue tempus quamdiu, vt Grammatici loquuntur; neque determinare istud (dedit Iudices); sed significare mensuram excessus, vt iidem loqui solent, & determinare id quod præcedit, *post hæc*. q. d. quanto tempore post hæc? & respondeatur, *Circiter quadringentis & quinquaginta annis*. Quæres, illud (hæc) quo refertur? Respondetur, ad initium huius narrationis quæ cœpit v. 17. ad primam scilicet electionem actualem Patrum huius populi; quæ tunc fuit quando Abraham à Deo est eductus ex Haran in terram Chanaan; iuxta ea quæ ad priorem difficultatem tollendam iam diximus. Atque hæc nobis videtur esse mens Chrysost. in hunc locum scribentis, si diligenter verba eius perpendantur. Sequitur,

ET post hæc dedit Iudices vsque ad Samuel prophetam. *Iudices*] qui gubernarent, & aduersus vicinos hostes defenderent populum Israeliticum, à Iosue vsque ad tempora Samuelis. De his est liber Iudicum.

VERS. 21. Et exinde postulauerunt regem)

HISTORIA est 1. Reg. 8. *Et dedit illis Deus Saul, filium Cis de tribu Beniamin*, eiusdem lib. cap. 9. & 10. *Annis quadraginta.* Hic difficultas aliqua est. Non enim videtur regnasse Saul quadraginta annos, dixerit aliquis; cum 1. Reg. 13. in principio ita legatur, *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset; duobus autem annis regnauit super Israel.* Verum, non est dubium figuratè hæc esse dicta. Repugnat enim sacræ historiæ, Saulem fuisse vnius duntaxat anni,

quum cœpit regnare. Pari modo repugnat diuersis locis historiæ primi libri Regum, si dicatur non nisi duos annos regnauisse. Figuratus illorum verborum sensus est quem S. Gregor. in expositione primi Regum ad illa verba dedit; videlicet, Saülem quum cœpit regnare fuisse moribus similem puero vnius anni, fuisse scilicet innocentem, modestum, mansuetum, planeque bonum (sicut eiusdem lib. cap. 9. v. 2. dictum fuerat); & talem permansisse duos annos. Nam postea mutauit mores, multaque commisit scelera; propter quæ Deus priuauit illum iure regiæ potestatis, & vita. Ea scelera commemorantur 1. Reg. 13. v. 9. & cap. 15. Cap. 21. 22. 28. & summatim repetuntur 1. Paralip. cap. 10. in fine. Denique fuit inter eius scelera, longa illa persecutio innocentis Dauidis. Cæterum hi anni quadraginta quos commemorat Apostolus hoc loco, non sunt accipiendi de tempore quo Saul regnauit post mortem Samuelis; sed neque de illo quo regnauit solus, partim viuo Samuele partim eo defuncto: (Vide Ioseph. Antiq. lib. 6. cap. 14. §. 6.) sed de toto tempore quo præfuit, partim vna cum Samuele partim solus. Præfuerat Samuel tanquam Iudex populi, annos facile duodecim (imo viginti annos nonnulli colligunt ex 1. Reg. 7. vers. 2.) antequam Saul esset à Domino electus rex; deinde annos octodecim vna cum Saule gubernauit, postea solus Saul regnauit annos circiter viginti (ita est in græco Iosephi) duos. Ita fiunt anni Saulis in regno quadraginta. Ad hunc modum idem Iosephus antiq. lib. 6. cap. vlt. extremis verbis; & satis congruit cum primo libro Regum; ex quo passim liquet quod tempore nonnullo quasi iunctis consilijs parique manu Samuel & Saul gesserunt negotia populi Israelitici; scilicet vsque dum Saulem Samuel reliquit. Videatur 1. Reg. c. 10. v. 8. cap. 11. v. 7. cap. 15. v. 1. 16. c. 25. v. 1. Obijci potest quod est 1. Reg. 15. in fine; sed inde solum potest concludi quod etiam viuente Samuele, Saul regnauit solus aliquamdiu.

Pergit Paulus in sua concione.

VERS. 22. Et amoto illo.)

SCILICET per ipsum Deum; quod græcus codex exprimit, sic, *Et amouens illum.* Causa amotionis fuerunt peccata Saulis, diuersa, quæ varijs locis Scripturæ commemorantur, iam paulo ante allegatis. *Suscitauit illis Dauid* (in, g) *Regem.*]

HABVIT Dauid ius regiæ potestatis sibi diuinitus traditum, diu antequam haberet exercitium & executionem iuris sui regalis: habuit nimirum ius, ex eo tempore quo Dei iussu eum vnxit Samuel in Bethlehem, 1. Reg. 16. sed interim via facti Saul regnauit quamdiu vixit. *Cui testimonium perhibens,* dixit, *Inueni Dauid Filium Iesse, Virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas,* Bene monet Oecumenius Apostolum hîc non verba sed sensum recitare eius quod legitur 1. Reg. 13. vers. 14. vbi Samuel ad Saulem ita loquitur, *Nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum; & præcepit ei Dominus vt esset Dux super populum suum: eo quod non seruaueris quæ præcepit Dominus.* Pene eadem verba de Dauide Deus per suum prophetam fuit loquutus

loquutus ad Ieroboam 3. Reg. 11. v. 33. 34. 38. & cap. 14. vers. 8. Hanc laudem à Deo tributam Dauidi, nunc commemorat Apostolus apud istos, auditores suos Iudæos, vt quæ de Christo ex semine Dauid promissio diuinitus, & his temporibus præstito, vult subnectere, gratius illabantur in animos eorum. Subnectit ergo ita;

VERS. 23. Huius Deus ex semine, secundum promissionem, eduxit Israel Saluatorem, Iesum.

SECVNDVM *promissionem.*] Ea extat psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ad Dauidem nimirum ea promissio facta fuit: præcedit enim. *Iurauit Dominus Dauidi veritatem & non frustrabitur eam.* Per Isaiam Dominus eandem promissionem repetit, non ad Dauidem, sed de Dauide loquens, cap. videlicet 11. his verbis. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini,* &c quæ prolixè sequuntur, manifestissimè in Messiam quadrantia, interprete ipso etiam Paulo Apostolo Rom. 15. vers. 12. Obseruandum hîc quam apposite Paulus, Spiritu Dei mentem & linguam eius gubernante, delabatur ad persuadendum his Iudæis Iesum Nazarenum esse Messiam Domini, missum ad ipsam gentem Israeliticam; vt hoc beneficio Deus velut extremam manum adderet omnibus suis prioribus in eam nationem beneficijs. Quasi ita diceret Apostolus; Post alia tam multa beneficia, Deus gentem nostram Israeliticam illo insigni beneficio affecit quod ipsi præfecerit Dauid Regem, etiam ipsius Dei iudicio laudatissimum, & in sanctitate perseueraturum. Addidit aliud, item longè maximum, quod huic ipsi Dauidi promiserit, Messiam tot iam sæcula expectatum, ex ipsius posteritate nasciturum. Quæ omnia vobis ex prophetarum & reliquæ sacræ Scripturæ lectione sunt notissima. Ne putate autem, Deum in sua hac promissione vanum fuisse; quum sit fidelis in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis: psal. 144 Iam fecit quod promiserat: *eduxit nimirum ex semine Dauid Saluatorem,* eumque misit *ipsi Israeli;* nempe Iesum Nazarenum, qui superioribus annis inter nos est conuersatus. Et ne dicatis non liquere, quod ille Iesus Nazarenus qui ante decem circiter annos per totam Iudæam & Galilæam circuiuit, docens populum; sit ipse Messias Domini, quondam promissus; ne (inquam) hoc dicatis Memoria repetite ea quæ vir sanctissimus Ioannes Baptista, quem vos esse Messiam putabatis, de ipso vobis dixerit; nempe non se sed illum ipsum esse Messiam Domini qui expectabatur. Repetite etiam memoria Ioannem Baptistam miracula nulla fecisse: hunc autem Iesum fecisse & plurima & maxima quibus sese esse Christum demonstrauit; & eâdem operâ infinitæ multitudini Iudaicæ nostræ gentis beneficia contulit innumerabilia. Denique, certo sciatis ipsum, pessimo consilio à nostris primoribus interfectum; tertio die resurrexisse in vitam immortalem & gloriosam: cuius resurrectionis supersunt etiam hodie testes plurimi, omni exceptione maiores, qui eam annuncient. Et, ne quid prætermittam, vos qui semper legitis, vel auditis legem & prophetas: perpendite an quæ prophetæ iam olim

prænunciauerunt Messiam facturum, & passurum; non quadrent omnia in hunc Iesum Nazarenum, quem nos vobis prædicamus vt Christum Domini, & humani generis Saluatorem: perpendite, dico, & ne contemnatis aut negligatis.

Hæc est veluti epitome eorum quæ deinceps hac concione dicturus est his Iudæis Paulus Apostolus. Postquam enim dixerat, quod Deus, secundum quod fuerat pollicitus, eduxit Israeli ex semine Dauidis Iesum Saluatorem; seu, quod promissio Dauidi facta sit completa in Iesu Nazareno: testimonio Ioannis Baptistæ id confirmat, dicens;

Vers. 24. Prędicante Ioanne ante faciem aduentus eius, baptismum pœnitentiæ omni populo Israel.

Ioanne, illo eximiæ sanctitatis viro, quem vos propter admirabilem eius vitam credebatis esse ipsum Messiam Domini. Lucæ 3. vers. 15. *Prædicante baptismum pœnitentia omni populo Israel.* Non prædicante solum, sed etiam administrante baptismum, cuius susceptione homines inuitarentur & pararentur ad veram pœnitentiam; qua præparati consequerentur deinde remissionem peccatorum, dandam ab ipso Messia; quem Ioannes præcurrebat, *Diuinitus ad hoc missus.* Ioan. 1. v. 6. 7. 8. 15. & seqq. v. 33. & seqq. cap. 3. v. 27. & seqq.

Ante *faciem aduentus eius.* Per *aduentum* non potest intelligi incarnatio Domini, vt patet: sed intelligitur progressus in publicum, quando ipse per se cœpit prædicare euangelium salutis; id est, lætum nuncium quod Messias iam venisset qui perageret negotium redemptionis humani generis, & quod salutis per eum præstandæ forent participes qui doctrinæ eius crederent, & super peccatis suis agerent pœnitentiam. Hic aduentus Christi describitur Matth. 4. v. 17. 23. & deinceps. Marci 1. v. 14. & deinceps. Lucæ 4. v. 15. & deinceps.

Vers. 25. Cum impleret autem Ioannes cursum suum dicebat, Quem me arbitramini esse? non sum ego: sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere.

His verbis Paulus probat per testimonium Ioannis Baptistæ, quod illa promissio Dauidi facta, de qua v. 23. sit præstita in Iesu Nazareno, quem Apostoli prædicabant: non in ipso Ioanne Baptista, multoque minus in alio vllo. Ait igitur, *Cum impleret Ioannes cursum suum*; hoc est, quum Ioannes, à Deo Patre missus vt doctrina salutari & præparatorio baptismo populum disponeret ad recipiendum ipsum Messiam, paulo post palàm sese exhibiturum: dicebat, *Quem me arbitramini esse? non sum ego.* Sensus est, vos suspicamini me esse Messiam Domini; cuius aduenturi tempus scitis nunc instare, iuxta vaticinia prophetarum: ne errate; Ego non sum Messias seu Christus Domini, sed proximè.

ximè adfuturo ego præcurro, vt nunciem aduentare. Hæc Ioannem Iudæis dixisse, tam primoribus quam populo, patet ex Euangelio: Matth. cap. 3. v. 11. & sequentibus. Marci 1. v. 7. 8. Lucæ 3. v. 15. 16. 17. Ioan. 1. v. 15. & multis sequentibus. & cap. 3. v. 27. & deinceps toto cap. Dignitatem autem Christi Ioannes, & hoc non semel, illis verbis exprimebat, valde emphaticis: *Sed ecce venit*, id est iam aduenerat, iam in proximo est, *post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere*. q. d. Tantum est discrimen inter illum & me, quem tamen vos in pretio habetis, & in quo Deus multa & magna dona posuit de quibus gratias ei semper ago; tantum (inquam) est discrimen sanctitatis & dignitatis, vt ego non sim dignus vel infimum ministerium ei exhibere.

NEQVE indefinitè dumtaxat ita loquebatur Ioannes, nulla certa persona demonstrata: sed distinctè quoque & designatè, ostendens personam Domini Iesu; cum diceret Ioan. 1. v. 15. *Hic erat quem dixi; Qui post me venturus est, ante me factus est*, id est, me præcessit. & postea v. 29. *Vidit Ioannes Iesum venientem ad se & ait, Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo dixi; Post me venit vir qui ante me factus est; quia prior me erat.* Hoc igitur est testimonium Ioannis Baptistæ, Iudæis vtique his quibus concionabatur Paulus, notum, & adhuc hærens in memoria eorum; quo ipse probat promissionem Dauidi factam nunc esse impletam, idque in persona Iesu Nazareni: ideoque non amplius expectandum Messiam, sed hunc esse recipiendum & adorandum.

TESTIMONIO illo suo triplex bonum officium Ioannes faciebat: liberabat populum Iudaicum ab errore, credentem quod ipse Ioannes esset Christus; seruabat seipsum ab inani gloria, nolens admittere honorem sibi quidem oblatum à populo sed sibi minimè debitum; denique illum deferebat ei ad quem verè pertinebat, & ab aliis deferri curabat, Christo Domino, scilicet Iesu Nazareno, satisfaciens in hoc muneri suo, quod Deus pater ei imposuerat. Miserat enim illum, vt vir tam sanctus tantæque apud Iudæos authoritatis, testimonio suo doceret ipsos, quod Iesus hic Nazarenus sit Filius Dei vnigenitus, Christus Domini, Saluator mundi. Ioan. 1. v. 6. 7. 31.

EX hoc testimonio Ioannis Baptistæ, & ex probatione quam inde facit Paulus Apostolus, illud debemus præterea discere, quòd tempore noui testamenti, postquam nimirum Christus aduênit, non sufficiat ad salutem, si credamus quod Deus pater aliquem vel miserit vel missurus adhuc sit, Saluatorem mundi: sed necessarium saluti est credere in particulari, quod Iesus Nazarenus est Christus, à Deo patre missus humano generi redimendo; & quod alius Messias neque venerit neque sit venturus. Et in hoc articulo propriè consistit fides Christiana: quum recta persuasio vnius veri Dei possit esse in Iudæis, in Hæreticis, in Mahumetanis. Sæpè alias idem diximus.

ET (vt obiter hoc addamus) eadem ratio est de vera Christi ecclesia: videlicet, non sufficit saluti si credas esse aliquam in terris multitudinem, quæ Christi nomen profitens sit ipsius ecclesia: sed oportet credere quod hæc in particulari & designatè, sit Dei ecclesia & nulla alia multitudo; hæc inquam, quæ cœpit colligi ab ipso Christo inter nos versante, & per Apostolos eius est propagata quaquauersum; hæc inquam cui Christus vniuersalem pastorem

dedit S. Petrum Apostolum, quæque illi & ipsius successoribus adhæret. Sequitur,

VERS. 26. Viri fratres filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est.

EST Conclusio, ex hactenus dictis collecta, & specialiter applicata Iudæis illis qui tunc audiebant Paulum Apostolum. q. d. Ex omnibus hactenus dictis & probatis, iam videtis quod vobis, vobis inquam hic præsentibus, vt toti reliquæ Iudaicæ nationi vnum verum Deum colenti Deus pater miserit filium suum hominem factum, ad vos saluandos. Vnde relinquit subintelligendum, quod hunc ipsum Dei filium, Iesum Nazarenum debeant prompta fide totaque animi deuotione recipere.

QVOD ait, *Fratres, Filij generis Abraham, & qui inter vos Deum sincerè colunt*, ad beneuolentiam captandam pertinet; simulque illud (Fratres) eo valet, vt intelligant Paulum, non sui causa, sed ipsorum salutis gratia ex fraterno amore hæc eis proponere. Quum dicitur, *Verbum salutis huius*; istud, *verbum*, videtur hebraismo in scripturis etiam noui testamenti vsitatissimo, poni pro re, negotio, vel simili quopiam, q. d. Hæc salutis administratio, adeoque ipse æternæ salutis author & reparator Iesus Dei Filius, vobis primum, vobis per seipsum, à Deo Patre missus est. Hoc beneficium Deus omnibus suis prioribus in vos beneficijs, adiunxit, ad complementum suæ erga vos beneficentiæ. Videte ne sitis ingrati. Sequitur,

VERS. 27. Qui enim habitabant Ierusalem, & Principes eius, &c.

PAVLVS Apostolus 1. Corinth. 1. vers. 23. de se & alijs Euangelij annunciatoribus ait, *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Ab hoc igitur loco vsque ad v. 38. Apostolus occupatur in amoliendo scandalo crucis, ab animis istorum Iudæorum concionem hanc audientium. Occurrit nimirum tacitæ obiectioni vel quæstioni animos eorum pulsanti; perinde ac si dixissent; Quo tandem modo nos, hominem ignominioso crucis supplicio Ierosolymis affectum, recipiemus pro Messia Domini? qui conuenit vt hunc credamus nobis esse missum à Deo Patre Regem & Saluatorem? Huic tacitæ quæstioni bifariam occurrit Apostolus, per ea quæ sequuntur. Priore modo; dicens, ita fuisse à Deo Patre constitutum ipsumque per sanctos suos Prophetas prænunciasse, Messiam pro generis humani redemptione subiturum mortem crucis. Altero modo; dicens fuisse quidem mortuum idque in cruce; sed breuissimo postea tempore fuisse à Deo Patre suscitatum ad vitam gloriosam. Id quod probat testimonio viuentium adhuc discipulorum eius, qui rediuiuum viderunt frequenter, sintque cum eo versati

versati post resurrectionem. Probat idem testimonijs prophetarum quibus hæc Christi resuscitatio erat prænnnciata. Itaque, crucem Iesu Nazareni, adeo non obstare quo minus ipse sit Messias Domini: vt propter illam ipsam magis sit credendum, ipsum esse vnicum illum tam diu expectatum Messiam. Hæc est summa eorum quæ deinceps hac concione dicentur: nunc percurramus verba Pauli Apostoli.

QVI *enim habitabant Ierusalem*, Ciuitatis Ierusalem incolæ ex nostra gente Iudaica, & *Principes illius Ciuitatis* tam in sacerdotio quam in politia; *Hunc ignorantes*, Illud (hunc) valde emphaticum est, q. d. Hunc Iesum Nazarenum, tametsi à Ioanne Baptista, teste ipsis quoque Iudæis irrefragabili, declaratum quod ipse sit Christus; tamen præ mentis cæcitate ignorauerunt esse Messiam; sicut etiam per eandem mentis cæcitatem *ignorauerunt* voces seu testimonia prophetarum de Christo loquentia, quæ per omne sabbatum, inter eos in ipsorum synagogis, de more leguntur: & per hanc ignorantiam, eum occiderunt; ira ad hoc moti, quod vitia ipsorum reprehenderet; inuidia etiam & ambitione stimulati, quod per maxima miracula eius, plurimi in eum crederent, illumque colerent vt Messiam.

QVOD autem dicit, *Ignorantes*, Non est putandum quod excusationis causa hoc addiderit Paulus, sed potius grauioris accusationis. Ignorantia enim hæc fuit crassa, imò affectata. Nam Ierosolymitani vel in primis debebant credere Iesum hunc esse Messiam Domini, debebant, dico, propter miracula quæ in Ierusalē & locis vicinis fecit maxima & plurima; inter quæ eminet resuscitatio Lazari. Videri potest Ioan. 2. v. 23, c. 5. v. 5 & seqq. c. 7. v. 31. c. 9. v. 6. & seqq. c. 11. v. 41. & seqq. Rectè igitur censet Chrysost. non ad extenuandum, sed ad grauius accusandum hæc à Paulo dici. Et facile confirmatur hæc expositio, per verba Domini Ioan. 15. v. 22. & seqq. *Si non venissem & locutus fuissem eis; si opera non fecissem inter eos quæ nemo alius fecit: peccatum non haberent, Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Eadem ignorantia affectata nescierunt seu voluerunt nescire quod vaticinia prophetarum, quæ assiduè in synagogis audiebant, adimplerentur in hoc Iesu Nazareno. Hæc affectata ignorantia, magis etiam per hoc manifestata est, quod Ioanni Baptistæ testificanti hunc esse Messiam, noluerunt credere: qui tamen huius rei testificandæ causa à Deo missus erat, & singulariter in hoc ipsum electus ac præparatus. Imo, vix est dubium quin multi ex doctioribus inter Iudæos viderint Iesum esse Messiam; sed hoc ipsum non attente considerabant, varijs affectibus impediti, in primis autem odio in ipsum, castigantem eorum vitia; & inuidia in eundem, cum multi eum reuerenter colerent vt Christum Domini. Conferantur quæ diximus ad cap. 3. v. 17. Item quæ habet S. Thomas in 1. Cor. 2. lectione 2. ad illa verba, *Quam nemo principum huius sæculi cognouit.* & 3. p. q. 47, a. 5. toto. Ergo, *Hunc ignorantes & voces prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur; Iudicantes, impleuerunt. Impleuerunt*] scilicet illas ipsas voces prophetarum: iuxta id quod paulo post sequitur v 29. *Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant* &c. Nempe malitia Iudæorum interficientium Christum, præter eorum intentionem subseruiebat Christo ad redemptionem generis humani, subseruiebat toti Trinitati ad verificandum

tificandum dicta prophetarum, quæ erant de passione, cruce & morte, venturi Messiæ. *Impleuerunt* igitur *voces prophetarum*; idque *Iudicantes*, id est hunc Iesum condemnantes morte. Id fecerunt quando in suo concilio clamauerunt, *Reus est mortis* Matth. 26. sub finem. Marci 14 sub fin. Et coram Pilato, *Nos legem habemus & secundum legem nostram debet mori; quia filium Dei se fecit.* Ioan. 19. v. 7. Sequitur,

VERS. 28. Et nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato,

IMo quodammodo vi extorserunt, nam ipse censebat innocentem, & volebat dimittere; *Vt interficerent eum*; Græcè est, *interfici eum*: sed non malè Noster vertit pluraliter. *Vt interficerent eum*; nam verè Iudæi Christum occiderunt, abusi ad hoc authoritate Pilati, & ministerio militum Romanorum. Vnde S. Petrus sup. cap. 2. v. 23. dicit Iudæis, *Hunc per manus iniquorum affigentes interemistis* & cap. 3. v. 14. Viri Israelitæ &c. *authorem vitæ interfecistis* & cap. 5. v. 30. Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, *quem vos interemistis.*

VERS. 29. Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant.)

QVÆ, scilicet passurum esse Christum vsque ad mortem, inclusiuè; *Deponentes eum* &c. Non iidem illi qui occiderant sed alij, ex nostra tamen gente Iudaica; pij eius discipuli, Ioseph. Arimathæus & Nicodemus Pharisæus; vt est in euangelica historia passionis Domini.

VERS. 30. Deus verò suscitauit eum à mortuis tertia die.

CHRISTVS haud dubiè seipsum suscitauit; cum opera Trinitatis extera sint indiuisa: Deo tamen Patri hoc ascribit Paulus, sicut & Petrus Apostolus in suis ad Iudæos concionibus, sup. cap. 2. v. 24. 32. cap. 3. v. 15. cap. 5. v. 30. ad significandum quod Deus Pater isto facto, præter cætera, voluerit declarare hunc Iesum esse suum Messiam, esse à se missum. Ipsum vero esse à deo Patre resuscitatum, deinceps probat duplici testimonio, vt prius diximus; videlicet discipulorum adhuc viuentium, & sanctorum prophetarum qui id prædixerint.

VERS. 31. Qui visus est per dies multos.)

NEMPE quadraginta sup. cap. 1. *his qui simul ascenderant* &c. His verbis non soli Apostoli designantur, sed & alij ex Galilæa discipuli Christi, qui eum conspexerant rediuiuum.

VERS.

VERS. 32. Et nos vobis annunciamus eam quæ ad patres nostros, repromissio facta est, quoniam (quod) hanc &c.

SENSVS est, Nos idem vobis annunciamus quod testificantur illi Iesu Nazareni discipuli: nempe hunc Iesum esse ex morte resuscitatum à Deo Patre; qui Pater voluerit sic declarare ipsum esse suum filium vnigenitum, suum Messiam, quem nunc iuxta promissiones suas veteres, miserit in terras, Saluatorem mundi. Patribus nostris olim hoc Deus promiserat futurum: non præstitit temporibus illorum sed nostris demum, qui illorum sumus posteri. Hoc volunt ista,

VERS. *33.* Quoniam (quod) hanc Deus adimpleuit filijs nostris; resuscitans Iesum:

IN re nihil est obscuritatis: est aliquid difficultatis in verbis. Nam græcus codex ita sonat, *hanc Deus adimpleuit Filijs eorum* (scilicet patrum) *nobis*]. Quorum verborum planus est sensus. Mirum vnde nos habeamus, quod in latinis nostris codicibus legitur, incommodo sensu. Sed satis certum est eam quam nos hîc habemus lectionem, non esse admodum probam: id quod vel ipsa varietas permagna arguit quæ hoc loco reperitur in latinis codicibus; vt in suis ad hæc verba. Notationibus ostendit vir eruditissimus Franciscus Lucas. Credibile est Scribas, quum veram nostri Interpretis versionem non intelligerent, alios aliter immutasse: ipsum verò reddidisse quod habent græca, *Filijs eorum, nobis.* aut sic; *Filijs,* (vt subaudiatur, *eorum*); *nobis.* Sensus clarus est, Quam Deus fecerat patribus populi Israelitici de Messia, promissionem; eam præstitit posteris eorum, nobis scilicet; præstitit autem, & adimpleuit omnino, per hoc quod resuscitauit Iesum. Sequitur,

SICVT *& in psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Satis mirum videtur si Apostolus Paulus, vel S. Lucas historicus noster, numerum psalmi expresserit: quum Dominus Saluator, Apostoli & Euangelistæ quando ex psalmis testimonia referunt, non consueuerint numerum psalmi vllius exprimere; sicut nec caput vllum certo numero designant, quando ex alijs prophetis producunt testimonia. Fortassis igitur S. Lucas scripsit, & Apostolus in concione sua dixit, ita solum; *sicut & in psalmo scriptum est; Filius meus* &c. quo modo quosdam latinos libros legere testis est idem Franciscus Lucas in Notatione ad hunc locum. Plerique codices græci & latini qui hodie extant, habent quod nos habemus, *psalmo secundo:* Quod tamen non est prorsus indubitatæ authoritatis; quum alij codices boni, græci & latini, olim habuerint & hodie habeant, *psalmo primo;* quo pacto etiam B. Hilarium & S. Hieronymum legisse, manifestum est ex Commentario huius, in psalmum primum; il-

 lius,

lius,in psalmum secundum. Quod olim boni codices latini sic habuerint,testis est de suo tempore Venerab. Beda, ad hunc locum ita scribens, Quidam codices habent, *Sicut in psalmo primo scriptum est*. Ad eundem modum legitur in textu qui Oecumenij scholijs adiungitur. Sunt & diuersis locis factæ impressiones noui testamenti græci, quæ habeant τῷ πρώτῳ, vt restatur idem Franciscus Lucas. Quibus rationibus fretus Nicolaus Zegerus, Catholicus scriptor, Minorita,non dubitauit hic ponere, *psalmo primo*,in Nouo testamento à se correcto & imprimi iusso. Et nos his authoribus atque rationibus moti, existimamus Paulum Apostolum, si alterutrum horum dixit, non (*secundum*) sed (*primum*) dixisse: Tamen magis probabile nobis est neutrum ab eo dictum;ob rationem initio propositam; scilicet quia talis, certo numero citationis, non est aliud exemplum in nouo testamento, quando Christus Dominus aut eius Apostoli vel Euangelistæ, aliquid allegant ex vetere. Si roges, quid potuerit mouere scribas, vt si Apostolus nullum numerum addidit, ipsi adderent; & quidem, vt *primum* dicerent hunc psalmum : respondebitur quod in suis libris numerum videantur posuisse,sui dumtaxat vsus gratia,vt fit quotidie à studiosis; deinde textui scripturæ ab alijs esse insertum istum numerum. Cur autem *primum* dixerint : illa causa esse potest, quod quem nos vocamus primum psalmum,is eo tempore vel proœmium habitus sit totius libri psalmorum,vel vnà cum eo quem dicimus secundum, continuatus in vnum psalmum. Quod posterius, Hilarius, & Hieronymus locis supra citatis, respondent. Postea verò quam in multis codicibus, tali occasione, psalmus *primus* hîc esset nominatus: alij scribæ credentes esse errorem, pro *primo* substituerint *secundum*, tam græci quam latini; cum psalmorum editio tam græca 70. Interpretum quam latina quæ ex ea, semper distinxerint secundum à primo, nec in vnum eundemque psalmum coagmentauerint. Nolumus tamen cuiquam esse authores vt sine maiore ecclesiastica potestate, mutet hoc in loco communem scripturam latinorum codicum; tametsi mutauerit Nicolaus Zegerus.

PROXIMVM est vt discutiamus quam aptè Paulus Apostolus ad probandum Christi resuscitationem,adducat istum versiculum psalmi, *Filius meus es tu* &c. qui illuc non videtur pertinere; cum præsertim idem Apostolus eundem versiculum ad Hebr. 1. adduxerit ad probandam æternam Christi ex Patre natiuitatem, per quam est illi consubstantialis, & longe superior Angelis. Huic difficultati nonnulli ita occurrunt vt dicant Apostolum cap. illo primo ab Hebr. Filij diuinitatem & cum Patre consubstantialitatem directè ac per se velle probare ex prioribus huius sententiæ verbis, illis, *Filius meus es tu*; Non etiam ex posterioribus, *Ego hodie genui te.* Sed huic responsioni obstat quod eo pacto infirma esset probatio Apostoli:quoniam etiam Angeli appellantur *Filij Dei* in sacris literis. Iob 1.v.6.c 2.v.1. c.38. v.7. Imo & homines à Deo beneficijs affecti. Psal. 81. *Ego dixi,Dij estis, & filij excelsi omnes*:interpretante Domino Saluatore,Ioan. 10. vers.34. 35. Existimamus igitur Apostolum cap. illo 1. ad Hebr. vel in primis posuisse robur probationis in verbis illis, *Ego hodie genui te*; & intellexisse ibi æternam filij generationem ex Patre, quæ semper est hodierna; quoniam in æternitate non est præteritum & futurum, vt sæpè monent Theo-

Theologi, & per se notum est. Videri potest S. Thom. in eum locum cap. 1. ad Hebr.

QVOMODO igitur hic eam scripturam accommodat ad Christi resurrectionem factam à Patre? Responderi potest, non eo Apostolum accommodare, quasi per *generationem* hanc intelligat regenerationem ex mortuis, id est resurrectionem hominis Christi (qui tamen intellectus non est reijciendus, quum resuscitatio ex mortuis appelletur *regeneratio*. Matth. 19. v. 28.) sed afferre hæc verba psalmi ad probandum, quod Deus veteres suas de Messia promissiones (id enim hoc loco præcedit) cumulatè adimpleuerit in Iesu Nazareno nuper exhibito, quem ipse occisum ex morte resuscitauit. Iesum enim esse illum cui Pater in psalmo dixerit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; hoc est, Iesum esse Patri consubstantialem, ex eo natum æterna generatione: vt proinde mirum non sit, si Deus Pater ipsum factum hominem, & redemptionis nostri gratia occisum, statim ex morte suscitarit. Confer dicta ad vers. 32. Pergit Apostolus in sua concione.

VERS. 34. Quod autem suscitauit eum à mortuis, amplius iam non reuersurum in corruptionem; ita dixit; Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia.

DIXERAT verbis præcedentibus Apostolus Christum à Patre suscitatum ex morte: nunc addit, non qualitercumque fuisse suscitatum, sed ad vitam immortalem & gloriosam; quo modo nemo ante ipsum fuit resuscitatus, neque sub nouo neque sub vetere testamento, quamuis complures excitati fuerint ex mortuis. Hanc suam assertionem probat Apostolus ex Isaiæ cap. 55. v. 3. vbi Deus Pater de Christo loquens promittit populo suo, *Dabo vobis sancta Dauid fidelia*. Ita illic legitur iuxta 70. pro eo quod S. Hieronymus ex hebræo nobis dedit, *Misericordias Dauid fideles*. In quibus 70. Interp. verbis, Illud (Dauid) est secundi casus, vt & in hebræo; & sensu literali (tametsi figurato) significat Messiam seu Christum; vt & alibi interdum; veluti Ieremiæ 30. vers. 9. Ezech. 34. v. 23. c. 37. v. 25. Osee 3. v. 5. Illud (*Fidelia*) idem valet quod firma, stabilia. & sic interpretatur S. Hieronymus scribens in illud Isaiæ; prolatis similibus locis ex scriptura. Locus valde obuius est psal. 110. *Fidelia omnia mandata eius, confirmata in sæculum sæculi*. Linguis vulgaribus etiam arma tam offensiua quam defensiua dicuntur *fidelia*, quando sunt proba, sic vt non fallant expectationem vtentium: & alia multa eiusdem rationis.

QVID autem per (*sancta*) quæ Dauidis esse dicuntur, sit intelligendum; non omnes eodem modo explicant. Nobis, considerantibus versiculum illum psalmi 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum*: valde arridet expositio Leonis à Castro ad locum istum Isaiæ, qui per (*sancta*) intelligit sanctum corpus Christi. Sicut & Lindanus vir in sacris literis eruditissimus, intellexit in illis verbis psalmi 109. Non obstat quod sit vox pluralis (*sancta*): nam & sancta Sanctorum non nisi vnum tabernaculum erant; nec

ipsa quæ dicebantur sancta: hæc, prius; illa, secundum. Hebr. 9. princ. Porrò secundum Lindanum sensus eius versiculi (vbi, vt in præcedentibus, loquitur Deus Pater ad Filium) est iste, Tuus erit principatus cæli & terræ, tempore illo quo potenter debellaueris peccatum & mortem omnesque hostes salutis humanæ: tibi, inquam, à me dabitur omnis potestas in cælo & in terra; vna cum illustri gloria sanctuarij tui, seu sanctissimi tui corporis, à me nimirum resuscitati. Quoniam autem corpora semel ad gloriosam vitam resuscitata, deinceps sunt impassibilia; ideoque corpus gloriosum est firmum, stabile, seu planè incorruptibile: rectè Apostolus hæc ex Isaia verba adfert ad probandum quod Deus Pater ita Christum suum suscitauerit, vt non sit vnquam corruptioni subijciendus. Potest ad eundem sensum reuocari quod illo Isaiæ loco nos habemus ex hebræo; *Constituam vobis misericordias Dauid fideles*. q. d. vestro bono ego beneficentiam meam in verum Dauidem, Mesiam meum, faciam esse stabilem. vt sit sermo de illa Dei Patris in Christum hominem beneficentia qua ipsum ex morte suscitauit; iuxta illud psal. 40. *Tu autem, Domine, miserere mei, & resuscita me*. Addit Apostolus aliud, eodem pertinens, testimonium ex Scriptura; cum subiungit,

VERS. 35. Ideoq; & alias dicit, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

HANC Scripturam ad Christi celerem resurrectionem, eamque ad vitam immortalem, probandum, attulit & B. Petrus, sup. Act. 2. v. 27. & explicuit v. 29. & seqq. est autem ex psal. 15. Subijcit deinde Paulus,

VERS. 36. Dauid enim in sua generatione quum administrasset voluntati Dei, dormiuit; & appositus est ad patres suos; & vidit corruptionem.

HOc versu & seqq. Apostolus probat, testimonium quod proximè attulit ex psal. 15. non ad Dauidem pertinere; restare igitur vt conueniat Mesiæ Dei Patris, de quo Dauid hoc sit vaticinatus vt propheta Domini. Eodem planè modo S. Petrus vsus est hoc ipso testimonio psalmi 15. sup. 2. v. 29. 30. 31. Ait igitur B. Paulus, *Dauid in sua generatione*, id est, sua ætate, suo sæculo, *cum administrasset voluntati Dei*, hoc est, quum in regimine & defensione populi Israelitici multisque alijs in rebus ad pietatem pertinentibus, subseruiuisset diuinæ voluntati; & antequam regnaret, & quadraginta annos postquam cœpit regnare: *Dormiuit, & appositus est ad Patres suos*; 3. Reg. 2. v. 10. *& vidit corruptionem*: hoc affirmat Paulus Apostolus tanquam omnibus confessum & notum. Idem non tam dixit quam insinuauit Petrus Apostolus Act. 2. quum sic loqueretur, *Dauid & defunctus est, & sepultus; & sepulcrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem*. Subsumptionem addit Paulus hane,

VERS.

VERS. 37. Quem verò Deus suscitauit, non vidit corruptionem.

VNDE relinquit colligendum, quod Dauid non sit is de quo loquitur vaticinium psal. 15. nunc allatum, sed is sit Messias Domini, quem suum esse Messiam declarauerit ipsa eius celere & gloriosa resuscitatione.

SVPERIORIBVS omnibus ita à Paulo positis, explicatis, & probatis: Concludit, Iesum hunc quem ipse & alij Apostoli annuncient, esse Christum; & conclusioni subiungit grauem exhortationem ad fidem in Iesum, suscipiendam. Conclusio est v. 38. Illa exhortatio est v. 40. & 41.

VERS. 38. Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia, (quod) per hunc,

SCILICET quem Deus ex morte suscitauit, per Iesum Nazarenum quem nos vobis prædicamus, *vobis remissio peccatorum annunciatur.* Cum dicitur, *per hunc*, aliquid subauditur, videlicet, obtinenda, adipiscenda, vel quid simile. Sensus enim est; Vobis, nostro, vt Christi legatorum, ministerio, *annunciatur remissio peccatorum*, obtinenda per ipsum Iesum Christum, seu per meritum passionis, crucis & mortis eius.

REMISSIO *peccatorum* præsertim facili & secura via obtinenda, ingens Dei beneficium est, quo vel in primis debeant omnes incitari ad fidem Iesu Christi amplectendam; qua fide primus introitus aperitur ad peccatorum remissionem *verè pœnitentibus* à Deo obtinendam, propter meritum Domini Iesu; quod meritum vera fide demum agnoscitur, & per illud Deus inuocatur; ipseque in illud aspiciens, peccata ijs remittit, cum fidem & pœnitentiam eius intuitu prius inspirauerit. Idem beneficium à Deo consequendum Petrus Apostolus suis auditoribus proponebat; & vt Dei legatus promittebat: Act. 2. v. 38. c. 3. v. 19. Sequitur,

ET *ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi iustificari.* Illud (*&*) non est omittendum; quum sit græcè, & in melioribus latinis. Pendet verò tota hæc clausula, ab illo quod præcedit, *remissio*: vt sensus sit, Non solum remissio peccatorum per hunc Iesum redemptorem obtinenda, vobis per nos annunciatur; sed etiam remissio ac liberatio ab omnibus illis seruilibus oneribus legis ceremonialis Mosaicæ, cuius legis seruili obseruatione non potuistis verè coram Deo iustificari. Hoc argumentum fusè tractat Apostolus in epist. ad Galat. & ad Coloss. necnon ad Hebr. quibus locis docet adeo non valere ad veram iustitiam ceremonialium præceptorum obseruationem; vt contrà, noxium sit ea nunc post reuelatum Christum obseruare. Est tamen in illis epistolis hoc discrimen, quod in epist. ad Galat. & Coloss. potissimum loquatur de Sacramentis & obseruantijs legalibus: ad Hebræos autem de legalibus Sacrificijs, & sacris, sic propriè dictis. In hæc enim quatuor capita distinguuntur Ceremoniæ Mosaicæ, vt est videre apud S. Thomam 1. sec. q. 101. a. 4.

QVANDO autem hic & alibi dicitur quod per legem Moysi non potuerint homines iustificari: multo magis relinquitur intelligendum, quod per nullam omnino legem, quarumuis gentium; per nullam institutionem moralem, quorumuis philosophorum, iustificari coram Deo potuerint; quoniam omnibus illis longè præstantior erat lex Mosaica, diuinitus nimirum populo Israelitico tradita, per ministerium Moysi. Et tamen ne hæc quidem (de decalogo hoc Apostolus ad Rom.) valebat ad hominem verè, seu coram Deo, iustum faciendum: quoniam lex (etiam decalogus ipse qui continet præcepta legis naturæ, ideoque non est Christi aduentu sublatus) ostendit quidem quid sit faciendum, quid vitandum: non autem immittit animis amorem boni, & odium peccatorum, cum studio placendi Deo; sed dumtaxat incutit hominibus timorem pœnarum, quarum comminatio solet legibus adiungi; & eos qui transgressi fuerint arguit & condemnat, vt ijs pœnis obnoxios. Hoc solum est quod præstat lex & omnis doctrina moralis: At diuina (cuius initium est fides) gratia merito Christi cordibus à Deo inspirata, facit vt homo Deo studeat placere, eaque intentione diligat quæ bona sunt, facit vt doleat de peccatis tanquam diuinæ Maiestatis offensis, & vt veniam speret & petat, eaque via veniam ab eo accipiat & dona virtutum infusarum, quibus fit sanctus & iustus reipsa, ipsiusque Dei iudicio, non hominum opinione; facit item vt hæc iustitia in eo augeatur per bona opera ex spiritu charitatis facta iuxta dictamen veræ Fidei; ita vt etiam iustitiæ augmentum hac ratione fit ex fide. Et hoc est quod sequente sententia ait hic Paulus Apostolus,

VERS. 39. In hoc omnis qui credit iustificatur.

AMBIGVVM est, illud complexum (*in hoc*) an determinet verbum (*credit*) an verbum (*iustificatur*). Considetanti seriem sermonis videtur potius adiungendum verbo posteriori. Dictum erat, *In lege Moysi non potuistis iustificari*: huic velut ex aduerso redditur, *In hoc iustificatur omnis qui credit*, scilicet in eum. Vt hæc sententia planè consonet vel potius eadem sit cum illa eiusdem Apostoli, Rom. 3. vers. 22. *Iustitia Dei* (Id est, à Deo data, ideoque vera iustitia) *per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum.*

OBSERVANDVM est in his sententijs illud (omnes) per quod Apostolus innuit, etiam gentilibus veram à Deo iustitiam obuenire per fidem qua creditur Iesus esse Christus. Non est autem sermo hic de sterili & solitaria fide: sed de fide suis numeris absoluta, id est de fide qua ita creditur Iesus esse Christus Dei Patris, vt ei per omnia quę docet, credatur; per omnia quæ præcipit, obediatur. Matth. 28. in fine, & alibi sæpè. Graui deinde ad fidem Christi suscipiendam adhortatione, Apostolus sermonem suum terminat; dicens:

VERS.

VERS. 40. Videte ergo ne superueniat vobis quod dictum est in prophetis.

Q. d. Cum hæc omnia ita se habeant, sitque vobis demonstratum quod Iesus hic Nazarenus sit Messias Domini: etiam atque etiam cauete, ne in re omnium maxima in vos cadat quod in libro duodecim prophetarum legitur, dictum quidem in re alia, sed multo minore. *In prophetis*] nimirum apud Abacuc prophetam c. 1. v. 5. Loquitur autem pluraliter, quia vaticinia duodecim prophetarum minorum pro vno libro habebantur, id quod ex verbis etiam B. Stephani manifestum est, sup. c. 7. vers. 42. Verba autem quæ Apostolus ex Abacuc propheta recitat idque iuxta 70. sunt ista;

VERS. 41. Videte contemptores, & admiramini; & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris; opus quod non credetis, si quis enarrauerit vobis.

EST ibi sermo de Chaldæis qui multas nationes essent debellaturi, ac inter cæteras Iudæam cum Ciuitate Ierusalem; ac deinde in superbiam elati forent ipsi quoque humiliandi, & tam atrociter vastandi vt omnem eam cladem prædicenti nemo sit crediturus; imo iam acceptam cladem paucissimi qui audierint, sint credituri. Facta fuit ea vastatio, Iudææ quidem per Chaldæos seu Babylonios; ipsorũ vero Chaldæorum per Medos & Persas; vt legitur Danielis 5. in fine. Hæc prophetæ Abacuc verba ad rem præsentem, vt multo maiorem, adaptat Paulus Apostolus. Inquiebat igitur Dominus per prophetam; *Videte contemptores*. Hæc verba à Deo in Iudæos murmuratores dicebantur, & diuinæ Maiestatis veluti contemptores, qui eius prouidentiam calumniabantur, quod permitteret idololatras Chaldæos præualere Iudæis, vnius veri Dei cultoribus. Nam ex talium Iudæorum persona illic Habacuc propheta querelam proposuerat initio capitis 1. Respondet autem Dominus, iniustam esse querelam; non esse Iudæos innocentes, vt videri volebant, sed meritos ea omnia quæ à Chaldæis paterentur. Addit, Chaldæos quoque postea, propter suam superbiam, extrema passuros ab alia gente. Quod totum euenit vt diximus.

ET *admiramini*] propter magnitudinem operis quod ego Deus Deorum proximè sum facturus, *Et disperdimini*. Vox g. ἀφανίσθητε, sonat *fiatis inapparentes, nusquam appareatis*, euanescatis ex oculis omnium. Quæ huic voci 70. Interpretum in Hebreo respondet, eam Hieronymus & alij vertunt, *obstupescite*.

VIDETVR autem à Paulo insinuari interitus contemptoribus Iudæis, nisi animum mutent, & pauperem atque crucifixum Iesum contemnere desinant; imo nisi adorent quem contempserint: quoniam sic Deus exaltauit illum vt dederit ei nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur. Additur apud prophet.

QVIA

QVIA *opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarrauerit vobis.*] Hoc opus Dei, sensu literali apud prophetam Abacuc, est horribilis illa vastatio Chaldæorum, actiua prius, deinde passiua. Verba illa Apostolus accommodat negotio præsenti, hoc est illi mirabilissimo operi Dei Patris, quo is filium suum vnigenitum hominem factum tradidit in mortem, non quamlibet, sed mortem crucis; ob salutem hominum: ac deinde intra triduum resuscitauit ad vitam immortalem gloriosam, deditque ei potestatem in Cœlo & in terra; donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt proximè dicebamus. Hoc aculeo mentibus auditorum infixo, Paulus finit concionem suam, Sequitur.

VERS. 42. Exeuntibus autem illis, rogabant vt sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc.

EXEVNTIBVS *illis.*] Apostolis scilicet ex synagoga, seu ex conuentu ad quem concio habita fuerat. Credibile enim est Apostolos non hæsisse in conuentu vsque dum solueretur, sed ciuilitatis causa priores fuisse egressos, vt si quid Iudæi qui conuenerant haberent inter se tractandum, id tractarent soli. *Rogabant*, Qui? Hi ipsi qui concioni interfuerant, aut certè principes synagogæ, de quibus dicebatur v. 15 quod Apostolos ad concionem habendam inuitauerint. Græci codices hodierni suppositum verbi *rogabant* faciunt (*gentes*). addunt enim τὰ ἔθνη. Sed merito suspiceris esse infartum à scribis.

CHRYSOSTOMVM non habuisse in suis græcis, est manifestum ex textu Commentarijs adiuncto; magis etiam, ex ipsa tam priore quam iterata horum verborum expositione, in principio & sub medium homiliæ 30. Oecumenius nullam significationem dat se legisse: Nostrum Interpreté in suo codice g. non habuisse, certum est ex versione. Videntur scribæ addidisse, occasione eorum quæ hoc cap. sequuntur vers. 45. & deinceps. Desiderius quamuis reddiderit in sua versione: tamen in paraphrasi nullam eius habet rationem.

VT *sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc.* Cupiebant plenius doceri de his quæ summatim Paulus dixerat de salute per Iesum hunc Nazarenum adipiscenda. Semina enim Christianæ doctrinæ iecerat Paulus, neque sermonem tunc vel poterat vel voluerat consummare, ne simul omnia congerendo obrueret animos eorum, minusque idoneos faceret accipiendæ veritati. Ita Chrysost. Sequitur,

VERS. 43. Cumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Iudæorum & colentium aduenarum, Paulum & Barnabam:

PAVLVM *& Barnabam*] in suum hospitium redeuntes, *Multi sequuti sunt* ex his qui conuentui interfuerant; siue honoris causa, siue colloquio priuato cupientes aliquid ad salutem pertinens discere ex viris tam sapientibus. Hi multi qui affectabantur Apostolos, erant partim *Iudæi*, partim *colentes aduenæ*

vt

vt hîc loquitur noster Interpres. Græce est τῶν σεβομένων προσηλύτων id est piorum seu religiosorum proselytorum. Intelliguntur autem *proselyti* religionis Iudaicæ (nam προσήλυτος, generaliter significat aduenam seu externum qui quopiam accedit,) hoc est homines sanguine gentiles, sed qui ad vnius veri Dei fidem conuersi, cultum ac religionem eius, iuxta legem mosaicam, vnà cum Israelitis, exercebant. Et hac significatione præstiterat relinquere id nomen græcum, sine interpretatione; vt fecit alibi noster Interpres, sup. cap. 2. huius v. 11. & Matth. 23. v. 15. Ergo magno numero Iudæi ac proselyti sequuti sunt Paulum & Barnabam: *Qui loquentes suadebant eis vt permanerent in gratia Dei.* Erat beneficium diuinæ gratiæ quod hi, etsi multi eorum nondum fidem Christi suscepissent, multo minus per eam iustificati essent; tamen erga eam bene essent affecti, ad eam propenderent, & plenius super ea cuperent doceri. Hortabantur ergo eos Paulus & Barnabas Apostoli, vt in eo quod iam acceperant permanerent, id quod futurum erat si gratias Deo agerent de hoc ipso, eumque rogarent vt beneficium in ipsos suum conseruaret, imo proueheret & augeret, vsque ad salutem. sic enim conseruantur & augentur dona Dei.

VERS. 44. Sequenti verò sabbato pene vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Dei.

PENE *vniuersa ciuitas.*] Hoc significat non solos Iudæos & proselytos ad hanc concionem venisse, sed etiam gentiles permultos, qui iam ex alijs audierant habendam eo die concionem per viros sapientissimos, qui nuper illuc aduenissent.

VERS. 45. Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo:

TVRBAS, etiam hominum gentilium qui illuc confluxerant. *Repleti sunt zelo:* Bene factum ab Interprete quod reliquit vocem græcam (*zelo*) sine interpretatione. Ambigua est enim; & ambiguitatem voluit repræsentare Interpres.

DVÆ significationes huic loco quadrant, *feruida inuidia*, & *feruida ira.* *Inuidia* quidem mouebantur aduersus istos gentiles, qui neque essent proselyti, neque cuperent fieri proselyti; & nihilominus aspirabant ad salutem. Erat enim stulta persuasio Iudaizantium, Christum solis Iudæis venisse, aut certe solis illis, qui legem Mosaicam obseruarent. Liquet hoc ex initio cap. 15. & ex Epist. Apostoli ad Galat. ac aliunde. *Ira* verò commouebantur isti aduersus Apostolos Paulum & Barnabam, quod istos gentiles non curarent secedere extra conuentum; Imo quod salutem per Christum accipiendam ijs annunciarent, nulla facta mentione legis Mosaicæ quod eam prius deberent amplecti quam beneficio Christi possent gaudere. Et hinc factum est vt ad impediendum hos gentiles, à fide eorum quæ Paulus dicebat, facerent isti Iudæi quod sequitur,

Et *contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.* Palam videlicet coram omnibus clamabant esse falsa quæ Paulus dicebat; & contradictioni iungebant blasphemiam in Paulum & Barnabam, execrantes eos & conuicijs impetentes. Dicebant (verisimile est) eos esse planos, impostores, seducere homines à via salutis. Ipsum Dominum Saluatorem talibus maledictis dehonestabant Iudæi, vt appellarent seductorem. Ioan. 7. v. 12. Matth. 27. v. 63.

Valde mirum videtur Iudæos istos nunc ita furere aduersus Apostolos, qui octiduo antea eos rogauerant vt isto sabbato sibi repeterent ea quæ tunc dixerant. Sed non liquet an illi contradictores fuerint ex numero illorum qui tunc rogabant: &, vt fuerint nonnulli; tamen hoc exemplo discimus quanta sit infirmitas humanæ voluntatis ad bona salutaria inchoanda, retinenda, augenda. Videtur hoc innuere Chrysost. iterata expositione.

Vers. 46. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt;

Constanter παῤῥησιασάμενοι magna libertate loquentes, *Vobis.*] Iudæis nimirum, *Primum oportebat loqui verbum Dei.* Quoniam promissiones diuinæ hoc habebant, Messiam ex vestra gente oriturum; eum per se solis Israelitis prædicaturum regnum Dei. Est insuper Dei & Christi Domini mandatum nobis factum vt prius Iudaicæ nationi quam reliquis, regnum Dei, seu lætissimum nuncium de misso Messia, apportemus. Quod mandatum nos etiam apud vos obseruauimus. Ante enim quam nunc hîc loqueremur huic miscellaneæ multitudini; abhinc octiduo, solis vobis & proselytis sumus loquuti; & interea temporis multis vestrum sumus loquuti priuatim & per domos. Et eramus in hoc studio ac labore apud vos vlterius progressuri; nisi verbum Dei de Iesu Nazareno quod ipse sit Christus, vos reijceretis. Hoc est quod sequitur, *Sed quoniam repellitis illud;* hîc magna impietate contradicentes ijs quæ Spiritus sanctus vobis per nos loquitur; *Et indignos vos iudicatis æterna vita:* Iudicatis ipso facto vestro, dum non solum non creditis quod deberetis credere, saluti necessarium, sed etiam illud ipsum contemnitis & blasphematis: *Ecce conuertimur ad gentes.* Docendas scilicet de aduentu Saluatoris, ac de reliquis quæ necessariò ad salutem sunt credenda & agenda.

Vers. 47. Sic enim præcepit nobis Dominus; Posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsquè ad extremum terræ.

Verba sunt Dei Patris ad Messiam filium suum vnigenitũ, Isaiç 49. & ipso ex loco manifestum est quod per *gentes,* hîc intelligantur eæ nationes quæ non sunt sanguinis Israelitici. Præcedit enim illic apud Isaiam, hic sermo Dei Patris ad filium suum Messiam; *Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas: ecce dedi te in lucem gentium* &c. Sunt & aliæ multæ scripturæ quibus olim Deus prædixit Gentiles per Christum esse conuertendos; quarum scripturarum bonam partem recitat Apostolus ad Rom. 15.

Sed

Sed quæri potest, quomodo istam de qua hîc agitur, scripturam Isaiæ 49. Apostolus rectè alleget ad probandum sibi esse præceptum à Domino, annunciare euangelium Gentibus. Verba enim ista sunt Dei Patris ad Christum, non ad Apostolos. Huic quæstioni Ven. Beda his verbis respondet; Quod Domino Christo specialiter dictum est, hoc iam sibi dictum arbitrantur Apostoli, recolentes videlicet se illius esse membra. Sicut etiam ipse, propter eiusdem corporis vnionem, sup. cap. 9. dixit; Saule, Saule, quid me persequeris? Hoc Beda. Perinde ergo est ac si Deus Pater dixisset, Ego te Christum meum lucem Gentium dedi, idque per prædicationem meorum Apostolorum; vt sis in salutem vsque ad extremum terræ; id est vt sis Saluator omnium nationum, etiam gentilium. Est autem Christus Saluator hominum: quoniam per eius meritum, & non aliter, dantur à Deo dona salutaria omnibus, quibus dantur. Sequitur,

Vers. 48. Audientes autem Gentes, gauisæ sunt;)

Dvm intelligerent sese iam olim Deo fuisse curæ, qui ipsorum quoque salutis gratia, voluerit mittere Saluatorem; *Et glorificabant verbum Dei:* Prædicationem euangelicam de Iesu quod ipse sit Christus, laudabant, extollebant verbis & factis; honorantes Apostolos illius annunciatores; quos Iudæi blasphemabant; item credentes ipsi prædicationi permulti ex ijs. Hoc est quod additur, *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Non significatur solos electos credere, sed omnes eos qui à Deo sunt electi & præordinati ad vitam æternam, credere fidemque suscipere eo tempore quo Deus prædestinauit; quamuis multæ tribulationes præsentes vel imminentes obstare videantur, eosque à fide suscipienda auertere. *Infallibilem igitur diuinæ prædestinationis effectum hic scripturæ locus declarat:* significantur enim hi ideo credidisse, quia ad vitam æternam erant à Deo præordinati: In qua præordinatione includitur prædestinatio mediorum illuc requisitorum; quorum prima est fides. Idem hic locus docet nos quod prædestinatio ad vitam æternam sit prior præordinatione meritorum quibus illa paretur. Hæc D. Estius his penè verbis hoc loco dixit, in suis Notis; Qui deinde addit, Vide de hoc loco Lorinum, varia adferentem; non omnia sana. Ita ille. In græco quidem codice non legitur compositum (*præordinati*) sed simplex (*ordinati*): verùm id non refert. Quoniam eadem est Dei ordinatio quæ præordinatio; tantum hoc est discriminis, quod *præordinatio* sit de rebus quæ nondum sunt; hanc enim antecessionem inuoluit particula (*præ*) vt sit rerum antequam ipsæ sint vel fiant: *ordinatio* autem dicatur & de rebus priusquam sint, & de rebus iam existentibus. Eadem differentia est inter destinare & prædestinare. Infra cap. 22. v. 14. iterum legitur (*præordinauit*): sed ibi græcè est προεχειρίσατο, *præparauit, præaptauit.* Non est autem admittendus ille commentatius, quo qui hic dicuntur præordinati vel ordinati in vitam æternam, intelligantur à seipsis eò ordinati. Neque enim dubium esse potest, quin Dei ipsius prædefinitionem, prædeterminationem, seu prædestinationem, eiusque effectum S. Lucas hîc dicere voluerit; non hominis conatum diuina gratia nondum præuenti; ac ne præuenti quidem: sed opus Dei

 commen-

commendare, hominem ſua gratia præuenientis & deinde ſubſequentis. Ita infra cap. 16. v. 14. ait de Lydia purpuraria, quod *Dominus aperuit cor vt intenderet his quæ dicebantur à Paulo.* & alijs multis locis, ſalus noſtra à primo initio vſque ad finem, diuinæ potentiæ & miſericordiæ aſcribitur; vt qui gloriantur in Domino glorientur. Quod verbum ex Ieremiæ 9. verſ. 23. Apoſtolus ſolet inculcare; 1. Corinth 1. in fine. 2. Cor. 10 verſ. 17. Chryſoſtomus certè hos à Deo ordinatos ſeu præordinatos intellexit, quum prædeſtinationem ſeu prædefinitionem Dei, eo vocabulo accipiat, ita vt initio huius annotationis expoſuimus. Homil. 30. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Ordinati*, ait, id eſt, *prædefiniti à Deo.* Et poſtea in iterata expoſitione. *Quotquot ordinati erant in vitam æternam; Hoc indicium eſt quod illi iuxta voluntatem Dei aſſumebantur. Quos enim præcognouit*, inquit, *hos & prædefiniuit.* Ita Chryſoſt. allegans iſta poſtrema ex Rom. 8. verſ. 29. Omnino videnda eſt pars moralis illius homiliæ 30. Expendit hunc locum & ſimiliter intelligit S. Proſper in epiſt. ad Rufinum, ſolut. obiect. 4. Sequitur,

VERS. 49. Diſſeminabatur autem verbum Domini per vniuerſam regionem.

VERBVM *Domini.*] Euangelium, doctrina de vnico vero Deo, & de Ieſu filio eius vnigenito quod ipſe ſit Chriſtus.

DISSEMINABATVR, vox græca ſonat ad verbum differebatur, id eſt in diuerſas partes ferebatur, diſtribuebatur, diſpergebatur, *per vniuerſam regionem*; id eſt, per vniuerſum territorium Antiochiæ Piſidiæ. Per quos? vtique per Paulum & Barnabam Apoſtolos, & ſi quos ipſi ordinauerunt illic ſaltem Diaconos, qui digni eſſent & idonei ad euangelizandum.

VERS. 50. Iudæi autem.

IIDEM de quibus verſ. 45. nempe nolentes Ieſum Nazarenum agnoſcere Meſſiam, *concitauerunt mulieres religioſas.* Pro *religioſas* eſt g. eadem vox, quæ verſ. 43. ab Interprete vertebatur *colentes*: quare ſenſus videtur, mulieres gentiles natione, ſed ad vnius veri Dei cultum conuerſas, ſi non & ad Iudaiſmum. Nam id non ſignificatur hoc vocabulo σεβομένας; nec dicuntur proſelytæ. Idem infra locum habet cap. 17. verſ. 4. 17. *Et honeſtas*, non videntur eædem deſignari hoc epitheto & præcedente, ſi quis græcum codicem inſpiciat, ſed aliæ atque aliæ. Ita enim reddas, *Concitauerunt mulieres illas quæ religioſæ erant, & illas quæ honeſtæ.* Pro *honeſtas*, illic eſt, εὐσχήμονας, q. d. eo ſchemate corporis, eo corporis cultu & habitu atque geſtu, qui probas deceat, qui ſit decorus. Quod totum ſatis comprehenditur nomine *honeſti*, quando perſonæ tribuitur; vt hîc. *Et primos ciuitatis*: Forte per illas mulieres. Nam iſtorum de mulieribus illis ſermo videtur fuiſſe factus *Et excitauerunt perſecutionem in Paulum & Barnabam*; Iudæi ſcilicet per iſtos primores ciuitatis Antiochiæ Piſidiæ quos infatuauerant; *Et eiecerunt eos*, hi primores ita dementati à Iudæis, *de finibus ſuis.* Non ſolum

lum ex ciuitate, sed ex toto territorio illius. Nam & ibi Apostolos sparsisse doctrinam salutis Christianam, dicebatur vers. præcedenti. *Eiecerunt eos*: sed semen fidei mansit in ciuitate & regione tota, & per hanc eiectionem factum est vt & alijs in regionibus passim spargeretur. Ita Deus persecutiones quas faciunt impij, vertit in spiritualem vtilitatem suorum. Huius persecutionis vno verbo meminit Apostolus, 2. Timoth. 3. vers. 11. Quid autem Apostoli dum eijcerentur?

VERS. 51. At illi, excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium.

ITA iusserat Dominus Matth. 10. vers. 14. Marci 6. vers. 11. Lucæ 9. vers. 5. Et quod non allegoricum dumtaxat sensum habeant illa Domini verba, ex hoc Apostolorum facto liquet. Voluit tamen Dominus corporali illo ritu ac gestu aliquid significari. Duo sunt quæ Venerabilis Beda significari intelligit; ita scribens; Puluis, iuxta euangelij præceptum, excutitur de pedibus, in testimonium laboris sui, quod illorum ciuitatem ingressi sint, & prædicatio apostolica ad illos vsque peruenerit. Hæc expositio bene quadrat verbis Saluatoris apud Marcum loco citato. Addit Beda, Siue, excutitur puluis, vt nihil ab eis accipiatur, ne ad victum quidem necessarium, qui Euangelium spreuerunt. Hæc posterior causa, videtur innui verbis Domini apud Lucam d. cap. 9. quatenus ait, *Etiam puluerem pedum vestrorum excutite, in testimonium, supra illos*. q. d. vt ostendatis quod non vestra emolumenta quæratis, sed ipsorum salutem: ne puluerem quidem ipsorum finite adhærere pedibus vestris, sed super ipsos excutite. Hoc nimirum est illud quod Paulus Apostolus scribit, 2. Corinth. 12. vers. 14. *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos.*

VENERVNT *Iconium.*] Huius nominis olim erat oppidum vnum in Cilicia, aliud in Cappadocia, aliud in Ponto Asiæ; aliud denique in Lycaonia. Ita Lorinus. Sed confer Thesaur. geograph. Ortelij; & cogitemus limites prouinciarum temporum tractu mutari.

ITEM sæpe accipiuntur vt diuersæ prouinciæ, propter nominum diuersitatem; quarum tamen vna est pars alterius. Hoc Iconium erat in Lycaonia, haud procul à monte Tauro, vt est videre apud Ptolemæum Tab. 1. Asiæ. Quid hi Apostoli egerint Iconij, dicetur cap. sequente à sacro historico nostro.

VERS. 52. Discipuli quoque replebantur gaudio & Spiritu sancto.

IN græco habetur (verba sunt Vener. Bedæ.) *Discipuli autem*; vt intelligamus Iudæis fidem persequentibus, discipulos econtrario spiritali gaudio ditatos. Ita ille. Sermo est de discipulis seu nouellis Christianis quos hi Apostoli conuerterant Antiochiæ in Pisidia ac in territorio ciuitatis illius; iuxta ea quæ superioribus versibus iam dicta sunt.

ARGVMENTVM
CAPITIS XIV.



APOSTOLI Paulus & Barnabas permultos Iudæos & gentiles Iconij conuertunt ad fidem Christi: inde pulsi, euangelium annunciant Lystræ; vbi vir claudus natus, subito per Paulum diuinitus sanatur. Instigantibus incredulis Iudæis illic lapidatur Paulus: postridie cum Barnaba profectus Derben, etiam ibi fidem Christi multos docent. Inde reuertuntur Lystram, Iconium, & Antiochiam Pisidiæ, exhortantes nouellos Christianos. Hinc transeunt Pamphyliam & Attaliam, & nauigio redeunt Antiochiam Syriæ.

VERS. 1. Factum est autem Iconij vt simul introirent in Synagogam Iudęorum, & loquerentur; ita vt crederet Iudæorum & Græcorum copiosa multitudo.

IN *synagogam Iudæorum.*] Sabbato igitur aliquo, quando ex more Iudæi in Synagogam conueniebant. Sed non est dubium quin antea Apostoli salutauerint vnum alterumue archisynagogum, quem didicerant melioris indolis hominem, & non auersantem doctrinam de Iesu Nazareno.

ET *loquerentur*] vtrique euangelium Christi, hoc est lætum illum nuncium quod Messias iam venerit, quodque is sit Iesus Nazarenus. In hoc enim argumento versabantur conciones Apostolorum apud Iudæos, vnius veri Dei cultores, sed Iesum ignorantes. Quando autem concioni intererant etiam gentiles, qui falsos Deos colebant; vt hîc accidit, itemque cap. præced. vers. 44. tum haud dubiè Apostoli suo sermoni multa immiscebant de vnico vero Deo, creatore cæli & terræ, contra vanitatem idolorum omniumque falsorum Deorum; vt videmus factum v. 14. cap. huius. & cap. 17.

FRVCTVS prædicationis Euangelicæ designatur verbis sequentibus. *Ita vt crederet Iudæorum & græcorum copiosa multitudo* Deo nimirum animos eorum conuertente, vt vellent credere & reipsa crederent his quæ dicebantur, tanquam à Deo dictis. In hos Iudæos & græcos (id est gentiles) exercuit Deus gratuitam misericordiam: in eos autem de quibus sequitur, exercuit iustitiam, eos non conuertendo sed sibiipsis relinquendo, sibiipsis, inquam, iudicio & affectu corruptis, ideoque malis sibi consiliarijs. Item, relinquendo eos indefensos aduersus dæmonum insidias, illusionesque.

VERS.

VERS. 2. Qui vero increduli fuerunt Iudæi, suscitauerunt & ad iracundiam concitauerunt animas Gentium; aduersus fratres.

GENTIVM, nondum scilicet conuersarum. *aduersus fratres*, Primum aduersus ipsos Apostolos, quos studebant gentibus facere odiosos, per calumnias & similes artes: tum & aduersus nouellos Christianos tam ex gentibus quam ex Iudæis. Hoc vero studium infidelium Iudæorum quo tandem eruperit, exponetur v. 4. & sequen. Interea autem proficiebat studium & labor Apostolorum in conuertendis paulatim pluribus ac pluribus, tam Iudæis quam ethnicis. Hoc dicunt ista verba,

VERS. 3. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino.

ILLVD (*igitur*) non illatiuè ponitur, sed solum continuat sermonem. In græco duæ coniunctiones iunguntur, μὲν οὖν. *Fiducialiter agentes in Domino*, q. d. erecti fiducia de potentia & benignitate Domini. & hanc fiduciam ijs faciebat & augebat id quod consequenter de Domino dicitur. *Testimonium perhibente verbo gratiæ suæ*. Prædicationem euangelij, quæ est prædicatio de diuinis misericordiæ seu gratiæ operibus, hanc (inquam) prædicationem per istos Apostolos ibi continuo factam, Deus suo testimonio, confirmabat. Quomodo autem testimonium ferebat? Hoc subnectitur, nempe per miracula. *Dante signa & prodigia fieri per manus eorum*. Sic enim oportet vt qui nouam doctrinam adfert, miraculis, in eius confirmationem factis, eam corroboret. Et hunc fuisse vsum miraculorum in primitiua ecclesia factorum, nos docet Scriptura. Marci 16. in fine. huius lib. cap. 2. vers. 43. cap. 3. vers. 6. 7. cap. 4. v. 30. 33. c. 5. v. 12. cap. 6. v. 8. cap. 8. vers. 6. & 7. & vbi non? Quare Catholici meritò ab his qui nouam aliquam in religione inuehunt doctrinam, exigunt vt miraculis eam confirment. Id cum illi nequeant: eleuant quantum possunt veritatem & vtilitatem miraculorum quæ diuinitus facta sunt & fiunt etiam num inter Catholicos.

PORRO quum B. Lucas dicat multo tempore hos Apostolos fuisse demoratos Iconij; non dubium est multa & magna fuisse, quæ illic & fecerint, & passi sint: ipse tamen paucissimis verbis ea constrinxit. Inter cætera autem fuit conuersio S. Theclæ Virg. & Martyris, quæ postea vixit Seleuciæ. Idem in alijs quoque gestis & factis hunc sacrum historicum vsurpasse; vt multa particularia præteriret; alibi monuimus; ad v. 23. cap. 9. Cum hoc autem loco conferenda sunt verba Apostoli, 2. Timoth. 3. v. 11. Sequitur.

VERS.

VERS. 4. Diuisa est autem multitudo Ciuitatis; & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam verò cum Apostolis.

DIVISA *est*, Non quod ventum sit vtrimque ad arma, aut ad seditionem seu secessionem ciuium à ciuibus: sed quod vna pars fauebat his Apostolis, eorumque causam defendebat, quos per multa & magna miracula videbat esse à Deo missos; pars altera stabat à Iudæis istis incredulis, de quibus v. 2. qui ethnicos huius ciuitatis nondum ad Deum & Christum eius conuersos, concitabant aduersus Apostolos & nouellos ex Iudæis & gentibus Christianos. Sequitur.

VERS. 5. Cum autem factus esset impetus Gentilium & Iudæorum,

INFIDELIVM vtrorumque, de quibus iam dictum est; *Cum principibus suis* videtur diuisim referendum ad gentiles & Iudæos istos, vt intelligamus gentiles cum præfectis suis, Iudæos itidem cum præfectis *suis*, *fecisse impetum*; nimirum aduersus nouellos Christianos qui fauebant Apostolis, in primis autem in ipsos Apostolos Paulum & Barnabam, quos tentabant impetu facto comprehendere; *vt contumeliis afficerent*, id est, vt iniuriosè tractarent, *& lapidarent eos:* tanquam blasphemos scilicet. Nam hæc pœna per legem erat constituta blasphemiæ, Leuit. 24. vers. 14. & sequentibus. Eodem etiam colore Iudæi lapidauerunt S. Stephanum protomartyrem. Cum igitur hæc in Apostolos pararentur:

VERS. 6. Intelligentes confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ Lystram & Derben, & vniuersam in circuitu regionem;

CONFVGERVNT, Iuxta præceptum Domini Matth. 10, *Cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Erat autem hîc causa specialis, quoniam istorum Apostolorum vita adhuc erat ad Ecclesiam propagandam & stabiliendam necessaria, illo accedente, quod per eorum fugam Fides Christi in alia atque alia loca dispergebatur. Nusquam enim erant ociosi.

AD *ciuitates Lycaoniæ.*] Lycaonia est prouincia Asiæ, vt est videre apud Ptolemæum Tab. 1. Asiæ. Huius ciuitates duas nominat S. Lucas Lystram & Derben, ad quas ait confugisse Paulum & Barnabam. Hoc autem sic est intelligendum vt prius quidem fugerint Lystram, ibique hæserint, donec acciderent ea quæ narrantur v. 18. ac postea sint profecti Derben, vt dicitur vers. 19. Nec solum has duas ciuitates adierunt, sed & territorium vtriusque,

que, *regionem* scilicet vtrique in circuitu finitimam. Quid autem egerunt omnibus his locis? *Et ibi euangelizantes erant.*] Ita Deus consilia ac machinamenta impiorum vertit in propagationem & salutem Ecclesiæ suæ. Sequitur,

VERS. 7. Et quidam vir Lystris, infirmus pedibus, sedebat, claudus ex vtero matris suæ; qui nunquam ambulauerat.

INFIRMVS g. ἀδύνατος. Vt sit, planè inualidus pedibus, plane impos ambulandi. *Sedebat,* vtique inter reliquos auditores; vt proximè dicitur;

VERS. 8. Hic audiuit Paulum loquentem.

QVI *intuitus eum.*] Græca significant quod oculos in eum intenderit ac defixerit, ἀτενίσας. vt cap. 13. v. 9. *Et videns quia* (quod) *fidem haberet vt saluus fieret:* G. τοῦ σωθῆναι. Græca vno modo ad verbum ita reddi possunt, *videns quod fidem* (πίστιν) *haberet huius, saluari:* seu, huius quod est saluari. Altero modo sic; *videns quod fidem haberet ad saluandum*, ad consequendam salutem. Hoc posterius, Interpres noster sequitur, vt sensus sit, videns illum habere fidem tantam, vt eius merito posset sanari, seu cuius merito posset ipsi homini impetrari sanitas. Vt sit sermo indicans idem quod ille in Euangelio aliquoties repetitus, *Fides tua te saluum fecit.* Sed quo tandem modo hanc in isto viro fidem vidit Paulus Apostolus? Ex vultu nimirum, ex oculis, ex gestu audientis; sed magis ex reuelatione diuina. Quomodo Petrus Apostolus vidit factum Ananiæ & Saphiræ cap. 5. huius lib. quomodo idem vidit Æneam paralyticum per fidem esse dispositum ad miraculosam sanitatem recipiendam; cap. 9. vers. 34. Conferantur quæ illic diximus ad vers. 35.

VERS. 9. Dixit magna voce,)

PARTIM ad demonstrandam firmam fiduciam quam de adfutura Domini potestate conceperat, partim verò vt qui illic magno numero præsentes erant, animos aduerterent ad miraculi patrationem. Quid autem dixit? *Surge super pedes tuos rectus.*] Ad hunc locum Venerab. Beda sic annotat; In græco exemplari legitur, *Dixit magna voce, Tibi dico, In nomine Domini Iesu Christi surge super pedes tuos rectus* Robertus ex sedecim vetustis exemplaribus suis græcis reperit quinque, quæ hæc verba interponerent, inter quæ exemplaria vnum erat Complutense, æquipollens alijs multis. Syriacus quoque Interpres eam clausulam in suis græcis exemplaribus habuit: transtulit enim. Reperiuntur & latini codices vetusti qui interponant, testibus Louaniensibus Theologis altera Bibliorum castigatione. Quare nos nonnihil eo propendemus vt existimemus verba illa ad sacri textus integritatem pertinere: retinet nos tamen à firma assensione narratio subsequens vers. 10. & sequent. Si enim Paulus in sanando

 isto

isto claudo fuisset vsus expresse his verbis, *In nomine Domini Iesu Christi surge* &c. non fuisset magna occasio, cur isti Lycaones existimarent Paulum & Barnabam esse Deos quosdam, qui sua potentia sanassent claudum istum; & cur vellent ijs tanquam Dijs immolare; *præsertim quia Paulus sua verba enunciabat magna voce, vt facile ab omnibus exaudiretur*. Deinde, hi apud quos Paulus concionabatur, non videntur ante istud tempus vnum verum Deum agnouisse; vt ex sequenti narratione apparet, vbi Paulus vnici veri Dei agnitionem & cultum ijs inculcat: quare non est verisimile quod Christum eis annunciauerit antequam vnum Deum nossent. Sanè Chrysost. initio homil. 31. ait eos nusquam nomen Christi apud istos commemorasse. *Et exiliuit & ambulabat.*] Eodem modo quo ille quem Petrus Apostolus sanauit; sup cap. 3. vers. 8. Erat igitur diuini miraculi effectus omnibus conspicuus, homine illo ambulante. Quid consequutum sit, adiungit S. Lucas.

VERS. 10. Turbæ autem quum vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam, Lycaonicè dicentes; Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos.

DII *similes facti hominibus*.] Dij assimilati hominibus, Dij assumentes speciem humanam. Gentiles (ait Venerab. Beda) eo stultitiæ venerant, vt crederent esse Deum id omne quod aliquid posset supra communes homines: non intelligentes nimirum verum Deum esse vnicum, & esse omnipotentem. Hinc nascebatur & ille error, quod singulis pene rebus singulos Deos præficerent; quasi vnicus non posset omnia.

VERS. 11. Et vocabant Barnabam, Iouem; Paulum verò Mercurium; quoniam ipse erat dux verbi.

CVR *Barnabam Iouem?* Fortassis erat senior; vel fortassis plus maiestatis præ se ferebat in vultu & reliqua corporis specie. Coniectat hoc Chrysost. in iterata expositione, & probabilitatem accipit coniectura ex 2. Corint. 10. vers. 10. Cur *Paulum* vocarent *Mercurium*, S. Lucas rationem addit, *quoniam ipse erat dux verbi*. Præsidem ac donatorem eloquentiæ faciebat stulta gentilitas Mercurium; eundemque Interpretem ac velut legatum Iouis. Nam ἑρμῆς, originaria significatione idem valet quod *nuncius* vel *interpres*. Et, cum his clamoribus videtur solutus fuisse conuentus vbi concio habebatur: videnturque Apostoli sese recepisse in suum hospitium. hoc ita apparet ex sequentibus.

VERS. *12.* Sacerdos quoque Iouis qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare.

QVI *erat ante ciuitatem*, Illud (*qui*) non refert (*sacerdos*) sed (*Iouis*); vt patet ex græco codice, & sensus est, *Sacerdos templi in suburbijs positi in honorem Iouis*; Hic sacerdos cum audisset Iouem & Mercurium humana specie venisse in ciuitatem; curauit ante hospitium eorum adduci tauros, & apportari coronas ex floribus & frondibus, quæ ritu gentili capitibus victimarum imponerentur: & ipse illuc veniens cum ingenti hominum multitudine, volebat Barnabæ tanquam Ioui, & Paulo tanquam Mercurio sacrificium offerre.

VERS. *13.* Quod vbi audierunt Apostoli Barnabas & Paulus.)

INTVS in domo latentes, quum intelligerent hoc agi vt ipsis sacrificaretur; *Conscissis tunicis suis*] dirumpebant more Iudæis vsitato extimas suas vestes, in abominationem ipsius facti, quod moliebantur hi gentiles: *Exilierunt in turbas*, è domo nimirum in qua diuersabantur, *clamantes & dicentes, Viri, quid hæc facitis?* Cur honorem diuinum tentatis nobis exhibere? Obseruandum hîc quod prima, secunda & tertia expositione inculcat Chrysost. quod Angeli sancti, & homines sancti, nunquam patiuntur sibi tribui quod Dei est: sed Diabolus, & homines quidam à Diabolo ad tantam impietatem inducti. Exempla adfert Chrysost ex cap. 3. huius v. 12. ex Genes. 41. v. 16. Danielis 2. v. 30. 2. Corinth. 3. v. 5. & prius cap. 2. v. 16. *Ad hæc quis idoneus?* Exemplum de Diabolo est Matth. 4. v. 9. De hominibus malis exemplum habuimus sup. cap. 12. ad finem. Vide & Iudith. 3. v. 13. Porro Apostoli rationem addunt quare non velint neque possint hos honores suscipere;

VERS. *14.* Et nos mortales sumus similes vobis, homines:

Q. d. tantum abest vt nos simus Dij, quibus debeatis aut possitis sacrificare; vt simus homines, ijsdem incommodis, calamitatibus & miserijs subiecti quibus vos. Hoc est dissimile, quod vnicus ille verus Deus, nos fecerit suos legatos & nuncios vt errantes ducamus in viam salutis. Hoc est quod addunt. *Annunciantes vobis, ab his vanis conuerti ad Deum viuum; qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.*

AB *his vanis.*] A falsis opinionibus, & à prauis motibus. Per falsas opiniones credebant esse multos Deos: per prauos mores illis seruiebant, ac specialiter per idololatriam singulis eorum offerebant sacrificia: sed Apostoli talibus omnibus annunciabant, *Vt conuerterentur ab istis vanis ad Deum viuum*; qui non nisi vnus esse potest, quum sit omnipotens, cuius omnipotentia, & consequen-

ter veritas atque vnitas designatur illa periphrasi, *qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.* Frequentissimè occurrit in sacris literis hæc vnius veri Dei periphrasis: sicut è contrario falsorum Deorum notatio est, quod non creauerint cælum, & terram, Isaiæ 40. 44. 45. & alibi sæpe. Quæ omnia scripturarum loca, quibus tali periphrasi vnicus verus Deus describitur, sicut & ipsum symbolum fidei nostræ refellunt Manichæos; qui multas corporales substantias non à vero vnicoque bono Deo, sed à potestate contraria, à Deo quodam naturâ suâ malo, factas mirabili impietate fingebant. Testis S. August. in libello de hæresibus, hæresi 46. Atque hinc intelligi plenius possunt ea quæ in lectionibus secundi nocturni in Breuiario nostro habemus die festo S. Petri martyris ex ordine prædicatorum, vbi de Manichæis & symbolo fidei agitur.

Et quasi rogaret aliquis, qui fieri potuerit vt homines, creaturæ nimirum rationales, tantopere à recta ratione aberrarent, vt falsos Deos colerent: addunt Apostoli, de vero Deo loquentes;

Vers. 15. Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.

Nempe *præteritis generationibus*] hoc est præteritis nunc sæculis, ante scilicet aduentum Christi Domini, Deus ille vnicus viuus & verus, *Dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Ingredi vias suas.* Hoc est, viuere sicut ipsi à Deo deserti, volebant & bonum iudicabant. Hoc illorum iudicium, & hæc illorum voluntas non erant ex Deo, neque conformes legi Dei (tunc enim non hominum viæ fuissent, sed viæ Dei) sed hominibus, per peccatum ignorantia & praua cupiditate corruptis, erant ex seipsis; & secundum prauos hos affectus, prauumque ex ignorantia iudicium, vitam suam ducebant in omni genere flagitiorum, ad ipsam vsque idololatriam.

Qvod ad idololatriam attinet, fuit primus Ninus qui patris sui Bel imaginem proposuit publicè adorandam. Vide authores citatos à Bellarm. De verbo Dei lib. 1. cap. 13. in fine. & Hieron. in c. 2. Osee v. 16.

Ita viuebant homines quos Deus dimiserat sibi; hoc est quos reliquerat sine auxilio suo speciali, quo protegerentur aduersus rerum agendarum ignorantiam, & aduersus prauam rerum prohibitarum concupiscentiam. His enim modis homo in vita sua à Deo deseritur, relinquitur sibi, dimittitur sibi, vt etiam in psalmo 80. Deus de ingratis loquitur Israelitis, *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis.* Nempe Deus priora peccata puniuit posterioribus; dum per priora offensus, subtraxit hominibus suam aduersus peccata & peccatorum pericula protectionem; permittens eos agi suis cæcis consilijs, & suis prauis cupiditatibus; velut nauem destitutam gubernatore in medio mari. De hoc genere pœnæ quo posteriora peccata sunt pœnæ priorum, videndus peculiaris articulus apud S. Thomam 1. sec. q. 87. numero secundus.

Expendit hunc locum Scripturæ B. Prosper aliquoties: velut in epistola ad Rufinum, in solutione obiectionis tertiæ, libri prioris de vocatione gentium

tium cap. 5. lib. 2. c. 4. Quo cap. 4. id quod hîc dicitur, *omnes gentes*, intelligit de nationibus diuersis ab Israelitica: & illud quod de Deo dicitur, *Dimisit omnes gentes ingredi vias suas*, exponit quomodo supra exposuimus, scilicet quod aliæ illæ nationes permissę à Deo sint viuere secundum propriam voluntatem. Imo & populum Israeliticum, seu multos ex illo populo, nonnunquam dimisit suæ voluntati; & quosdam etiam ex alijs nationibus, licet pauciores, suâ gratiâ præuenit & saluauit. Idem Prosper locis allegatis. Illis ijsdem locis S. Prosper expendit etiam illud quod sequitur,

VERS. 16. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens: de cęlo dans pluuias, & tempora fructifera; implens cibo & lætitia corda nostra.

HIs verbis videntur Apostoli tacitè istos idololatras reprehendere, qui alia beneficia ab alijs Dijs expectabant; non omnia ab vnico vero Deo. Obseruat hoc Chrysost. in iterata expositione. homil. 31. Videntur præterea Apostoli his verbis occurrere tacitæ quæstioni, quæ ex præcedentibus oriri poterat, hoc modo: Si Deus dimisit homines suæ voluntati, neque eos in malum pronos retinnit suæ gratiæ potentia: cur tantopere reprehendendi sunt, quantopęre vos significatis? Respondent Apostoli; Idololatras, & alios magnos peccatores esse ac fuisse inexcusabiles, etiamsi auxilium ad salutem sufficiens Deus illis non præbuerit: esse, inquam, ac fuisse inexcusabiles, quia ne his quidem beneficijs ac subsidijs salutis, quæ illis Deus contulit, vsi sunt ad promouendam suam salutem, sed illa ipsa verterunt in suam perniciem. Deus enim per creaturarum suarum excellentiam, magnitudinem, varietatem & ornatum, omnibus hominibus conspicua; assiduè testatur suam omnipotentiam, ideoque sese esse vnicum: rursum, per assidua sua in omnes homines beneficia, quæ ipsis confert ministerio cælorum & elementorum; testatur sese esse vt omnium creatorem ita & conseruatorem atque gubernatorem; quibus de causis vnicus ipse sit agnoscendus, colendus, diligendus, metuendus; & nullus præter ipsum pro Deo habendus: At contra, multæ nationes creaturas, imo opera manibus hominum facta, pro Dijs coluerunt & colunt; alij, etsi non colant falsos Deos; tamen creaturis Dei in hominum vtilitatem conditis, abutuntur ad luxum, ad fastum, ad libidines, & ad alia peccata.

Ex his discimus, quod præcipuus vsus creaturarum & eorum quæ videmus in rebus creatis fieri, sit ille, vt à creaturis intellectualibus & rationalibus cognoscatur quod sit vnicus verus Deus, isque omnipotens, summè bonus, & summè iustus: qui proinde sit summo honore colendus, sit amandus, sit metuendus Nam hæc omnia nobis semper annunciantur per creaturas, perque ipsarum magnitudinem, excellentiam, ornatum, varietatem; necnon per continua Dei circa creaturas opera. Diligenter legantur illa quæ diximus B. Prosperi loca; & iungatur caput primum Epistolæ ad Rom. & Sapientiæ capita 13. 14. 15.

ERGO Deus *nunquam reliquit semetipsum intestatum* apud homines, sed omnibus his qui dicti sunt modis apud ipsos semper est testatus, semper testatur, & quod sit, & quod sit talis qualem ipsi effectus demonstrant. Hæc tamen testificatio non sufficit ad saluandos homines; vt dictum est: sed sufficit ad hoc vt sint inexcusabiles qui vnicum verum Deum, non colunt, non amant, non ei obediunt, quem corporeæ creaturæ & alia eius opera omnibus testantur esse vnicum, omnipotentem, summè bonum, summè iustum: sed eius gratiæ suorum peccatorum impedimenta opponunt. Confer quæ ex S. Thoma notamus infra ad cap. 28. v. 27. in fine annotat.

VNVM hîc est addendum; abuti scilicet hæresiarchas nostræ ætatis isto loco Scripturæ; Vbi dictum est ab Apostolis, *quod in præteritis generationibus Deus omnes gentes dimiserat ingredi vias suas.* Quum enim nos Catholici eorum dogmata reijcimus hoc nomine quod sint noua, quod à fide & religione antiqua dissentiant: respondent non ideo religionem quampiam esse bonam quia antiqua est; quoniam alioqui, idololatria laudanda adeoque retinenda fuisset, quoniam erat antiqua quando fides Christi in nationes gentilium inferebatur. Antiquam fuisse, tum ex historijs liquet, tum ex his verbis Apostolorum, quibus aiunt, quod præteritis tunc sæculis *Deus permiserat omnes gentes ingredi vias suas.* Antiquitas igitur temporis non patrocinatur alicui doctrinæ; vt neque multitudo in vnam aliquam doctrinam consentientium. Nam ecce, non vnum alterumue, non paucos quosdam; sed omnes gentes (aiunt hîc Apostoli) Deus ante Christi tempora permiserat ingredi vias suas. Hinc colligunt, non debere mirum videri, si ipsi dicant quod ecclesia multis sæculis errauerit, sequens doctrinam Romanorum Pontificum; & vlterius nihil esse mirandum si ipsi putentur à Deo missi ad reuocandam ab erroribus & reformandam ecclesiam. Responsio. Quando nos Catholici dogmata hæreticorum reijcimus eo nomine quod antiquæ religióni aduersentur, per antiquam religionem non intelligimus quamcumque vel qualemcumque quæ sit vetusta; sed intelligimus religionem à Christo Domino in terris versante institutam, & Apostolis suis traditam; ab Apostolis deinde & viris Apostolicis (id est, doctrinam apostolicam retinentibus) propagatam per omnes nationes, & hucusque conseruatam. Hæc est fides Christiana antiqua, antiqua religio: quia omnes sectæ quæ sub nomine Christiano sese vnquam venditarunt aut venditant, sunt ea posteriores. Nam prima post Christi aduentum hæresis fuit Simonis Magi; quem constat post Christi Domini ascensionem emersisse.

CVM igitur nos antiquam fidem nominamus, intelligimus eam quæ ab initio est tradita per Christum Dominum & eius Apostolos & Apostolorum discipulos subsidiarios: & ita loquentes de fide antiqua, loquimur conformiter sacris scripturis 1. Ioann. 2 v. 24. *Vos quod audistis ab initio, in vobis permanet.* Cui consonat illud secundæ epistolæ eiusdem Ioannis Apostoli; v. 6. 7. *Hæc est charitas vt ambulemus secundum mandata eius. Hoc est enim mandatum, vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis.* Idem traditur à Paulo Apostolo Rom. 16. v. 17. vbi ponderandum est illud, *præter* (seu contra) *doctrinam quàm vos didicistis.* Et ad Galat. 1. vers. 8. & 9. Si quis *vobis euangelizauerit præter* (pro contra)

contra) παρὰ] *id quod accepistis, anathema sit.* Et ad Thess. epist. 2. cap. 2. v. 14. Fratres state, & tenete traditiones quas *didicistis siue per sermonem siue per epistolam nostram*, Apostolorum scilicet & apostolicorum virorum, nam epistolam illam scribunt Paulus & Siluanus & Timotheus. Omnino autem meminisse oportet quod hanc antiquam veræ fidei doctrinam idem Apostolus nominat *depositum*, 1. Tim. 6. v. 20 quod scilicet Apostoli Christi eam penes suos discipulos, in primis autem penes Episcopos successores suos, deposuerint, perpetuò seruandam in Ecclesia: & quod ei opponit ex aduerso, *prophanas vocum nouitates*, quas iubet deuitari.

Si dicat quis non videri quod vulgares Christiani quando fidem antiquam nominant, intelligant eo modo quo iam expositum est; sed simpliciter fidei doctrinam quæ fuit ante istas exortas hæreses: dicendum est id ita esse; sed *velle tamen hoc dicere quod iam expositum est*; eo quod pleræque omnes prouinciæ quando olim sunt conuersæ ab idololatria seu ethnicismo, simul sunt conuersæ ad veram fidem Catholicam: & ita fides quam ipsi antiquam in suis terris nominant, est ipsa eadem quam tradiderunt Apostoli. Dixi *pleræque*: quoniam exceptio reperitur. West Gothi, qui Hispanias occuparant pagani, sunt illic ab idololatria conuersi ad Arianismum; quem tamen postea (Deo gratia) deposuerunt. De ista re omnino legendus est Tertull. lib. de præscript. aduersus hæreticos, cap. 32. & inter recentiores Bellarm. de Ecclesia lib. 4 cap. 5. toto. Conferatur etiam annotatiuncula nostra ad finem cap. 2. huius operis.

VERS. 17. Et hæc dicentes, vix sedauerunt turbas ne sibi immolarent.

MIRACVLI enim magnitudo ita perstringebat oculos mentis eorum, vt ægrè possent credere istos viros non esse aliquid supra homines. Debebant ex magnitudine miraculi moueri ad credendum vera esse quæ dicerent viri isti; dicebant autem sese non esse Deos sed homines mortales; simul autem dicebant vnicum esse verum Deum, quem ipsi ijs annunciarent. Hæc si ijs credidissent: tum demum conspectu istius miraculi rectè & salutariter vsi fuissent. Sequitur.

VERS. 18. Superuenerunt quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi:

NON est dubium esse sermonem de Antiochia Pisidiæ de qua fuit sermo cap. 13. v. 14. & deinceps vsque ad v. 51. vbi narratur hos Apostolos eiectos Antiochiâ ista, venisse Iconium. Hæserant autem Iconij longo tempore, vt dictum est v. 3. huius, multosque & Iudæorum & gentilium illic ad fidem Christi conuerterant. vt v. 2. & 4. dictum fuit. Iudæi autem alij, qui fidem Christi non solum non suscipiebant, sed omnibus modis extinctam cupiebant; ij ex Antiochia & Iconio nunc veniunt Lystram, animo persequendi Apostolos, & impediendi fidem Christi. Nimirum isti faciebant quod Saluator eos factu-

vos prædixerat Matth. 23, *Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas: & ex illis persequemini de ciuitate in ciuitatem; Vt veniat super vos omnis sanguis iustus.*

ET *persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra ciuitatem;* Non dicit S. Lucas quod turbæ Lystræ ciuitatis lapidauerint Paulum, licet nonnulli expositores sic intelligant: sed potius indicat contrarium, quatenus in originali scriptura ita ad verbum legitur, *Et suadentes turbis lapidantesque Paulum* &c. vbi clarè illis Iudæis qui Antiochia & Iconio venerant, tribuitur quod lapidarint Paulum Apostolum, & quidem ita atrociter vt ipsimet crederent mortuum esse. Chrysost. in iterata huius loci expositione manifestè tribuit Iudæis istis, non vero Lystrijs, lapidationem Pauli homil. 31. Quid ergo persuaserunt turbis Lystriæ ciuitatis; si non hoc, vt ipsæ lapidarent Paulum? Nempe hoc, Istos viros esse natione Iudæos; quod quidem verum erat: esse eos sub sua iurisdictione, esse impostores, & artibus magicis miranda quædam facere, quibus homines decipiant: missos sese à suis principibus vt eos propterea de medio tollant: requirere se à Lystrijs ne impediant executionem Iustitiæ, saltem in Paulum excendæ, quē volebant videri magis facinorosum magisque noxium; quia ipse erat dux verbi, vt dicebatur v. 11. & quia ipse erat qui claudū illum sanauerat.

VIDETVR autem hæc lapidatio facta eodem die quo Lystrij his Apostolis sacrificare voluerant. hoc vt sentiamus inuitat nos illud *(persuasis turbis)* collatum cum versu præcedente, quasi ex hominum turbæ quæ sacrificare Apostolo voluerant, adhuc in publico fuerint congregatæ, his persecutoribus Iudæis ciuitatem Lystram intrantibus, & ipsi euestigio ad eas sint concionati aduersus Apostolos.

LAPIDATIONEM istam esse factam in ciuitate, non est cur ambigatur. Cogunt nos verba sacri textus ita sentire quibus dicitur. *Lapidantes Paulum, traxerunt extra ciuitatem, existimantes eum mortuum esse.* Hæc est illa lapidatio de qua ipse Paulus 2. Co. 11. v. 25. *Ter virgis cæsus sum; semel lapidatus sum; ter naufragium feci* &c.

SI quis porro miretur quod Deus tantam ignominiam tantosque cruciatus Apostolo suo fidissimo, Paulo, euenire permiserit; cum præsertim nouelli Christiani qui erant Lystris inde magnum offendiculum potuerint capere, vt videtur, si quis ergo, hoc miretur: meminerit illorum verborum huius eiusdem Apostoli ad Rom. 8, quibus ait quod diligentibus Deum, ipse omnia cooperatur in bonum, Meminerit item illorum eiusdem Apostoli verborum ad Corinth. 2. epist. cap. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus satanæ qui me colaphizet.* Et paulo post, *Placeo mihi in persequutionibus, in angustijs, pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum.* Et quod prius eodem cap. (v. 6.) dixit, *Parco gloriari; ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* Nempe hæc tribulatio vtilis erat & ipsi Paulo, aduersus tentationes superbiæ & cenodoxiæ: Vtilis erat & illis gentilibus, qui eum cum Barnaba Deos credebant: vtilis erat etiam nouellis Christianis Lystrijs, propter subsequens miraculum repentinæ sanationis, de qua v. proximè sequente. Bonam horum partem annotauit Chrysost. homil. 31. in Acta, & adducit loca scripturæ quæ recitauimus.

VERS.

VERS. 19. Circundantibus autem eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem;

VIDEMVS hic feruorem nouellorum istorum Christianorum, qui nihil veriti Iudæorum persequutionem, profitentur sese Christianos, & doctorem suum Paulum extremo humanitatis officio studenr prosequi. *Circundederunt enim illum*, plangentes tanquam mortuum, & volentes curare ipsius honorificam sepulturam; sicut fecerant Christiani B. Stephano protomartyri; sup. cap. 8. in princ. Dum autem ita eum circunstant, Ecce, *surgens intrauit ciuitatem*,] Subito miraculosè sanatus, qui lapidum ictibus adeo fuerat vulneratus & contusus vt ipsi lapidatores crederent mortuum, & tanquam cadauer traherent extra oppidum; sicut iam dictum est. Alterum argumentum perfectæ sanationis ponitur in verbis sequentibus.

ET *postera die profectus est cum Barnaba in Derben*. Hæc est altera duarum Lycaoniæ ciuitatum quæ nominabantur v. 6. Distat autem à Lystra non paruo spatio, sicut videre est Tab. 1. Asiæ apud Ptolemæum: vt ex longitudine etiam huius itineris, & quidem postridiani, Paulo perfectam sanitatem fuisse diuinitus restitutam, intelligamus.

VERS. 20. Cumque euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos;

EVANGELIZASSENT] hoc est prædicassent Saluatorem mundi venisse, eum esse Iesum Nazarenum, crucifixum, & die tertio ex morte rediuiuum in vitam gloriosam immortalem: Item quæ ipse credenda tradiderit; quæ facienda præceperit. Hæc enim omnia complectitur *euangelium*; vt sæpe dictum & ostensum est.

ET *docuissent multos*:] Vtique cum effectu; id est cum multi ab ijs didicissent euangelium seu fidem Christianam, essentque facti Christiani. Conferatur cap. seq. v. 36. cum cap. 16. v. 1. vnde liquebit & Derbæ fuisse fratres seu fideles Christi, ex hac istorum Apostolorum prædicatione.

REVERSI *sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam*. Sermo est haud dubiè de Antiochia Pisidiæ, ex qua venerant Iconium; vt est in fine cap. præcedentis. Non significari hic Antiochiam Syriæ, patet ex vers. 25. huius cap. *Reuersi sunt*] non metuentes istas ciuitates vbi propter nomen Christi fuerant passi aduersa; vt dictum fuit isto cap. & fine cap. præcedentis: bene confidentes diuinum auxilium sibi adfuturum, quo vel comprimerentur persequutiones, vel suscitatæ sopirentur. Cuius autem rei gratia has ciuitates reuiserint, addit B. Lucas, dicens:

VERS. 21. Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque vt permanerent in fide.

CONFIRMANTES] græca vox paulo amplius sonat ἐπιστηρίζοντες q. d. amplius confirmantes, aut, denuo confirmantes: posteriore modo videmus reddidisse Interpretem Oecumenij. Eadem obseruatio locum habet cap. seq. vers. 32.

SENSUS autem est, quod eos qui in ciuitatibus istis recens fuerant conuersi ad fidem Christi, sermonibus suis in ea fide consolidauerint atque corroborarint; ac potissimum vt non titubarent vel trepidarent propter persequutiones, quas viderant vel alioqui cognouerant illatas Apostolis his Paulo & Barnabæ, vel quas metuebant sibi inferendas. Confirmabant igitur eos in suscepta religione Christiana, *& exhortabantur vt in ea perseuerarent*, quicquid incommodorum propter eam forent passuri; alioqui non esse saluandos. Nam *is demum qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.* Matth. 24. v. 13. Quod ipsum etiam illis verbis significatur quæ hîc sequuntur, ab his Apostolis dicta: *Et quoniam* (quod) *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Oportet*] ergo non est alia via, qua in regnum Dei eatur, quam via tribulationum, afflictionum, dolorum & laborum. Ipse Dominus de se dicebat Lucæ 24. vers. 26. *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Dicit idem Paulus Apostolus Timotheo 2. epist. cap. 3. v. 12. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur*: nemo tamen saluatur nisi qui in Christo piè vixerit. Vnde discimus quod oportet fieri Christianum, non propter spem præsentium seu temporalium bonorum & commodorum; sed propter spem futurorum. Id quod vbique in euangelio Dominus nobis inculcat. Nam persecutiones aliaque incommoda Christianis promittuntur in vita præsente; quies, gaudium & gloria, in futura. Exemplum hîc est visitationis Ecclesiasticæ. Sequitur,

VERS. 22. Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias, presbyteros; & orassent cum ieiunationibus: commendauerunt eos Domino in quem crediderunt.

CVM *constituissent*. Græcè est χειροτονήσαντες, quod satis mirum est à nonnullis ita reddi, *quum suffragijs creassent.* Nam quamuis apud græcos authores χειροτονία ita soleat sumi, vt sit electio cuiuspiam, vel legis alicuius constitutio, quæ electio aut constitutio fiat à populo, sua suffragia, suumue consensum declarante manibus in altum sublatis; quod etymon vocis vtcumque (nam retenta nihil aliud sonat quam manus protensionem) significat: tamen etiam apud ipsos græcos scriptores ponitur simpliciter pro suffragio, electione, constitutione; vt demonstrat Budæus in Com. l g.

MVLTO minus in Ecclesiastico huius vocabuli vsu, habenda est ratio popularium eiusmodi suffragiorum; nec tam videndum est quò, quàm ad quid hoc

hoc nomen dicatur: quod in quibusuis vocabulis esse faciendum solet monere S. Thomas. Certe nullo modo credibile est sanctos Apostolos Paulum & Barnabam, dum vellent constituere presbyteros Lystræ, Iconij, & Antiochiæ in Pisidia; id fecisse exquisitis populi suffragijs; quum ipsi longè rectius nossent qui ex fidelibus eo munere essent digni, quam plebei harum ciuitatum Christiani. Et notum est S. Lucam suprà, cap. 10. v. 41. hoc eodem vocabulo ita esse vsum, vt nihil suffragiorum in notione eius includatur, sed simpliciter significet ordinationem, constitutionem, delectum. Noster Interpres ibi dixit (*præordinatis*) quod græcè est προκεχειροτονημένοις. Quare hoc loco satisfecit officio suo interpres, quando simpliciter dixit, (*cum constituissent*). Verti poterat, *quum creassent*; vel, *cum ordinassent*. Sermo enim haud dubiè est de ordinatione sacra, quam fecerint hi duo Apostoli, locis illis, scilicet Lystræ, Iconij, Antiochiæ. Chrysostomus eam manifestè intelligit, in huius loci expositione. Et sacram ordinationem nomine χειροτονία significari manifestum est, can. 1. & 2. Apostol. Concilij Nic. constitut. quam recitat Theodor. hist. 1. c 9. Concilij item Laodic. c. 5. & passim apud græcos patres. *Presbyteros*, Rectè fecit Interpres quod vocem græcam non conuertit, sed ipsam illam reliquit: videbat nimirum illud πρεσβυτέρους hoc loco non ætatem, sed dignitatem ecclesiast cam significare. Idem fecit Interpres cap. 15. v. 2. Rectè fecisset similiter eam non vertendo, cap. illius v. 4. 6. & 22. cap. 16. v. 4. cap. 20. v. 17. necnon 1 Petri 5. v. 1. 2. Ioan. v. 1. 3. Ioan. v. 1. quoniam latinis iam vsu tritum erat nomen presbyteri, quando gradus ecclesiasticus significatur; vt significat locis omnibus citatis.

ILLVD habet nonnullam ambiguitatem, an hîc per *presbyteros* intelligantur ij quos parochos aut alioqui simplices sacerdotes solemus appellare; an verò Episcopi. Nam & episcopos vocari presbyteros in sacris literis, notum est ex huius operis cap. 20. v. 17. collato cum v. 28. eiusdem, & ex alijs locis paulo ante citatis, atque etiam ex Tit. 1. v. 5. collato cum v. 7. Nobis videtur, neque hos neque illos præcise intelligi nomine presbyterorum; sed generali significatione S. Lucam vti, vt velit dicere hos duos Apostolos ordinasse *presbyteros* per singulas Ecclesias quæ erant Lystræ, Iconij, Antiochiæ, & in harum ciuitatum territorijs (de quibus territorijs est huius cap. vers. 6. & cap. præcedentis v. 49.) eosque presbyteros fuisse quosdam simul Episcopos; quosdam Episcopis inferiores. Nam vtrique in scriptura noui testamenti vocantur presbyteri; scilicet tam ij qui simul sunt Episcopi, (quo pertinent loca iam indicata) quam ij qui sunt Episcopis inferiores; quod manifestum est ex illo 1. Tim. 5. *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus*. Vt ita intelligamus nomen presbyterorum hoc loco, facit quod non est putandum Apostolos constituisse episcopum aliquem per ecclesias singulas rurales istorum territoriorum: & è diuerso non possumus dubitare quin ab his prouincijs digressuri, constituerint in maioribus saltem ciuitatibus singulos episcopos, qui regerent & solicitu line pastorali curarent fideles Sequitur,

ET *orassent cum ieiunationibus*: His verbis exponitur modus in Ecclesia hucusque vsitatus, quo fiunt ordinationes presbyterorum & aliorum ministrorum

 Ecclesiæ.

Ecclesiæ. Nempe oratur & ieiunatur à fidelibus, in primis autem ab ordinatoribus & ab ordinandis; vt Deus sua gratia eos & nunc & semper dignetur.

ITAQVE Apostoli his rebus ita confectis & procuratis, *Commendauerunt eos Domino in quem crediderunt.*] Eos, per singulas scilicet ciuitates dictas, & earum territoria, Apostoli Christianos qui recens fidem Christi receperant, *Commendauerunt Domino.*] Discedentes nimirum ab illis, bene sunt ijs precati, & pro ipsis Dominum orauerunt vt dona sua in ipsis conseruaret & augeret, atque proueheret in salutem vsque æternam.

QVÆ hoc versu & præcedente Apostoli Paulus & Barnabas leguntur fecisse, & fecerunt etiam postea, vt est cap. 15. v. 36. & sequentibus, & cap. 16. imitanda sunt ijs qui, Deo donante, infideles quoscumque ad veram Christi fidem conuerterint, vel qui peccatores ad veram pœnitentiam adduxerint: nempe, ne illos semel conuersos deinceps sibi relinquant, sine continua doctrina, directione, adhortatione, consolatione. *Quâ in re vtinam nostris temporibus nusquam esset erratum;* Vt in conuersione Indorum & alibi. Sequitur de Apostolis Paulo & Barnaba.

VERS. 23. Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam.

DICTVM fuit v. 20. eos retrogrado itinere ex Derbe redijsse Lystram, Iconium, & Antiochiam Pisidiæ: nunc additur eos totam Pisidiam transijsse, & in finitimam illi prouinciam, Pamphyliam venisse. Eam prouinciam prius transierant hi Apostoli, quum tenderent Antiochiam Pisidiæ sup. cap. 13. vers. 13. 14. Vbi diximus ex Ptolemæo Tab. 1. Asiæ, esse prouinciam pene ex aduerso Cypri Insulæ, & in extrema eius parte aquilonari fuisse oppidum Pergam; de quo dictum fuit cap. illo 13. v. 13. venisse eò hos Apostolos: & illuc iam eos redijsse, hic attexit S. Lucas, dicens,

VERS. 24. Et loquentes verbum Domini in Perge.)

NIMIRVM confirmantes & exhortantes fideles quos ibi reliquerant, paucos fortassis; & nonnullos ex infidelibus nunc conuertentes. Eo facto, *Descenderunt in Attaliam.*] Huius non est antehac facta mentio. Est autem apud Ptolemæum Tab. 1. Asiæ ciuitas maritima in extrema parte Pamphyliæ. Illuc descenderunt Apostoli, inquit S. Lucas; forte vecti per flumen Cataractum. Nam attingit Pergam & exoneratur in mare non procul ab Attalia. An illic annunciauerint Euangelium Christi, non liquet: & credibile est non annunciasse; alioqui S. Lucas non tacuisset, solitus vbique hoc exprimere, quando factum fuit.

VERS. 25. Et inde nauigauerunt Antiochiam:)

INDE, vt maritima ciuitate *nauigauerunt Antiochiam,* relinquentes Cyprum Insulam ad dextram, vt videtur; breuius enim hoc iter, quam si eam circumna-

cumnauigassent. Est sermo de Antiochia Syriæ, vt patet ex verbis sequentibus, collatis cum cap. 13. v. 1. 2. 3. 4. Erat posita ad flumium Orontem. Conferantur dicta ad cap. 11. v. 19. *Vnde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleuerunt.*] Sensus est quod ex Antiochia fuerant missi vt per diuersas prouincias annunciarent Euangelium Christi; & quod hoc iam fecerant. Id patet ex historia capitis huius & præcedentis. *Traditi*] à fratribus scilicet, siue à prophetis & doctoribus Antiochenis. Sic infra cap. 15. v. 40.

TRADITI *gratiæ Dei.*] Quod hic est in originali τῇ χάριτι, videbatur posse reddi per ablatiuum, vt significetur instrumentum morale. Erant traditi in opus Euangelicæ prædicationis, traditi verò per Dei gratiam, per sacram ordinationem, per specialem designationem quam Deus de ijs fecerat, magno in illos beneficio. Erant ex Antiochia emissi per gratiam specialemque Dei in illos beneficentiam. Potest verò & sic intelligi, istud *Traditi gratiæ Dei;* commendati & commissi diuinæ benignitati, beneficentiæ & protectioni. sup cap. 13. princ. Eadem locutio recurrit infra cap. 15. v. 40. vt iam diximus.

VERS. 26. Cum autem venissent, & congregassent Ecclesiam; retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia (quod) aperuisset Gentibus ostium fidei.

RETVLERVNT] palam in conuentu Ecclesiæ, non solum coram præfectis: vt scilicet Deo à pluribus agerentur gratiæ; & vt plures ad spiritualem lætitiam, nec non ad imitationis studium accenderentur, Sic & infra cap. 15. v. 3. *Quanta &c.* bene redditum est: sed cum sit quantitas quædam continua, quædam discreta; intellige per istud *(quanta)*, quam magna & quam multa. *Fecisset Deus cum illis* hoc est fecisset illis, dans prudentiam in actionibus; dans patientiam in persecutionibus; dans illis gratiam sermonis in concionibus & doctrina; dans insuper gratiam miraculorum, quibus doctrina quam annunciabant de Iesu quod sit Christus, confirmaretur. Huius totius rei probatio est in historia huius capitis & præcedentis: Ac de miraculis quidem videre est, illius cap. præced. v. 11. & 12. cap. vero huius v. 3 9. 19. Hoc modo accipi posse illud *(cum illis)* quomodo expositum est; doceri potest ex similibus locutionibus occurrentibus in Scriptura; quarum frequentissima est illa, *facere misericordiam cum hoc vel illo*, pro eo quod est, facere misericordiam huic vel illi, seu erga hunc vel illum; Et vix est vt aliter accipiatur illud de Ioanne Baptista infante, Lucæ 1. vers. 66. *Manus Domini erat cum illo.* Potest tamen hic sermo & aliter accipi, vt sit, Quanta fecisset Deus vtens illorum operâ; quanta fecisset ipsis cooperans, adeoque faciens ipsos non inaniter operari. Ita legitur cap 11. vers. 21. de quibusdam qui euangelium Christi annunciabant Hellenistis Antiochenis; *Erat manus Domini cum eis, multusque numerus credens conuersus est ad Dominum* Repetitur hic sermo infrà cap. 15. v. 4.

RETVLERVNT insuper & hoc, *Quod (Deus) aperuisset Gentibus ostium fidei.* q. d. Retulerunt non solos Iudæos, siue hellenistas siue alios, esse ad fidem Iesu

Christi conuersos, sed etiam multos gentiles idololatras. Hoc manifestum est ex cap. 13. v. 12. 48. 49. Huius cap. v. 1. 4. 19. Quid vero est illud, *Aperuisset Gentibus ostium fidei*? Hoc exponitur cap. sequenti v. 3. illis verbis. *Narrantes conuersionem Gentium*, scilicet à Deo factam, vt ibi subijcitur v. 4. & sup. cap. 11. v. 18. Et verè, sine speciali gratiæ diuinæ potentia non fit conuersio hominum ad fidem vel pœnitentiam: sicut ipse Saluator ait Ioannis 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.* Et hoc manifestum est ex eo, quod eorum qui vnam & eandem prædicationem Euangelij audiunt, imo qui vnum idemque miraculum maximum in confirmationem doctrinæ Christianæ factum, suisipsorum oculis conspiciunt; quidam conuertuntur ad fidem & iustitiam, quidam verò manent sui similes. Exempla fuerunt in historia huius & præcedentis capitis, & tam multa alia in historia euangelica.

NEQVE verò, quoniam hic dicitur Deus aperuisse gentilibus ostium fidei, est putandum quod isti gentiles prius pulsauerint istud fidei ostium, ac deinde Deus pulsantibus aperuerit. Hoc est, quod gentiles per sese ac liberi sui arbitrij viribus cognitionem rerum salutarium à Deo petiuerint, ac deinde ipse sic petentibus eam dederit. Hæc Pelagiana imaginatio est, qua vel fides esse homini à seipso creditur, vel dari quidem à Deo sed merito præcedentis studij, laboris, bonæ voluntatis, vel quorumcumque operum quæ bona dicantur, fidem antecedentium. Quod de gentilibus eousque idololatris, minimè omnium dici potest. Ac propterea, his ethnicis de quibus loquitur S. Lucas, *apertum est ostium fidei*; non pulsantibus; sed antequam pulsarent. Nam Deus ostium illud aperuit, ac simul eos in fidem Christianam introduxit: sicut futurum de gentilibus prædixerat Dominus per Isaiam Prophetam cap. 65. v. 1. & est repetitum ab Apostolo Rom. 10. in fine, *Inuentus sum à non quærentibus me; palam apparui ijs qui me non interrogabant.* Potest autem ostium fidei, bifariam intelligi; & vtrouis modo res eodem redit. Priore modo, vt ostium fidei sit per quod ipsa fides proximè intrat in cor seu in mentem hominis. Illud vero ostium est diuinæ gratiæ potens auxilium præueniens, quo Deus mouet quempiam vt iudicet esse credibilia quæ proponuntur; ac insuper vt reipsa illis firmiter assentiatur, tanquam diuinitus reuelatis. Ita legimus infra cap. 16. v. 14. quod Dominus aperuerit cor Lydiæ vt intenderet his quę dicebantur à Paulo. Posteriore modo, vt ostium fidei sit per quod homo in fidei conclaue introducitur, proximè scilicet & immediatè. Et isto quoque modo hoc ostium est potens gratiæ diuinæ auxilium præueniens: de quo iam dictum est. Nam eodem redit siue dicas hominem intrare in fidem, siue fidem in hominem: Sicut eodem redit, siue dicas hominem esse in febri, siue febrim in homine. Dixi, proximè; quia per prædicationem salutaris doctrinæ, & per miracula in eius cōfirmationem facta, introducitur fides in animos eorum qui conuertuntur, & ipsi in fidem: sed non introducuntur per hæc immediatè, sed tanquam per vestibulum quoddam; & in hoc vestibulo hærent, nec in conclaue fidei ingrediuntur qui prædicatione audita & miraculis conspectis non conuertuntur. Atque hæc de ostio fidei: quod distinguendum est ab ostio sermonis Euangelici, seu euangelicæ prædicationis, de quo ostio aliquoties loquitur Paulus Apostolus. Hoc ostium

ostium apertum est, quando vspiam liberè, aut saltem sine periculo, annunciatur fides Christi, seu doctrina de Iesu Nazareno quod ipse est Christus Domini, & quæ ei doctrinæ sunt consequentia; quod totum vno nomine appellatur *Doctrina Christiana*. Loca Apostoli sunt Coloss. 4. vers. 3. 2. Thess. 3. v. 1., 2. Corinth. 2. v. 12. 1. Corinth. 16. v. 9. Quibus addere licet vltima verba huius lib. cap. 28. in fine. Addit S. Lucas de Paulo & Barnaba;

VERS. 27. Morati sunt autem illic,

(QVOD addit græcus codex) Antiochiæ nimirum in Syria, *tempus non modicum, cum discipulis*. Fuit ecclesia Antiochena quoddam seminarium episcoporum & doctorum; qui satis edocti quaquauersum mitterentur ad confirmandam vel propagandam fidem Christi; quod ex initio cap. 13. colligere possumus, & ex hoc illuc reditu longaque commoratione; Apostolorum Pauli & Barnabæ in ea vrbe, & ex vers. 35. cap. sequentis. Attexit autem hoc S. Lucas vt ansam quandam narrationis quæ est cap. sequenti, de oppositione quam contra Iudaizantes Antiochiæ fecerunt Paulus & Barnabas.

ARGVMENTVM

CAPITIS XV.



OCCASIONE quorundam Iudaizantium, qui docebant Gentiles ad fidem Christi conuersos non posse saluari nisi præterea circunciderentur & obseruarent ceremonias legis Mosaicæ; congregatur Hierosolymæ Synodus Apostolorum & presbyterorum, in qua decernitur & declaratur contrarium: temporali tamen eodemque locali præcepto iubentur ijdem gentiles abstinere à sanguine & suffocatis. Posthæc Barnabas remisit Cyprum, Paulus alias prouincias; vbi antea fidem Christi plantauerant.

VERS. 1. Et quidam descendentes de Iudæa docebant fratres.

DESCENDENTES, scilicet Antiochiam Syriæ. Hoc patet ex fine cap. præcedentis collato cum v. 2. huius. *Quidam* Iudæi genere & legis veteris æmulatores, non secundum scientiam, Principes eorum Cerinthus & Hebion hæresiarchæ negantes Christi diuinitatem. Idem docebant Nazarei, tametsi Christum Dei filium crederent. S. Aug. libello de hæresibus cap. 8. 9. & 10. Epiph. nius prolixè hæresi 28.

DOCEBANT *fratres*.] Christianos qui erant Antiochiæ & locis vicinis, conuersi ex gentilismo. *Docebant*) sine mandato superiorum suorum; v. 5. huius. Similes his sunt hæretici, qui falsa docent in his quæ sunt religionis & salutis; non

non legitimè missi. Quid docebant? *Quia* (quod) *nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non potestis saluari.* Hæc est hæresis eorum qui strictè & peculiariter vocantur apud veteres scriptores Ecclesiæ, *Iudaizantes:* nempe non sufficere saluti fidem Christi & obseruationem præceptorum ipsius, nisi insuper obseruetur lex ceremonialis Moysi cum circuncisione; idque tam à gentilibus quam à Iudæis, fidem Christi amplexis. Qui valde absurdus erat error: quum ne ante quidem Christi aduentum fuerit gentilibus necessarium ad salutem vt circuncidarentur. Satis enim erat vnicum verum Deum colere; neque omnes gentiles qui tunc saluabantur, fiebant proselyti religionis Iudaicæ. Videndus B. Thom. 1. sec. q. 98. a. 5. ad 3. 2. sec. q. 2. a. 7. ad 3. Rei veritas habet, ceremonias mosaicæ legis esse noxias obseruatu post sufficientem euangelij promulgationem, eo quod earum obseruatio est falsi significatio in negotio cultus diuini. Quoniam autem mosaicæ illæ ceremoniæ in quatuor genera diuidebantur, vt est apud S. Thomam 1. sec. q. 101. art. 4. nempe in Sacramenta, Sacrificia, Sacra sic propriè dicta, & in Obseruationes ita strictè appellatas: est notandum quod Paulus Apostolus aduersus legalia illa Sacramenta legalesque Obseruationes potissimum, agit epist. ad Galat. & ad Coloss. Aduersus autem Sacrificia & Sacra legalia, epist. ad Hebræos. Quamuis autem solius circuncisionis fiat mentio hoc 1. v. tamen istos Iudaizantes docuisse quod & reliquæ ceremoniæ legales essent his Christianis obseruandæ; patet ex v. 5. huius cap.

VERS. 2. Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos:

SEDITIONE] Hoc vocabulum ferè in malum sumitur apud latinos; & tamen non potest hîc in malam partem accipi: quare non secundum vsum, sed secundum vim originationis suæ intelligendum erit, vt sit secessio, separatio, dissensio. Græcè est στάσεως, quod verti poterat *constantia*, vel etiam *resistentia*, pro materia subiecta. Græci codices hîc addunt, καὶ συζητήσεως. quod sonat disceptationem, disquisitionem & similia. Legitur id paulo inferius, v. 7. vbi noster vertit, *conquisitionem*, penè ad verbum. Sunt boni codices græci in quibus Complutensis, qui hîc legunt ζητήσεως, quod videtur melius. *Paulo & Barnabæ aduersus illos.* Hi duo Apostoli præ cæteris obsistebant illi perniciosæ doctrinæ: tum quia præcipui erant inter prophetas doctoresque Antiochenos; tum quia ipsorum potissimum opera Deus conuerterat illos Christianos ex gentibus qui erant Antiochiæ. Hoc discimus ex isto loco, collato cum cap. 11. vers. 26. Intererat igitur magnopere eorum vt hanc perniciosam doctrinam à suis discipulis auerterent. Cum igitur hic esset status rerum in Ecclesia Antiochena: *Statuerunt*] vtrique scilicet, *vt Paulus & Barnabas* præcipui huius nouitatis oppugnatores, vt dictum est; *Et quidam alij ex alijs* hoc est, ex parte aduersa; *ascenderent ad Apostolos & presbyteros in Ierusalem, super hac quæstione. Apostolos.*] Illos scilicet quos sciebant tunc esse Ierosolymæ, qui autem fuerint, dicetur ad v. 6 *Et presbyteros.*] Bene factum ab Interprete quod vocem græcam retinet; quoniam

quoniam certum est non ætatem, sed gradum ecclesiasticum significari. Conferantur quæ diximus ad v. 22. cap. superioris.

Observanda hîc est istorum Apostolorum Pauli & Barnabæ modestia, qui cum authoritate sua (quam Deus etiam miraculis confirmauerat, vt patuit cap. 13. & 14. ac speciatim v. 3. cap. istius 14.) hos Iudaizantes comprimere, ac veluti imposito pondere, obruere potuissent: ratione tamen, & doctrinæ modo cum ijs agunt; nec recusant iudicium aliorum Apostolorum, & presbyterorum qui erant Ierosolymis. Monuit hoc Chrysostomus. Et simile quiddam vidimus factum ab Apostolo Petro supra cap. 11. in principio. Pergit B. Lucas,

Vers. 3. Illi ergo.)

Pavlvs scilicet & Barnabas; *deducti ab Ecclesia.*] Antiochena nimirum; *deducti.*] Id est sumptibus huic profectioni necessarijs donati. Sic enim istud *deducendi* verbum in noui testamenti libris plerumque accipitur. Conferantur quæ dicta sunt ad B. Ioannis Epistolæ tertiæ v. 6. *Pertransibant Phœnicen* siue Phœniciam; de qua supra cap. 11. v. 19. Est pars Syriæ, in qua parte ciuitates celebres erant Tyrus & Sidon. *Et Samariam.*] Fuerat Metropolis regni decem tribuum, de qua dictum fuit cap. 1. vers. 8. cap. 8. v. 5. Videtur autem hîc, vt cap. 1. poni pro tota regione Samaritanorum. *Narrantes conuersionem gentium.*] Eam scilicet quæ descripta fuit superioribus cap. 13. & 14. *Et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus*] hoc est, omnibus Christianis qui in Phœnicia & in ditione Samaritica erant, siue Iudæis siue gentilibus genere. Hi omnes enim magno gaudio de conuersione gentium lætabantur, deoque illius authori agebant gratias, vt & illi de quibus cap. 11. v. 18.

Dispvtant hic nonnulli, an hoc tempore Paulus Apostolus vnà cum Tito ascenderit Ierosolymam, sicut ipse ait ad Galat. 2. in principio. Videntur autem rectè sentire qui affirmant; & consequenter hanc Apostolorum Synodum fuisse habitam anno Christi 51. Videlicet post annos 14 à conuersione Pauli; sicut ipse ait initio dicti cap. 2. ad Gal. Videri potest Baronius Tom. 1. anno Christi 51. §. 4. & sequentibus. Sequitur,

Vers. 4. Cum autem venissent Ierosolymam.)

Pavlvs scilicet & Barnabas, de quibus sermo est iam à v. 2. *Suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & senioribus*, hoc est presbyteris. ab his honorificè ac religiosè sunt excepti, tanquam Apostoli Domini nostri Iesu Christi; Ipsi interim, *annunciantes quanta Deus fecisset cum illis*, scilicet in conuersione gentium. Hæc verba exposita sunt superioris c. v. 26. sunt enim eadem quæ illic; & quæ vers. 3. huius. Dum verò his operibus Dei commemorandis ipsi occupantur Ierosolymis; magnoque gaudio afficiunt illius loci fideles de conuersione gentilium: ecce illic

VERS. 5. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum qui crediderunt, dicentes; Quia oportet circuncidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi.

SENSVS est, Ex secta (nec enim hæresis hîc intelligitur Ecclesiastico vsu; nec isti Iudaizantes tunc erant hæretici) Pharisæorum, nonnulli, qui fidem Christi iam susceperant, sed præpostero amore legis mosaicæ tenebantur; Paulo & Barnaba apud Apostolos & presbyteros reliquamque Ecclesiam Ierosolymitanam narrantibus conuersionem Gentium iam à Deo per ipsorum ministerium factam; *palàm & coram omnibus ibi dixerunt*, Istos Gentiles quantumuis iam baptizatos, non posse saluari, nisi circunciderentur & ceremonialem legem Moysi obseruarent. Idemque iudicium esse volebant de omnibus gentilibus, qui deinceps ad fidem Christi essent conuertendi. Mouebantur hi amore legis diuinitus datæ per Moysen; quasi idcirco deberet semper durare, & ab omnibus qui salui esse cuperent, obseruari: sed amor eorum erat præposterus, zelus eorum non erat secundum scientiam, vt Apostolus loquitur Rom. 10. vers. 2. Debebant intelligere quod circuncisio & aliæ ceremoniæ per Moysen diuinitus præscriptæ non erant præscriptæ nisi Israelitis. Debebant item intelligere quod erant significatiuæ Christi venturi, & eorum quæ is in carne mortali conuersans esset facturus & passurus: ac propterea post aduentum Christi esse inutiles, veritate nimirum quam significabant, iam exhibita; imo esse significatiuas doctrinæ falsæ, quasi Christus nondum venerit, quem ignorare non poterant iam venisse. Videntur autem hi qui ista iam Ierosolymis proclamant, fuisse ijdem de quibus v. 1. & 2. Vel potius ab ijs Ierosolymam reuersis, fuisse subornati, vt publicè hæc proponerent.

VERS. 6. Conueneruntq; Apostoli & seniores videre de verbo hoc.

APOSTOLI.] Ex collatione huius cap. cum cap. 2. epistolæ ad Galat. satis apparet tunc temporis non alios fuisse Ierosolymæ Apostolos, quam Petrum, Ioannem, Iacobum minorem Episcopum Ierosolymæ, Paulum & Barnabam. Nam Iacobus maior iam pridem occisus fuerat ab Herode Agrippa Rege, vt dictum est sup. cap. 12. in princ. Cæteri verò Apostoli iam digressi erant, alius aliò, in suam quisque prouinciam. Diuisionem enim illam celebrem Apostolorum factam fuisse anno Christi 41. aut 42. (quamuis Baronius ponat anno 44.) videmur satis docuisse supra ad cap. 12. v. 17.

SI roget quis, quomodo igitur Petrus & Ioannes nunc fuerint Ierosolymę, tempore huius conuentus, qui fuit anno Christi 51. facile est respondere, Petrum ante hoc tempus fuisse in sua prouincia, ac nominatim, Romæ; sed inde pulsum edicto Claudij Imperatoris quo is Iudæos expulerat vrbe, vt est infra cap. 18. vers. 2. Paulus autem, regressus est in Palæstinam, cæteraque loca vbi

antea

antea euangelium prædicauerat. Simile de S. Ioanne Apostolo dici debet, illum antehac fuisse commoratum Ephesi;sed diuina prouidentia circa hoc tempus recurrisse Ierosolymam; forte studio visendi Petrum Apostolum, quum intellexisset eum illuc esse reuersum ex vrbe Roma. Fuisse enim specialem quandam amicitiam ac necessitudinem inter Petrum & Ioannem Apostolos, ex euangelio obseruare est:Lucæ 22. v. 8. Ioannis 13. v. 23. 24. cap. 20. v. 2. 3. & seqq. & ex cap. 3. & 4. huius libri. *Et seniores.* Retineri poterat vox græca *presbyteri*;quoniam gradus ecclesiasticus,non ætas significatur: iuxta ea quæ dicebamus ad v. 2. huius, vbi græcam vocem Interpres retinuit;& quæ ad v. 22. cap. superioris.

QVÆRI posset, An hîc per presbyteros intelligantur Episcopi an sacerdotes Episcopis inferiores. Ad quod putamus respondendum eodem modo quo ad eam quæstionem respondimus Annot. ad illum v. 22. cap. superioris, videlicet quosdam in his presbyteris fuisse Episcopos, quosdam simplices sacerdotes. Vix enim dubium esse potest,tunc temporis (annus enim agebatur Domini 51.) fuisse per oppida Iudeæ constituros Episcopos;qui è locis suis sint per Apostolos euocati Ierosolymam, mota hac quæstione. Nam quanta solemnitate & frequentia potuit synodus ista haberi, tanta Apostoli illam peregerunt; vt tanto plenius satisfieret illis legis æmulatoribus, qui hanc controuersiam mouebant. Non etiam dubium est,fuisse Ierosolymæ & locis alijs Iudçæ simplices sacerdotes,qui sub Episcopis curam haberent animarum in subsidium Episcoporum. Credibile & hoc,fuisse Ierosolymis ab Apostolis creatos nonnullos veros Episcopos sine certa diœcesi, qui essent mittendi ad conuersionem infidelium data opportunitate. De talibus Episcopis egimus satis fusè ad 3. p. q. 72. art. 11. in solutione obiect. vlt. Et in Concil. Trident. est Canon specialis numero octauus sess. 23. Hoc ita videtur, quoniam qui hîc nominantur presbyteri, fuerunt (saltem multi eorum) Iudices in hac controuersia: erant igitur Episcopi: & tamen videntur resedisse Ierosolymis; ex vers. 2. *Conuenerunt* vtique Ierosolymis, in locum aliquem communem qui caperet istam multitudinem. *Videre de verbo hoc.*] id est perpendere, examinare, discutere rem istam,istud negocium. Notus est hebraismus quo *verbum* ponitur pro re,causa, negocio; sicut *nomen* apud latinos.

CÆTERVM est obseruandum quod hîc soli Apostoli & presbyteri nominentur qui viderent quid de ista controuersia esset dicendum; nam hi soli in negocio religionis poterant esse Iudices: vt clare significatur v. 28. huius & v. 4. cap. sequentis. Videntur tamen multi alij fuisse præsentes ex vulgo Christianorum, sed tanquam auditores dumtaxat. Hoc ita videtur ex v. 12. & 22. Imo fuisse præsentes & ipsos Iudaizantes qui hanc quæstionem suscitauerant, apparet ex v. 7. collato cum versu 10. Exemplum quo docemur ad Synodum Ecclesiasticam aduersus hæreses congregatam, admittendos esse & hæreticos, si adesse velint & sua proponere; vt deinde aptè refutentur. fieri ita solere, notum ex historijs.

VERS. 7. Cum autem magna conquisitio fieret,)

CONQVISITIO] græcè est. *ζήτησις*. Vt sensus sit, Cum magna orta esset ibi coram omnibus disceptatio de quæstione proposita; Iudaizantibus strenuè certantibus pro sua sententia, Paulo & Barnaba cum alijs sapientibus, contrarium affirmantibus, & rationes Iudaizantium dissoluentibus; cum igitur hæc ita fierent coram tota multitudine quæ conuenerat: *Surgens Petrus*,] loquitur Petrus primo loco inter Apostolos, tametsi esset illic præsens B. Iacobus Episcopus ciuitatis: nimirum, tanquam supremus Ecclesiæ vniuersalis Pastor, & tanquam episcopus Episcoporum, hoc facit S. Petrus. *Dixit ad eos*. Illud (eos) refert potissimum illos de quibus v. 5. & verbis huius versus præcedentibus; quatenus illi Iudaizantes authores erant magnæ istius disceptationis de obseruatione legalium per gentiles Christianos facienda. Quod istud (eos) potissimum illos designet colligimus ex v. 10.

OBSERVAT Chrysostomus sermonem Petri directè quidem eo tendere vt doceat gentiles non esse subijciendos circuncisioni, & ceremonijs legalibus: indirectè autem illuc, vt Iudæi intelligant, ne sibi quidem deinceps hæc esse obseruanda.

VIRI *fratres*] sic alloquitur istos, etiam Iudaizantes, Princeps Apostolorum, Vicarius Christi, mansuetudinem & modestiam nobis suo exemplo commendans. Erant *fratres* Apostoli Petri, quatenus Iudæi; item quatenus Christiani, vt dicebatur vers. 5. tametsi non satis instructi in fide Christi. *Vos scitis quoniam* (quod) *ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Ab antiquis diebus*,] Id est, iam pridem, multo iam elapso tempore, nempe decem annis ante hoc tempus. Vox græca sonat varia; sed nihil huic loco magis quadrat quam vt vertatur quomodo vertit Interpres, & vertunt etiam alij hoc loco Interpretes; ac eodem modo redditur infra v. 21. Nec est insolens dici antiquum, aliquid quod memoriam tamen hominum non excedit: nam & rumorem vel famam dicimus antiquam quando iam longiusculo tempore durauit, desijtque esse recens. *In nobis*.] Id est, inter nos Apostolos, *Deus elegit per os meum Gentes audire Verbum Euang lij, & credere;*] Nempe quando me misit ad homines gentiles Cornelium Centurionem & familiam eius. sup. cap. 10. v. 5. 19. *Audire Verbum euangelij*] Id est lætum illud nuncium de modo adipiscendi salutem. Eodem cap. 10. v. 34. & seqq. *Et credere*.] Verbo Euangelij per me illis annunciato, nulla facta mentione circuncisionis; ac eius fidei professione, baptismo scilicet, incorporari Ecclesiæ Dei. Eodem cap. 10. v. 33. 44. & seqq. *Vos scitis*] quoniam huius rei notitia statim diuulgata est quaquauersum; & vos ipsi Christiani Iudæi quum postea venissem Ierosolymam, mecum expostulastis quod conuersatus essem cum gentilibus; ac ego vobis omnem rei gestæ ordinem exposui; & me audito vos Iudæi beneficium Dei collaudastis qui gentes etiam absque circuncisione saluaret. sup. cap. 11. à princ. vsque ad v. 19.

VERS.

VERS. 8. Et qui nouit corda, Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis:

SENSVS est; Deus ipse illis, ad meam prædicationem iam credentibus Euangelio Christi, nec tamen circuncisis aut legem ceremonialem Moysi professis, testimonium præbuit quod illos haberet pro fidelibus; hoc, inquam; de illis Deus est testatus, per hoc quod visibiliter eis dedit Spiritus sancti dona, sicut quondam dederat nobis Apostolis die Pentecostes. Conferantur cap. 10. v. 44. 45. 46. & cap. 11. v. 15. & seqq. Isto modo, de ijs, tametsi non circuncisis, testatus hoc est Deus; Deus inquam, qui vt fallere non potest; sic neque falli; cum sit penes ipsum omnium, quantumuis occultorum, notitia, vtpote cordium cognitorem. Istorsum dicit B. Petrus illud, *Qui nouit corda:* græcè *ὁ καρδιογνώστης*. Addit deinde; amplioris ponderis causâ,

VERS. 9. Et nihil discreuit inter nos & illos,

INTER *nos* qui eramus circuncisi ab infantia, & ceremonias legis obseruare soliti. Hæc enim latent in illo (*nos*) quum discretiuè ponatur, (*Et illos*) Cornelium & familiam eius, non circuncisos, neque ceremonias legis obseruare consuetos; sed sine his vnicum verum Deum anteà colentes, & me annunciante suscipientes fidem Christi. *Inter nos & illos Deus nihil discreuit*, dans nimirum visibiliter Spiritum sanctum illis, ita se habentibus; vt quondam dederat nobis, antea circuncisis & legis ceremonialis obseruatoribus. Item, *nihil discreuit inter nos & illos*; volens illos, tametsi incircuncisos, per me introduci & admitti in suam nouellam ecclesiam; sicut iam antea nos in eam introduxerat. Conferantur dicta ad cap. 11. vers. 17. & perpendantur illa verba Domini ad Petrum ecstaticum dicta, cap. 10. v. 13. *Surge Petre, occide & manduca*. Perpendantur & verba præcedentia huius loci. Ex quibus simul iunctis, intelligimus quod illa apud Deum indifferentia Iudæorum & Gentilium, quam hic commemorat Petrus Apostolus, sit in eo posita, quod vtrosque vult recipi in Christi Ecclesiam.

ET ne dicerent hi Iudaizantes, immundos esse gentiles sine circuncisione; sese autem esse gentem sanctam, semen Abrahæ: addit Petrus, de Deo loquens, *Fide purificans corda eorum*. Quod consentit cum eo quod ipsi ecstatico, dictum fuerat, *Quod Deus purificauit tu commune ne dixeris*, cap. 10. v. 15. Sensus verborum præsentium est, Non est quod vos Iudæi qui Gentiles Christianos vultis circuncidi & ceremonias legis obseruare, & negatis eos alioqui sine his saluandos; non est (inquam) quod eos habeatis alioqui immundos, ideoque indignos qui vobiscum in vnum corpus Ecclesiæ Christi cooptentur, sintque pars populi Dei, vt vos estis: non sunt immundi; purificauit eos Deus, qui sensibiliter dona Spiritus sancti in eos effudit, sicut in nos Apostolos die Pentecostes fecerat. *Purificauit* verò eos *fide*. Quod quomodo accipiendum sit, paulo accuratius expendendum est. Hic idem Apostolus Petrus Act. 2. vers. 38. cordis

purificationem tribuebat baptismo à Christo instituto, quando per illum dandam remissionem peccatorum docebat. cap. verò 3. v. 19. aiebat, *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra;*

Vbi purificatio cordium tribuitur pœnitentię & conuersioni animi. Quibus locis consideratis, considerato etiam eo, quod fides hîc non ponatur ex aduerso pœnitentiæ aut sacramenti, sed potius, (quod exprimit Chrysostomus homil 32. in princ) ex aduerso circuncisionis & obseruationis ceremoniarum legalium: Nobis videbatur *fidem* hoc loco vel pro obiecto christianæ fidei esse positam; vel saltem, cum fidei christianæ obiecto (quod est Christus & eius sacramenta ac præcepta) esse concipiendam: Vt sensus sit, quod Deus Cornelium & familiam eius à peccatorum labe purgauerit per veram de Iesu Christo fidem, tanquam per dispositionem quandam qua tollatur mentis circa res agendas ignorantia; per veram autem pœnitentiam (quam fides docet requiri ad consequendam remissionem peccatorum), tanquam per dispositionem magis propinquam qua tollitur affectus peccati. At per baptismum, efficienter, tanquam per instrumentum proximè operans, tollitur & macula ex peccato relicta, & reatus pœnæ debitæ. Qui baptismus est fidei sacramentum, fideique professio, eumque fides docet esse susceptu necessarium.

Ad hunc modum videtur & alibi sumi nomen *fides*, si quis sedulò aduertat. Est locus bene idoneus cap. 16. v. 31. & sequent. & cap. 26. v. 18. Galat. 3. v. 23. *Priusquam veniret fides* &c. Id est, priusquam veniret Christus, fidei nostræ materia propria. Et v. 25. *Vbi venit fides; iam non sumus sub pædagogo: omnes enim filij Dei estis per fidem, in Christo Iesu. Vbi venit fides:* Id est Christus, & eius sacramenta. Fidei enim christianę hoc est obiectum, quod hic Iesus est Christus, & quod hæc sunt eius præcepta & sacramenta. Vnde ibidem Apostolus subijcit hanc probationem, *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis, &c.* Si autem vos Christi; &c. Ecce, quos dixerat esse *filios Dei per fidem*: nunc dicit per baptismum à Christo institutum, esse filios Dei, & hæredes regni. Et cap. 2. eiusdem epistolæ v. 20. quum dicit idem Apostolus, *Viuo, iam non ego; sed viuit in me Christus. Quod autem nunc viuo* (Deo scilicet ex v. præcedente) *in carne; in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. In fide viuo filij Dei;*) hoc est, In gratia, quam nobis filius Dei promeruit, quam fide noui, & cuius pars vna est ipsa fides; in hac Christi gratia, viuo Deo. Ita enim sese ibidem explicat Apostolus verbis sequentibus; vbi quum ait *sese non respuere gratiam Dei*, dicere vult se toto affectu eam amplecti, vt qui sciat per ipsam demum, & non per legem, multo minus per vires naturæ, iustitiam veram nos adipisci. Et hæc dicens; sub nomine *gratiæ* & *fidei* vtique & sacramenta Christi, quæ fides docet, quæ gratiæ sunt instrumenta, subintelligit, vt ex alijs eius sententijs, vbi sacramentis tribuit gratiæ collationem, facile intelligitur.

Et quum in euangelio Dominus aliquoties ijs quos beneficio affecerat, dixit, *Fides tua te saluum fecit*: non est putandum quod nomine *fidei* præcisè intelligat id quod vocabulum sonat, sed simul inuoluit illius fidei obiectum, quod erat ipse Christus Dominus, quem illi credebant filium Dei Saluatorem mundi. Vt sensus sit; Tu credis me esse Dei filium Messiam: ego de quo hoc credis, gratam

gratam habens istam tuam pietatem, tuaque fide hac inuitatus ad vlterius benefaciendum, confero tibi quam petis salutem.

HÆC idcirco pluribus dicta sunt, quoniam Sectarij abutuntur hac scriptura ad suum placitum, de sola fide iustificante; contra tam apertas alias scripturas. Qui in hoc etiam errant, quod ipsam fidem quam solam dicunt iustificare, malè intelligant; scilicet vel suam hæresim, vel fidem suam illam specialem.

EST autem obseruandum quod Petrus Apostolus per hæc verba vult significatum istis Christianis Iudaizantibus, ne ipsos quidem fuisse purificatos seu coram Deo iustificatos per obseruationem ceremoniarum legalium; *sed per fidem Iesu Christi*, Id est, de Iesu quod ipse sit Christus; & quæ in illa fide continentur, meritum scilicet ipsius Christi redemptoris, sacramenta quæ nobis sanctificandis instituit, præcepta quoque quorum necessariam esse obseruationem eadem fides nos docet; inter quæ præceptum de agenda pœnitentia, & de baptismo suscipiendo, præcepta item de conseruanda & augenda iustitia per bonorum operum assiduitatem. Hæc (inquam) S. Petrus nunc istis Iudæis innuit, quæ Paulus Apostolus, in sua ad Iudæos concione, planè & clarè enunciauit, sup. cap. 13. v. 38. Ex quo vlterius relinquit intelligendum B. Petrus, quod ne Iudæis quidem deinceps sit necessaria circuncisio aut ceremoniarum legalium obseruatio: tantum abest vt gentilibus ad fidem Christi conuersis eæ sint necessariæ. Monuit hoc Chrysostomus ad initium huius concionis B. Petri, vt supra diximus ad v. 7.

VLTIMO loco illud hîc dicendum est, quamuis pro isto (purificans) græcè sit καθαρίσας quod præteriti significationem habet; recte tamen nostrum Interpretem vertisse. Nam istud (*purificans*) ampliatur ad præteritum, propter verbum huius enunciationis principale quod præteriti temporis est, *discreuit*, scilicet. Nec tamen est sensus iste, nihil discreuit inter nos & illos quum fide purificasset corda eorum; quasi prius fuerit cor eorum purificatum, antequam visibiliter acciperent Spiritum sanctum; hoc enim tanquam minus probabile sup. ad cap. 10. v. 2. reiecimus, quum ex tribus sententijs illic positis elegimus & confirmauimus tertiam. Sed sensus est *nihil discreuit inter nos & illos, qui fide purificauit corda eorum*. Summa eorum quæ hactenus dixit B. Petrus, hæc est; Non debemus velle gentes ad salutem adducere, alia via quam eâ quam monstrauit Dominus, & signis comprobauit. Atque ex his idem Apostolus conficit sermonis sui conclusionem, noua etiam ratione addita, vt suo loco indicabitur; inquiens:

VERS. 10 Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum; quod neque Patres nostri neque nos portare potuimus?

HI Iudaizantes tentabant Deum, id est Dei patientiam; imo ad iram eum prouocabant, resistentes ordinationi ipsius. Nam visibilibus signis Deus

de-

demonstrauerat quod vellet saluare gentiles per fidem Christi, pœnitentiam prioris vitæ, & baptismum, absque circuncisione & ceremoniarum legalium obseruatione: hi autem contra affirmabant sine his eos saluari non posse, quantumuis fidem Christi amplexos & baptizatos. Resistebant igitur diuinæ sapientiæ & voluntati; ideoque ad grauem punitionem sibi inferendam Deum tentabant. *Imponere*, Id est, *vt imponatis, Iugum,*) Intelligitur circuncisio & legalium ceremoniarum obseruatio. Hoc iugum super ceruices discipulorum conuersorum ex gentilitate, isti Iudaizantes imponebant, quantum in ipsis erat; per suam doctrinam qua contendebant eos sine istius iugi portatione saluari non posse. Necessitatem igitur huius iugi gestandi ijs adferebant, quantum quidem poterant: & ista necessitatis assertio est huius iugi impositio. Addit S. Petrus de isto iugo loquens, *Quod neque Patres nostri neque nos portare potuimus.* Vbi noua ratio videtur addi, seruiens proposito confirmando, q. d. Inutile futurum est si gentilibus hoc iugum imponatur. Non poterunt enim portare: cum neque neque nos Iudæi, à prima ætate legalibus ceremonijs assueti, neque Patres nostri, illud portare potuerint. Dicit hoc Petrus Apostolus propter multitudinem præceptorum ceremonialum, & propter multorum ex ijs grauitatem: quæ vtraque tanta erat, vt rarus inter ipsos Iudæos esset qui non vel per ignorantiam vel per infirmitatem, vspiam offenderet. Significauit hanc multitudinem & grauitatem Paulus Apostolus, tanquam onus importabile, illis verbis ad Gal 5. v. 3. *Testificor omni homini circuncidenti se, quod debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Rarus itaque etiam inter Iudæos erat, qui omnes ceremonias lege præcepras obseruaret, vel secundum substantiam operis; pauciores, qui omnes, moraliter benè; paucissimi, qui omnes salutariter, sic vt ea obseruatione mererentur vitam æternam. Fuisse tamen nonnullos qui eas omnes sic obseruarent, liquet ex Lucæ 1. v. 6. Vbi de parentibus S. Ioannis baptistæ legitur, quod erant iusti ante Deum, *incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Et idem de S. Ioseph marito Deiparæ, de Simeone sene, de Anna prophetissa, ex his quæ leguntur Matth. 1 Lucæ 2. possumus ratiocinari; ac de alijs similiter iustis, vetere lege habente adhuc suum statum. Quod igitur ait S. Petrus, *Iugum istud neque patres nostri neque nos portare potuimus:* difficultatem iugi significat, vel paucitatem gestantium: non omnimodam impossibilitatem. Nam Deus vtique per Moysen illa ceremonialia præcepta dederat; Deus autem non præcipit hominibus impossibilia. Nihilominus credibile est, etiam inter iustos illius temporis, fuisse paucos qui nunquam & nusquam impingerent in vllum ceremoniale præceptum ex tam multis: sed non semper propterea desinebant esse iusti; eo quod non omnis omissio talis esset mortale peccatum, præsertim si ex infirmitate vel ex inaduertentia accideret, sine notabili scandalo infirmorum. Conf. S. Tho. 1. sec. q. 101. a. 3. ad 2. & alibi.

OBSERVANDVM est quod B. Petrus cum ait hoc loco, *Neque patrés nostri neque nos iugum illud portare potuimus;* per illud (*nos*) quod significat Iudæos illius temporis, vult notare istos Iudaizantes, qui hanc controuersiam gentilibus Christianis mouebant de obseruandis legalibus; quum ipsimet illa præcepta ceremonialia non obseruarent, nec obseruare omnia possent. Hos itaque Iudaizantes

Iudaizantes notat; sed ciuiliter, vtens figura communionis, dum non ait, *(vos)* sed *(nos)*; quasi seipsum cum reliquis Apostolis & presbyteris includens generali sermoni; causa mitigandi reprehensionem. Et quasi quæreretur, Quænam igitur nobis spes salutis? addit,

VERS. 11. Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari; quemadmodum & illi.

GRATIA Christi hoc loco, & multis alijs non illa dicitur quæ in Christo homine est, quo modo Ioannes Apostolus de verbo carne facto dixit esse plenum gratiæ & veritatis: sed illa Dei gratia quæ nobis à Deo datur merito Christi redemptoris, & non aliter; nobis (inquam) iam peccato corruptis. Omnes enim quicumque fidem, pœnitentiam, veniam peccatorum, iustitiam, profectum vel perseuerantiam in iustitia, sunt consecuti siue durante lege naturæ, siue durante lege Mosaica, siue sub lege Euangelica, post scilicet aduentum Christi; hæc & quæ alia esse possunt dona ad salutem directe pertinentia, non acceperunt nisi Deo Patre illa gratuito ipsis donante propter meritum passionis, crucis & mortis Vnigeniti sui Domini nostri Iesu Christi; qui idcirco passus, crucifixus & mortuus est vt hæc nobis à Deo Patre obtineret, sicut & obtinuit. Ait igitur S. Petrus, quod etiam Iudæi istius temporis salutem sint consecuturi per Christi gratiam; videlicet fidem de Iesu quod sit Christus, recipientes, & secundum eam viuentes, etiamsi non portent iugum ceremoniarum legalium: volens intelligi quod multo magis gentiles facti Christiani, sine istis legalibus queant saluari, per Dei gratiam merito Christi. *Credimus*, nos scilicet Iudæi Christiani: hi enim intelliguntur ex præcedentibus. *Saluari*] Tam salute viæ quam salute patriæ. vtraque enim est intelligenda: sicut & sup. c. 11. v. 14. c. 13. v. 26. 47. & alibi sæpissime. Imo est vna eademque salus, quę hic inchoatur & in futuro sæculo perficitur. Non vult autem B. Petrus quod fide catholica hoc vnusquisque de se credat: sed quod in vniuersali, quoad saluandos.

QVEMADMODVM *& illi. Quemadmodum*; nempe per gratiam Domini Iesu Christi. *Et illi.* Duplex hîc est ambiguitas; Prior, quo referatur istud, *illi*; Posterior, quod verbum ei subaudiatur. Ad priorem ambiguitatem, dicendum quod pari probabilitate istud *(illi)* referat vel hoc *(patres nostri)* quod proxime præcesserat; vel illud *(Gentes)* seu gentiles de quibus v. 7. 8. 9. Illic S. Petrus dixerat Cornelium & domesticos eius, homines gentiles, sine circuncisione & ceremoniarum mosaicarum obseruatione, fuisse constitutos in statu salutis per fidem Iesu Christi, atque sic receptos in ecclesiam; Deo volente ita fieri, idque declarante per visibilia signa, mittente in eos sensibiliter dona Spiritus sancti, eadem quæ in ipsos Apostolos die Pentecostes. Nunc inde colligit etiam Iudæos Christianos saluos futuros per gratiam Christi; sicut illos gentiles ea via Deus saluos fecit; etsi minimè circuncisos, aut ceremoniarum legalium obseruatores. Atque ita tacitè (quod ex Chrysost. semel iterumque monuimus) innuit, ne ipsos quidem Iudæos deinceps (post scilicet Euangelij de Christo,

promulgationem) obligatos esse vt circuncidantur aut legales ceremonias obseruent: Cum præsertim vna pars gratiæ per Christum Iudæis allatæ, sit libertas à iugo ceremoniarum Mosaicarum; vt ex Apostoli Pauli verbis didicimus, sup. 13. v. 38.

QVOD si τὸ (*illi*) referat (*patres nostri*) quod proximè præcesserat: sensus est, veteres iustos qui aduentum Christi præcesserunt, fuisse saluatos (salute & huius sæculi & futuri) per Christi gratiam; vtpote per cuius venturi meritum Deus illis dedit fidem, pœnitentiam, veniam peccatorum, iustitiam, profectum, perseuerantiam. Nam sine fide mediatoris non sunt saluati, neque qui tempore legis naturæ iustè vixerunt, neque qui tempore legis Mosaicæ; sed per eius demum meritum, fide cognitum, & ex fide Deo Patri oblatum, remissio peccatorum & status iustitiæ adeoque salutis, omnibus obtigit, quibus obtigit. Dixit ea de re S. Aug. tum alibi, tum luculenter lib. 1. ad Bonifacium cap. 21. ad finem, contra Pelagium, imperitè & impiè tempora tria sic distinguentem; vt in tertio demum salus hominibus sit per Christum. Ad refutandum eius errorem S. Augustinus adfert hanc B. Petri sententiam. Intelligit V. Beda in Comment. huius loci eodem modo quo Aug. qui Aug. & aliam ibi scripturam euidentissimam allegat, qua doceatur & ante legem & tempore legis sanguinem Christi fuisse hominibus necessarium ad salutem. Est autem illa, 1. Tim. 2. *Vnus Deus; vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Poterat addi locus æquè appositus, ex huius lib. cap. 4. v. 12. Est ea de re peculiaris articulus apud S. Thomam. 2. sec. q. 2. a. 7.

SI autem roget quis, An veteres iusti qui tempore legis fuerunt, non sint iustificati, & consequenter in statu salutis positi per obseruationem ceremonialium præceptorum legis Mosaicæ: quid dicendum sit, & quomodo distinguendum, peti potest ex eodem S. Thoma 1. sec. q. 103. a. 2.

POSTERIOR ambiguitas in eo est, quid subaudiatur quum dicitur, *quemadmodum & illi*: an sensus sit, Quemadmodum & illi *sunt saluati*; an vero, Quemadmodum & illi, *crediderunt se saluos fieri.* Vener. Beda manifestè hoc posteriore modo intelligit. S. verò August. loco paulo antè allegato cap. 21. lib. 1. ad Bonif. videtur modo priore intellexisse, & manifestè cap. 25. de peccato originali. Sed parum interest vtro modo intelligatur; quum vterque sensus alteri sit consequens. Nam de iustis sermo est; qui vtique non nisi per gratiam Christi fuerunt constituti in statu salutis; & hoc ipsum crediderunt, scilicet sese non posse in eo poni, nisi per Christi gratiam. Hucusque verba B. Petri ad præsentem illic multitudinem: Pergit deinde S. Lucas narrare cætera, & dicit;

VERS. 12. Tacuit autem omnis multitudo.)

VERSV 5. & 7. narratum fuit quod Iudaizantes acriter illic disceptaneriint pro sua sententia, qua volebant gentilibus Christianis imponi legem ceremonialem & circuncisionem; disceptanerunt autem publicè coram tota multitudine, donec Petrus Apostolus surgens verba faceret, quibus eos errare ostendit. Nunc igitur sermone Petri Apostoli finito, tacet tota multitudo, etiam

iam illi acres disceptatores qui fuerant tumultuosè altercati pro legalibus; tacent nunc omnes, non habentes quod tam euidentibus B. Petri argumentis responderent; tum & veriti authoritatem ipsius, tum verò & modestia ac mansuetudine eius molliti, quam sermocinando adhibuerat. Tacuerunt ergo omnes; *Et audiebant Barnabam & Paulum, narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos.* Credibile est Petrum Apostolum, quum sermonem suum superiorem finiret, monuisse Paulum & Barnabam illic præsentes, vt coram tota multitudine, in confirmationem & ad conformitatem eorum quæ ipse dixerat, referrent quot & quam magna miracula Deus per eos fecisset inter gentiles ad fidem Christi conuersos, tametsi non circuncisos neque legales ceremonias obseruantes. Hoc nobis est credibile fecisse Apostolum Petrum, considerantibus ipsam eius concionem superiorem, & conferentibus cum huius cap. v. 3. & 4. & cap. præced. v. 26. Considerantibus etiam quod Paulus & Barnabas non prosiluerint in medium nullo monente vel inuitante in illo consessu. Porro hæc signa & prodigia sunt quadam ex parte descripta cap. 13. & 14. Hi igitur duo Apostoli publicè ea illic *narrauerunt* id est fusè exposuerunt.

VERS. *13.* Et postquam tacuerunt; respondit Iacobus, dicens; Viri fratres, audite me.

IACOBVS.] Episcopus loci. *Postquam tacuerunt*, Paulus & Barnabas, tum demum ipse loquitur; ita ordinatè ac modestè illic gerebantur omnia. Etiam hinc possumus argumentari Paulum & Barnabam, inuitante Petro Apostolo fuisse loquutos ea quæ iam commemorata sunt: nam alioqui non videntur fuisse loquuturi in illo conuentu, antequam B. Iacobus, ipsius loci Episcopus, esset suam sententiam proloquutus. *Viri fratres.*] digna sancto Apostolo modestia.

VERS. *14.* Simon narrauit.)

SIMON] græcè est Symeon: sed scire oportet esse idem nomen quod hebraicè pronunciatur (vide in cod. heb. Genes. 29. v. 33. & vbicumque occurrit id nominis) Sim-on; & græcè, melioris soni causa, Simeon. Id quod liquebit conferenti græcum codicem Ioannis 1. v. 40. 41. 42. Eadem annotatio valet ad B. Petri epistolam 2. cap. 1. in principio. *Narrauit*] fusè exposuit, græcè. *Quemadmodum primum Deus visitauit sumere ex gentibus populum nomini suo. Primum.* id est, eo tempore quo Deus fecit initium vocationis gentium. *Visitauit*, græcè, ἐπεσκέψατο. idem verbum quod habemus in Cantico Zachariæ, principio & fine: quod non potest hic melius reddi quam, *visitauit*: significat autem, quando Deo tribuitur, gratuitam eius beneficentiam qua alicui boni quippiam confert.

SENSVS totius orationis est, Simon Petrus fusè exposuit, quomodo Deus

per suam benignitatem fecit initium etiam ex gentibus assumendi sibi populum, qui ipsius verus cultor esset; quique ideo nomen ipsius gereret vt diceretur populus Dei; quo demum modo Deus hoc fecerit; nempe annunciando & inspirando gentibus fidem Christi sui, sine circuncisione ac sine obseruatione ceremoniarum legalium. Hæc B. Petrum dixisse, liquet ex superioribus eius verbis à S. Luca recitatis; qui tamen summatim dumtaxat credendus est retulisse quæ is fusè exposuerat; vt & alibi factum est. Pergit B. Iacobus & ex scriptura vetere B. Petri sententiam confirmat dicens.

VERS. 15. Et huic concordant verba Prophetarum: sicut scriptum est, nimirum Amos Prophetæ cap. 9. v. 11. 12.

VERS. 16. Post hæc reuertar,)

B. Iacobus sensum verborum Domini quæ sunt in Amos retulisse cōtentus, non omnino eadem verba ponit, quæ vel in hebræo sunt vel apud 70. Hîc certè, loco istius *(Post hæc)* tam hebræus quam 70. dixerunt, *In die illa*; significatur autem tempus gratiæ, tempus post aduentum Christi. *Reuertar*, fiam propitius populo cui eram iratus. *Et reædificabo tabernaculum Dauid quod decidit; & diruta eius reædificabo, & erigam illud:* Tabernaculum Dauidis est populus Iudaicus: Hoc tabernaculum collapsum fuit, dum plurimi ex gente Iudaica Christum in carne præsentem, inter ipsos conuersantem & miraculis multis & magnis demonstrantem se esse filium Dei vnigenitum, Saluatorem mundi; noluerunt tamen agnoscere, sed in malitia sua perstiterunt. Reædificatum fuit & erectum istud tabernaculum, eatenus quatenus Apostoli, septuaginta discipuli, & ex eodem Iudaico populo multi alij, Christum per fidem susceperunt. Sed quoniam ad reædificationem huius tabernaculi non erat satis lapidum, permultis Iudæis in infidelitate manentibus; ideo in supplementum Deus alios lapides assumpsit ex gentibus; atque ita huius spiritualis ædificij perfecta fuit murorum instauratio. Sequitur enim in verbis prophetæ,

VERS. 17. Vt requirant cæteri hominum, Dominum)

CÆTERI *hominum*, alij etiam quam Iudæi. quod sequentibus exponitur, *Et omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum.*] Id est, quas ad fidem & cultum mei adduxerim, eoque modo fecerim populum meum; & ipsę populus meus habitæ fuerint ac nominatæ. Hoc est enim, locutione in scripturis sanctis vsitatissima, nomen alicuius super quempiam vocari vel inuocari, hunc illius nomine censeri, tanquam filium, ministrum, vxorem, clientem, aut simili quopiam modo. Exemplum Isaiæ 4. vers. 1. Ierem. 14. v. 9. 2. Reg. 12. v. 28. in hebr. Genes. 48. v. 5. 6. 16. Heb. 11. v. 16. Sequitur,

DICIT *Dominus faciens hæc*. q. d. Ego Deus omnipotens hæc promitto, cui facillimum est quæcumque promitto, facere, vt loquitur Apostolus Rom. 4. v. 21. Hoc sæpè B. Aug. contra Pelagianos inculcat, conuersionem hominum non promitti

promitti à Deo tanquam quæ per naturæ vires sit facienda, sed eam à Deo promitti tãquam opus suum, quod ipse per suæ gratiæ potentiam ac benignitatem fit in cordibus hominum facturus. Atque hactenus verba Domini apud Amos Prophetam, recitata à S. Iacobo: qui Apostolus deinde subnectit verba sua;

VERS. 18. Notum à sæculo est Deo opus suum.

HÆc sententia græcè legitur pluraliter; sensu eodem Videtur B. Iacobus hæc verba attexere verbis prophetæ velut assumptionis vice, qua prophetæ verba adaptentur rei propositæ. q. d. Deus per prophetas prænunciauit conuersionem gentium tanquam opus suum, quod opus eiusque perficiendi omnem modum, ipse ab æterno prænouerit; imo prædecreuerit; Atqui per prophetas suos Deus quando conuersionem gentium promittit, nihil dicit de circuncisione & legalibus ceremonijs per eas obseruandis: Ergo non est ex voluntate Dei quod quispiam gentiles velit ad ista obligare, aut docere esse obligatos. Et huic iam apte cohæret conclusio sermocinationis B. Iacobi, quæ est verbis sequentibus.

VERS. 19. Propter quod, ego iudico non inquietari eos qui ex gentibus conuertuntur ad Deum:

INQVIETARI, παρενοχλεῖν, obturbari, vel quid simile. Sensum dat Interpres. Iudico, ait Apostolus Iacobus, eos qui ex gentilitate conuertuntur ad fidem Christi, non esse molestandos onere legis ceremonialis & circuncisione. Vnde relinquit intelligendum, hæc illis non esse ad salutem necessaria, vt docebant illi pseudoapostoli huius controuersiæ authores, de quibus initio cap.

EOS *qui ex Gentibus*] Hoc potest generaliter accipi; Mens enim B. Iacobi erat nullos ex gentilitate factos Christianos, esse onerandos circuncisione & obseruatione ceremoniarum legalium. Nec tamen inde sequitur quod decretum Apostolicum hac synodo factum, ligauerit omnes omnino ex gentilitate conuersos: sed oportet videre quibus Apostoli mittant suum decretum, & qui alij eiusdem sint rationis cum illis ibi nominatis. qua de re ad v. 23. dicetur, Deo propitio.

VERS. 20. Sed scribere ad eos vt abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis & sanguine.

HÆc verba repetuntur infrà in ipso Apostolico decreto vers. 29. Vbi exponentur, & singulorum ratio reddetur, Deo fauente. Addit Beatus Iacobus,

VERS. 21. Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus qui eum prædicent in ſynagogis, vbi per omne ſabbatum legitur.

QVORSVM verò hoc dicat S. Iacobus, non ſatis liquet; & alij aliud adferunt: ſed bene veriſimilis eſt Chryſoſtomi explicatio, in iterata expoſitione: his verbis B. Iacobum reddere rationem quare gentilibus demum ad fidem Chriſti conuerſis, non etiam Iudæis Chriſtianis hæc velit ſcribi; nempe id fore ſupernacaneum, eo quod ſingulis ſabbatis per ſynagogas Iudæorum legatur pentateuchus Moyſi; in quo hæc vetantur. *Idololatria* quidem, & quicquid ad cultum idolorum pertinet, paſſim: ſed expreſſius Exodi 20 princ. Leuit. 18. v. 24. & ſequentibus vſque ad finem cap. & Numer. 25. toto. *Fornicationem* autem fuiſſe illicitam, & talem fuiſſe habitam, liquet ex Geneſ. 38. v. 24. & cap. illo 25. Numer. terribile exemplum legitur punitę fornicationis. Quin & Deut. 22. v. 21. iubetur morte puniri etiam ſimplex fornicatio. *Eſus ſanguinis* prohibetur Geneſ. 9. verſ. 4. Leuit 7. v. 26. 27. & cap. 17. v. 10. ac ſeqq. Quibus ijſdem locis *eſus ſuffocatorum* rectè intelligitur prohibitus: quoniam quæ ſuffocantur eorum ſanguis non funditur, ita fit vt ſi ſuffocata comedantur eorum caro ſimul cum ſanguine edatur. Atque hæc de ſententia Chryſoſt.

POSSET videri B. Iacobus verbis iſtis voluiſſe cauſam indicare cur iſta præcepta ſaltem ad tempus & per certa loca, viderentur danda gentilibus ad Chriſtum conuerſis q. d. In ſingulis ciuitatibus etiam gentilium vbi degunt Iudæi, variè diſperſi, ſunt eorum ſynagogæ, vbi ſingulis ſabbatis legitur pentateuchus Moyſi & reliqua ſcriptura ſacra; ita fit vt Iudæi, etiam qui in ciuitatibus gentilium degunt obſeruent ceremonias legales; & ab hoc more vix vlli reſiliunt ex ijs qui fidem Chriſti recipiunt, reuerentia moti legis à Deo datæ per Moyſen: ac propterea difficulter in vnam Chriſti Eccleſiam redigentur hi cum gentilibus fidem Chriſti ſuſcipientibus, niſi aliquos ſaltem ritus habeant iſti cum Iudæis communes, eos præſertim qui ad naturalis legis ductum propius videntur accedere; quales ſunt abſtinentia ab omni eo quod redolet cultum idololatricum; item abſtinentia à ſuffocatorum eſu, ac generatim ab eſu ſanguinis. Hanc rationem explicuit S. Aug. contra Fauſtum lib. 32. cap. 13. Sequitur,

VERS. 22. Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus, cum omni eccleſia, eligere viros ex eis; & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba:

ET *ſenioribus*] Potuiſſet Interpres retinere vocem græcam (*preſbyteris*): quoniam non ætas ſed eccleſiaſtica dignitas eo nomine hic ſignificatur. Idem iudicium de huius cap. v. 4. 6. & alijs locis quæ indicauimus ad cap. 14. v. 22.

Retinuit

Retinuit nomen *presbyterorum* huius cap. v. 2. *Cum omni Ecclesia*] illic Ierosolymæ congregata. *Eligere viros ex eis.*] Id est ex sua multitudine, ex illa sua communitate.

ET *mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba:* Quos qualesque elegerint & miserint, exponitur verbis proximis.

IVDAM, *qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus.* De vocabulo Barsabas dictum fuit ad c. 1. vers. 23. *Et Silam.* Fit mentio huius tanquam collegæ Pauli Apostoli infra in fine huius capitis, & capitibus deinde sequentibus. Ac valde verisimile est, esse hunc eundem quem idem Apostolus 2. Corinth. 1. vers. 19. item initio vtriusque epistolæ ad Thessalonicenses, sibi annectit, præponens etiam Timotheo; licet illic more græco vel latino Siluanus nominetur, qui hic more hebræo, Silas. S. Hieronymus epistola [illegible] in fine, ita sine ambiguitate tradit; esse scilicet eundem: & certè vix est vt de alio cogitare queamus, cum tanto in honore habitum à Paulo, quantum videmus illic ei tributum. Memoria est huius sancti viri in Martyr. Rom. die 13 Iulij. Nec dubium est, etiam Iudam Barsabam excellentem sanctitate & sapientia virum fuisse: tum quod collegium Apostolorum & presbyterorum Ierosolymitanorum eum Antiochiam miserit; tum quod Spiritus sanctus per B. Lucam historicum sacrum, ita de ambobus his missis testetur, verbis sequentibus, *Viros primos in fratribus:*] *In fratribus.*] Id est Inter fratres, seu inter christianos, tunc Ierosolymæ degentes. *Primos*] græcè est ἡγουμένους q. d. ductores, antesignanos, coryphæos: vt intelligamus fuisse doctores & præfectos inter fideles Ierosolymitanos, adeoque ex numero ipsorum presbyterorum de quibus iam sæpiusculè dictum est. Ambo dicuntur prophetæ, v. 32. Considerandum porro est ipsam eorum electionem esse factam etiam per ecclesiam Ierosolymitanam: missionem tamen ipsorum Antiochiam, quæ ex authoritate fieret, per solos Apostolos & presbyteros esse factam. Et hoc apparebit, conferenti huius cap. v. 28. cum cap. sequentis v. 4. Aliquid simile obseruauimus ad c. 6. vers. 3. 5. 6.

VERS. 23. Scribentes per manus eorum. Apostoli & Seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex gentibus, salutem.

HOc versu designantur qui scribant epistolam hanc, & ij ad quos scribant, nominantur *Apostoli & presbyteri, fratres,* In græco codice interponitur coniunctio inter *presbyteros & fratres*, quasi diuersi significentur presbyteri & fratres, id est Christiani: Interpres autem noster videtur tam coniunctionem in suo codice non habuisse; omittit enim in versione; & melius videtur omitti; si quis consideret omnia. Maior enim beneuolentiæ significatio est, si Apostoli Christi & presbyteri qui erant Ierosolymis, sese fratres nominent eorum ad quos scribunt, nempe christianorum ex gentilitate conuersorum; quàm si idem faciant vulgares ac laici Christiani Ierosolymæ degentes.

degentes. Adde, quod qui hanc Epistolam scribunt, paulo post ita loquantur, *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris* &c. quo sermone nemo dixerit Laicos Christianos esse comprehensos; quibus vtique nulla erat authoritas alicuius oneris imponendi istis fratribus ex gentilitate conuersis. Ireneus sane lib 3 cap. 12. non habet illud (*&*) vbi hunc locum citat paulo ante finem.

AD quos hæc epistola scribatur, ij hîc nominantur fratres ex gentibus commorantes Antiochiæ, & per reliquam Syriam ac per Ciliciam. Antiochia hîc sine vllo dubio intelligitur ea quæ in Syria erat; de qua toties dictum est superioribus capitibus; eaipsa scilicet vnde Paulus & Barnabas erant missi Ierosolymam, propter motam hanc de obseruatione legalium controuersiam. cap. super. v. 25. & sequent. & huius cap. v. 1. 2. His ex gentilitate fratribus Apostoli mittunt suum decretum de abstinendo à nonnullis quæ nominabuntur paulo post in ipso decreto; idque ita decernunt propter causam indicatam ad vers. 21. Alios ex gentilitate fratres hoc de abstinentia à sanguine, suffocatis & idolothytis decretum vix ligabat extra casum scandali & repugnantis conscientiæ: vt doceri potest ex 1. Corinth. 8. toto, & cap. 10. à vers. 14. deinceps vsque ad finem capitis. Vix (inquam) ligabat alios Christianos ex gentilitate, nisi forte esset in ijs eadem ratio quæ in istis erat: hoc est nisi inter eos multi agerent dispersorum Iudæorum fidem Christi suscipientium, quibus esset nonnihil condescendendum. Vnde hoc decretum Paulus & Barnabas etiam alijs quibusdam gentilibus Christianis tradunt obseruandum per alias prouincias: Infra cap. 16. in princ. aliquot versibus.

SI quis dicat etiam Corinthi fuisse multos Iudæos; & tamen Paulum permittere esum idolothytorum Corinthijs extra casum scandali & repugnantis conscientiæ; vt dictum est: respondetur, paucos valde Iudæos illic degentes, suscepisse fidem Christi; vt patet ex cap. 18. huius operis.

ITAQVE hîc habemus exemplar quoddam epistolarum decretalium, à summis pontificibus vel à Concilijs editarum: quæ etsi ad certos quosdam fortassis mittantur, omnes tamen in simili causa tangunt. Conferre licet quæ Baronius habet anno Christi 51. §. 58. 59. Et sanè B. Iacobus infra cap. 21. vers. 25. ait hæc scripta *gentibus*, indistinctè, non solis Syrijs & Cilicibus. *Salutem*] græcè est χαίρειν, pro quo latini in salutationibus dicunt *salutem*. Eodem verbo vsus est B. Iacobus initio suæ epistolæ Catholicæ: & tamen quidam nostræ ætatis sectarij eo colore epistolam ipsius reiecerunt quod (vt inquiebant) in fronte salutationem haberet prophano more compositam. quasi prophana ideo sit quod etiam ethnici soleant ea salutationis formula vti, initio suarum epistolarum: cum nihil sanctius esse queat ipsa salute. Nec tamen græca vox *salutem* significat, sed *lætari*. Nunc verba epistolæ expendamus.

VERS.

VERS. 24. Quoniam audiuimus quia (quod) quidam ex nobis exeuntes.)

HOc est, descendentes ad vos ex hac ciuitate Ierusalem, vel reliqua Iudæa: sup. vers. 1. Potest etiam sic accipi, *Quidam ex nobis exeuntes*, id est quidam deserentes communionem nostram, erant enim hæretici, imo hæresiarchæ, Cerinthus & Hebion qui hanc controuersiam totis viribus agitabant: sicut ad v. 1. diximus ex Epiphanio & Augustino. Quare in eos quadrabat illud Apostoli Ioannis 1. epist. cap. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Turbauerunt vos verbis, euertentes* (seu labefactantes) *animas vestras.* hic græci cōdices addunt, *dicentes vt circumcidamini & seruetis legem.* Quę verba fortassis pro Commentario primum asscripta, postea in textum irrepserint. Continent enim expositionem illius turbationis & labefactionis animorum quæ hic commemoratur; vt patet ex vers. 1. & 5. Hi labefactabant & turbabant animos Christianorum ex gentibus, quasi non essent bene instituti in fide Christi: quos tamen Paulus & Barnabas instituerant. Qui propterea acerrimè istis nouatoribus obstiterunt, vt est v. 2. Sequitur, *Quibus non mandauimus*, scilicet hoc facere quod fecerunt; vos docere ea quæ docuerunt. His verbis Apostoli declarant ipsos nouatores nulla authoritate docuisse quod docuerant: & eadem repræhensio cadit in omnes qui quæ ad religionem pertinent, docent, non legitimè missi, quales in primis sunt hæreseon propagatores. Pergunt Apostoli; nam pendet oratio:

VERS. 25. Placuit nobis collectis in vnum.)

GRÆCE est γενομένοις ὁμοθυμαδὸν q. d. ad verbum, *factis vnanimiter*; hoc est vno animorum consensu. De quo vnanimi consensu dictum fuit vers. 22. Quid placuit? *Eligere viros & mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba & Paulo,*

VERS. 26. Hominibus qui tradiderunt animas suas.)

(ID est, vitam vterque suam) *pro nomine Domini nostri Iesu Christi.* hoc est qui vitam suam exposuerunt periculis mortis, imo ipsi morti, propter prædicationem fidei de Domino Iesu quod ipse est Christus. Hæc probari debent per narrationes præcedentium capitum huius operis. sup. 9. v. 23. & seqq. & v. 29. cap. 13. v. 50, cap. 14. v. 5. 18. Pergunt Apostoli,

VERS. 27. Misimus ergo Iudam & Silam; qui & ipsi vobis verbis referent eadem.

QVALES ac quanti fuerint hi duo sanctissimi viri; dictum est ad vers. 22. Nunc autem videtur reddenda ratio quare hos viros Apostoli miserint

 Antio-

Antiochiam cum Paulo & Barnaba, nec satis habuerint tradere Barnabæ & Paulo suam ad Antiochenos epistolam. simul reddenda ratio quare non retinuerint Ierosolymæ Paulum & Barnabam vsque dum Iudas & Silas esset reuersi Antiochia. Ad priorem quæstionem, respondetur ex Oecumenio ita fecisse Apostolos vt res maiorem haberet fidem; ac ne Iudaizantes huius turbationis authores possent suspicari Paulum & Barnabam obreptitiè vel surreptitie istam epistolam ab Apostolis impetrasse. Eaque de causa iusserunt Silæ & Iudæ (hoc v. 27) vt etiam ipsi verbis eadem apud Antiochenos referrent quæ erant in epistola.

AD posteriorem quæstionem, respondetur ita fecisse Apostolos, ne putarentur Paulus & Barnabas aliquid culpabile in ista sua aduersus pseud-apostolos defensione fecisse, ideoque ab Apostolis retineri Ierosolymę, nec mitti cum Sila & Iuda. Eiusdem suspicionis auertendæ gratia, Apostoli Paulum & Barnabam magnopere laudant in hac sua epistola vers. 26. Ita Oecumen. Post hæc Apostoli suum decretum enunciant, his verbis;

VERS. 28. Visum est Spiritui sancto & nobis).

PER hoc, sui decreti authoritatem declarant, quæ illi sit à Spiritu sancto. q. d. Quod decreuimus placuit non nobis solis, sed in primis Spiritui sancto, adeoque ipsi Deo vnico & vero, Sanctæ Trinitati; ita vt huic nostro decreto, neque vos, neque qui vos molestauerunt Iudaizantes, sine scelere queant contraire. Quũ dicitur, *Et nobis*, soli Apostoli & presbyteri seu Episcopi intelliguntur; non autem reliqui fratres, id est Christiani laici qui erant Ierosolymis. Nam cap. sequenti v. 4. nominantur decreta *ab Apostolis & presbyteris qui erant Ierosolymis*, nulla mentione fratrum facta. Ac præterea his verbis clarè significatur quod Apostoli & presbyteri hîc egerint partes Iudicum; quales non sunt laici christiani in causa religionis. Nam quod hîc dicitur, *Visum fuit Spiritui sancto & nobis*: ea formula sermonis denotatur iudicium ac decretum super re quapiam agenda aut omittenda. Eodem facit istud, *Nihil vltra imponere vobis oneris*. Nam solis Apostolis & presbyteris erat potestas onus aliquod imponendi gentibus Christianis, Vsi sumus hoc argumento etiam supra ad v. 23. Et v. illo 4. cap. 16. Vbi dicitur *quæ erant decreta*, græcè est, τὰ κεκριμένα, quæ erant iudicata. Quid autem *visum* est?

NIHIL *vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria*:] *Necessaria.*] hinc colligere possumus ea quæ hic præscribuntur, non præscribi vt ceremonialia; quoniam Apostoli iam censuerant præcepta ceremonialia non esse necessaria obseruatu gentilibus factis christianis. Præscribuntur ergo hæc, & censentur obseruatu necessaria; ex alio capite; scilicet vel ex lege naturali, vel ex lege positiua, (saltem temporaria) quæ iustis ex causis nunc detur ab Apostolis: vt per singula declarabitur.

VERS.

VERS. 29. Vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum.

PRo isto B. Iacobus v. 20. dixerat, *à contaminationibus simulacrorum*, quod videtur paulo latius patere, vt vnum ex altero interpretandum sit. Prohibent igitur Apostoli Christianis gentilibus, ne falsorum deorum cultui quouis modo communicent aut communicare videantur. Iubent eos abstinere ab esu idolothytorum id est, eorum quæ idolo alicui fuerant immolata: in primis quando quis tali Christiano indicauerat esse idolothytum quod ipsi offertur. Nam siue ille indicator esset Christianus siue infidelis: scandalum ei futurum erat, si post factum illud indicium, talis Christianus idolothyto vesceretur. Maius etiam scandalum erat istis futurum, si Christianus in idolio vesceretur idolothytis, id est, in loco qui idolo cuipiam esset dedicatus, aut in loco destinato ad epulum quod ex idolothytis instruebatur. De quali idolio loquitur Apostolus 1. Corinth. 8. v. 10. & in hoc casu non solum propter scandalum peccaret Christianus; sed etiam propter iniuriam in verum Deum & Christum eius, dum facit se socium seu participem dæmoniorum, vt loquitur Apostolus 1. Corinth. 10. v. 20. Talem autem se facit ille, saltem externa specie; quam externam speciem etiamsi sola esset, vitari iubet Apostolus ibidem v. 14. & dicto v. 20. ac 21. Generatim enim, Idolothyta comedendo societatem cum dæmonibus contrahit, qui illa sic edit vt sacris idololatricis communicet: veluti hoc faciens in ipso idolio, aut alioqui quomodocumque, vel externa specie, religionis causa. Vnde & in Exod. cap. 34. v. 15. Dominus ita præceperat, *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne cum fornicati fuerint cum Diis suis, & adorauerint simulacra eorum; vocet te quispiam, & comedas de immolatis.* Ergo, quamuis esus idolothytorum non sit per se malus: raro tamen sine peccato fieri potest; quoniam raro adsunt omnes circunstantiæ quæ adesse debent vt is licitè fiat; plerumque autem adest aliqua circunstantia quæ ipsum reddat illicitum, etiam lege naturali. Licebit consulere Apostolum 1. Corinth. 8. toto, & cap. 10. v. 14. & sequentibus vsque ad finem cap. & in ea loca Commentarium D. Estij. Conferantur & ea quæ diximus ad v. 21. breuiter. Sequitur,

ET *sanguine*] Esus sanguinis non est prohibitus lege naturali, tanquam simpliciter malus, sed tanquam inhonestus: lege autem positiua diuina prohibetur Genes. 9. v. 4. Et postea per Moysen, lege tamen diuina: Leuit. 7. v. 26. 27. cap. 17. v. 10. ac sequentibus, seuerissimè. & Deuter. 12. v. 16. Quibus iisdem locis esus suffocatorum rectè intelligitur prohibitus; vt ad v. 21. dicebamus: quoniam eorum quæ suffocantur, sanguis non effunditur; ita fit vt quando comeduntur, eorum sanguis iam concretus, simul cum carne edatur. Apostoli itaque, qua de causa hanc de edendo sanguine temporalem ac localem prohibitionem gentilibus Christianis faciunt, eâdem & de edendo suffocato. Dicunt ergo, *Et sanguine & suffocato.* Non ignoramus fuisse veteres quosdam scriptores, qui quando hanc historiam & hoc Apostolicum decretum referunt, nihil dicant de suffocato: Veluti sunt Irenæus lib. 3. cap. 12. Cyprianus lib. 3. Testimon. ad Quir. sub finem, & ante eum Tertull. lib. de pudicitia cap. 12. S Aug.

Fff 2 epist.

epist. 19. dum citat hanc historiam ex cap. 21. huius operis, v. 25. Videtur & in Speculo non legisse, si quis bene perpendat eius verba omnia. Ambrosiaster autem scribens in cap. 2. ad Galat. v. 2. contendit esse additionem, fuisseque adiectum à Sophistis græcorum. sic enim author ille loquitur, nescio an satis intelligens seipsum.

CÆTERVM non est ambigendum Apostolos in suo decreto etiam suffocatorum esum vetuisse, quum & veteres scriptores, si demas Irenæum, & libri græci vno consensu hanc partem prohibitionis habeant, tam hoc cap. quam infra cap. 21. v. 25.

QVOD autem Patres nonnulli dum istam historiam & prohibitionem referunt, non meminerint suffocatorum: forte ideo factum est, quod crederent sub interdicto quo vetatur esus sanguinis, comprehendi prohibitionem de non edendis suffocatis; sicut verè continetur, vt semel iterumque iam diximus. Et consentit B. August. lib. 32. contra Faustum cap. 13. & S. Gaudentius in Tractatu de Machabæis. Sequitur, *Et fornicatione.*] Fornicatio, etiam illa quæ simplex dicitur, lege naturali est prohibita, vt cuique dictat lumen rationis naturalis; & probat S. Thom. 2. sec. q. 154. a. 2. Et nos ad v. 21. legem etiam diuinam protulimus, qua mortis pœna fornicationi simplici proponitur, & exemplum talis punitionis etiam ante datam legem Moysi. Hic tamen Apostoli expresse & nominatim eam prohibent: quia inter gentiles erant multi quibus naturalis ratio ita erat corrupta, vt eam non putarent esse peccatum, aut valde leue peccatum esse. Et eadem cæcitas erat multis illorum circa alia quædam scelera, vt ebrietatem, latrocinia, & furta. Et vtinam nullis qui dicuntur Christiani, sit vlla talis cæcitas. Videri potest S. Thom. 2. sec. q. illa 154. a. 2. ad 1. Hic nonnulli græci codices, & inter eos Complutensis, interponunt hanc sententiam, *Et quæcumque non vultis vobis fieri, alijs ne faciatis.* Sed esse addititium res ipsa loquitur. Non enim iam bene cohæret quod sequitur, *A quibus custodientes vos,* &c. Nec præcedentia quadrant; illa præsertim v. 28. *Nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria;* designatè igitur Apostoli ponunt quæ velint obseruari. S. tamen Cyprianus in suo codice habuit; cum citet Testim. lib. 3. §. 119. Mirum, tam de Cypriani codice quam de Complutensi. Certè infra cap. 21. v. 25. nihil istius habent vlli græci codices. Sequitur,

A quibus custodientes vos, bene agetis. Valete. Nullo modo est putandum quod extra ista quatuor quæ commemorata sunt, Apostoli gentilibus Christianis permiserint reliqua omnia agere pro arbitrio: In primis enim voluerunt ab ijs seruari omnia quæ sunt legis naturalis, quæ non indigent vlla promulgatione, quum sint insculpta animo vniuscuiusque. Talia sunt quæ continentur Decalogo. Deinde, Apostoli docuerunt Christianos omnes vt parerent legibus positiuis Christi Domini, quæ sunt de fide & sacramentis: Matth. 28. in fine, Item, vt parerent legibus Superiorum; tam ecclesiasticorum quam ciuilium. Hebr. 13. v. 17. Rom. 13. priore parte cap. 1. Petri 2. v. 13. & seqq.

SED cur Apostoli specialiter hic tulerint istis Christianis gentilibus abstinere ab idolothytis, à sanguine, & suffocatis causa iam antè indicata est, ad vers. 2.. & 23. quam, conformiter S. Augustino scribenti contra Faustum lib. 32.

cap.

cap. 13. B. Thomas 1. sec. q. 103. a. 4. ad 3. breuiter sic explicuit, Ista fuerunt tunc per Apostolos prohibita, ad literam vti sonant, non ad obseruandum ceremonias legis, sed ad hoc quod posset coalescere vnio gentilium & Iudęorum in vna aliqua eademque ciuitate habitantium, & ad fidem Christi conuersorum. Iudæis enim, propter antiquam in obseruanda lege Moysi consuetudinem, erant abominabilia sanguis & suffocatum. Assueuerant enim ab ijs abstinere, secundum legalem obseruationem. Comestio autem idolothytorum si fieret à gentilibus Christianis, poterit Iudæis Christianis generare suspicionem reditus ad idololatriam. Et ideo ista fuerunt prohibita pro tempore illo, quo primum oportebat conuenire in vnum corpus Christi mysticum, Iudæos & Gentiles. Procedente autem tempore, cessante causa cessauit effectus; manifestata euangelicæ doctrinæ veritate, qua docetur quod omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur 1. Tim. 4. Fornicatio autem prohibetur hic ab Apostolis specialiter; quia gentiles non reputabant eam esse peccatum. Hæc ibi: quæ si mili modo pau. is dixit, q. illa 154. art. 2. ad 1. in 2. sec. Atque hactenus de Apostolorum epistola quam miserunt Antiochiam per sanctos Iudam & Silam prophetas. Sequitur,

VERS. 30. Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam: & congregata multitudine, tradiderunt epistolam.

ILLI *ergo dimissi*] hoc dicitur non tantum de Iuda & Sila, sed etiam de Paulo & Barnaba, vt patet ex v. 25. Sed antequam dimitterentur, quid à Petro, Iacobo & Ioanne gestum sit cum Paulo & Barnaba; scribitur à Paulo ad Galat. cap. 2. à principio vsque ad v. 11. Quod & Chrysost. obseruat in iterata expositione huius. *Congregata multitudine.*] Id est, cum curassent congregari multitudinem Christianorum illius loci, conuersorum ex gentilitate. Quæ congregatio vtique facta fuit iussu superiorum. *Tradiderunt epistolam*] ipsis superioribus ibi præsentibus.

VERS. 31. Quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione.

ERAT enim ijs magna consolatio quod non tenerentur subire circuncisionem & legem ceremonialem; & quod hoc ipsum scirent, nec diutius hærerent in ambiguo num ad salutem esset necessaria circuncisio & legalium obseruatio, an non. Sequitur,

VERS. 32. Iudas autem & Silas, & ipsi cum essent prophetæ; verbo plurimò consolati sunt fratres, & confirmauerunt.

CVM *essent prophetæ* hoc est mysteriorum Christianæ religionis docti, & idonei ad alijs exponendum, speciali Dei munere. Consolantur quæ di-

cta sunt ad cap. 13 v. 1. Prophetæ enim dicuntur etiam tales; non soli qui per diuinam reuelationem futura cognoscunt, & præ nunciant. De tali prophetia talibusque prophetis loquitur Apostolus Rom. 12 v. 6. 1. Corinth. 12. v. 28. 29. & pene toto cap. 14. Ad Ephes. 4 vers. 11. Videatur S. Thomas 2. sec. q. 171. a. 3. *Verbo plurimo consolati sunt fratres.*] Istos conuersos ad Christianismum ex gentilitate. Addebant nimirum sua verba consolatoria, ad eam consolationem quam isti acceperant ex lectione epistolæ, vt dicebatur v. præcedente. *Et confirmauerunt*] græca vox sonat, *superconfirmauerunt*, ἐπεστήριξαν. hoc est iam confirmatos per epistolam Apostolorum, amplius etiam confirmarunt, nimirum in fide Christiana, & specialiter in fide huius veritatis quod circuncisio & legales ceremoniæ non essent ipsis necessariæ ad salutem. Sequitur,

VERS. 33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt in pace à fratribus, ad eos qui miserant illos.)

AD Apostolos nimirum & presbyteros qui erant Ierosolymæ. Hi elegerant ac miserant Iudam & Silam sup. v. 22. 25. 27. Sequitur,

VERS. 34 Visum est autem Silæ ibi remanere.)

NONNULLI græci codices hæc verba non habent, vt testatur Desiderius: sed quod illi sint ea parte vitiosi, manifestum est ex vers. 40. huius cap. collato cum v. 33. eiusdem. Certè nullos veteres vidit Robertus quibus deessent. Quod sequitur in multis libris latinis hoc loco, *Iudas autem solus abijt.* & in quibusdam. *Iudas autem solus abijt Ierusalem:* est additamentum scribarum; nec reperitur in melioribus latinis libris vt nec in Originali. Superfluum est hoc additamentum: quoniam necessario intelligitur ex proximè præcedentibus. Sequitur,

VERS. 35. Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes & euangelizantes, cum alijs pluribus, verbum Dei.)

SIGNUM est quod Antiochiæ erat messis multa; quoniam tam multi strenui operarij illic in quotidiano opere docendi & concionandi fidem Christi, versabantur. Obseruandum est autem, hoc eodem tempore quod hic notatur, scilicet quo Paulus & Barnabas nunc hærebant Antiochiæ, videri ea accidisse quæ narrantur ad Galat. 2. v. 11. & deinceps. Et ita sentit Venerab. Beda in Commentario huius loci. verba eius sunt; *His diebus impletum est quod Apostolus Paulus ait, Cum venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti.* Hæc ille. Credibile est postquam Iudas, iuxta proximè dicta, redierat Ierosolymam, & ex illo S. Petrus intellexerat statum Ecclesiæ Antiochenæ: voluisse ipsummet illuc ire, ad magis etiam confirmandos & consolandos fideles ex gentibus. Vnde

Vnde, postquam illic venisset, cum ijs eâdem mensâ vtebatur; in confirmationem decreti Apostolici quod Ierosolymis ad eos miserat. Communi mensâ cum gentilibus Christianis illic vsum fuisse, Paulus Apostolus ait, Galat. 2. vers. 12.

VERS. 36. Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus; Reuertentes visitemus fratres, per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant.

VISITEMVS. Exemplar visitationis quam per diœcesim suam, Episcopi; per parochiam suam, faciant parochi. Simile vidimus per hos ipsos Apostolos Paulum & Barnabam factum, sup. cap. 14. v. 20. & sequentibus. Item, per Apostolum Petrum, sup. cap. 9. v. 32. *In quibus prædicauimus.* Supra, capitibus 13. & 14. *Quomodo se habeant.*] Non de corporis sanitate, aut de rerum temporalium statu loquitur Apostolus; sed de statu salutis animæ; q. d. An in fide Christi, & in bonis moribus saluti necessarijs, perseuerent & proficiant; an sint patientes in tribulationibus, an consolatione nostra indigeant. Sequitur,

VERS. 37. Barnabas autem volebat secum assumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus.

SECVM *assumere.* In hoc iter quod proponebat Paulus, cupiebat Barnabas Apostolus assumere hunc Ioannem Marcum. Facta est eius Ioannis mentio supra cap. 12. v. 12. & vlt. cap. 13. v. 5. Fuisse consobrinum Barnabæ, patet ex epistola ad Coloss. cap. 4. vers. 10. Fit eius mentio & alibi in epistolis Pauli Apostoli. 2. Timot. 4. v. 11. Philem. v. 24. Hic Ioannes videtur tunc temporis fuisse Antiochiæ apud consanguineum suum Barnabam Apostolum: & hac occasione cogitasse Barnabam de eo secum ducendo per istud iter visitatorium. Sequitur,

VERS. 38. Paulus autem rogabat.)

GRÆCE est ἠξίου. censebat, iudicabat æquum. *Eum* (*Vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus*) *non debere recipi. Qui discessisset.* Græca paulo vehementius sonant, qui ab eis defecisset seu desciuisset. *De Pamphylia; & non isset* &c. Narratum fuit hoc cap. 13. v. 13. *Non debere recipi.*] *Non coassumi,* græcè, ad istud iter nimirum. Paulum Apostolum videntur duæ causæ impulisse vt recusaret societatem Ioannis ad istud iter: vna, finalis; altera, mouens. Finalis; vt hac recusatione doceret Ioannem, non satis constanter eum fecisse redeuntem Ierosolymam, vnde erat cum Paulo & Barnaba profectus; redeuntem

tem

tem verò, postquam iam cœperat proficisci cum his Apostolis missis ad prædicandum euangelium, ijsque subuenire. supra cap. 12. vers. vlt. cap. 13. vers. 5. Causa mouens; quia iudicabat Paulus non fore Ioannem operarium in negotio euangelico satis vtilem, qui de inconstantia esset reprehensibilis. Sequitur,

VERS. 39. Facta est autem dissensio, ita vt discederent ab inuicem.)

AD hunc locum Vener. Beda sic loquitur, Noli hoc delictum putare. Non enim commoueri malum est; sed irrationabiliter, nulloque iusto flagitante negotio, commoueri. Ita ille. Et non est insolitum bonos etiam viros, inter se salua charitate, dissentire: dum alter has, alter illas, probabiles vtrasque, rationes considerat. Quod hîc fuit. Paulus enim (ait Alexander Monachus, græcus author in Encomio S. Barnabæ) accuratam censuram requirebat, Apostolicæ professioni conuenientem: Barnabas verò ad humanitatem propensior erat. Ita ille. In eandem sententiam multa hîc in Comment. Chrysost. & ex eo Oecumen. Et sanè, amore profectus Euangelij, videtur Paulus tales demum assumi voluisse euangelici negotij operarios, qui nihil haberent repræhensione dignum, quo eorum authoritas quoquo modo minueretur: Ioannes autem aliquam inconstantiæ notam videbatur contraxisse. Fortassis etiam verebatur Paulus Apostolus, sodalitatem Ioannis sibi, cui esset sodalis, aliquid ponderis apud alios detracturam, illa ex causa.

NEQVE his debet obijci quod pro isto nostro (dissensio) græcè sit παροξυσμός, quasi ea vox non nisi in malam partem accipiatur. posse enim & in bonum accipi, probat ille Alexander ex cap. 10. epist. ad Heb. vers. 24. vbi est in originali scriptura. & in bonum sumitur vox ei coniugata, in græco codice, huius lib. cap. 17. v. 16. ad quem locum scribens Chrysost. in iterata expositione, etiam hîc in bonum sumi docet. Quare & hoc loco nihil vetat in bonam partem accipi paroxysmum; atque adeo sic accipi contendit illic Alexander, rationibus etiam allatis, quæ apud eum videri possunt; tametsi & nos hîc indicamus.

HABVIT ista dissensio vtilitatem hanc, quod Ioannes postea constantior factus sit; quo quidem ex tempore Paulus Apostolus eum solitus est commendare, vt liquet ex ijs locis epistolarum Pauli quæ ad vers. 37. allegauimus. Fuit egregius minister Dei, & Episcopus in Phœnicia, ait Martyrol. Rom. die 27. Septemb. Habuit & hanc ea dissensio vtilitatem, vt Paulo & Barnaba à se mutuo discedentibus, plures ecclesiæ consolationem & in fide Christi corroborationem acciperent; imo vt pluribus in locis fides Christi plantaretur. Vnde sequitur,

ET *Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum.*] Quæ insula erat ei patria, vt dictum est supra extremis verbis cap. 4. Neque vero illic ociosus fuit, sed iniunctum sibi euangelicæ prædicationis officium exercuit; ait S. Hieronymus Catal. in Barnaba.

SVNT

SVNT qui putent Barnabam paulo post ad Paulum rediisse, eique adhæsisse deinceps; vt nonnulli græci interpretes, in quibus Theodoretus; intelligentes de Barnaba quæ dicit Apostolus 1. Corinth. 8. vers. 18. quum multo melius sit eum locum intelligi de Sila, illo eodem cuius hoc cap. est mentio. Posset quis argumentum ducere ex 1. Corinth. 9. vers. 6. nam illam epistolam esse scriptam diu post huius cap. historiam, certum est: ibi tamen loquitur Apostolus de se & Barnaba coniunctim. Sed facile respondetur, coniunctim quidem loqui Apostolum; non tamen inde sequi quod tunc coniunctis operis euangelium annunciabant; sed Barnabam sibi coniungit in eo quod non accipiebat necessaria vitæ ab ijs gentilibus quibus euangelizabat, vt neque Paulus; sicut ex sequentibus eiusdem cap. notum est. Et profectò si vera esset illa Græcorum opinio; S. Lucas in sequentibus, dum vbique loquitur vt comes Apostoli Pauli, vspiam meminisset Barnabæ Apostoli; nunc autem nusquam meminit. Teneamus igitur, non fuisse deinceps corporali conuersatione coniunctos Barnabam & Paulum Apostolos.

NEQVE tamen credendum est Barnabam post hoc tempus tota vita hæsisse in Cypro: tametsi illic martyrio sit coronatus, eiusque corpus ibi tempore Zenonis Imperatoris circiter annum Christi 484. ipso reuelante, sit inuentum, vna cum Euangelio Matthæi, manu Barnabæ scripto. Constat enim sanctissimum hunc Apostolum post hoc (de quo est præsens historia) tempus, in Italia fuisse, diuersisque locis fidem Christi plantasse & propagasse; ac specialiter fundasse ecclesiam Mediolanensem. Hoc firmissima traditione, & veterum scriptorum testimonio constat; vt refert Baronius anno Christi 51. §. 54. Vide eundem ad Martyrol. die 25. Septemb. Vbi de S. Anathalone discipulo S. Barnabæ, & in Ecclesia Mediolanensi successore. & eiusdem mensis die 27. de Caio episcopo Mediolanensi, discipulo S. Barnabæ alio, Anathalonis successore. Sequitur,

VERS. 40. Paulus vero, electo Sila, profectus est:)

ELECTO *Sila*] non à solo Paulo, sed ab ecclesijs quoque electus & constitutus fuit Silas comes Paulo Apostolo, in munere prædicationis Euangelij apud gentes, & in procuratione eleemosynæ mittendæ pauperibus Christianis in Iudæa degentibus. Hoc ipse Paulus ait, cap. illo 8. posterioris ad Corinth. vers. 19. Intelligendum est igitur, Silam surrogatum fuisse in locum Barnabæ iam à Paulo digressi, & quæ Barnabas fuisset apud Paulum & cum Paulo facturus, ipsum fecisse: Quod liquet ex historia capitum duorum aut trium sequentium huius operis. Ecclesiæ quę noua hac iniunctione istius muneris Silam instruxerint, sunt Ierosolymitana & Antiochena, id est, earum primores. Patet hoc ex vers. 22. huius, & ex cap. illo 8. posterioris ad Corinth. *Traditus gratia Dei à fratribus.*] Hæc verba videntur satis fuisse explicata, cap. præcedentis vers. 25. eadem enim ibi erant. Sequitur,

VERS. 41. Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias.

SYRIAM] hoc est reliquam Syriæ partem, nam & Antiochia ista vnde Paulus cum Sila iam proficiscebatur, in Syria erat. *Et Ciliciam.* In ea prouincia, sibi patriâ, Paulus euangelium annunciauerat, dum ibi hæreret. supra cap. 9. vers. 30. cap. 11. v.25. *Confirmans Ecclesias.*] Eas nimirum vbi iam plantata erat fides Christi: non dubium autem quin eandem etiam propagauerint in ea Syriæ & Ciliciæ loca, vbi nondum erat suscepta; ac deinde per alias prouincias, vt narrabitur cap sequentibus. Sequitur in nostris libris multis, *Præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.* Sed istam clausulam non esse positam ab Interprete nostro, verum scribas quosdam huc transtulisse ex cap. 16. vers. 4. arguit consensus græcorum codicum, & meliorum latinorum, qui hîc non habent ea verba. Louanienses Theologi notant quatuor sibi conspecta exemplaria quæ non habeant. Eorum igitur consideratio in suum locum reseruetur. Multa super his lectu digna, Baronius anno Christi 51. §. 56. & sequent.

ARGVMENTVM

CAPITIS XVI.



PAVLVS cum Sila peragrat Lycaoniam, vbi sibi adiunxit Timotheum, sed prius circuncisum: transit deinde Phrygiam & Galatiam, ac Mysiam; postea speciali monitu diuino vadit in Macedoniam Euangelij plantandi causa. Illius regionis prima ciuitas eis occurrit Philippi: vbi aliquamdiu commorantes, postquam celebris matrona Lydia esset facta Christiana, ac postquam deinde dæmon pythonicus ex puella quadam quæstuaria à Paulo pulsus esset: ipse & Silas corripiuntur à Philippensibus, crudeliter publicè flagellantur, carceri includuntur; sed postea honorificè dimittuntur, ipso Carcerario cum tota familia prius baptizato.

VERS. 1. Peruenit autem Derben & Lystram:

PERVENIT] vtique Paulus adiuncto sibi Sila; vt dicebatur cap. superioris v. 40. *Derben & Lystram.*] Ciuitates Lycaoniæ; vt dictum fuit cap. 14. v.6. *Et ecce discipulus quidam erat ibi*] hoc est quidam Christianus; vt sæpe alibi, tum alijs in libris noui testamenti, tum in hoc ipso opere. Subauditur verò in hoc sermone nomen *Iesu Christi, vt sit, quidam discipulus Iesu Christi,* id est, quidam in fide Iesu Christi baptizatus, & sic aggregatus numero Christianorum. *Erat ibi.* Id est, in locis illis. Nullus certus locus significatur præ alio; vt colligitur ex v. 2. *Nomine Timoth.eus.*] Hic est ille Timotheus, ad quem postea, Episcopum factum

ctum Ephesiorum, scriptæ sunt duæ à Paulo Apostolo epistolæ, sacræ & canonicæ, quas habemus inter Paulinas. *Filius mulieris Iudææ, fidelis, patre gentili.* Nomen huius mulieris exprimit cum laude, Apostolus, 2. Timoth. 1. v. 5. *Eunice.* *Fidelis*, hoc est Christianæ; sic enim intelliguntur fideles, nempe qui tenent fidem de Iesu quod ipse est Christus; dicti idcirco fideles Christi. Iudæos enim qui non agnoscunt Iesum esse Christum, nemo vocat fideles; tametsi habeant fidem vnius veri Dei, neque colant vllos falsos Deos. Fuisse matrem eius Iudæam, hic commemoratur propter sequentem de circuncisione Timothei narrationem. *Patre gentili.* Non est condemnanda Eunica mater Timothei quod nupserit viro gentili: nam non constat an fuerit infidelis quando eam duxit; & vt constaret, etiam Esther sanctissima matrona nupsit Assuero; & gentilem mulierem duxerat etiam Dauid Maacha, filiam Tolmai Regis Gessur; 2. Reg. 3. v. 3. Videturque matrimonium cum gentili infideli tunc demum fuisse illicitum quando erat periculum ne fidelis coniux peruerteretur à gentili. Exodi 34. vers. 16. Deut. 7. vers. 3. Iosue 23. v. 12. 1. Esdræ 9. v. 11. 12. c. 10. v. 3. 3. Reg. 11. v. 2.

An pater Timothei, si erat infidelis initio coniugij, postea conuersus fuerit ad veram fidem ex gentilismo; non constat: non constat etiam contrarium: itaque in medio relinquimus. Vt & hoc, An pater eius iam fuerit defunctus, quando euenerunt quæ hîc narrantur de circuncisione & assumptione Timothei. Illud certè probabiliter possumus ratiocinari; si adhuc vixisset, non fuisse passurum vt filius suus Timotheus circuncideretur. Quare verisimilius est fuisse defunctum. Sequitur,

VERS. 2. Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant & Iconio, fratres.

TESTIMONIVM *bonum*] de eius sincera firmaque fide Christi, de eius pietate, charitate, patientia, cæterisque virtutibus; tum & de donis Dei quæ vocantur gratiæ gratis datæ, quibus aptus erat Timotheus ad ministerium euangelicum; sicut postea Apostolus eum constituit Episcopum Ephesi, in scilicet Metropoli Asiæ minoris. *Reddebant*] apud Apostolum Paulum, *Fratres qui erant Iconij & Lystris.*] Inter quos viuebat hic Timotheus; saltem notus ijs erat. De Iconio dictum fuit cap. 13. vers. 51. c. 14. v. 1. & sequentibus vsque ad v. 6. De Lystra dictum est cap. 14. v. 6. & sequentibus. Sequitur de Timotheo,

VERS. 3. Hunc voluit Paulus secum proficisci.)

HOc est esse comitem suæ peregrinationis; postquam scilicet deprehendisset vera esse quæ fratres Iconienses & Lystrij de illo prædicauerant, videretque ad munus Euangelicæ prouinciæ exequendum valde vtilem & commodum sibi futurum. Vnde sequentibus capitibus videmus Timotheum vt comitem & ministrum addi Paulo Apostolo.

Et *assumens circumcidit eum; propter Iudæos qui erant in illis locis.* Duæ quæstiones hic statim occurrunt: Prior, Quare Timotheus non fuerit circuncisus octauo die, secundum legem; quum esset Iudæus seu Israelita, ex matre Iudæa? Respondent diuersi, Patrem obstitisse ne circunciderctur. Posset videri nec matrem institisse vt circunciderctur; si Timotheus natus fuerit (quod nonnullos sensisse ait Chrysost. in iterata expositione) postquam mater esset facta Christiana, ipsaque iam tum intellexerit circuncisionem & ceremonialem legem Moysi amisisse vim obligandi post passionem Christi. Sed, quoniam quæ hîc narrantur acciderunt anno Christi 51. aut circiter: dicendum foret conformiter huic positioni, Timotheum nunc non fuisse nisi septemdecim aut circiter annorum; quum tamen B. Lucas hîc de ipso non tanquam de adolescente loqui videatur, sed tanquam de iuuene saltem. Ideo prætereunda videtur hæc responsio de matre. Posterior quæstio, Quid mouerit Paulum Apostolum vt circunciderct Timotheum, antequam eum sibi adiungeret comitem & socium prædicationis Euangelicæ. Responsio. Certissimum est non hoc fecisse Apostolum quasi putaret Timotheum alioqui saluari non posse: sciebat enim & docebat non esse circuncisionem necessariam ad salutem, ne quidem Iudæis, post Christi passionem. Sciebat nihilominus, eo adhuc tempore licere Iudæis, etiam Christianis, obseruare circuncisionem & legales ceremonias, alia quapiam ex rationabili causa, velut ad reuerentiam legis à Deo datæ, vel aliqua alia. Timotheum igitur, tanquam Iudæum vidit sibi licere circuncidere propter spiritualem vtilitatem Iudæorum, ad fidem Christi deinceps conuertendorum. Nunquam enim illi voluissent verbum salutis audire ab eo qui non esset circuncisus: Paulus autem cupiebat vti Timotheo vt socio in prædicatione Euangelij de Iesu quod sit Christus; vti inquam, non solum inter infideles gentiles sed etiam inter Iudæos. Ergo ne ipsum abominarentur tanquam incircuncisum; circuncidit: quod sibi licere sciebat. Hæc causa ponitur à Chrysost. in huius loci expositione homil. 34. Ponit aliam causam B. August. lib. de mendacio cap. 5. quæ & ipsa petitur ex spirituali vtilitate Iudæorum. Breuissimè Liranus ait, Paulus circuncidens Timotheum, per hoc quod erat licitum, vitauit scandalum Iudæorum. Oderant illi Apostolum Paulum, tanquam qui legem ceremonialem, etsi à Deo per Moysen datam, abominaretur; quod non ita erat: sed docebat eius obligationem iam cessare, & aberraturum à salute qui post aduentum Christi putaret necessariam obseruatu. Illam vero falsam de Paulo persuasionem quasi legem execraretur, ipse ex animis Iudæorum volens euellere: habens occasionem circuncidendi Timotheum, id fecit; vt constaret Iudæis neque Paulum neque Timotheum circuncisionem reliquamque ceremonialem legem detestari: sed tantum docere non esse necessariam tempore gratiæ, & à salute aberraturum qui necessariam crediderit. Potest & hæc causa addi, hoc fecisse Paulum ne Iudæi offenderentur si ipse familiariter vteretur Timotheo non facto proselyto: sicut offendebantur illi aduersus Petrum Apostolum, de quibus sup. cap. 11. vers. 2. Et hunc esse morem Iudæis, ipse Petrus Cornelio dicebat Act. 10. v. 28. Harum causarum primæ & tertiæ iam aptè cohæret quod subijcit B. Lucas; *Sciebant enim omnes quod pater eius erat gentilis.*

q. d.

q. d. Idcirco propter Iudæos opera Timothei conuertendos, Paulus eum circuncidit; quoniam alioqui non tulissent Paulum cum eo familiariter versari, multo minus fuissent eum audituri, vtpote scientes esse incircuncisum, cui pater fuisset gentilis, qui infantem circuncidi prohibuisset. Sequitur,

VERS. 4. Cum autem pertransirent ciuitates.)

PERTRANSIRENT] videlicet Paulus Silas & Timotheus. Hoc enim ex superioribus relinquitur intelligendum. *Ciuitates* eas scilicet in quibus Paulus antea plantauerat fidem Christi. sup c. 15. v. 36. *Tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus qui erant Ierosolymis. Dogmata*], hęc gręca vox non doctrinas significat, sed cõstitutiones, placita, &, vt nos loquimur, Statuta.

TRADEBANT *eis*. Non ergo solis ciuitatibus expressis in ipso decreto apostolico; sed & alijs, vbi eadem causa militabat; id est, vbi erant multi Iudæi habitantes cum gentilibus, qui Iudæi vel iam conuersi erant vel sperabantur conuertendi ad fidem Christi. Gentilibus itaque illic ad fidem Christi conuersis, tradebatur illud quod Ierosolymæ factum erat decretum de abstinentia ab idolothytis, sanguine & suffocato; vt scilicet eius decreti obseruatione gentiles conuictui Iudæorum sese accommodantes, facilius in vnum Ecclesiæ Christi corpus cum ijs coalescerent. Diximus ea de re ad cap. præced. v. 23. & 29. in fine annot.

TRADEBANT. Qui? vtique Paulus, Silas & Timotheus. Magnum exemplum, quod non sola præcepta diuina, sed etiam Ecclesiæ, per Episcopos & parochos sint proponenda populo fideli: quum Paulus ipse hoc fecerit, quum Silas & Timotheus. Sequitur,

VERS. 5. Et ecclesiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.

SENSVS est, & numero & merito ecclesias fuisse auctas in dies. Cum hoc loco oportet conferre capitis 2. v. 48. cap. 4. v. 4. cap. 5. v. 14. c. 6. v. 1. c. 9. v. 31. c. 11. v. 24. c. 13. v. 43. 49. c. 14. v. 20. Nam B. Lucas sæpiusculè, occasione oblata, commemorat ecclesiarum in fide Christi veraque pietate profectum, & multiplicationem: volens nimirum ea commemoratione Deum laudare, eique gratias agere; vtpote à quo omnia hæc dona proficiscantur. Exprimitur hoc ipsum vltimis verbis capitis 2. Nisi enim Dominus ædificauerit domum suam spiritualem, Ecclesiam; in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Psal. 126.

VERS 6. Transeuntes autẽ Phrygiam & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum in Asia.

QVONIAM ex cap. præcedentis versu 36. & 41. & huius cap. v. 1. 2. & 4. cõstat Paulum Apostolum nunc reuisere ea loca in quibus fidem Christi plan-

plantauerat, sup. cap. 13. & 14: idcirco quando nunc dicit S. Lucas de ipso & socijs eius Sila ac Timotheo, *Transeuntes Phrygiam & Galatiæ regionem*; inspicienti Tabulam primam Asiæ apud Ptolemæum, facile liquet quam magnum iter his paucis verbis velut occultetur ac prætereatur. Ab illis enim locis quæ nunc reuiserant Paulus & socij, longe absunt Phrygia & Galatia. Credibile autem est in his verbis esse hysteron proteron. Nam peragrantibus ista loca quæ nunc Paulus reuisit, prius occurrit Galatia quam Phrygia, siue maior siue minor; vt patet in eadem tab. Asiæ apud Ptolemæum. *Vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum in Asia.*] Certissimum est intelligi Asiam minorem; quoniam in Asia magna sunt omnia loca hactenus commemorata, etiam ipsa Palestina. Nec intelligitur tamen Asia minor tam laxè quam intelligunt posteriores Geographi, sed strictissimè, pro ea prouincia cuius metropolis erat Ephesus; quomodo & alibi in sacris literis noui testamenti Asia, vt cap. 2. huius v. 9. & cap. 6. v. 9. Item 1. Petri 1. v. 1. Apocal. item cap. 1. v. 11. vt patet ex deductione sermonis cap. 2. & 3. eiusdem Apocalypseos.

QVARE noluerit Spiritus sanctus, imo vetuerit, eos tunc loqui verbum salutis in Asia minore ista; sacer historicus causam non exprimit: neque magnopere studiosi, sed potius curiosi videntur qui causam scrutantur quam Deus noluit nobis explicare. Satis sit dicere, Prædicationem euangelij ac donum fidei qua illud susciperetur, Asianis istis non fuisse negatum, sed solum dilatum; dilatum verò propter causam quam Deus nouit, nos ignoramus. Videri potest S. Prosper Epistola ad Ruffinum, in solutione obiectionis 4. & accuratè lib. 2. de vocatione gentium cap. 3. Et quæ iam dicta sunt de Asia minore; eadem dici debent de Bithynia prouincia, in quam vt tunc irent hi Apostoli similiter non permisit Spiritus Iesu, vt dicitur v. sequenti.

VERS. 7. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permisit eos Spiritus Iesu.

IN eadem illa tabula 1. Asiæ, est Mysia maior, intra gradus 57. & 58. longitudinis; & intra gradus 40. & 41. latitudinis, propinqua Phrygiæ: ac paulo septemtrionalior est illic alia prouincia quæ simpliciter Mysia dicitur. De vtra hîc loquatur S. Lucas, non liquet; nisi quod verisimile est loqui de hac posteriore, vt quæ sit vicinior Bithyniæ, prouinciæ illi in quam hi Apostoli tentabant ire, & non permisit eos tunc temporis Spiritus Domini. Fuit Bithynia nobilis prouincia: cuius celebres vrbes, Nicæa, vbi generale concilium primum & septimum habitum fuit; Chalcedon, vbi quartum; & præter has Nicomedia, innumerabili messe sanctorum martyrum Christi exornata.

VERS. 8. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem:)

TROAS *Alexandri* dicitur hæc: & est ciuitas maritima ad mare Ægæum, dans nomen prouinciæ, quæ similiter Troas nominatur, vt est videre in

sæpe

sæpe dicta Tabula prima Asiæ apud Ptolemæũ, habens gradus longitudinis 56. latitudinis pene 41. Non est autem putandum esse Troiam illam, bello Græcorum nobilem: ea magis septemtrionalis est, habens verum nomen Ilium; nec est maritima, sed ad fluuium Simoentem, procul à mari. Dum autem essent Troade: reuelatio facta est Paulo Apostolo, de qua ista sequuntur apud S. Lucam;

VERS. 9. Et visio per noctem Paulo ostensa est:)

OSTENSA *est*,] diuinitus haud dubiè; vt liquet ex sequentibus verbis huius narrationis, v. 10. Fuit hæc visio *ostensa per noctem*, id est, in somno. Est enim iste vnus modus propheticæ reuelationis; de quo Dominus Numerorum 12. v. 6. Et exemplum est in S. Ioseph sponso Deiparæ & Magis. Matth. 1. v. 20. Matth. 2. v. 12. 13 19. Videatur S. Thomas 2. sec. q. 174. art. 2. & 3. Ergo B. Paulo dormiente, Deus ipsius imaginationi impressit imaginem eiusmodi; *Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens; Transiens in Macedoniam, adiuua nos. Vir Macedo*] Non est improbabile, quod diuersi expositores senserunt, fuisse vnum ex Angelis Domini qui specie viri Macedonis apparuerit Paulo Apostolo in somnis; qui Macedonem quempiam repræsentarit vel habitu ipso vestium, vel idiomate linguæ; vel certè, quia expresè Apostolum rogabat vt in Macedoniam veniret, & verbum salutis illuc inferret. Est autem Macedonia, celebris in extrema parte Europæ regio, vt videre licet apud Ptolemæum tabula decima Europæ, habens ab Oriente, mare Ægæum, ab occidente, Ionium pelagus; à meridie, Epirum & Achaiam; à septentrione, Dardaniam & partem Thraciæ. Sequitur,

VERS. 10. Vt autem visum vidit; statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam: certi facti quod vocasset nos Deus euangelizare eis.

STATIM *quæsiuimus*.] Obseruandum est quod ab hoc loco deinceps B. Lucas huius historiæ scriptor, solet loqui in prima persona plurali: vnde intelligimus ipsum ab hoc demum tempore cœpisse constanter adhærere Apostolo Paulo, tanquam indiuiduum omnis eius peregrinationis comitem, vt loquitur B. Hieronymus Catal. in Luca.

EVANGELIZARE *eis*. Id est, ad ipsis adferendum lætum illud nuncium quod Iesus sit saluator mundi, quodque salutem proponat non Iudæis tantum, sed etiam gentilibus per orbem totum degentibus. Sequitur.

VERS. 11. Nauigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam: & sequenti die Neapolim:

RECTO *cursu*.] Versus occidentem, vt patet ex illa Tabula 10. Europæ apud Ptolemæum. *Venimus Samothraciam*] græcè est Samothracem: sed

rectè

rectè Interpres noster: nam & Publius Maro Samothraciam nominat lib. 7. Æneidos, vbi ait, Treiciamque Samon, quæ nunc Samothracia fertur. Est autem oppidum & eiusdem nominis Insula, opposita Thraciæ ad meridiem; ita dicta quod in eam Samij & Thraces conuenerint sedesque ibi fixerint. *Et sequenti die Neapolim:*] Multæ fuerunt & sunt huius nominis ciuitates. hæc de qua nunc agitur, erat in angulo maris Aegæi septentrionem versus; vt est videre tab. illa 10 Europæ apud Ptolem. Gallis plurima loca habent nomen, Neuf-ville: Teuthonibus, Nieustadt, Nieukerch, Nieulant, NieuWen-huijse, NieuWenhouen. Sequitur,

VERS. 12. Et inde Philippos: quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas, colonia.

Κολώνια. *Philippos*] Ista ciuitas ita nominabatur à Philippo Rege Macedoniæ, patre Alexandri magni, ipsius instauratore. *Quæ est prima ciuitas partis* id est, regionis *Macedoniæ, prima*, scilicet ex Neapoli euntibus in Macedoniam; vt videre est sæpe dicta tab. 10. Europæ in Ptolemæo. Vnde etiam patebit Philippos habere gradus longitudinis pene. 51. latitud. pene 42. Addit S. Lucas de hac ciuitate, quod esset *colonia*. Romana scilicet colonia; quoniam ex Romanis erant eo deducti qui locum incolerent; siue propter defectum indigenarum, siue melioris politiæ constituendæ gratia, siue vtramque ob causam. Ob tales enim rationes deducebantur coloniæ in exteras ciuitates & prouincias, non solum à Romanis & à latinis alijs, sed & à diuersis aliarum nationum; veluti à Carolo magno (Meierus anno 804.) Saxonum, in Brabātiam & Flandriam. A ducibus belli sacri coloniæ Europæorum in Palestinam; vt nihil dicamus de tyrannicis colonijs Gothorum & Wandalorum, & Francorum atque tot aliorum, introductis in regiones cultiores, Galliam, Italiam, Hispaniam, Aphricam. Philippos fuisse Romanam coloniam facile intelligitur ex v. 21. huius cap. Sequitur,

ERAMVS *autem in hac vrbe diebus aliquot conferentes.*] Vox græca διατρίβοντες, non vno modo nobis hîc legitur reddita; nam quidam latini libri habent *consistentes*] quidam verò, *conferentes.* Credimus hoc esse veteris latini Interpretis, Hieronymo vetustioris: Illud autem, esse B. Hieronymi corrigentis veterem latinam versionem. & quoniam meliores sunt ij libri latini qui hoc loco habēnt (*consistentes*): idcirco nos id malumus tanquam aptius & maioris authoritatis. Habent in textu ipso Louaniensia Biblia, & textus Lirani, etiamsi alterum sit in Commentario. Διατρίβειν est tempus aliqua in re consumere, negocio cuipiam immorari. Hinc transfertur ad disceptationes philosophicas, quæ vel serio vel animi causa, exercitationis gratia, temporis fallendi causa, fiebant. Diatribæ idcirco dicebantur, & scholæ; ipsæ scilicet dialexes disceptantium: quum & locus ipse schola diceretur.

CVR autem Paulus Apostolus aliquot dies Philippis hæreret antequam aliquid euangelici muneris illic aggrederetur: facile est coniectare. Nempe (quod diuersi expositores ratiocinantur) volebat considerare conditionem populi

populi, & obseruate tempus ac locum opportunum, quando & vbi auspicaretur annunciationem doctrinæ de vnico vero Deo & Iesu Saluatore quem is misit in mundum. Cur saltem non concionabatur Iudæis, vt alibi solitus erat facere? Videtur in ea ciuitate nulla fuisse synagoga Iudæorum: nusquam enim toto capite vlla significatio est fuisse; Imo initio capitis proximè sequentis ea dicuntur vnde colligamus Philippis fuisse nullam. Videatur illius cap. vers. 1. 2. 3. Sequitur,

VERS. 13. Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam, iuxta flumen vbi videbatur oratio esse:

DIE *sabbatorum.*] Credibile est significari diem hebdomadæ septimum, qui Iudæis erat sabbatum, id est dies requiei. nam quamuis in hac vrbe nulla esset synagoga Iudæorum: erant tamen aliqui Iudæi, aut proselyti illic habitantes; aut saltem aliqui vnius veri Dei cultores qui à Iudæis eam religionem acceperant: qualis erat illa matrona quæ nominabitur versu proximo. Hi saltem semel per hebdomadam conueniebant precandi causa; idque (vt apparet) extra ciuitatem, permittentibus Philippensibus quamuis ethnicis, in quodam Oratorio; eo quod synagoga in ciuitate illa esset nulla. De isto Oratorio sequitur in his verbis, *Egressi sumus foras portam, iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse. Oratio*] græcè est προσευχὴ, quo nomine non tantum ipsa precatio seu ipse precandi actus significatur; sed etiam locus in quo precatio à pluribus fieri solet; vt notum est grammaticis. Eandem varietatem significationis possumus tribuere latino nomini, *Oratio:* sicut cœnatio non tantum dicitur ipse cœnandi actus, sed & locus vbi cœnatur. Vtrum verò duorum, sit hîc accipiendum vocabulo isto *Oratio:* non est facile iudicare. Pro loco orationis videtur facere, quod verbis proximè sequentibus dicitur; *& sedentes loquebamur mulieribus* &c. Erat igitur locus instructus & paratus ad illic conuentum habendum, ad precandum, ad audiendum, ad sedendum. Eodem modo videtur accipi paulo post vers. 16. nam ad precandi actum non erat necesse Paulum & socios quopiam exire; quum in suo (quod apud matronam fidelem habebant) hospitio precari possent, in cubiculis suis. Intelligamus igitur per ipsam *Orationem*, ipsum Oratorium: vt sensus sit, Sumus egressi extra ciuitatem, iuxta flumen, in locum certum vbi videbatur esse Oratorium quoddam. Et Iudæis quoque inter gentes degentibus *proseucha* erat nomen vsitatum pro loco orationis, ait Iosephus in vita sua, § 219. *Et sedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant.* Quod B. Lucas inquit, *loquebamur;* de Paulo Apostolo verificatur; iuxta ea quæ sunt versu proxime sequenti. Paulus ergo loquebatur mulieribus ibi congregatis. Probabile est fuisse matronas complures honorabiles, qualis erat Lydia, quæ proximè nominabitur. Probabile & illud, eas ibi fuisse cum quibusdam ex sua familia. nam vers. 15. non Lydia sola, sed & domus eius dicitur fuisse baptizata. Viri tamen nulli, aut vix vlli, videntur ibi tunc fuisse: quod diuersis ex causis fieri potuit. Erant vnius veri Dei cultores qui ad illud Oratorium con-

ueniebant: ij fortassis propter loci angustiam iudicabant non decere vt eâdem horâ illuc conuenirent viri quâ mulieres.

VERS. 14. Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria, ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum, audiuit:

PVRPVRARIA græcè est πορφυρόπωλις, id est purpuræ venditrix. Ex hoc epitheto debemus colligere fuisse matronam honorabilem. Nam olim non licebat cuilibet purpuram tingere, aut tinctam vendere: Vnde de tinctura purpuræ sunt leges seuerissimæ, cod. lib. 11. De vestibus holobetis, id est totis sericis; qui est titulus octauus. Item, olim inter alios magistratus erat præfectura tingendæ purpuræ: qua velut egregio munere, ab Imperatore donatus fuit Dorotheus ille, postea sacerdos, de quo Eusebius hist. lib. 7. cap. 26. in princ. *Ciuitatis Thyatirenorum*, his verbis significatur patria huius mulieris. Erat enim Thyatiria seu Thyatirena. Dicitur ea ciuitas numero plurali Thyatira Thyatirorum; & apud Ptolemæum Tab. 1. Asiæ ponitur in Lydia prouincia, longitudinis inter 58. & 59. gradus, latitudinis autem, inter 39. & 40. Est vna illarum septem ciuitatum ad quas scribit S. Ioannes initio Apocalypseos. *Colens Deum*] hoc est, vnius veri Dei cultrix, etiamsi non suscepisset religionem Iudaicam, quantum quidem apparet. Hæc vna cum alijs *Audiuit* scilicet Paulum loquentem de Iesu Christo; quem nondum credebat esse Christum seu Messiam Domini. Doctrina de ipso quod sit Christus, propriè est Euangelium, lætum illud nuncium salutis acquirendæ; vt sæpe explicatum est. *Cuius Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur à Paulo.*] *Intendere.* Id est vt intenderet, vt attentè & reuerenter audiret quæ à Paulo dicebantur. Ex hoc loco discimus, quod Dominus aperit corda hominum non solum quando credunt & obediunt doctrinæ euangelicæ; sed etiam antea, tunc quando attentè & cum reuerentia eam audiunt. nam si ista gratia Dei audientibus defuerit: videbuntur deliramenta quæ proponuntur; sicut legimus de generis Loth. Genes. cap. 19. v. 14. & de discipulis Christi quando sanctæ mulieres primo annunciabant Christi resurrectionem. Lucæ 24. v. 11.

HIC est vnus locus ex ijs quos S. August. Prosper, & alij qui contra Pelagianos gratiam Dei defenderunt, adduxerunt ad probandum quod fides sit speciale Dei donum; ita vt homo efficaciter à Deo moueatur ad actu. credendum his quæ Deus nobis reuelat, sine quo efficaci dono nemo firmiter ac certò credat doctrinæ sibi propositæ per euangelij annunciatorem. Est insuper fides Dei donum habituale, residens in intellectu, quo homo est promptus ad credendum omnibus diuinitus reuelatis; idque propter diuinam authoritatem. Gratiam verè efficacem hîc agnoscit Lorinus, neque quicquam metuit lib. arb. sed non putat eam esse necessariam; videlicet per sufficientem posse hominem saluari & conuerti. Etiam infra ad v. 31. §. 6 gratiam efficacem agnoscit.

HANC de Lydia scripturam, B. Prosper istorsum quo eam pertinere diximus, attulit lib. 1. de Vocatione gentium cap. 23. post medium. In epistola

ad

ad Ruffinum, in solutione obiectionis 4. & in opusculo contra Collatorem cap. 30.

QVÆRI potest an inter omnes istas personas quæ Paulum hic audierunt, sola Lydia sit conuersa ad fidem Christi. Quidam sic existimarunt: sed quoniam versu proximo etiam domus eius dicitur fuisse baptizata; potius apparet contrarium. Sola tamen nominatur hoc loco; eo quod eminentiore gratia Deus ipsam cumulauerit, tam in danda fide, quam in ardentissima charitate, vt vers. proximo exponetur,

VERS. *15.* Cum autem baptizata esset, & domus eius: deprecata est, dicens; Si iudicastis me fidelem Domino esse; introite in domum meam, & manete. Et coegit nos.

CVM *autem baptizata esset, & domus eius:*] Insinuatur humilitas & modestia Lydiæ, quæ sese indignam iudicarit recipere tantos hospites, nisi esset baptizata & ipsa & familia eius. Ad persuadendum autem ipsis vt hospitio eius vtantur, adhibet argumentum eiusmodi, Vos me iudicastis fidelem esse Domino, vos me iudicastis dignam quam in numerum fidelium asscriberetis, quam per baptismum introduceretis in domum Dei, in ecclesiam eius sanctam: æquum est ergo vt dignemini tantillum à me officij accipere vt ingrediamini domum meam, & illic hospitio excipiamini. Sequitur, *Et coegit nos.* Mirum videtur, Apostolum Paulum, Silam, Timotheum, & Lucam, noluisse acquiescere precibus Lydiæ, nisi vi quadam adactos: sed sanè meminerant præcepti Dominici, quod extat Matth. cap. 10. v. 11. *In quamcumque ciuitatem aut castellum intraueritis; interrogate quis in ea dignus sit; & ibi manete donec exeatis.* Porro ipsa hæc instantia qua vtebatur Lydia, faciebat eam magis ac magis dignam quæ tantos viros exciperet. Itaque propter ipsius spiritualem profectum, hanc de apud eam diuersando difficultatem, faciebant sancti isti viri. Ita fere Chrysost. ad hunc locum. Diuerterunt ergo in domum Lydiæ, & ibi hæserunt per dies aliquot, vt colligitur ex v. 18.

VERS. *16.* Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam &c.

AD *orationem,*] Id est, ad oratorium, de quo v. 13 Nam ad quomodocumque precandum non erat necesse ipsos exire hospitium suum, domum Lydiæ. sed malebant tamen in Oratorium ire, captantes occasionem euangelizandi si qui eò conuenissent. *Puellam quandam*] eandemque ancillam quorundam Philippensium; vt patet ex vltimis verbis huius versus. *Habentem spiritum pythonem*] græcè est *pythonis:* sed sensus idem est; nempe istam ancillam fuisse obsessam dæmone quodam, diuinante res futuras vel alioqui mortalibus occultas.

occultas. Dæmon princeps huius superstitionis diuinatoriæ, πύθων dicitur; eodem nomine appellantur & singuli spiritus nequam ei subseruientes. Quin & homines dæmone aliquo tali obsessi, *pythones* appellantur. appellantur & *pythonici*, homines tali spiritu correpti, mulieres vero *pythonissæ* qualis erat ista ancilla. Tales latinè dicuntur *ventriloqui* & *ventriloquæ* eo quod dæmon qui talis viri aut mulieris corpus obsidebat, interdum per ipsius ventrem aut pectus formabat voces, quibus respondebat stultis hominibus eum consulentibus super re aliqua occulta. A latinis ita vocantur imitatione 70. Interpretum, qui multis locis scripturæ ve eris quibus mentio fit pythonicorum aut pythonissarum, dixerunt ἐγγαστριμύθους; quos alij græci teste Theodoreto in Leuit. cap. 19. vers. 31. ἐγγαστριμάντεις. nostri latini reddiderunt ventriloquos aut ventriloquas: vt S. August. de doctrina Christiana lib. 2. c. 23. & q. 77. in Leuiticum. Loca scripturæ vbi sic dixerunt 70. sunt, Leuit. cap. 19. v. 31. c. 20. v. 27. & alia proximè citanda. Nam fit in scripturis mentio spiritus seu dæmonis pythonis sæpiusculè, & virorum aut mulierum pythonicorum, cum grauissima prohibitione & reprahensione. Leuit. cap. 20. v. 27. Deut. 18. v. 11. 1. Reg. 28. vers. 7. & sequentibus. 4. Reg. cap. 21. v. 6. cap. 23. v. 24. 1. Paralip. 10. vers. 13. Isaiæ cap. 8. v. 19. cap. 19. v. 3. Agit inter alias species superstitionis diuinatoriæ S. Thomas de hac, 2. sec. q. 95. art. 3. in corp. breuiter. *Quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Dominis suis.*] Marito & vxori quorum ancilla erat: vel potius erant diuersi viri qui eam coniunctim possidebant tanquam mancipium. Ita videtur ex vers. 19. *Quæstum magnum præstabat.* Erant enim multi inter illos ethnicos, qui tales diuinationes sectabantur, illusi à dæmonibus: nec mirum, quum videamus & inter eos qui Christiani dicuntur, esse qui genethliacos, & chiromantas, & alios superstitiosos diuinatores auidè consulant.

VERS. *17*. Hæc subsecuta Paulum & nos, clamabat, dicens; Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis.

CLAMABAT.] Non videtur dubitari posse, hanc puellam fuisse obsessam, & non tantummodo circumsessam: ex eo quod est v. proximè sequenti. Et quamuis qui obsidentur à dæmone, interdum permittuntur vti sua ratione, neque semper ac continuo sunt impotes mentis: tamen hæc verba videntur prolata per os puellæ non libera ipsius voluntate, sed dæmone vtente ore & lingua ipsius; quomodo tam multa alia proferuntur ab arreptitijs. Hoc ita videtur ex eodem proximè sequenti versu. Nec obstat, quod vbi nos hîc habemus *vobis*] codices græci plerique habeant *(nobis)*; duos dumtaxat ex suis vetustis habuit Robertus qui legerent ὑμῖν, quum cæteri ἡμῖν;). Non obstat, inquam, quasi propterea hęc verba non potuerint dici à dæmone: fecit enim miseram obsessam ista dicere ex persona hominum non ex dæmonum persona. Dubites sanè an vera lectio non sit ὑμῖν, quum & Oecum. ita videatur legisse.

Hic

Hic quæritur ab expositoribus, quid mouerit dæmonem vt has veras laudes, & nunc & multis postea diebus, palam enunciaret de Paulo Apostolo & istis sanctissimis viris, ipsius socijs ac comitibus, Sila, Timotheo, Luca. Alij aliud dicunt: sed certum habere possumus dæmonem hoc fecisse hominibus nocendi causa. Dæmones enim etiam quando vera dicunt, per hocipsum student nocere his quibus ea dicunt. Nam si vera dicentibus homines credunt; ipsi eatenus sese honoratos putant; id quod valde ambiunt. Deinde ea hominum fide abuti cupiunt ad aliorum etiam persuasionem, quæ falsa & noxia sunt. Nam & impostores (imago est in Sinone illo, lib. 2. Aeneidos) solent quædam vera, imo manifestè vera, falsis immiscere, vt per illorum veritatem fidem faciant his à veritate alienis & noxijs. Videtur itaque dæmon iste hoc quæsiuisse in isto facto, vt Paulum sociosque commendans viros inculpatos, aliquid maioris fidei sibi compararet; qua deinde abuteretur ad fallendum Philippenses. Indicat hanc rationem Chrysostomus. Quocirca debet nobis esse suspectum quicquid à dæmone procedit, nisi diuina virtute compulsus loquatur; quomodo Christus Dominus eum compulit nomen suum dicere; Marci cap. 5. vers. 9. Lucæ cap. 8. vers. 30. Quare (vt hæc obiter addamus) non est probanda quorundam qui se pro exorcistis gerunt, curiositas & imprudentia, qui à dæmonibus corpora obsidentibus, solent multa quærere, siue ad rem præsentem pertinentia, siue non: quasi vera aut saltem credibilia sint habenda quæ ab illis respondentur. Quod autem ista Pythonissa ea quæ hic vera dixit, non dixerit Deo compellente; tametsi Vener. Beda, Hugo Cardinalis, Carthusianus, ita senserint: videtur satis probari ex versu proximè sequenti vbi Paulus Apostolus molestè fert hanc, tametsi veram, laudationem, & expellit dæmonem. Sequitur enim,

Vers. 18. Hoc autem faciebat multis diebus.)

Pavlo scilicet cum socijs procedente in publicum. Cur non statim eiecit dæmonium Paulus? Expectabat vt maiore cum vtilitate fieret, vbi pluribus innotuisset hæc dæmonis importunitas: ac simul vitabat ne ad miracula statim videretur prosilire, quasi sese venditare cupiens. Ita fere Chrysost. Credibile autem est Paulum cum suis quotidie prodijsse ad illud de quo dictum est Oratorium extra ciuitatem, & quod alij atque alij audito quod illic Paulus annunciaret doctrinam salutis, eo quotidie confluxerint, multique ex ijs sint ad fidem conuersi. Hoc ita videtur: quia extremis verbis huius capitis fit mentio fratrum qui essent Philippis; qui non fuerunt vtique alij quam qui his diebus prædicatione Pauli erant conuersi ad fidem Christi.

Dolens autem Paulus, *& conuersus.*] *Dolens.*] Id est, ægrè ferens quod doctrina salutis à cacodæmone laudaretur: eo quod ex vilitate laudatoris, poterat minoris æstimari: vnde est illud apud veterem Comicum, *Gaudeo pater, laudari abs te, laudato viro.*] Hoc etiam malè habebat Apostolum quod sciret dæmonem vera hac laude velle abuti ad fallendum miseros. Omnino videnda sunt quæ S. Thom. habet 3. part. quæst. 44. artic. 1. ad 3. *Conuersus,*

nimirum ad pythonissam, quæ, vt dictum est vers. præcedenti, *subsequebatur* Paulum & comites eius, clamans publicè illas eorum laudes, & hoc per dies complures. *Spiritui dixit; Præcipio tibi in nomine Iesu Christi, exire ab ea. Et exijt eadem hora.*] Hac imperiosa per nomen Iesu Christi eiectione dæmonis, videtur vtrique malo iam dicto, Paulus remedium attulisse. Eijciens enim dæmonem; rebus ipsis declarauit se illius laude neque egere, neque honestè & secundum Deum vti ea posse. Deinde, hac dæmonis eiectione tam subitanea, manifestauit omnibus dæmonum imbecillitatem; quo fiebat vt minus fidei essent deinceps reperturi apud homines bona ratione vtentes, si quando præstigijs & vanis doctrinis decipere eos vellent. Bene & breuiter Liranus, Paulus (ait) imposuit isti puellæ silentium, eijciendo ab ea dæmonium; eo modo quo Christus homini habenti spiritum immundum, & dicenti ei, Scio qui sis, Sanctus Dei; dixit, Obmutesce, & exi de homine, Marci cap. 1. vers. 25. Hoc enim fecit Christus, ne veris falsa misceret spiritus ille immundus, sicut venenum sub melle propinatur: &, quia nolebat habere testimonium sanctitatis à dæmone, ne per hoc daretur appatentia dicto pharisæorum, qui dicebant eum facere miracula in Beelzebub principe dæmoniorum. Et eadem ex causa Paulus eiecit hoc dæmonium; quia imponebatur ei & alijs Apostolis quod vterentur magicis artibus. Ita Liranus.

ATQVE hæc quidem fuerunt initia prædicationis fidei Christianæ seu euangelij & conuersionis gentium, apud Philippenses: sed vtrumque horum auctum & corroboratum fuit per Apostolorum Pauli & Silæ patientiam in flagellis & carcere, & per miraculosam eorum liberationem; de quibus deinceps agitur, vsque ad finem cap. Sequitur ergo.

VERS. 19. Videntes autem Domini eius quia exiuit spes quæstus eorum: appræhendentes Paulum & Silam, perduxerunt in forum ad Principes:

DOMINI *eius*] de quibus dicebatur v. 16. quod *ipsis ista pythonica ancilla quæstum magnum faciebat diuinando. Videntes quod exiuit spes quæstus eorum.*] Multa hic in detestationem auaritiæ Chrysost. & merito: quum sit radix omnium peccatorum, vt ait Apostolus 1. Tim. cap. 6. Ecce enim qui debuissent gaudere de sua ancilla liberata, qui debuissent Paulo Apostolo gratias agere, & in primis Deum laudare propter hoc beneficium, & suscipere fidem Iesu Christi, in cuius nomine Paulus adeo repente dæmonem ex istius miseræ corpore expulerat: hi, auaritia instigante, faciunt omnia contraria. Dolent de liberatione ancillæ; Christum blasphemant, vt v. 21. audiemus; Paulum & Silam pessimè tractant ac tractari curant; & interim callide dissimulant veram causam iræ; prætexunt autem negotium publicæ tranquillitatis & religionis, nam *Apprehendentes Paulum & Silam, perduxerunt in forum, ad Principes*, hoc est, ad primores ciuitatis. *In forum,* id est, in curiam, in locum vbi causæ agebantur.

VERS.

VERS. 20. Et offerentes eos magistratibus, dixerunt; Hi homines conturbant ciuitatem nostram, quum sint Iudæi:

VERS. 21. Et annunciant morem, quem non licet nobis suscipere neque facere; quum simus Romani.

HI *homines conturbant ciuitatem nostram.*] Pro eo vt dicerent, Hi homines ancillam nostram liberauerunt à dæmonio quo obsidebatur;& nos quidem temporale detrimentum accepimus, sed malumus illud pati quam miseram famulam nostram ita affligi; præsertim quum turpe & sacrilegum fuerit lucrum quod ex huius obsessæ diuinationibus nos accipiebamus. Ita debebant loqui:sed longe alio modo agunt: calumniantur Apostolos tanquam turbatores Reipublicæ,vt scilicet publica authoritate eos affligant, quos per auaritiam oderant ob turpem quæstum ademptum. Christus Dominus coram Pilato à Iudæis eadem calumnia fuit impetitus,vt ab eo,hoc nomine perderetur. Lucæ cap. 23. princ. Ioannis cap. 19. v. 12. Addunt, *Cum sint Iudæi:*] Facit hæc additio ad augendam iram Magistratuum;nam inter ethnicos nomen Iudæorum erat odiosum,tum quod idola detestarentur, vnicum verum Deum agnoscentes; tum quod mores ac instituta vitæ haberent à gentilibus multum diuersa. Addunt præterea hi accusatores;

VERS. 21. Et annunciant morem, quem non licet nobis suscipere neque facere, cum simus Romani.

ANNVNCIABANT Ethnicis Philippensibus fidem vnici veri Dei, ac deinde fidem mediatoris Dei & hominum vnici, Domini Iesu Christi; vt videmus infra v. 31. Et publicè, multis vtique audientibus Paulus ex illa pythonissa dæmonium eiecerat *in nomine Iesu Christi. Non licet* (inquiunt isti) *nobis suscipere neque facere morem* id est legem, religionem,cultum numinis, quem isti annunciant: quoniam sumus Romani. Philippenses erant colonia Romanorum; vt ex hoc loco colligitur, iuncto v. 12. ac testimonio Plinij lib. 4. cap. 11. paulo post initium: leges itaque Romanorum,ac inter illas,legem de religionibus & cultibus numinis, obseruabant; ac obseruare à Romanis iubebantur. In hoc enim Municipia præstabant colonijs, quod hæ iure Romanorum viuere cogebantur, Municipia autem suis iuribus pristinis suisque legibus viuere poterant, si vellent, etiamsi prærogatiuam municipij à populo Romano accepissent. Disserit hoc Gellius accuratè,lib. 16. cap. 13. Romani autem eo tempore quo quæ hîc narrantur facta sunt, tam Imperatores quam Senatus populusque, falsos Deos colebant: Inde argumentantur isti accusatores non licere Philippensibus recipere aut exercere cultum Numinis quem isti Iudæi tradebant. Sequitur,

VERS. 22. Et concurrit plebs aduersus eos:

CONCVRRIT] ita est in bonis libris latinis, teste Francisco Luca; ita erat in prima correctione Sixtina, ita vox græca potius sonat συνεπέστη, q. d. *simul insurrexit*. Eadem vox est cap. 18. v. 12. *Plebs aduersus eos.*] Quoniam hæc accusatio fiebat in publico; & erat de innouatione religionis: ideirco plebecula tumultuose concursauit aduersus istos Apostolos, Paulum & Silam; cupiens eis vim adferre, malèque eos tractare, tanquam impios in cultum Deorum. Sequitur,

ET *Magistratus.*] Est nomen plurale, οἱ στρατηγοὶ. significantur iidem, qui v. 20. *Scissis tunicis eorum.*] In detestationem impietatis, quæ dicebatur Pauli & Silæ, Magistratus iusserunt ipsorum extimas vestes dirumpi; ac deinde *Iusserunt cædi.* Ita est g. omisso illo (eos.) Id quod nonnihil iuuat vt præcedens relatiuum οἱ αὐτῶν ad Apostolos referatur potius quam ad Magistratus. Insserunt ergo *eos virgis cædi.* Hæc est illa ignominia quâ Philippis sese affectum commemorat Paulus Apostolus, 1. Thess. cap. 2. v. 2. Fuit autem cruenta ista flagellatio; vt liquet partim ex v. sequente vbi dicitur quod multas eis imposuerint plagas, partim ex v. 33. vbi dicitur quod custos carceris lauerit plagas eorum.

VERS. 23. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem; præcipientes custodi vt diligenter custodiret eos.

MVLTAS *plagas eis imposuissent*] publicè nimirum, ad maiorem ignominiam. Infra v. 37. Forte autem Magistratus adeo crudeliter iusserunt eos flagellari, vt plebeium furorem de quo v. præcedente nonnihil restinguerent. Ita videtur Chrysost. in huius loci Commentario.

MISERVNT *eos in carcerem* &c. Videntur tunc hi Magistratus in animo habuisse, accuratius de eorum doctrina & instituto ipsos examinare: sed postea mutasse consilium; satiusque iudicasse eos ablegare ex ciuitate. Hoc enim fecerunt postridie bene mane. Infra vers. 35. Sequitur,

VERS. 24 Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem;)

EX eo enim difficilius erat elabi, ob hoc ipsum quod interior erat. Nihilominus vt magis esset tutus ac securus; *Et pedes eorum strinxit ligno.* Hic admirari licet diuinam erga electos prouidentiam, qua omnia operatur in bonum ipsorum, vt ait Apostolus Rom. cap. 8. v. 28 Supra dictum fuit v. 9. quod Paulus Apostolus diuinitus immissa visione sit monitus vt euangelium annunciaret Macedonibus ante omnes alios: & ecce, in prima quam ingressus fuit ciuitate Macedoniæ, tam crudeliter tamque ignominiosè tractatus fuit vna cum Sila; sicut hic refertur.

ITEM,

ITEM, in omni ista tribulatione summam patientiam & modestiam, vna cum prudentia, Deus eis tribuit. Denique, omnis ista tam magna cura custodiendi istos captiuos, subseruiuit diuinæ gloriæ; quando, non obstante omni hac cautione, miraculosè Deus ipsos prima nocte liberauit; vt deinceps narrabitur.

VERS. 25. Media autem nocte Paulus & Silas orantes, laudabant Deum; & audiebant eos qui in custodia erant.

ORANTES *laudabant*] laudabant Dei erga se benignitatem, & gratias agebant etiam de hoc ipso quod propter veritatem fidei, propter honorem Dei & Christi eius, hanc tribulationem paterentur. Simul precabantur vt totum hoc ad maiorem Dei gloriam & proximorum salutem cederet. An cecinerint hi Apostoli; non liquet: nec verbum quo B. Lucas vtitur in sua notione includit modulationem cantus; sed nudè significat laudare, prædicare. Vnde & noster Interpres simpliciter reddidit, *laudabant*; quod græcè est ὕμνουν. Illud certum est, hos Apostolos vocali oratione, & quidem exerta voce vsos fuisse; quoniam additur quod cæteri vincti eos audiebant laudantes & precantes Deum. Exemplum igitur hic indubitatum est Orationis vocalis. Item exemplum pietatis illius veteris, qua noctu surgebatur ad laudandum & orandum Deum; vnde nobis mansit titulus *Nocturni vnius*, per ferias; aut *trium Nocturnorum* per Dominicos dies & festa maioris vel mediocris solemnitatis. Subauditur autem in ea nomenclatura, vocabulum *Conuentus*; sed sermo est de conuentu adoratorio, laudatorio, Eucharistico, precatorio. Dignus lectu de Nocturnis precandi horis, deque antiquis Christianorum vigilijs, Baronius, occasione huius historiæ: Anno Christi 51. §. 68. & aliquot sequentibus. Sequitur,

VERS. 26. Subito verò terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris:

MIRACVLIS tribus Deus declarauit suam potentiam ac benignitatem, & suorum seruorum istorum sanctitatem. Primum, Terræmotus ingens subitaneus, nulla causa naturali factus. Secundum, apertura omnium ostiorum quæ erant in toto carcere; Tertium, Solutio vinculorum omnium quibus tenebantur vincti: vtrumque horum nulla vi humana factum. De his duobus dicit B. Lucas; *Et statim aperta sunt omnia ostia; & vniuersorum vincula soluta sunt.*] Credibile est omnia hæc tria fuisse facta per Angelos, Dei peculiari iussu: & tamen rectè miracula dicuntur, sed in tertio miraculorum gradu. Diximus simile quiddam, ad cap. 12. v. 7. De varijs gradibus miraculorum S. Thom 1. p. q. 105. art. 8. in corpore. Sequitur,

VERS. 27. Expergefactus autem custos carceris.)

NIMIRVM isto terræmotu tam ingente; *Et videns ianuas apertas carceris,*] nondum lumen acceperat, vt patet ex vers. 29. tamen nox ipsa tantillum luminis facilè habebat, vt posset videre ostia esse aperta: *Euaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. Erat seipsum interfecturus*, est g. iamque gladium euaginarat ad id faciendum; quoniam putabat vinctos fugisse, pro quibus ipse propterea duram & ignominiosam mortem esset passurus, eandem quam experturi fuerant illi. Ita enim Ius Ciuile statuit; vt est videre lib. 9. Tit. 4. lege 4. Cod. Cum igitur in hac praua voluntate interficiendi seipsum, hæreret custos carceris:

VERS. 28. Clamauit Paulus voce magna, dicens; nihil tibi mali feceris: vniuersi enim hîc sumus.

VNDE Paulus in interiore carcere nouerat quid ageret carcerarius? Forte ex voce & tumultuatione eius. Nec enim erat sese interfecturus, nisi clara voce testatus cuius mali metu id faceret: vt fit in talibus. Vel potius, Deo reuelante id cognouit; sicut & hoc, quod nemo vinctorum fugerat. ait itaque, *vniuersi enim hîc sumus.*

MIRVM videri potest alios vinctos non fugisse, quum vincula ipsorum essent soluta, & carceris ostia aperta; vt dicebatur v. 26. Sed non est ambigendum, eos terræmotu illo ingenti, & reliquis duobus miraculis ita fuisse attonitos, vt non perspicerent quid sibi optimum factu esset. Videntur etiam dubitasse num alibi vspiam forent tutiores, quam in isto vbi erant loco; propinqui sanctis illis viris propter quos ista insolita diuinitus fiebant. Itaque manserunt vbi erant expectantes euentum rei. Quid postea de illis actum sit; scriptura non exponit, nos non habemus quod diuinemus. Sequitur,

VERS. 29. Petitoque lumine, introgressus est.

IN carcerem illum interiorem vbi erant Paulus & Silas: *Et tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes:*] *Tremefactus.*] Quod tam sanctos viros, propter quos Deus tam mirãda faciebat, ipse in carcere interiore posuisset, & in cippo; metuebat à Deo celerem punitionem: *Procidit Paulo & Silæ ad pedes.*] Venerans nimirum eorum sanctitatem, quam Deus illis signis declarabat.

VERS. 30. Et producens eos foras)

EXTRA carcerem scilicet, *Ait, Domini, quid me oportet facere vt saluus fiam?* Sciebat eos fuisse concionatos; veritatem eos concionatos fuisse, colligit ex signis quæ Deus iam exhibebat: & consequenter tanquam homines veridicos à Deo missos, consulit quid ad salutem obtinendam debeat facere.

Curam

Curam hanc salutis Deus animo ipsius inieccrat per hæc prodigia, & per repentinum timorem mortis ei incussum, dum crederet fugisse vinctos, sibique id fore capitale.

VERS. 31. At illi dixerunt; Crede in Dominum Iesum; & saluus eris tu, & domus tua.

CREDE *in Dominum Iesum*, Erat iste Carcerarius paganus idololatra; qui proinde ante omnia si saluus esse vellet, fidem vnici veri Dei suscipere debebat, omnibus falsis dijs repudiatis: Cur igitur Apostoli Paulus & Silas nihil ei de necessitate huius fidei dicunt? Respondendum est, fidem de vnico vero Deo includi in his verbis quæ proponunt Apostoli. Non potest enim de Domino Iesu credi quod credendum est, nisi credatur quod sit filius Dei vnigenitus, ei consubstantialis; propter nos homo factus, conceptus de Spiritu sancto ex Maria Virgine: atque ita simul credatur esse vnicum verum Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

SENSVS ergo est; vt saluus sis, credere debes quæ de Iesu mundi saluatore nos, (quos Dei ministros vides esse per hæc prodigia) annunciamus. Credere debes quæ Iesus docuit; facere debes quæ ipse præcepit; vtraque nos vobis eius mandato annunciamus. Quod omnia hæc in istis verbis lateant: patet ex sequentibus hoc loco, vbi dicitur vers. proximo. *Locuti sunt ei verbum Domini, cum omnibus qui erant in domo eius.* Vtique illud *verbum Domini* complectebatur tam quæ Christus præcepit fieri, quam quæ docuit esse credenda. Vnde vlterius narratur quod eadem nocte baptizatus est carcerarius ipse, & omnis domus eius. Ergo ab his Apostolis audierant, præceptum esse Christi de suscipiendo baptismo. Quare, non promittitur hic salus sterili fidei; sed fidei obedienti; quum dicitur, *Crede in Dominum Iesum; & saluus eris tu, & domus tua.* Dictum est aliquid ea de re ad cap. 13. vers. 39. Et manifestissimum est quid Dominus iniunxerit Apostolis quum legationis munus eis imponeret; Matth. 28. sub finem. Euntes docete &c.

ET *saluus eris tu & domus tua.*] *Saluus eris*, id est, in statu salutis constitueris; atque adeo in æternam salutem certo transibis, si in hoc statu cures perseuerare. Nam is demum qui in via Dei perseuerauerit vsque in finem, saluus in æternum erit. Matth. cap. 24. v. 13. Similia, vel eadem potius verba, dicta fuerant Cornelio Centurioni; sup. cap. 10. v. 6. cap. 11. v. 14. quæ expendimus ad v. 2. dicti cap. 10. Sequitur,

VERS. 32. Et locuti sunt ei verbum Domini, cum omnibus qui erant in domo eius.

VERBVM *Domini*. Quid complectatur S. Lucas isto nomine, iam dictum est; nempe mysteria Christianæ religionis, quæ essent credenda, & Christi præcepta, quæ essent facienda. *Cum omnibus qui erant in domo eius.* hoc est, vxore, prolibus, & famulis, & conuictoribus si qui erant. Hos enim omnes

complectitur nomen *domus* seu familiæ. Nec solum audierunt hi omnes verbum Domini, quod ipsum erat pars beneficij diuini; sed etiam illud crediderunt, Deo corda ipsorum ad fidem mouente, sicut de Lydia dictum est, v. 14. Quod omnes domestici eius fide receperint verbum Domini; patet ex vers. proximè sequente, vbi omnes dicuntur baptismum accepisse. Sequitur de Carcerario.

VERS. 33. Et tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum:)

IAM catechizatus, & credens catechismo quem audierat; antequam baptizaretur, voluit opus charitatis exercere in sanctos illos viros, catechistas suos; *lauit* nempe *plagas eorum*. Fuerant enim compacti in carcerem, & quidem interiorem, non curatis plagis & vulneribus quæ crudeli illa flagellatione acceperant, de qua v. 22. 23. Sequitur, *Et baptizatus est ipse, & omnis domus eius, continuò*. Non dubium est, quum baptismi necessitatem ipse & sui per catechesim intellexissent; rogasse atque vrsisse Apostolos, vt ipsos baptizarent, neque sinerent elabi hanc quæ tunc per noctis silentium erat opportunitatem: vice autem versa, Apostolos in Carcerario & domesticis eius vidisse tantam præparationem, etsi tantillo tempore partam, vt baptismo salutariter accipiendo sufficeret.

NON est temere imitandum hoc exemplum: sed more veteris Ecclesiæ qui adulti sunt baptizandi, multis ante diebus debent baptismum petere, debent deinde iusto tempore catechizari; & antequam postea baptizentur, debent scrutinio subijci, quod per Episcopum, & ei subseruientes fiat, vt sciatur eorum in fide profectus & constantia; & quantum habeant desiderium viuendi christianè. Sequitur,

VERS. 34. Cumque perduxisset eos in domum suam.)

QVÆ vel contigua erat carceri, vel illo superior, vt fit. Videtur autem sermo esse, de interiore domo, vbi erat cœnaculum: nam & quæ proximè dicta sunt in parte aliqua domus eius gesta videntur, extra carcerem scilicet, suprà vers. 30. Dico autem prædicationem verbi Domini, ablutionem & curationem plagarum, baptismum Carcerarij, & familiæ ipsius; de quibus v. 32. 33. *Apposuit eis mensam*, non est putandum hoc fuisse intempestiuum, etiamsi noctis extrema parte factum sit: quoniam omnino apparet Apostolos tota die præcedente nihil gustasse, si quis superiorem historiam bene consideret; ac præterea erant exhausti vigilia istius noctis, atque effusione sanguinis per illam crudelem flagellationem pridianam. Sequitur, *Et lætatus est* vtique spirituali gaudio. Causa apponitur, *Cum omni domo sua credens Deo.* hoc est, quia iam per fidem vnici veri Dei, ac Iesu Christi Saluatoris, & per Sacramentum baptismi, erant facti ex numero fidelium, ex numero Christianorum.

MAGNVM valde beneficium; de quo meritò gaudebant ac Deo agebant gratias;

gratias; Et quod plerique nostrum qui dicimtur Christiani, non satis magni æstimamus; ideoque tam multi, à Deo ingratitudinem punient..., deseruntur, & sinuntur cadere in grauia scelera, imo in hæreses & alias infidelitatis species. Sequitur,

VERS. 35. Et cum dies factus esset, miserunt Magistratus lictores, dicentes;

CVM *dies factus esset;*] sed primo diluculo, ostijs domorum per vrbem nondum apertis. Id colligitur ex verbis Pauli v. 37. ibi, *occultè. Miserunt*] ad Carcerarium scilicet, seu Custodem carceris. *Lictores*] græcè est, τοὺς ῥαβδούχους, id est, virgiferos. significantur autem Magistratus ipsius viatores. Nam & græcè & latinè ita nominantur per quos Magistratus denunciat quid velit fieri vspiam. græco tamen nomine, ῥαβδοῦχος vel ῥαβδοφόρος simul innuitur insigne quo dinoscebantur. Nec malè Interpres noster dixit, *lictores:* non enim (lictor) idem valet planè quod (tortor) aut (carnifex) : sed, quia licio transuerso cincti erant qui magistratibus præministrabant; lictores idcircò sunt appellati, ait Tiro M. Tullij libertus, apud Gellium noctium Atticar. lib. 12. c. 3. Sed, an non ideo dicti *lictores*, quod reos in custodiam ducerent, deinde ipsi exeuntes, ibi eos *linquerent* : vt scilicet odiosum officium vocabuli exilitate mitigaretur? Ergo, Magistratus miserunt lictores ad Carcerarium, per quos illi *dicebant*, hoc est iubebant, *Dimitte homines illos.* Quid mouerit eos vt Paulum & Silam iuberent dimitti, non liquet. Est tamen probabile id eos fecisse ne noua religio quam aduersus cultum Deorum isti inuehebant, latius in Philippensium vrbe disseminaretur. Nec enim volebant ipsos quomodocumque dimitti, sed ita vt ex ea ciuitate discederent; quod patet ex vers. 39. Et ex vers. 37. liquet Paulum Apostolum sic intellexisse istam dimissionem. Sequitur,

VERS. 36. Nunciauit autem custos carceris verba hæc Paulo, quia miserunt Magistratus vt dimittamini.

CVSTOS *carceris*] retinens interim istos apparitores vsque dum Apostolis hæc nunciasset. Id patet ex v. sequenti, vbi ipsos Paulus alloquitur. Addit Carcerarius loquens Paulo, *Nunc igitur exeuntes ite in pace.* q. d. Suadeo vt vtamini beneficio quod conceditur. Hæc ille bona fide : sed Pauli prudentia abnuit hoc ita facere; quoniam detrimentum allatura fuisset ea res bono nomini ipsorum Apostolorum; ædificationi fidelium, & profectui, ac propagationi Euangelij seu fidei Christianæ. Vnde sequitur,

VERS. 37. Paulus autem dixit eis;

VTIQVE lictoribus istis quos miserant magistratus. His Paulus dixit, vt verba sua ipsis perferrent; hæc nempe, *Cæsos nos publicè, indemnatos, homines Romanos, miserunt in carcerem; & nunc occultè nos eyciunt? Nos homines Romanos;* Non

omnino liquet Silam Apostolum fuisse ciuem Romanum; & tamen Paulus loquitur pluraliter, *Nos homines Romanos*, Dici posset cum de se solo loquutum numero plurali, more quotidiano: sed malumus credere, Silam quoque ciuem Romanum fuisse; Nam magistratus Philippenses sic verba Pauli intellexerunt; vt his quæ hic sequuntur v. proximo & 39. doceri potest. Possunt nonnihil iuuare hanc opinionem quæ dicta sunt ad cap. 15. vers. 22. Paulum fuisse ciuem Romanum, & quidem à natiuitate, liquet infra c. 22. v. 25. & sequentibus.

INDEMNATOS ἀκατακρίτους est g. quod rectissimè vertit noster Interpres, *indemnatos*; sicut & infra d. cap. 22. v. 25. Non licebat autem Ciuem Romanum virgis cædere, nisi prius ob crimen esset damnatus capitis. Extra eum casum lex Valeria prius, deinde & lex Porcia, virgas ab omnium Ciuium Romanorum corpore amouit. De lege Porcia hoc testatur Tullius Oratione pro Rabirio. De P. Valerio Publicola quod eam legem tulit Consul, tradit Valerius Maximus lib. 4. cap. 1. in principio. Quod igitur Paulus Apostolus cum Magistratibus Philippensium expostulat, illud est, quod se & Silam Ciues Romanos non condemnatos, publicè virgis ceciderint, & in carcerem publicè compegerint: & nunc velint occultè dimittere, tanquam per gratiam liberatos. Ac ne sufficere putent, si respondeant ignorasse se quod essent Ciues Romani; videtur addere Paulus illud, *Indemnatos*: q. d. saltem non potuisse eos ignorare quod illicitum sibi erat ipsos ita tractare, sine forma Iudicij; non potuisse item ignorare, nihil accusatores aduersus eos probasse quod talem ignominiam mereretur.

VTITVR porro hac expostulatione Apostolus, propter eas causas quas posuimus ad v. 36. Nempe Apostolis Christi suum bonum nomen ac fama integra, necessaria erat, vt fructuosè per gentes fidem Christi disseminarent & constabilirent; quod non erat futurum si habiti fuissent seditiosi, superstitiosi; si habiti fuissent iustè ab istis Magistratibus puniti, & non nisi per gratiam liberati. Hæc igitur omnia vult Paulus amoliri & auertere. Propterea addit, *Non ita; sed veniant, & ipsi nos eijciant.* Fuisset commodius si Interpres pro isto (*eijciant*) dixisset (*educant*); quod vox græca potius significat, & quod sensus magis requirit. Vult igitur Paulus, & suo iure exigit, vt magistratus illi per se educant ipsos ex domo carceris, hoc facto declaraturi publicè eorum innocentiam. Etiam alibi Interpres noster verbo *eijciendi* paulo durius vsus est: sed debet intelligi commodè, quod incommodè est dictum sup. cap. 5. v. 15. Certe idem hic Interpres v. 39. huius cap. participium huius verbi vertit (*educentes*). Sequitur,

VERS 38. Nunciauerunt autem magistratibus lictores verba hæc: timueruntque audito quod Romani essent:)

ETIAM infra cap. 22. v. 29 narratur de tribuno Hierosolymitani præsidij, qui iusserat Paulum ligari, timuisse propter illud suum factum, postquam resciuisset Paulum esse Ciuem Romanum. Nempe Imperatores & Senatus Romanus seuerè vindicabant, si Ciui Romano esset facta iniuria. Id enim ad digni-

dignitatem & maiestatem ipsorum magnopere faciebat, si strenuè defenderent suos beneficiarios & clientes. Baronius ad annum Christi 51. §. 72. Cur tantopere timuerint magistratus hi Philippenses, in causa (inquit) fuisse existimo, quod recens erat Rhodiorum exemplum quos Claudius Imperator libertate penitus priuauerat eo quod in Ciues quosdam Romanos peccassent. Author est Dio. lib. 60. Ita ille. Quæ autem hic narrantur acciderunt Claudij anno 9. anno videlicet Christi vt dictum est 51. Timuerunt ergo hi magistratus Philippenses, magis videlicet temporalem iacturam ac pœnam à Romanis, quam quod viros innocentes hac iniuria affecissent, & in verum Deum ita peccassent.

VERS. 39. Et venientes deprecati sunt eos; & educentes rogabant vt egrederentur de vrbe.

DEVS isto Magistratuum timore vtitur ad conseruationem boni nominis horum Apostolorum. Timore enim isto impulsi veniunt ipsimet in domum carceris, precantur Apostolos vt velint obliuisci eius quod acciderat; fuisse factum per ignorantiam status ipsorum quod Romani ciues erant. Deinde *ipsimet eos e domo carceris educunt*, eo facto declarantes eorum innocentiam. Rogant tamen *vt egrediantur ex vrbe*; verisimiliter moti ea ratione quam diximus ad v. 35. Paulus Apostolus huic postulato acquieuit, seruans nimirum sese alijs locis & temporibus ad propagationem & confirmationem Ecclesiæ, vt & alias vidimus eum fecisse superioribus capitibus. cap. 9. v. 25. 30. cap. 14. v. 5. 6. 19. & similia sunt infrà. Sequitur

VERS. 40. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: & visis fratribus consolati sunt eos, & profecti sunt

EXEVNTES *autem de carcere*, aliquousque deducti à Magistratibus vt est verisimile ac deinde humaniter ab ijs dimissi, postquam polliciti essent sese egressuros ciuitate, vt petebatur. *Introierunt ad Lydiam*, In cuius domo fuerant per aliquot dies excepti hospitio, antequam caperentur. supra v. 15. & 18. Huc redierunt, consolandi eius causa, & valedicendi gratia, iam exituri ciuitatem. *Et visis fratribus*, qui in domum Lydiæ confluebant, salutandi Apostolos gratia, & liberationem ijs gratulandi; simulque spiritualem ædificationem ab ijs accipiendi. *Consolati sunt eos* tam dolentes videlicet de ignominia qua fuerant affecti Apostoli, quam metuentes quæ ab impijs essent ipsis inferendæ tribulationes. Idem & alias fecerunt Apostoli; ac necessario faciendum est, præsertim apud Neophytos, quales erant hi. supra cap. 11. v. 23. cap. 12. v. 17. cap. 14. v. 21. *Et profecti sunt*. quo sint profecti, exponetur cap. sequenti.

QVAMVIS autem hoc primo in ciuitatem Philippensium introitu tam male fuisset tractatus Paulus; constat tamen postea in eadem ciuitate ipsum fuisse. cap. 20. huius operis, v. 6.

ARGV-

ARGVMENTVM

CAPITIS XVII.

PAVLVS cum peregrinationis socijs peruenit Thessalonicam, vbi in synagoga Iudæorum annuncians euangelium de Iesu Christo, multos & ex Iudæis & ex alijs, ad veram fidem Christi conuertit. Per Iudæos infideles compellitur inde fugere cum Sila; idem patitur ab ijsdem Berœæ (quo ex Thessalonica se receperat) multis tam Iudæis quam gentilibus prius etiam ibi conuersis. Inde venit Athenas: vbi & contra philosophos quosdam confligit; & in Areopago publice de fide vnius veri Dei concionatur, insinuans simul doctrinam de Saluatore; conuertens inter reliquos, magnum Areopagitam Dionysium.

VERS. I. Cum autem perambulassent Amphipolim & Apolloniam; venerunt Thessalonicam, vbi erat synagoga Iudæorum.

AMPHIPOLIM] est ciuitas Macedoniæ, longitudinis inter 49. & 50. latitudinis fere 42. in tabula 10. Europæ apud Ptolemeum. *Et Apolloniam*] in eadem tabula est, directo ductu magis meridionalis, latitudinis ferme 41. Ipsa quoque Macedoniæ ciuitas. Etsi enim in alijs quoque prouincijs sint ciuitates horum nominum: tamen certum est ex superioribus & seqq. hic esse sermonem de his quæ erant in Macedonia. Videntur autem istæ duæ fuisse ciuitates minores, hosque Apostolos ibi non hæsisse: sed potius dedisse operam vt primo loco ad fidem Christi conuerterentur ciuitates maiores; quibus conuersis facilius deinde minores eandem essent amplexuræ.

PAVLO infra Apolloniam meridiem versus in eadem tabula 10. Europæ est *Thessalonica*, in extremo angulo sinus Thermaici; vrbs Macedoniæ etiam ipsa, sed maior verisimiliter. Nam etiam hodie magnitudine & incolarum frequentia celebris est, vt probat Ortelius in Thesauro Geographico; verbo Thessalonica. *Venerunt Thessalonicam*; ait S. Lucas; & addit, *vbi erat synagoga Iudæorum.* Quo additamento nobis innuitur in ciuitatibus Macedoniæ hactenus commemoratis nullas Iudæorum synagogas fuisse; vt & antea diximus, ad cap. 16. vers. 12.

VERS. 2. Secundum consuetudinem autem Paulus introiuit ad eos:)

SECVNDVM *consuetudinem*] suam scilicet, qua priorem vbique curam impendit conuertendis Iudæis, fratribus suis secundum carnem; quorum salutem ardentissime desiderabat, vt ipsemet testatur Rom 9. in principio.

PAVLVS

PAVLVS *introiuit ad eos*] congregatos videlicet die sabbathi in synagoga. *Et per sabbatha tria disserebat eis de scripturis*] *De*] græce est ἀπὸ; vnde liquet (de) pro (ex) hic esse accipiendum. Nempe ex sacris veteris testamenti scripturis Paulus Apostolus probabat ea quæ Iudæis persuasa cupiebat, pertinentia ad salutem. Hæc autem fundamentalia erant duo quę exponentur versu sequenti, & quæ Venerabilis Beda accurate distinxit.

VERS. 3. Adaperiens & insinuans quia Christum oportuit pati & resurgere à mortuis:)

HOC est prius illorum duorum; prænunciatum per priscos illos Sanctos prophetas; quorum scripta extant in scripturis veteris testamenti; & præfiguratum per allegorias rerum gestarum eodem testamento recitatarum, nec non ceremoniarum lege Mosaica præscriptarum: nempe, Messiam quando in mundum venisset, esse passurum, & quidem mortem crucis; idque oportere fieri propter immobile decretum diuinum, quo hoc erat constitutum in redemptionem humani generis: sicut & hoc, eundem statim ex morte resurrecturum ad vitam immortalem. Hoc veteres prophetiæ & figuræ tam frequenter ac tam certò prænunciarant, vt dominus stultos ac tardos corde appellarit qui istud de Messia in illis non percipiebant. Lucæ 24. v. 25. 26. 27. & in eandem sententiam loquitur idem Dominus Saluator eodem illo cap. v. 44. 45. 46.

ALTERVM fundamentum salutis necessario credendum, erat (vt est deinceps semper) Iesum Nazarenum sub Pontio Pilato Ierosolymæ crucifixum, esse Messiam Domini, in illo esse completa quæcumque de Messia prædicta & præfigurata fuerant; itaque non esse alium expectandum. Nec enim ad salutem satis est credere esse aliquem Messiam Dei Patris: sed oportet credere in particulari quod hic Iesus Nazarenus Virginis Mariæ filius sit Christus seu Messias Domini; nec vllus alius. Atque hoc est signatè & distinctè illud religionis punctum quod Christianos separat à Iudæis Iudaizantibus, & quod peculiariter inter prima elementa catecheseos Christianæ, semper fuit positum; vt oportebat; ab ipsis quoque Apostolis. Supra cap. 2. v. 36. 38. cap. 3. v. 13. & seqq. cap. 4. v. 10. & seqq. item v. 33. cap. 5. v. 30. 31. 32. cap. 7. v. 52. 55. cap. 8. v. 5. 25. 35 37. c. 9. v. 20. 22. cap. 10. v. 37. & seqq. c. 13. v. 23. & seqq. vsque ad 38. cap. 16. v. 31.

ISTVD secundum fundamentale principium religionis Christianæ his verbis nos hic habemus; *Et quia* (quod) *hic est Iesus Christus quem ego annuncio vobis*. In græco codice est paulo alius verborum ordo, aptior rei propositæ, hic nimirum; *Et quoniam hic est ille Christus, Iesus quem ego annuncio vobis*. vt ordo declaratorius verborum sit, Et quod hic est Christus, hic (inquam) Iesus quem ego vobis annuncio. Confer cap. 18. v. 5. & vltimo.

HORVM duorum articulorum veritatem ait B. Lucas Paulum Apostolum *adaperuisse & insinuasse*: quæ duo verba quum quandam contrarietatem contineant, quam diuerso modo conantur tollere expositores; nobis videbatur commodissime sic tolli, vt non pertineat vtrumque verbum ad vtrumque arti-

culum; sed singula reddantur singulis; sitque sensus, Paulum Apostolum statim à principio prædicationis aperte docuisse articulū illum priorem; posteriorem autem, quoniam particulariter Messiam designat, nō omnino expresse, à principio saltē sermonis Iudæis illis aperuisse, sed insinuasse potius, donec paulatim capaciores facti, essent idonei quibus articulus ille distinctè & expresse proponeretur. Sic enim procedendum est, non in articulis fidei solum tradendis, sed in omni disciplina; vt semper præmittantur quæ sunt nobis notiora, quæ faciliora; cætera vero subsequantur suo tempore; & interea si quid de illis dicendum est, insinuetur potius quam plane adhuc exprimatur. Simile quiddam obseruauimus in concione B. Petri Act. 2. v. 22. & (Deo donante) obseruabimus ad diuersa loca huius capitis.

Porro quamuis pro isto (insinuans) nunc sit in græcis codicibus, *παρατιθέμενος*, quod varie reddi potest; constat tamen interpretem legisse *παρεντιθέμενος*, dum reddit (insinuans); & hoc præsenti loco, secundum expositionem datam, videtur aptius.

Vers. 4. Et quidam ex eis crediderunt.)

Ex *eis*;] Iudęis nimirum in quorum synagoga Paulum per tria sabbatha disseruisse de Iesu quod sit Christus, iam dictum est; *Et adiuncti sunt Paulo & Sila:*] *Et adiuncti*] eiusdem fidei Christianæ vinculo, imo & corporali conuersatione.

Et *de colentibus gentilibus multitudo magna*] subauditur *credidit*, ex præcedentibus. *De colentibus gentilibus*] hæc est vera lectio, reperta in melioribus latinis libris, consentiens originali; non *gentilibusque*. Sensus autem est; credidit euangelio per Paulum annunciato etiam magna multitudo gentilium natione, sed vnicum verum Deum colentium. Nempe hi iam antea ad fidem & cultum vnius veri Dei fuerant conuersi: nunc autem conuertuntur ad fidem de Iesu quod ipse est Christus. Quæritur, An isti gentiles erant proselyti Iudaismi. Putant nonnulli; verisimilius est non fuisse; vt neque Cornelius Centurio fuit, neque familiares eius, supra cap. 11. v. 3. Solet S. Lucas huius libri scriptor exprimere titulum proselytorum quando de talibus loquitur; vt videmus cap. 2. v. 11. c. 6. v. 5. cap. 13. v. 43. Malumus igitur tenere quod isti non fuerint proselyti religionis Iudaicæ, sed tamen vnicum verum Deum coluerint antequam nunc fierent Christiani; quales certum est fuisse Cornelium Centurionem & domesticos eius; qualesitem verisimilius est fuisse mulieres illas de quibus cap. 13. v. 50. & alios de quibus huius cap. v. 17.

Posset esse scrupulus, quomodo hi audierint Paulum in synagoga Iudæorum: sed responderi potest quod Iudæi tales in synagogas suas admittebant, spe (vt credibile est) eos fore proselytos. Posset etiam responderi, hos gentiles alibi vspiam Paulum Apostolum audisse; sicut & mulieres illas primarias de quibus subditur. *Et mulieres nobiles non paucæ:*] Nobilitas varijs modis dicitur; quare rectè noster interpres dixit, *nobiles*; tametsi, græce sit *πρώτων*, primariarum, præcipuarum. Hunc igitur fructum fecit semen verbi Dei Thessalonicæ

falonicæ ſparſum à Paulo : ſed ſeminator zizaniorum diabolus conatus eſt ſtatim impedire. Vnde ſequitur.

VERS. 5. Zelantes autem Iudæi.)

INCREDVLI ſeu infideles ſcilicet; quod codex grecus exprimit; ἀπειθοῦντες. *Zelantes*] feruida ira feruidaque inuidia exardeſcentes; eo quod viderent dilatari ac propagari fidem de Ieſu Nazareno quod ipſe ſit Chriſtus Dei Patris, Saluator mundi. Forte & hoc illos male habebat quod viderent gentiles recipi in Eccleſiam non antea factos proſelytos. Quanquam hoc potius faciebant Iudæi Chriſtiani, quam infideles. *Aſſumenteſque de vulgo viros quoſdam malos, & turba facta, concitauerunt ciuitatem :*] tumultu excitato effecerunt vt concurreret magna pars ciuium. *Et aſſiſtentes domi Iaſonis*] id eſt domum Iaſonis adorti. Loquitur S. Lucas de Iaſone tanquam de viro tempore illo celebri & notiſſimo; id quod opinionem eorum adiuuat qui credunt hunc eſſe illum Pauli Apoſtoli cognatum, cuius ipſe meminit ad Rom. 16. v 21. Quem proinde opinari licet iam fuiſſe Chriſtianum; vt etiam ex eo quod Apoſtolos hoſpitio (vt patet ex verſ. ſequenti) exceperat; ac idcirco domum eius nunc inuadunt Iudæi, cupientes illos comprehendere. *Quærebant eos)* Paulum & Silam ſcilicet, qui nominabantur verſ. 4. *Producere in populum*] ſiue furenti populo eos obiecturi; ſiue ſaltem coram populo male eos tractaturi; hoc pacto ſatiaturi iram plebis.

VERS. 6. Et cum non inueniſſent eos;

HINC patet quod domum Iaſonis ſint perſcrutati, omneſque eius angulos & latebras excuſſerint, dum illic quærebant Apoſtolos. *Trahebant Iaſonem & quoſdam fratres ad principes ciuitatis;*] Iaſonem traxerunt vt hoſpitem Apoſtolorum iſtorum : Chriſtianos quoſdam ſimul cum eo traxerunt, tanquam diſcipulos & clientes ipſorum. Huius diſcipulorum tribulationis facit mentionem Apoſtolus 1. Theſſ. 1. v. 6. 7. & 2. v. 14. *Clamantes, Quoniam hi qui Orbem concitant, & huc venerunt;*] iſtud *quoniam* ſeu *quia* redundat; & eſt frequens B. Lucæ id ita vſurpare. *Hi qui Orbem concitant;*] Calumnioſe Apoſtolos grauant, tanquam ſeditioſos, & qui quocumque venerint turbent ſtatum rerum & excitent tumultus. Hi (inquiunt) etiam in hanc ciuitatem venerunt, idem hic facturi. addunt, *Quos ſuſcepit Iaſon.*] quaſi dicant, Quem propterea tanquam receptatorem ſeditioſorum arripuimus, & vobis ſiſtimus, rectoribus ciuitatis. Addunt deinde;

VERS. 7. Et hi omnes contra decreta Cæſaris faciunt; regem alium dicentes eſſe, Ieſum.

QVID poſſit odium, hic liquet. Iſti enim infideles Iudæi, odio religionis Chriſtianæ, vt aduerſus eam gentiles Theſſalonicenſes exacerbent; ſimulant

lant se agnoscere Cæsarem pro suo rege; fingunt etiam eos à Cæsare deficere qui Christi fidem suscipiunt: quasi regnum Christi esset de hoc mundo, quod ipsemet Christus coram Pilato negabat, Ioannis 18. Itaque isti Iudæi eadem via ingrediuntur ad extinguendum fidem Christi, qua processerant Iudæi Ierosolymis apud Pilatum, ad interfectionem Christi extorquendam. Ioannis 18. & 19. Sequitur de ijsdem Iudæis;

VERS. 8. Concitauerunt autem plebem & principes ciuitatis audientes hæc.)

HOc nimirum quærebant isti, vt Ethnicum illum magistratum & plebem sibi adiungerent, ad extinguendam & impediendam fidem Christi, hoc colore quod contra authoritatem & ius Cæsaris facerent qui Christum agnoscerent suum regem. Sequitur de principibus ciuitatis.

VERS. 9 Et accepta satisfactione à Iasone & à cæteris;)

DE quibus vers. 6. dictum fuit quod ab istis tumultuosis tracti fuerint ad magistratum ciuitatis. *Accepta satisfactione.*] Excusabat se apud primores ciuitatis Iason, atque allatis rationibus ostendebat nihil sese contra Cæsarem aut contra statum ciuitatis fecisse; viros istos Paulum & Silam excipiendo in domum suam: cæteri vero fratres qui vna cum Iasone abrepti fuerant, nihil tale se fecisse, eos audiendo eorumque doctrinam recipiendo, demonstrabant. Accepta hac ab ijs satisfactione principes ciuitatis *dimiserunt illos.* Sequitur,

VERS. 10. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Berœam.

PRVDENTER factum. Nam quamuis ex defensione Iasonis & illorum aliorum de quibus iam dictum est, magistratui satis appareret Paulum & Silam esse innocentes: tamen non propterea Iudæi increduli, & ex fæce vulgi collecti tumultuosi illi de quibus vers. 5. 6. 7. 8. deposuerant odium aduersus Paulum & Silam. Berœa porro erat ciuitas Macedoniæ, longitudinis circiter 49 latitudinis 40 Tab. 10. Europæ apud Ptolemæum.

QVI *cum venissent; in synagogam Iudæorum introierunt.*] Sic enim Paulus consueuerat primam curam impendere Iudæis conuertendis, quocumque venisset, vt dicebatur vers. 2. huius. Sequitur,

VERS. 11. Hi autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ:)

GRÆCA sunt ambigua ad comparationem & ad partitionem significandam; ac magis videtur hic comparatio esse quam partitio; vt istud *(eorum)* ab interprete nostro sit positum græcanicè pro *(ijs)*. Omnino enim videtur sensus

sensus esse quòd Iudæi qui habitabant Berœæ erant generosiores his Iudæis qui degebant Thessalonicæ. Et hic intellectus confirmatur ex v. 13. vbi narratur quod increduli Iudæi Thessalonicenses Berœæ turbarunt prædicationem Euangelij: videlicet Iudæis Berœensibus in quiete manentibus. Quo ex loco illud etiam apparet, hanc generositatem Berœensium, de animi generositate esse accipiendam; quomodo accepit Venerab. Beda ac Oecumen. ac ante hos Chrysostomus; scilicet quod essent animo promptiore magisque docili; quod essent magis ingenui, magis humani; non ita præcipites & feroces, vt illi Thessalonicenses Iudæi. Hunc comparatiuum sensum excluso partitiuo, indicare voluerunt illi, qui hîc in græco codice addiderunt τῶν ἄλλων. quod partitiuè reddi non potest. Hoc additamentum est in quibusdam codicibus græcis, ac nominatim in eo qui est impressus Antuerpiæ cum interlineali interpretatione latina. Sensum comparatiuum in paraphrasi exprimit Desiderius, licet antea partitiuum, in versione. Sequitur de ijsdem Iudæis Berœensibus.

QVI *susceperunt verbum cum omni auiditate;*] alacriter, libenter, promptis animis. græce est προθυμίας. Additur, *Quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent.* Hoc à B. Luca dicitur de Berœensibus istis indistinctè; nec enim distinguit an ij hoc fecerint qui iam crediderant verbo Euangelij per Paulum & Silam annunciato; an vero ij qui tametsi auide audirent, nondum tamen crediderant, sed adhuc examinabant & perpendebant. Non est autem putandum quod de solis ijs hæc S. Lucas dicat qui iam crediderant; obstat enim versus proxime sequens. Et quidem quod attinet ad eos qui nondum crediderant; hi quotidie scrutabantur scripturas, nimirum veteris testamenti, eas quas Paulus & Silas proferebant ad probandum quod oportuit Christum pati & resurgere ex mortuis; nec non quod Iesus Nazarenus sit Christus: vt dicebatur vers. 3. huius capitis. hæc enim erant noua & hactenus inaudita istis Iudæis: ac propterea conferebant ea cum veteris testamenti scripturis quas hi Apostoli allegabant, simulque (haud dubie) cum earum scripturarum vetere eousque conseruata expositione; vt viderent num illas scripturas isti viri derorquerent ad suam tunc nouam doctrinam, an vero dicerent consentanea veteri earum expositioni; quæ in libris Rabbinorum meliorum & doctiorum, Christi aduentu antiquiorum, extabat. Constat enim tales fuisse quosdam eximios; quos non semel citat Petrus Galatinus in opere de arcanis catholicæ veritatis. Videantur saltem prima aliquot capita lib. 1. Hoc sane modo, optandum, imo curandum est, vt quando aliqua noua doctrina religionem attingens, in mundum inuehitur; summo studio ad scripturas sacras, maiorum sensu intellectas, conferatur per eos qui præsunt Ecclesiæ Dei; vt si noua dogmata deprehendantur ijs repugnare, damnentur & anathematizentur. Isti ergo Berœenses quæ à Paulo & Sila de Iesu Nazareno dicebantur, & per scripturas probabantur: ad eas ipsas scripturas conferebant, maiorum sensu intellectas, an ijs essent contentanea.

QVOD vero attinet ad illos Iudæos Berœenses qui iam verbo Euangelij de Iesu quod sit Christus, crediderant, de his quoque ista verba verificari possunt: tametsi nobis seriem textus B. Lucæ & vim verborum considerantibus, videatur probabilius quod de solis his qui nondum crediderant, loquatur. Nec

obstat quod proxime dicebatur Iudæos Berœenses *suscepisse verbum* euangelicæ prædicationis *cum omni auiditate*: nam hoc significat auide auditos fuisse Apostolos istos, nec tumultum à Berœensibus contra eos fuisse excitatum, secus quam Thessalonicæ euenerat.

Sed quo tandem modo verificari possunt ista verba de Iudæis illis qui iam crediderant? Nempe, hi illas de quibus dictum est scripturas, cum sua à maioribus accepta expositione, scrutabantur, vt viderent num quæ Paulus & Silas dixerant essent ipsis consentanea: non quidem quod vellent esse iudices doctrinæ horum Apostolorum, neque quod non satis firmiter adhærerent illi doctrinæ, nisi ipsi suo calculo eam probassent: sed cupientes seipsos in rebus fidei facere doctiores, cupientes nimirum etiam ex scripturis discere quod iam credebant, & verum esse non dubitabant. Sicut pastores illi Bethlemitici de quibus Lucæ 2. postquam Angelo nunciante credidissent natum Saluatorem in ciuitate Dauid, & signum accepissent quo eum dignoscerent: hortati sunt tamen se mutuo, *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph & infantem positum in præsepio. Videntes autem, peruenerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc.* Hi certe neque dubitabant de his quæ audierant ab Angelo, neque eorum iudices esse voluerunt: sed fidem suam cupiebant corroborare, etiam corporali inspectione; ad quam ipse Angelus tacite illos erat hortatus, dum signum daret quo recens natum Saluatorem dignoscerent.

Abutuntur hoc scripturæ loco nostrorum temporum sectarij ad suum illud asystaton paradoxum statuendum, Nullas esse admittendas in negotio religionis traditiones agraphas. Item, Omnes Ecclesiæ definitiones sic examinandas esse ad normam scripturæ, vt non prius sint recipiendæ quam cognitum fuerit scripturis esse conformes. Abutuntur, dico: nam quod oportuerit Christum pati & resurgere ex morte; & quod Iesus Nazarenus sit Christus, (quę erant fundamentalia capita religionis Christianæ quæ Apostoli auditoribus suis proponebant; vt vidimus v. 3. huius) hæc ex veteris testamenti scripturis poterant cognosci; sicut Apostoli ea ex illis probabant: sed his cognitis, sunt, etiam sine scriptura, admittenda illa omnia quæ Christus per se aut per spiritum Sanctum suum tradidit ad religionem pertinentia; nec quisquam sanæ mentis aliter iudicare potest. Sequitur,

Vers. 12. Et multi quidem crediderunt ex eis; & mulierum gentilium honestarum, & virorum, non pauci.

Pene eadem sunt dicta de Thessalonicensibus vers. 4. hoc tamen interest quod hic *multi Iudæorum* dicuntur conuersi ad fidem Christi; illic autem tenui sermone dicebatur *Iudæos quosdam* fuisse conuersos. Quo argumento (præter cætera) nos confirmamur, vt cum bonis authoribus, & ipsa serie sermonis B. Lucæ nos inuitante, ea quæ à vers. 11. hucusque dicuntur, non de Thessalonicensibus sed de Berœensibus Iudæis accipiamus. Ait igitur sacer historicus

historicus noster de istis Iudæis Berœensibus, quod *multi ex eis crediderunt*;] Quibus ex verbis patet quod non omnes illi qui quotidie scrutabantur scripturas, ad fidem Christi venerint: patet etiam, quod illi quoque scrutabantur scripturas qui nondum crediderant: vt paulo superius monebamus. Nec solum Iudæi multi fidem susceperunt ex Berœensibus; sed & multi gentiles, iam viri quam mulieres, eæque non qualescumque, sed honestæ. De quo epitheto dictum est quod sufficiat, ad vers. 50. cap. 13. Idem enim est hoc loco, tam græcè quam latinè. Sequitur,

VERS. *13.* Cum autem cognouissent in Thessalonica Iudæi quia (quod) & Berœæ prædicatum est à Paulo verbum Dei: venerunt & illuc, commouentes & turbantes multitudinem.

EX his verbis confirmatur expositio quam dedimus versui 11. Ecce enim Iudæis Berœensibus nihil contra prædicationem Euangelij mouentibus, excurrunt illuc Thessalonicenses Iudæi infideles, & concitant inconditam multitudinem aduersus Paulum, qui illic euangelizabat. Vbi mirabilem Dei prouidentiam oportet considerare, qui ad propagationem fidei Christianæ vtebatur ipso quoque maligno studio Iudæorum aduersantium, quo conabantur eam extinguere & impedire. Nempe persecutionibus per Iudæos excitatis, alio atque alio Apostoli peregrinantur; vbique fidei semine, imo nouis plantulis, relictis; & ita longe lateque Christi fidem propagant. Quod & hic factum est, vt dicitur v. seq.

VERS. *14.* Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, vt iret vsque ad mare.)

VSQVE *ad mare*] Noster igitur interpres videtur in suo codice habuisse ἕως, non ὡς, vt nunc est in græcò. quamquam & istud ὡς sæpiuscule ponitur probatis authoribus pro (*vsque*) pro (ad). Porro Paulus non abijt solus, sed deductus ab aliquot fratribus; vt patet ex v. seq. Videtur autem, siquis contempletur tabulam 10. Europæ apud Ptolemæum, Paulus ex Berœa petiuisse angulum sinus Thermaici, ac inde nauigasse in mare Ægeum, tum circumnauigasse Achaiam vsque ad portum Atheniensium Piræeum; ac inde petiuisse Athenas, vt dicitur v. seq.

SILAS *autem & Timotheus remanserunt ibi.*] (*Ibi*) haud dubie Berœæ; lubentes & volentes, Paulo etiam ita suadente, ad confirmandos in fide Christi nouos Christianos Berœenses, de quibus supra v. 12. tum etiam ad vlterius in ea ciuitate propagandam fidem illam Christi. Nec enim vel tam suspecti vel tam odiosi Iudæis erant Silas & Timotheus, quam Paulus; quem etiam hoc nomine peius oderant quod aliquando fuisset non solum aduersarius Christia-

Christianismi, sed & prætor capitalis aduersus Christianos; vt patuit initio capitum 8. & 9. huius operis. Sequitur.

VERS. 15. Qui autem deducebant Paulum perduxerunt eum vsque Athenas:)

DEDVCEBANT] græca vox καθιστῶντες, non solum significat comitem esse peregrinanti, aut sumptus itineris suspeditare, sed etiam in tuto collocare; cuius rei curam habebant isti deductores Pauli singularem.

QVA via cum deduxerint, nauigio potius quam via terrestri, secundum verisimilitudinem iam dictum est; ad v. proxime præcedentem. *Vsque Athenas*] Athenæ erant ciuitas Achaiæ longitudinis fere 53. latitudinis ferme 38. vt est videre sæpe dicta Tabula 10. Europæ apud Ptolemæum. Sequitur.

ET *accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum vt quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt*. Sensus est: hi ipsi qui deduxerant Paulum, sunt ab eo remissi Berœeam, cum mandato ad Silam & Timotheum vt quam celerrime ad ipsum venirent Athenas. v. seq. Et per se liquet eos deductores non huius tantum rei gratia fuisse remissos Berœeam; sed & vt certo nunciarent Silæ & Timotheo ac fratribus Berœensibus, Paulum in tuto esse collocatum, saluum peruenisse Athenas. Ergo Paulus mandauit Silæ & Timotheo vt quam celerrime ad ipsum venirent; & illi accepto mandato, statim haud dubie sese dederunt in iter: tametsi Paulum non Athenis sed Corinthi demum repererint; vt patet cap. seq. v. 5. Videtur autem Paulus ijs iter iam ingressis, obnunciasse, ac iussisse Timotheo vt reflecteret iter, & visitaret Thessalonicenses. 1. Thess. 3. v. 1. & seqq. Quo facto ipse vna cum Sila reperit Paulum Corinthi. Quid vero interea egit Paulus Athenis?

VERS. 16. Paulus autem cum Athenis eos expectaret.)

ERAT enim longum iter ex Berœa Athenas, etiamsi recta via quis terra proficisceretur.

INCITABATVR *spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem. Incitabatur*] iusta videlicet indignatione aduersus tantam Atheniensium cæcitatem, qua fiebat vt qui sese totius Græciæ sapientissimos iactabant & gloriabantur; ij omnium maxime essent dediti cultui idolorum; Deo suo iusto iudicio eos ob ingratitudinem deserente; qui cum præ cæteris Deum ex intuitu creaturarum cognouissent, non tanquam Deum glorificauerunt, vt Apostolus fuse conqueritur cap. 1. ad Rom.

EADEM reprehensio cadebat in Romanos quoque, tunc adhuc ethnicos, qui vt cum Atheniensibus de principatu sapientiæ certabant; ita certabant etiam de principatu idololatriæ & omnis superstitionis. Qua de re grauiter S. Leo Papa sermone priore de Apostolis Petro & Paulo; *Hæc ciuitas* (Roma, dum ethnica imperium teneret) *suæ prouectionis ignorans authorem; cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus; & magnam sibi videbatur assumpsisse*

sumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid vsquam fuerat varijs erroribus institutum. Quæ postrema S. Leonis verba magna parte explicant id quod hic de Atheniensi ciuitate dicitur, fuisse *deditam* (id est valde addictam, imo subiectam) *idololatriæ*. Nam S. Gregorius Nazianzenus in oratione de S. Basilio, ait eam præ reliqua Græcia idolis abundasse. Et inter ethnicos scriptores græcos Pausanias de Atheniensibus ait, (in Attica) maiorem quam cæteros, pietatis (ita loquitur ethnicus) erga Deos curam habuisse; ijsque & alia plurima templa extruxisse, & vnum omnibus commune, multasque ijs statuas in foro & in plateis posuisse. Durauit hoc malum in illa ciuitate, etiam postquam fides christiana illic recepta est; vsque ad annum Christi quadringentesimum circiter; tametsi imperatores christiani diuersis edictis renascentem illic & alibi idololatriam conati essent extinguere, saltem cohibere ac paulatim delere. Nihil profuerunt omnia: donec Deus paganis Gothis & alijs, vna cum reliqua Græcia eam ciuitatem tradidit, & eorum gladijs excidit hærentem illic idololatriam. Testatur eam calamitatem Græciæ, & nominatim Atheniensium, B. Hieronymus Epist. 3. sub finem. Videatur & Baronius anno Christi 354. §. 36. Multis iam sæculis oppiduli tantum speciem habet, & nunc temporis à Turcis omnia illic occupantibus dicitur Sathine, & Sethine; vt ex diuersis scriptoribus refert Ortelius in Thes. Geograph. vt merito nostræ ætatis poeta grauis dixerit, *Nil nisi nomen Athenæ*. Quod vero de edictis christianorum principum diximus, liquet ex varijs legibus Cod. Theodos. lib. 16. tit. 8. & Iustiniani Cod. lib. 1. Titulo 11. Sequitur,

VERS. 17. Disputabat igitur in synagoga cum Iudæis & colentibus.

ILLVD (cum) haud dubie redundat; sicut etiam c. 18. v. 19. & c. 20. v. 7. vbi boni codices latini omittunt; vt græcus omnibus his locis. Indocti scribæ addiderunt, non considerantes obesse sensui. non enim cum istis, sed apud ipsos seu ad ipsos, disserebat ac sermocinabatur Paulus de rebus ad fidem Christi pertinentibus nimirum; inde principio ducto, quod iuxta prædictiones Prophetarum oportebat Messiam pati, crucifigi, ac mori, & tertia die resurgere: ac deinde quod Iesus Nazarenus sit ille in quem omnia à prophetis prædicta de Messia quadrent; nec sit alter expectandus. Hæc apud istos disserebat Paulus: nam fidem de vnico vero Deo iam habebant vtrique, tam isti qui hic nominantur ea de causa, *colentes*, quod vnicum verum Deum colerent, etsi natione gentiles; quam Iudæi, qui Athenis synagogam habebant, in quam conueniebant & gentiles illi vnius veri Dei cultores; vt hic satis expresse dicitur. Hos colentes non putamus fuisse proselytos Iudaismi, propter causam redditam ad v. 4. huius, vbi similiter *colentium* fiebat mentio. Videtur autem Paulus Apostolus initium suæ apud Athenienses prædicationis fecisse apud Iudæos in synagoga; tum quod ita consueuerat, vt dicebatur vers. 2. huius, tum vt hoc modo aliquantulum innotesceret antequam inciperet loqui gentilibus Atheniensibus; de quibus subditur,

Et *in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant.*] *In foro*] non vno eodemque singulis diebus, sed (verisimiliter) nunc in hoc, nunc in illo; vt sunt in ciuitatibus diuersa fora diuersarum rerum venalium, vel etiam earundem sed diuersis diebus; cuius exemplum habemus in hac Duacensi ciuitate; ad maiorem ciuium commoditatem. Porro istæ forenses conciones Pauli Apostoli habitæ sunt directe ad gentiles in gentilismo adhuc hærentes, idololatras, multorum Deorum, (ideoque falsorum) cultores. Nam Iudæi & gentiles ij qui vnicum verum Deum colebant, in synagogam Iudaicam conueniebant, vt dicebatur verbis proxime præcedentibus. Concionabatur in foro Paulus ijs qui negociorum causa illuc venerant. Hoc enim volunt illa verba; *Ad eos qui aderant.* Sequitur,

Vers. 18. Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi disserebant cum eo:)

Notum est philosophorum græcorum quatuor fuisse sectas præcipuas: Academicam, Peripateticam, Stoicam, Epicuream: quæ omnes Athenis locum habebant. Ex his quatuor sectis, *philosophi* duarum, Epicurei nimirum *& Stoici cum Paulo Apostolo disserebant,* vtique de rebus pertinentibus ad bonos mores, & ad salutem: non de humanis scientijs. Id quod indicant verba istorum philosophorum, contemptim de eo loquentium. Nam eorum, *Quidam dicebant, Quid vult seminiuerbius hic dicere? Seminiuerbius,* græce est σπερμολόγος; quod vetus interpres S. Hieronymo antiquior reddiderit, *seminiuerbius,* voce inusitata quidem, sed ad formam græcæ composita: S. autem Hieronymus corrigens veterem illam interpretationem, reddiderit *Seminator verborum;* quod multi boni libri latini habent; cum minoris notæ sint qui legunt istud *seminiuerbius;* licet reperiatur in textu Venerab. Bedæ. Poterat retineri vox græca; vt fecit Desiderius in sua versione. Porro σπερμολόγος, vno modo idem valet quod seminum collector; modo alio (qui apud Hesychium grammaticum græcum) idem quod nugator. Videtur autem Athenis fuisse vulgatum conuicium, pro nugatore. Nam etiam, orat. pro Ctesiphonte, Demosthenes Æschinem honorifico isto titulo condecorat. Igitur, istorum philosophorum quidam Paulum Apostolum vocabant nugatorem; *Alij vero* (dicebant); *Nouorum demoniorum videtur annunciator esse: quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis. Nouorum*] græce est ξένων, quod vertere possis, *peregrinorum, inauditorum;* vel etiam, *absurdorum. Dæmoniorum*] hoc est, Deorum. Nam Ethnici (ait hic Chrysost.) Deos hoc donabant nomine; distinguentes eudæmones à cacodæmonibus. Cur autem ita loquerentur hi; causam reddit B. Lucas; *Quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis.*] Cum nominaret Paulus Apostolus ἀνάστασιν, resurrectionem; Deam quandam illum velle dicere existimabant, ait Chrysost. & ex eo Oecumenius. Iesum igitur imaginabantur vt peregrinum quempiam Deum; resurrectionem autem, vt inauditam hactenus Deam quandam. Id quod eo magis illis accidebat, quod ab humana ratione valde aliena videretur hominum resurrectio; quam propterea Apostoli in suo symbolo, in suis concionibus, in suis scriptis, tantopere inculcant.

QVÆRI

QVÆRI hic poſſet quare Academici & Peripatetici non diſſeruerint cum Paulo Apoſtolo. Forte ſufficiat dicere eos fuiſſe profeſſos mille paſſibus extra Athenas, vbi erant Academia & Lyceum, ſcholæ ipſorum: ideoque veriſimiliter ipſos profeſſores illic habitaſſe; nec fuiſſe opportunitatem vel occaſionem differendi cum Paulo Apoſtolo. S. tamen Auguſtinus in quodam tractatu de Epicureis & Stoicis, qui extat tomo 6. operum eius, ſubtiliorem reddit rationem, hanc; Deum ita diſpoſuiſſe vt cum illis demum philoſophis Paulus Apoſtolus confligeret, quorum alteri ſummum bonum conſtituebant in corporis voluptate; alteri verò, in virtute: ad oſtendendum vtroſque errare. Auguſtini ſententiam ſummatim retulit Venerab. Beda hoc loco.

VERS. *19.* Et apprehenſum eum ad Areopagum duxerunt:)

GRÆCE quidem ſunt duæ dictiones ἄρειον πάγον; ſed noſter vno compoſito nomine dixit Areopagum; quo bonos authores eſſe vſos, monſtrat vel nomen inde deriuatum, Areopagites, quod omnibus tritum eſt. Interpretatio nominis eſt, *Martius locus excelſus*. Ad rem ipſam quod attinet, erat Areopagus mons Athenis, prominens in mare. Ita Stephanus in opere de vrbibus. Ad vſum illius loci quod attinet; ex ipſo Ariſtotele Politic. lib. 2. cap. vlt. conſtat, ante eius tempora fuiſſe in eo monte conſtitutam quandam curiam, quæ Martis curia à B. Hieron. nominatur ex loci nomine, epiſtola ad Magnum. Curiam dico, locum certi cuiuſdam, integerrimi & maximi iudicij; cuius ſenatores idcirco Areopagitæ dicebantur. De horum iudicum integritate & fide, ſatis apparet ex illis olim vſitatis adagijs; Areopagita incorruptior, Areopagita taciturnior, Areopagita grauior ac ſeuerior. Iudicabant de grauiſſimis quibuſque cauſis, non tantum Athenienſium, ſed & exterorum, etiam Regum ac principum; qui propter famam ſapientiæ & integritatis, ſuas controuerſias ijs permittebant iudicandas. Traditur de illis quod partes litigantes nolebant videre, ſed dumtaxat audire loquentes, aut ſcripta ipſarum legere; nec permittebant eos qui pro ſe aut alio quopiam dicebant, vti exordio nec peroratione, tanquam ad cauſam nihil facientibus, ſed dumtaxat comparatis ad beneuolentiam iudicis captandam, aut ad aduerſario conciliandum odium iudicis. Videatur Ariſt. 1. Rhet. ad Theod. cap. 1. & Quintil. lib. 2. c. 17. Traditur præterea quod ſuas ſententias ferebant non viua voce ſed calculis. Ad Areopagum igitur duxerunt Paulum Apoſtolum iſti philoſophi Epicurei & Stoici; dicentes, *Poſſumus ſcire quæ eſt hæc noua quæ à te dicitur, doctrina?*

VERS. *20.* Noua enim quędam infers auribus noſtris: volumus ergo ſcire quidnam velint hęc eſſe.

NON liquet an iſti in Areopagum duxerint Paulum Apoſtolum tanquam reum, quem capitali iudicio voluerint ab Areopagitis condemnari, velut turbatorem religionis: an potius bona fide egerint cum eo, & cupiuerint do-

ctrinam eius examinari à sapientissimis illis Areopagitis, desiderantes nimirum scire quid tenendum esset de illa doctrina noua, quam in illa ciuitate prædicabat Apostolus. Hoc posterius magis est verisimile: tum quod permissus sit Paulus in Areopago publice concionari ad multitudinem; tum quod ea concione finita, non sit detentus captiuus, sed permissus libere exire; vt dicitur infra vers. 33. Quare illa istorum verba, *Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse;* videntur ex animo fuisse dicta; & hunc habere sensum, Cupimus scire quid veri habeant ea quæ doces. Addit B. Lucas,

VERS. 21. Athenienses autem omnes, & aduenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid noui.

ET *aduenæ hospites*] id est, & peregrini qui illic versabantur. quales in primis erant qui studiorum causa illic degebant. *Ad nihil aliud vacabant &c.* hoc est ad nihil aliud habebant otium, nisi ad dicendum vel audiendum aliquid quod nouitate quapiam præcelleret. Seu, Nihil erat ijs tempestiuum, nisi dicere vel audire aliquid nouitatis minimè vulgaris. Hic sensus ex eo colligitur quod græcè legitur pro illo (*vacabant*) & pro illo (*noui*). Quare vulgaris huius sententiæ intellectus ab his verbis alienus est, qui sonat vituperium Atheniensium, tanquam res suas minime curantium, sed omne tempus consumentium in narrandis nouis vel audiendis: cum potius contra velit S. Lucas dicere eos negotijs suis ita fuisse intentos, vt non esset eis otium audiendi vel narrandi aliquid, nisi maiusculæ cuiuspiam nouitatis esset. *Vacabant* igitur hîc non est idem quod dabant operam; sed, vacui erant: verbum ambiguum, diuersa syntaxi. Vacat quis logicæ, vacat quis logica. Quorsum S. Lucas hoc attexat superioribus, non omnes eodem modo dicunt: sed videtur istorsum hoc dicere, vt non miremur quod isti philosophi & qui se ijs iungebant Athenienses aut peregrini illic degentes, tam auidè apprehenderint Paulum & in Areopagum duxerint, qui doctrinam salutis proferebat, ipsis eatenus inauditam; vt ipsimet profitentur verbis præcedentibus. Accipimus hoc ex Chrysostomo in iterata expositione. Quod eo fit probabilius, quòd cum rerum nouarum auidos dicit Athenienses B. Lucas; non præcipuè hoc intelligere videtur de rebus nouis hic aut illic gestis vel factis; sed potissimum de rebus nouis quantum ad studia & scientias, in illa diuersarum sectarum æmulatione mutua; & maximè quantum ad studia circa res diuinas aut morum institutionem. Nam singulæ sectæ dabant operam vt reliquis præstare viderentur. Hanc istius additionis rationem si recipimus; vt videtur recipienda: non sunt hæc verba totius versus 21. parenthesi separanda à præcedentibus; quam parenthesim recentiores hic posuerunt, tam in libris græcis quam in latinis; cum veteres libri eam non habeant, vt neque textus adiunctus commentario Chrysostomi, neque græcus codex impressus Antuerpiæ cum interlineari latina versione. Pergit S. Lucas.

VERS.

VERS. 22. Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video.

PRIVSQVAM Pauli Apostoli istam concionem incipiamus exponere, operæpretium est de ipsius prudentia in disponenda concione ista, ex Vener. Beda recitare ea quæ is habet ad v. 24 huius. Sunt autem ista. Ordo apostolicæ disputationis diligenter est intuendus; quo ita apud gentiles tractatus seriem format, vt primum vnum Deum authorem mundi omniumque, esse doceat, in quo viuimus & mouemur & sumus; cuius & genus sumus; vt non solum propter munera lucis & vitæ, verum etiam propter cognationem quandam generis, diligendum ostendat: Deinde, opinionem illam quæ est de idolis aperta ratione deuincat, quod totius mundi conditor & Dominus templis non possit includi saxeis; quod omnis beneficij largitor sanguine non egeat victimarum; quod hominum denique creator & gubernator omnium, non possit hominis manu creari; quod (postremo) Deus ad cuius imaginem homo factus est, non debeat metallis existimari similis: erroris remedium docens esse studium pœnitendi. Nam si primo destruere voluisset ceremonias idolorũ; aures gentium respuissent: cum autem vnum Deum esse persuaserat, tunc, iudiciocius, astruxit per Christum nobis salutem datam; magis tamen eum hominem quam Deum nuncupans, incipiensque ab illis quæ gessit in corpore, &c. Quid enim interest quo quisque credat ordine? Non in principijs perfecta quæruntur; sed de initijs ad ea quæ perfecta sunt, peruenitur. Hæc omnia Vener. Beda; Quorum bonam partem is sumpsit à B. Ambrosio scribente in cap. 9. Lucæ; ad illius, v. 21. Vbi ille admirabilem Pauli Apostoli prudentiam considerat in doctrina salutis proponenda & gentilibus & Iudæis. Qui Ambrosij locus dignissimus est lectu. *Itaque Paulus stans in medio Areopagi*, vtique magna multitudine cuiusuis generis virorum circumfusa; ait:

VIRI *Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video*. Pro illo (quasi) est ὡς; pro illo (superstitiosiores) græce est, δεισιδαιμονεστέρους, vt sensus sit, Video vos quodammodo præ reliquis deditos venerationi diuinorum. Vtitur enim, pro summa prudentia, Apostolus Paulus tam hic quam v. seq. vbi nos habemus istud (*simulacra*) vocabulis per se medijs; nimirum ciuiliter agens cum istis ethnicis, laudis quadam specie, citra tamen vllum mendacium; ne statim initio concionis suæ alienaret animos eorum à quibus cupiebat audiri. Quam in rem multa S. Ambrosius loco citato; & ex eo Venerab. Beda ad v. 24. huius cap. vbi, inter cætera apud Ambrosium est ista memorabilis sententia; *Qui tractat, debet audientium considerare personas; ne prius irrideatur quam audiatur*. Vox græca quæ hic est significat reuerentiam dæmonum: porro dæmonis vocabulum græcis est medium, vt ad vers. 18. dicebatur: ita fit vt vocabulum istud hic non necessario sumatur in malum, sed generatim ac indistinctè; non præcise in bonum, non præcise in malum. Beneuolentiam enim initio sermonis sui captat

Apostolus; vt dictum est: itaque non obiurgat; sed laudat potius: quam tamen laudem ipse nonnihil minuit, tum adiectione aduerbij illius (ὡς) tum forma comparatiui. idque facit propterea ne Athenienses plus æquo vel laudet vel laudare videatur. Ex quibus iam facile colligitur quod in nostra versione latina istud (*superstitiosiores*) non sit accipiendum in malum præcisè, sed generatim ac indistinctè, vt sit, *magis reuerentes diuinarum rerum, magis curantes religionem*. Et huic mediæ significationi etymon vocis (*superstitiosus*) non repugnat; illud certè quod à Tullio traditur 2. de Natura Deorum Nec enim toto genere vitiosum est quod quispiam Deum precatur vt sui liberi sibi sint superstites. Et ipse Tullius Actione 4. in Verrem, videtur pene pro eodem vsurpare *religionem* & *superstitionem*; dum de Siculis loquens, ait, Totam prouinciam religione obstrictam; &, mentes omnium Siculorum superstitionem occupasse. Confirmat Paulus quod dixerat, hoc modo;

VERS. 23. Præteriens enim & videns simulacra vestra, inueni & aram in qua scriptum erat, Ignoto Deo.

SIMVLACRA] græcè est σεβάσματα. Porro σέβασμα proprie significat ipsam culturam, ipsam venerationem quæ alicui tanquam maiestatem habenti exhibetur: Interdum vero (vt fit in talibus) ponitur pro ipso huius venerationis obiecto, id est, pro eo cui illa exhibetur. Ita manifestum est sumi Danielis 14. v. 26. in græco codice. Eodem modo clarum est hîc sumi; vt sit sensus, *Contemplans vestra venerabilia, vestra colenda; contemplans ea quæ veneramini*. S. Hieron. in cap. 1. ad Titum v. 12 ad illud, *Dixit quidam ex ipsis* &c. vertit, *culturas*: sed intelligendum est poni pro ipsis quæ colebantur. Noster interpres dixit, *simulacra vestra*; cum vox græca sit media, *simulacrum* vero vsu Ecclesiæ latinæ, & in versione latina, semper in malum sumatur, (vt & græca vox εἴδωλον); Paulus autem in exordio sui sermonis vtatur vocabulis medijs propter causam paulo ante dictam, sed potest defendi Interpres, si dicamus eum hoc loco vti vocabulo (*simulacra*) vt medio; quasi non à *simulando* sed à *similando* (quod Lactantius videtur malle, Diuin. Instit. 2, 2.) deducatur. Sensus enim est, *Contemplans ea quæ veneramini*. Inter ea autem vel primo loco sunt statuæ. Potest (*simulacrum*) intelligi quasi (*similacrum*) sicut (*monumentum*) pro (*monimentum*) dicitur: hoc, dico, potest, iuxta etymon, non iuxta vsum ecclesiasticum.

INVENI *& aram in qua scriptum erat, Ignoto Deo*. Quæ fuerit huius aræ extructionis, huiusque inscriptionis, causa; diuersi diuerso modo tradunt: sed videtur optime eam exposuisse Baron. ad annum Christi 52. §. 9. Nempe quòd Athenienses, vbi vigebant studia diuersarũ scientiarum, ex antiquorum philosophorum doctrina, nec non ex oraculis Sibyllarũ, didicerant esse vnum Deum qui mundum condiderit, inuisibilem, imo ne mente quidem comprehensibilem, ideoque mortalibus ineffabilem & innominabilem. In primis vero ex Philosophia Hermetis Trismegisti id discere potuerunt, Philosophorum antiquissimi; qui aperte prædicat diuina prouidentia effectum esse mundum ait Lactant. diuin. Instit. 2, 9. & addit, nobiliores quosque philosophos idem tradidisse;

didisse; Pythagoricos, Academicos, Peripateticos, Stoicos. Huic igitur Deo rerum conditori & gubernatori aram vnam Athenienses erexerant, ne cuiquam numinum suus honor deesset: sed id fecerant cum titulo. *Dei ignoti*; vtpote quem nominare non poterant, sicut nominabant suos falsos Deos, Iouem, Apollinem, Martem, Mercurium &c. Verisimile est autem huius Ignoti Dei reuerentiam apud Athenienses fuisse auctam ex eo tempore quo Dionysius Areopagita, qui hic in fine c. nominatur, ex Ægypto reuersus erat Athenas, in qua Ægypto, Heliopoli, vna cum Apollophane Philosopho, viderat illud supernaturale solis deliquium quod factum est moriente Christo Domino, de quo in euangelica passionis Domini historia; & quod deliquium idem Dionysius epist. sua 11. quæ est ad ipsum Apollophanē, accurate descripsit; sicut & epist. sua septima, quæ ad Polycarpum. Dico fuisse auctam: non enim dubium est, Dionysium Athenas reuersum, de hoc deliquio apud suos sodales Philosophos, Athenienses Areopagitas, aliosque sapientiæ nomen habentes, sæpe verba facere solitum, tanquam de re vniuersam naturæ vim & modum excedente. Erat tempore deliquij illius annorum 25. Dionysius, vt ipse ait illa epist. 11.

SVPERIOBVS illud vnum posset obijci quod S. Hieron: Comment. in cap. 1. epist. ad Titum, in illa verba, Dixit quidam ex illis &c. vers. 12. ait; Inscriptio aræ ita erat; *Dijs Asiæ & Europæ & Africæ, dijs ignotis & peregrinis.* Respondendum est, non debere verti in dubium quod S. Lucas ait Paulum dixisse de vna quadam ara; cui inscriptio fuerit, numero singulari, Ignoto Deo. Quod vero ait S. Hieron. potuit alij cuidam aræ esse inscriptum, & speciatim illi quæ omnibus dijs erat communis. Permultas enim aras ac templa permulta Athenienses dijs extruxisse & vnum omnibus commune, iam antea ex Pausania græco scriptore diximus ad v. 16. Et sane idem S. Hier. in c. 16. Ezech. ad v. 12. hanc singularis numeri inscriptionem agnoscit: sicut B. Aug. contra Cresconium grammaticum lib. 1. cap. 29. Verba B. Hier. sunt eo loco hæc; Omnipotentis Dei maiestatem etiam gentilitas non ignorat; & Atheniensium testatur ara, *Ignoto Deo.* Vnde & Apostolus, *Quem vos, inquit, ignotum colitis hunc nos annunciamus vobis.* Ac præter hæc omnia, si non fuisset ea inscriptio quam hic commemorat S. Lucas Paulum dixisse; inepte & imprudenter apud Atheinenses argumentatus fuisset Paulus, tanquam ex re plane nota & oculis subiecta: simplici enim negatione sumptionis quam is faciebat, argumentationem eius dissoluissent; dicentes nullam sibi esse aram, cui foret illa singularis inscriptio.

ADDIT Paulus. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.*] Græcus codex habet genere masculino. *Quem ergo* &c. *hunc ego* &c. Et ita recitant Aug. & Hieron. locis proximè citatis. Sed sensus non variatur. Sensus enim est, Quem Deum vos colitis, tametsi vobis ignotum, id quod vestra ipsorum confessione manifestum est, qui aræ ipsi dicatæ inscripsistis titulum istum, Ignoto Deo: hunc ipsum ego vobis annuncio; dans nimirum operam vt quem vobis ignotum esse ipsimet fatemini, hunc nosse, & quatenus mortalibus conceditur videre ac contemplari queatis, iamque cognitum, religiosius deinceps colere. Dicebatis me quædam peregrina inferre auribus vestris; supra v. 20. non

sunt

sunt peregrina, sed vobis quoque vsitata; verum non satis intellecta. Atque his verbis videtur Paulus Apostolus alio adhuc modo quam v. 22. attentionem & beneuolentiam audientium sibi conciliare; vt dicturus de re saluti vtilissima, imo necessaria: Deinde ingreditur in materiam propositam, dicens;

VERS. 24. Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt: hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat:

SERMOCINATIO Apostoli eo tendit vt doceat esse vnicum verum Deum; subindicans quibus proprietatibus, quibusque effectibus differat à falsis dijs gentilium: vt hinc relinquat intelligendum quod quicumque præter hunc vnicum appellantur dij, non sint verè dij, sed per impium errorem hoc nomine honorentur. Ait igitur. *Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt;*] Hæc est vnici illius veri Dei descriptio per effectum ei proprium. Is est creatio mundi & omnium quæ mundo continentur, tanquam ipsius partes aut locata. Hæc enim omnia, ex nihilo, seu ex nulla præiacente materia, ille vnicus verus Deus fecit; quod est creare: cum constet ea non potuisse existere à seipsis, constet etiam nullum alium ea fecisse, aut facere potuisse. Vnde passim in sacris literis verus Deus ita describitur, *Qui fecit cælum & terrã, mare, & omnia quæ in eis sunt.* vt psal. 113. 123. 145. & frequentissime alibi. Hoc Apostolus de illo Athenienſibus Ignoto Deo sumit, tanquam ab ipsis concessum; acceptum videlicet ex vetustioribus & melioribus philosophis, vt ad versum præcedentem diximus, initio statim annotationis. Itaque his verbis Apostolus, consentientibus doctioribus plerisque Athenienſibus qui audiebant eum; primo loco excludit errorem Epicureorum, ait hic Chrysost. in iterata expositione, qui Dei prouidentiam negantes aiebant mundum non à Deo factum, sed fortuito quodam atomorum cõcursu existere cœpisse quem stultum errorem ipse quoque Stagirites philosophus refellit 2. physic. textu 44. & 66. 67. Secundo, ait idem Chrysost. excludit Apostolus illorum errorem qui materiam ingenitam aiebant. Pendet verò oratio Apostoli; & addit,

HIC *cæli & terræ cum sit Dominus;* Iure nimirum creationis est rerum omnium Dominus; cum nullus ei suppeditauerit materiam ex qua mundum conderet; neque iam conditi mundi dominium ipse in aliquem transtulerit. Adhuc pendet sermo Apostoli: & sequitur redditio, *Non in manufactis templis habitat;*

VERS. 25. Nec manibus humanis colitur indigens aliquo;

NON *in manufactis templis habitat;*] B. Stephanus Act. 7. v. 48. *Excelsus in manufactis non habitat.* Abutuntur hac sententia nostræ ætatis sectarij quando ipsis lubet catholicorum templa destruere, aut in prophanos vsus vertere; quasi nulla templa sint Deo erigenda & consecranda. Atqui nolunt meminisse

minisse aliarum scripturarum, vbi Deus in locis sibi dicatis dicitur habitare aut quiescere. Christus Dominus Matth. 23. vers. 21. Quicumque iurauerit &c. Videantur quæ satis fusè dicta sunt ad illud huius libri c. 7. v. 50. Sequitur,

VERS. 25. Nec manibus humanis colitur indigens aliquo:)

NON simpliciter negat Apostolus ipsum verum Deum manibus humanis coli, sed, manibus humanis coli indigentem aliquo. Nulla enim re indiget quæ humana opera ei queat præstari; videlicet neque honore, neque vtilitate, neque delectatione vlla: Alioqui, cultus ab hominibus adferri potest Altissimo, non animo tantum sed & corpore, corporisque membris, religiosè compositis. Quo in numero pene primo loco occurrunt manus; quibus ad pietatis officium homines vtuntur, eas vel in altum tendendo, vel pectori applicando; & ad vtrumuis horum, vel contractas vel expassas; item vel coniunctas vel disiunctas. Hinc habemus illa in psalmis; psal. 27. v. 2. *Exaudi Domine vocem orationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Item 43. vers. 21. *Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum.* Rursum 76. v. 3. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui; manibus meis nocte contra eum; & non sum deceptus.* Ita & 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* & alibi sæpe in scripturis. Obuius est locus ille Apostoli. 1. Tim. 2. vers. 8. *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus, sine ira & disceptatione.* Est enim pene naturalis iste religiosus manuum motus aut gestus; etiam idololatris vsitatus, sed malè collocatus in falsos deos.

PROBAT Apostolus quod dixerat, Deum nulla re indigere; subijciens; *Cum ipse det omnibus vitam & inspirationem & omnia.*] Duo argumenta veræ diuinitatis coniunxit ac illi vni vero Deo tribuit, ait Chrysost. Nempe nulla re indigere; &, omnibus rebus creatis donare quidquid boni habent ipsæ. Omnibus enim quæ vitam habent, ipse eam dat: omnibus quæ præter simplicem vitam, etiam spirant; ipse facultatem respirandi, ipsumque halitum quem spirant continuo dat: & vt vno verbo dicatur, ipse dat omnia bona quæ vlla creatura habet.

VERS. 26. Fecitque ex vno omne genus hominum, inhabitare super vniuersam faciem terræ;)

QVOD dictum erat Deum omnibus dare omnia quæ habent; videtur Apostolus inductione quadam illustrare; dicens primo loco quod Deus ex vno homine totum genus humanum propagarit. Quod notum est ex initio Geneseos. Ex ipso enim Adam formauit Euam deinde ex his coniunctis ipsorum filios & filias, & eodem modo reliquos omnes homines ex ijs, longa serie generationis. Addit Apostolus aliud Dei beneficium. *Inhabitare super vniuersam faciem terræ.* Id est, vt inhabitaret, ad inhabitandum: nequis hanc clausulam præ-

cisè annectat verbo *(fecit)*; cum nectenda sit toti orationi præcedenti;eo quod duo diuersa Dei opera commemorentur: generis humani propagatio, & per terras distributio. Ex hoc loco & alioqui ex historia Geneseos, discimus illos etiam homines qui ab hinc centum ac paulo amplius annis cœperunt reperiri in quarta orbis parte, esse prognatos ex Adam, vno illo parente totius generis humani: & quoniam is in Asia fuit conditus, ac vitam duxit, tandemque ibi mortuus est;discimus ex Asia in nouum istum orbem olim homines fuisse paulatim profectos,seu terra seu nauigando.

Ex his Apostoli verbis non potest concludi omnes omnino partes terræ esse habitabiles; sicut nec hoc alicuius portionis habitabilis omnia omnino loca habitaculis hominum esse repleta. Hoc enim fieri nequit; &, si fieret, hominibus faceret vitam intolerabilem;cum necesse sit relinqui sine ædificijs multas terræ,quantumuis habitabilis,portiones,lacus scilicet.flumina, terras arabiles, prata,vineas,pomaria,siluas. Sed sensus verborum Apostoli,ad rem præsentem faciens, est, quod quicumque homines vspiam toto orbe incolunt superficiem terræ; omnes ij sunt prognati ex illo vno,ex quo Deus totum genus humanum propagauit. Et hoc possumus intelligere ex verbis Apostoli sequentibus,

DEFINIENS *statuta tempora, & terminos habitationis eorum:*] *Tempora*] græce est, καιροὺς; qua de voce quid differat à χρόνος, videmur satis multa dixisse ad cap. 1. v. 7. Ea quæ hic est, καιρός significat opportunitatem seu tempestiuitatem rei vel negotij alicuius:vt sensus sit Deum præconstituisse omnium rerum opportunitates, seu iam ab æterno decreuisse quid quando vellet esse tempestiuum. Distinxit (exempli causa) imperia,ad suum quodque tempus duratura; & migrationes gentium, exilia, ac similia; legem Mosaicam suo certo tempori adscripsit; legem item Euangelij,eiusque per gentes singulas propagationem. Nihil horum cæterorumque omnium Dei operum temerè factum aut gestum est. Specialiter autem significat Apostolus Deum iam olim constituisse quo tempore,& quanto tempore,vnamquamque gentem hanc vel illam terræ plagam vellet occupare. Nam istud complexum *(habitationis eorum)* videtur referendum ad vtrumque præcedens scilicet *(tempora)* & *(terminos)* tanquam determinatio. Hæc igitur omnia fecit, & facit ille vnicus verus Deus, inscijs & ingratis mortalibus; sed quorsum? quo fine?

VERS. 27. Quærere Deum; si forte attrectent eum & inueniant:)

HOc est, Ista omnia fecit & facit Deus vt ex consideratione operum & beneficiorum eius, *homines Deum quærant*, id est cognoscere studeant; & quærentes, velut cæci manu porrecta vestigant loca,ita ipsi,ista consideratione diuinorum beneficiorum aliorumque eius operum,velut porrecta manu vtentes, illum vnicum verum Deum intellectuali notitia attingant, & inueniant. Nam hic est præcipuus vsus creaturarum, & eorum quæ videmus in rebus creatis fieri (quod latius dictum est ad cap. 14. v. 16.) vt eorum ac earum obseruatione, homines ratione vtentes cognoscant esse vnicum verum Deum,

cumque

eúmque omnipoténtem, summe bonum, summe iustum; qui proinde summo honore sit colendus, sit summe amandus, summe metuendus. Hæc enim omnia per creaturas, earumque varias qualitates, nobis semper annunciantur. Videantur libri Sapientiæ capita 13. 14. 15. Epistolæ ad Rom. cap. 1. præter alia tam multa.

Hoc loco illud tenendum est, posse lumine naturalis rationis per demonstrationem ex effectis, cognosci quod Deus est, & quod est vnicus: hanc tamen cognitionem non sufficere ad salutem, sed requiri fidem dono Dei infusam, iuxta doctrinam Apostoli ad Hebr. 11. Non sufficit etiam illa cognitio, ad Deum colendum & amandum, sic vt is cultus & is amor homini valcant ad consequendam salutem. Quod paucis verbis à Concilio Tridentino est traditum, sess. 6. tam in primis capitibus doctrinæ, quam in primis canonibus decretorijs. Addit Apostolus loquens de illo vnico vero Deo;

QVAMVIS *non longe sit ab vnoquoque nostrum.*] Hac veluti correctiuncula Apostolus ab opere creationis delabitur ad diuinæ prouidentiæ assertionem; qua res omnes conseruantur & gubernantur ab eodem illo vno vero Deo qui eas condidit. Huc pertinet quod certissimè ex Dei proprietate docent fideles Theologi, Deum esse in omnibus rebus, esse vbique; non tantum per potentiam, quomodo Rex est in toto suo regno; sed etiam per essentiam, realemque præsentiam. De qua re S. Thomas 1. p. q. 8. tota. Sunt qui quod hic dicitur, præcise velint intelligi de ipsius Dei notitia; non etiam de ipsius reali præsentia: sed Chrysost. in iterata expositione declarat se vtrouis modo intelligere; & subsequens Apostoli probatio id magis requirit. Subdit enim;

VERS. 28. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus:

IN *ipso.*] Notus quidem est hebraismus, quo præpositio *(in)* cum sexto casu ponitur pro *(per)*; neque eum hebraismum Chrysost. potuit ignorare: is tamen quiddam amplius hic agnoscit. Verba eius sunt in iterata expositione, Non dixit, *per illum*, sed, *in illo*, quod quiddam propius est. Et prius ibidem loquens ex persona Pauli Apostoli; Quid dico, *non longè*? Tam prope est, vt sine illo non viuamus. *In illo enim viuimus, mouemur ac sumus.* Hoc dicit quasi corporali exemplo. Sicut impossibile est ignorare aërem, vbique diffusum, & non longè ab vnoquoque nostrum existentem: ita profectò & omnium opificem. Vide quomodo omnia illius dicit esse: prouidentiam esse illius, conseruationem esse ab illo; operandi vim, actum habere, & non perire. Hæc Chrysost. Illud igitur *In ipso*; non sufficienter ex mente Chrysost. exponitur, si dicas, *Per ipsum*: sed addendum est aliquid, quo id fiat Dei proprium. Exponatur ergo sic, vt sit, Per ipsum tanquam causam efficientem nobis intime præsentem, *Nos viuimus & mouemur, & sumus*, Ipse (ait bene Lyranus) est nobis intimior quam nosipsi: quoniam ipse coniungit principia intrinseca, quibus nimirum vnusquisque nostrum constituitur substantialiter.

SI quis objiciat, hanc declarationem potius eo tendere vt Deus in nobis esse dicatur, quam vt nos in Deo; quod tamen declarandum erat; nam id demum

 mum

inum est quod Apostolus hic affirmat, *In ipso viuimus mouemur & sumus*: Respondendum est, sicut non aliud est, febrim esse in homine, & hominem esse in febri: sic eodem recidere siue dicantur res creatæ esse in Deo, iuxta expositionem datam; siue vice versa dicatur Deus esse in rebus creatis. Oportet enim concipere Deum velut mare quoddam nullis terminis clausum, quod vnamquamque, imo & vniuersam creaturam, tanquam spongiam quandam, totam occupet; vt hac ratione & spongia illa esse in isto mari; & istud mare in hac spongia non quidem claudi, tamen esse, verissimè dicatur. Comparatio hæc est B. August. confess. 7. cap. 5.

QVOD porro attinet ad ista tria quæ ponit Apostolus, *Viuimus & mouemur & sumus*; series ipsa sermonis nos docet, quod omnia tria nobis, id est humano generi ac singulis hominibus, tribuat. Dignum igitur quæsitu est, quomodo velit hæc esse inter se distincta. Ac philosophus quidem 2. de Anima textu 36. & 37. docet quod ipsum viuere sit viuentibus esse; id est, quod in rebus inanimatis dicitur simpliciter esse seu existere, hoc in rebus animatis appellatur viuere. Hoc si ita est: quomodo igitur Apostolus nobis tanquam duo diuersa tribuit *Viuere & esse?* Item, qui animalibus est proprius motus, is cum sit ab anima, est species quædam vitæ: cur igitur Apostolus hic vt duo diuersa ponit, *Viuimus, & mouemur?* Respondetur, vitam primam esse ipsam viuentis animam: ab hac autem varios actus procedere, quorum vnusquisque appellatur vita secunda; inter quos ordine generationis primus est ipsa actualis existentia; sed præter hanc sunt & alij diuersi, in plantis, pauciores; in animalibus brutis, plures; in hominibus, etiam plures; Itaque cum hic ait Apostolus, *Viuimus*; accipi potest vita homini propria, quæ vtique est per intellectum & appetitum intellectualem: cum dicit, *Et mouemur*, accipi potest motus localis ille qui ab anima factus, bestijs nobiscum est communis: cum addit, *Et sumus*; generalius quiddam adiungit, quod rebus etiam inanimatis sit nobiscum commune, ipsum scilicet esse, existere: & omnibus his verbis nos docet, Deum omnibus nobis (vt rebus vniuersis alijs) intime præsentem, hoc continuò in nobis operari quod subsistamus; defecturi seu interituri simulatque ipse hanc suam operationem vel momento subtraxerit. Omnino est inspiciendus S. August. de Genes. ad lit. lib. 4. cap. 12. De Trinit. lib. 14 cap. 12. quem vtrumque locum hic ex parte citat Beda. Vide Cyril. quoque Alexand. in Ioannem. lib. 9. cap. 40. Addit Apostolus;

SICVT & quidam vestrorum poetarum dixerunt, *Ipsius enim & genus sumus.* Quod proxime dixerat Apostolus, confirmat testimonio gentilis poetæ, tanquam cuius authoritas apud Athenienses gentiles debeat valere. Est autem hemistichium, faciens initium versus heroici apud Aratum veterem poetam, statim initio τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν; quæ, diuersi latini authores transtulerunt, quos commemorat S. Hieron. comment. in 1. cap. ad Titum. v. 12. ac ante & inter alios M. Tullius, iunior. Et quamuis Aratus de Ioue loquatur; Apostolus tamen eum interpretatur tanquam de vnico vero Deo locutum: nam de summo vtique Deo Aratus ista cum adiunctis dicere volebat; tametsi erraret in applicatione, loquens scilicet de impuro illo Ioue, tanquam de Deo Deorum.

PRIVS

PRIVS autem quam horum verborum sensum ab Apostolo intentum, enucleemus, illud dignum est quæsitu, An Deo reuelante sciuit Apostolus scripta gentilium? An vero Apostolus Christi eorum libros legebat? Neutrum; sed ante Apostolatum olim legerat; non quidem Hierosolymis, cum ad pedes Gamalielis pharisæi legem disceret, vt ipse commemorabit infra cap. 22. v. 3. sed prius, in sua patria, Tarsi, in Cilicia, quæ ciuitas non solum metropolis erat Ciliciæ, sed & studijs florebat omnium disciplinarum non multo minus quam Athenæ, si eruditionem & varietatem disciplinarum spectemus: tametsi exteros vix admitteret, suos docere contenta. Tradidit hoc Strabo Geograph. lib. 15.

SECVNDO loco illud dignum est annotatu, Hoc exemplum Pauli Apostoli citantis Aratum, nihil eos iuuare, qui in sacris concionibus quas ad populum fidelem habent, libenter multa ex prophanis authoribus intexunt; cum Dei verbum, doctrinamque sanam hoc est diuinam, in qua nihil est non sanum, proferre deberent. Nihil (inquam) eos Apostoli exemplum iuuat; qui non fidelibus loquitur sed ethnicis, & quidem literatis, apud quos suorum authorum testimonia valere debebant. Dedecet plane sacram concionem quæ apud fideles habetur, is modus agendi à vana multiplicis eruditionis ostentatione profectus; qui non modo non exornat, sed magnopere etiam fœdat & eleuat sacram salutis doctrinam; quasi ea sibi non sufficiat. Allegauit quidem & cap. 1. ad Titum hic ipse Apostolus versiculum ex Epimenide; sed ad confirmandum rem facti, non ad salutarem doctrinam fidei aut morum: videlicet ad docendum testimonio poetæ Cretensis, malos esse mores Cretensium. Quæ omnia si attendamus: non est mirandum quod S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus adeo grauiter in eiusmodi concionatores solebat inuehi, vt in eius vita legitur. Item, non est mirandum quòd in Conc. Carthag. 4. can. 16. seuerè prohibetur Episcopo legere libros gentilium.

VESTRORVM *poetarum*. Aratus non fuit Atheniensis, neque omnino Achæus, sed Cilix Solensis, Paulo pene conterraneus Tharsensi; dicit tamen de eo, *quidam vestrorum poetarum*, id est, quidam poeta vestræ quæ dicitur religionis. Traditur Aratus fuisse percharus Antigono Regi Macedonum, circiter Olympiad. 125. seu circiter annum ab V. C. 472. & seqq. Illi enim Antigono, qui e[...] Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti toto Macedoniæ regno exuit; vt est apud Iustinum lib. 24.

IPSIVS *enim & genus sumus*.] Allegat hoc Apostolus ex Arato, non tanquam omnino idem ei quod proxime præcedit, sed tanquam quiddam maius: quasi dicat, Dicebam ego illum vnicum verum Deum rerum omnium conditorem, non longe abesse ab vnoquoque nostrum, eo quod *in ipso viuimus, mouemur & sumus*: hoc vobis, viri sapientes, mirum videri non debet, cum vester poeta amplius etiam illi tribuat, maioremque nostri cum illo doceat esse coniunctionem, dum dicit *nos illius esse genus seu progeniem*. Hoc vero dicit, significare volens ipsum non solum esse opificem nostri, vt est rerum quarumuis inanimatarum, sed etiam esse parentem; ideoque cognatione quadam nos homines illi esse coniunctos, vtpote eius progeniem; dum ita ab illo sumus conditi vt simi-

litudine naturæ eum referamus, creari ab eo ad ipsius imaginem, quia mente & libero arbitrio præditi, quibus in primis pollet ipse. Hæc est verborum sententia. Atque hinc est quod cum Deus sit author omnium: tamē pater dicatur peculiariter Angelorum & hominum; & ipsi eius filij: tum in sacris literis, tum apud ethnicos scriptores; tametsi hi hanc veritatem plerumque corruptela aliqua vitient, dum Angelos Deos nominant; appellantes illum vnicum verum Deum, patrem hominum & Deorum. Igitur B. Paulus ex poeta ethnico hoc apud Athenienses sumit, Nos homines esse illius vnici veri Dei progeniem: ex quo testimonio quo modo vlterius, vtiliter ad propositum, argumentetur Apostolus; operæpretium est considerare. Nempe sic.

VERS. 29. Genus ergo cum simus Dei; non debemus æstimare auro aut argento aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis, Diuinum esse simile.

ILLVD (*sculpturæ*) est tertij casus, vt patet ex græco, & appositiue (*vt grammaticè loquamur*) refertur ad vnumquodque trium præcedentium; vt sensus sit, Auro, humana arte & industria sculpto, aut argento tali, aut lapidi tali. Porro istud (*Diuinum*) vt iterum grammaticè loquamur, substantiuatur in neutro genere, & ponitur pro ipsa diuinitate seu diuina natura; cum græce sit *τὸ θεῖον*.

APOSTOLVS igitur, apud Athenienses, aduersus idola breuissime & subtilissime sic argumentatur: Nos homines sumus genus Dei, vtpote ab eo conditi, & eum naturæ similitudine referentes: ergo plane absurdum est, nos existimare quod ipsa diuina substantia nobis repræsentari queat per aurum, argentum, aut lapidem, quantumuis artificiose & ingeniosè figuratum. Vnde relinquit colligendum, multo magis absurdum esse si homo genus Dei existimet aurum, argentum vel lapidem pulchre figuratum esse Deum, esse diuinum numen. Priorem consequentiam facile apud animum suum quisque probare potest; quoniam per ista, ne nos quidem, tametsi imago dumtaxat Dei simus, repræsentari possumus; sed ipsum solummodo corpus nostrum, aspectabile & alijs sensibus expositum; non vero ipsa mens, per quam sumus id quod dicimur, homines inquam; & quæ est illa Dei imago per quam eum, vt similes quodammodo, referimus.

SI quæratur, quare Apostolus ex illo Arati testimonio quo dicit nos esse filios Dei, non colligat absurdum esse nos existimare quod aurum, argentum, aut lapis, hominis arte & industria accedente, sit Deus: dicendum est, iuxta præcedentia, optime hoc inferre potuisse; sed minus vtilem futuram fuisse hanc argumentationem, eâ quam facit Apostolus. Nunc autem ipse amplius quiddam concludit; vnde & hoc de quo nunc quæritur, sit consequens, vt paulo ante dicebatur. Dixi minus vtilem futuram fuisse istam argumentationem, apud Athenienses videlicet; quoniam inter eos multi erant sapientes, eousque saltem vt non sentirent cum vulgo idola esse Deos, licet cum vulgo ea ado-

adorarent; sed credebant tamen Deos per idola tanquam per sui imagines, repræsentari. Aduersus hunc igitur errorem Apostolus concludit, ne hoc quidem verum esse; sed idola penitus esse inania; neque esse Deos, neque per ea tanquam per quasdam similitudines repræsentari diuinitatem.

OBSERVAT Chrysost. modestiam & prudentiam Apostoli, non alloquentis directè ipsos infideles Athenienses, sed vtentis figura communionis, dum ait, *Non debemus* &c. His aduersus idola de vnico vero Deo dictis: quia fides vnius Dei saluti non sufficit; Apostolus his gentilibus salutarem timorem incutit, dum insinuat fidem Christi & pœnitentiam, quibus ad remissionem peccatorum, reliquamque salutem perueniant; addens ista;

VERS. 30. Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus nunc annnunciat hominibus vt omnes vbi que pœnitentiam agant:

HVIVS *ignorantiæ*] qua pro dijs colontur idola; vel saltem creditur quod per idola aliqua diuinitas ex similitudine repræsenterur, ideoque coluntur. Ciuiliter autem Paulus Apostolus tam grauia peccata appellat *ignorantiam*, nomine generali; ideoque, non ita loquitur volens extenuare, cum ignorantia sæpe non diminuat sed aggrauet peccatum quod per eam committitur; vtitur tamen ciuilitate in hoc ipso quod indistincte loquatur de ignorantia; non exprimens an grauet an diminuat; postea, suo tempore, hoc distinctius explicaturus, quando fides cœpisset in corda auditorum introire.

VIDETVR & altera ciuilitas Apostoli hic esse, in eo quod pro ipsa ignorantia dicat *tempora ignorantiæ*, quasi huius mali diuturnitas Deum ad miserendum flexisset, cum tanto esset grauius peccatum quo diuturnius, solaque Dei bonitas ipsum extimulasset ad succurrendum generi humano. Ait igitur quod Deus omnem istam ignorantiam (idololatriam & varia scelera illi cohærentia) *despiciat*, id est, ex alto videat, oculo scilicet misericordiæ suæ, volens tantis malis adferre remedium. Pro illo enim (despiciens) græce est (ὑπεριδὼν); quod tametsi sæpe per tropum significet dissimulare, vel quid simile: tamen nihil vetat hic propriè sumi, modo quo Deo sit conueniens; quo sane modo interpres noster videtur intellexisse dum vertit, *despiciens*. Nam vt hoc pro (*contemnens*) dixerit Int. nulla est probabilitas. Ad similem modum in fine psal. 52 accipitur illud (despexit) *Super inimicos meos despexit oculus meus. Despexit*, interpretatur B. Hilarius, *ex alto vidit*. rectissime: sed subaudi tur quartus casus ex communi sensu, *ex alto vidit*, scilicet quod optabam. Chrysost. & eius verba referens Oecum: ad datam expositionem valde accedunt.

QVIBVS autem modis Deus tantis malis remedium sua misericordia hoc tempore adferat, exponit Apostolus per ista sequentia,

NVNC *annuntiat hominibus vt omnes vbique pœnitentiam agant;*] *Annuntiat*, vtique per nos & nostri similes, quos in omnem terram misit & mittit; & missionis nostræ fidem facit per miracula quæ nostro ministerio edit. *Vt omnes vbi-*

que

quę pœnitentiam agant.] Ex his verbis liquet quod Paulus Apostolus dum verbis præcedentibus nominat *ignorantiam*; non loquitur de ignorantia quæ excuset peccatum: nam non fuisset opus pœnitentia, si nullum peccatum fuisset. Omnibus autē gentibus Deus per suos legatos denunciabat (& semper denunciat) vt agerent pœnitentiam; quæ vtique non est sine mutatione vitæ. Exigit igitur Deus ille verus vnicus ne colatur vllus falsus Deus; exigit vt suis mandatis optemperetur; exigit vt quia quod factum est infectū fieri nequit, saltem doleat hominibus ex animo id quod factum est, optentque nunquam peccasse, & proponant seriò deinceps non offendere diuinam maiestatem. Hæc cum omnia includit vera pœnitentia, vt ex scripturis sacris liquet, de illa loquemur.

QVORSVM autem velit Deus omnes vbique pœnitentiam agere, non exprimit quidem Apostolus; sed facile subauditur; nempe vt per veram pœnitentiam consequantur remissionem peccatorum & salutem; alioqui non consecuturi; sed iusto Dei iudicio æternis pœnis torquendi malo merito suorum peccatorum. Hoc verba sequentia declarant.

VERS. 31. Eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit; fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.

EO *quod statuit diem in quo* &c.] Hic est dies vniuersalis iudicij: sed dies mortis vniuscuiusque perinde cuique valet ac ille, quod ad sempiternum statum attinet salutis aut interitus; quando qualis inuenietur quisque die suæ mortis, qui idem est dies particularis sui iudicij; tali in statu inuenietur in die iudicij generalis. Illud, *statuit diem*, ex sequentibus manifestum est dici de Deo Patre, vel etiam de tota S. Trinitate, quæ per hominem Christum exercebit manifestum illud ac generale iudicium.

IVDICATVRVS *est orbem*] τὴν οἰκουμένην. totam terram quam latè longeque habitatur: sed tropo ponitur locus pro contento; vt sit, omnes omnino habitatores orbis terrarum. Hoc dicitur ideo, ne quis putet sese ab illo iudicio posse abesse. Ac ne quis cum iudicem hunc effugere non queat; putet tamen se precibus vel astutia efficere posse ne commeritas pœnas luat; additur quod *iudicaturus sit orbem in æquitate*, seu in iustitia: quod idem toties sermo diuinus nobis inculcat. Per iustitiam autem datur vnicuique quo dignus est, siue præmium siue pœna: ita fiet vt in diuino illo iudicio nemo commeritas pœnas euadat.

CÆTERVM, quia in sacris literis ipse Dominus dixit, *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio; Vt omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem;* Ioannis 5. v. 22. idcirco ait hic Apostolus quod *Deus iudicaturus sit orbem in Viro, in quo statuit*; hoc est, per certum quendam virum, per quem illud iudicium esse exercendum definiuit, determinauit, decreuit, destinauit. Tum addit; *fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Id est, quod illud generale iudicium faciendum sit; & quis sit ille vir quem ei exercendo Deus destinauit;

uit; vtriusque huius rei probationem Deus omnibus hominibus præbet, per hoc quod virum illum, omnium primum, ac ducem omnium resurgentium, suscitauit ex morte ad vitam immortalem. B. Ambros. loco sup. ad v.22. huius citato, miratur inter cætera Pauli Apostoli prudentiam, quod hic volens istis gentilibus insinuare Iesum Christum, non amplius dixerit, quàm *Virum quem Deus exercendo iudicio generali destinauit*; postea nimirum vbi hæc prima & generaliter dicta credidissent, magis specialiter magisque distinctè eaipsa expositurus. Quod faciendi vt occasionem veluti fabricet; huic sermoni illam ansam addit, *fidem prabens omnibus* &c. quasi dicat. Quis ille vir sit, Deus tali signo monstrauit, quod ex morte ad vitam immortalem suscitauit illumipsum omnium primum. Porro in his ipsis verbis, latent complura de Christo mysteria; quæ distinctius essent postea enucleanda: veluti Christi incarnatio; nam si est suscitatus ex morte; fuit igitur mortuus: si fuit mortuus; homo vtique fuit. Item, si fuit mortuus, non frustra fuit mortuus: & tamen mors eius nihilo plus adferre fructus poterat quam reliquorum hominum, nisi ipse longe supra homines fuisset. Neque ob temporalem vtilitatem hominum, credendum est quod virum tam sibi charum Deus mori voluisset aut permisisset: salus igitur animæ, & quidem æterna, per illius mortem generi humano quærebatur. Hanc vero promereri apud Deum non poterat si homo dumtaxat, imo si vel alia creatura dumtaxat fuisset. Non fuit igitur homo solum, sed simul Deus & homo, cuius proinde omnis passio & mors, hanc dignitatem habuerit vt genus humanum iusto plane precio, ex perditione, ex miserrima sub diabolo, sub morte, sub peccato seruitute, redemerit à Deo, cui illud propter offensam erat obnoxium, reum æternarum pœnarum.

QVOD autem *fidem* in his verbis Apostoli exponimus probationem; res ipsa postulat, consentiente Chrysost. & est vsitatum ethnicis etiam oratoribus & philosophis, πίστιν, pro argumento seu probatione dicere. Philosophus 1. Topic. cap. 7. in princip. *Vna quidem fides per inductionem est*, &c. *Alia autem fides per syllogismum.* Est autem à mente Apostoli penitus alienum, siquis fidem hic proprie sumi credat, eumque velle dicere quod omnibus hominibus adsit sufficiens à Deo auxilium ad credendum, & ad reliquum salutis negotium; contra expressam eiusdem Apostoli sententiam 2. Thess. 3. v. 2. *Non omnium est fides.* Non hoc igitur est quod hic dicit; sed Deum sufficienter probasse omnibus hominibus, Christum esse virum illum per quem iudicaturus sit totum genus humanum; quandoquidem in eius rei confirmationem, resuscitauit ipsum primum omnium ad vitam immortalem. Quo pertinet illud eiusdem Apostoli, ad Rom. 14. vers. 9. *In hoc Christus & mortuus est & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* quasi dicat, Christus est vniuersalis iudex. Idem & alibi nobis inculcatur 2. Cor. 5. vers. 10. Supra huius lib. cap. 10. vers. 42. 2. Tim. 4. vers. 1. 1. Petri 4. vers. 5. Sequitur,

VERS. 32. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum: quidam quidem irridebant; quidam vero dixerunt, Audiemus te de hoc iterum.

AVDISSENT *resurrectionem mortuorum*] dixerat enim Paulus quod Deus Pater illum vniuersalem omnium iudicem ex morte suscitauerit istorsum, vt omnes intelligant hunc esse quem ipse exercendo vniuersali iudicio constituerit. Item dixerat iudicandum esse orbem terrarum, id est, omnes omnino homines. Hoc autem fieri non potest nisi illi qui ante tempus iudicij fuerint mortui, resurgant. Cum igitur qui huic concioni aderant, audissent resurrectionem mortuorum: *quidam irridebant*. Credibile est hos fuisse ex grege Epicureorum, de quibus v. 18. Et videtur ista eorum irrisio fuisse à tam multis facta & tanto strepitu vel clamore, vt solueretur concio: nam finitam hic fuisse, patet ex v. sequente. *Quidam vero dixerunt, Audiemus te de hoc iterum.* Hi vtique minus feroces minusque præcipites, cupiebant plenius de rebus istis cogitare & doceri. Exemplum hîc habemus, quam dissimiliter veritas annunciata vel lecta, afficiat animos dissimiliter sese habentes. Idem quotidie vsu venit. Sequitur,

VERS. 33. Sic Paulus exiuit de medio eorum.)

NON iam exiuit ciuitate, sed Areopago, vbi fuerat concionatus. Id patet ex sequentibus.

VERS. 34. Quidam vero viri adhærentes ei;

HOC est, frequentius cum eo versantes, eumque audientes, vt scilicet plenius instituerentur; *Crediderunt.*] Hoc vno verbo significat S. Lucas fuisse conuersos ad fidem Christi, fuisse baptizatos, & ita ascriptos numero fidelium. Addit verò, *In quibus*, hoc est inter quos, *Et Dionysius Areopagita.*] Græce additur articulus, ὁ. Quod significanter exprimi queat (licet non sit necesse) *Ille Areopagita.* Additur, *Et mulier nomine Damaris; & alij cum eis.*] Nullo modo verisimile est hanc Damarim fuisse vxorem Dionysij istius Areopagitæ: nam non tacuisset hoc S. Lucas; vt non tacet de Priscilla vxore Aquilæ, cap. proximo v. 2. Fuit igitur alia quæpiam honesta matrona Atheniensis. Cæterum, est dignum consideratu quam dissimiliter S. Lucas de hac, etsi laudabili, matrona, & de isto Dionysio loquatur. Non enim ait, quidam senator nomine Dionysius, quomodo de hac Damari loquitur; sed tanquam de viro omnibus, quando hæc scribebantur noto, & in ecclesia Dei illustri, ait; *Dionysius ille Areopagita;* vt vel hinc doceri possit, B. Dionysium non fuisse hominem in Ecclesia tam obscurum vt ecclesiastica traditio falsò aut dubiè ad nos transmiserit quæ sint eius scripta. Extant hodie liber de Cælesti hierarchia, Liber de ecclesiastica hierar-

hierarchia, Liber de diuinis nominibus, Breue opusculum de mystica Theologia; & vndecim epistolæ: quæ omnia esse huius Dionysij, quoniam sectarij horum temporum negant eo quod nimis apertè eorum erroribus aduersentur; varij viri docti inter catholicos operosè demonstrarunt; inter quos eminet Gulhelmus Morelius in annotationibus ad opera Dionysij græcè à se impressa, & post eum Martinus Riuius in libro cui fecit titulum Vindiciæ Areopagiticæ. Est verò operæpretium scire quæ alia vir tantus scripserit, quæ hodie non extant: id quod ex ipsius Dionysij testimonio, omnium certissimè cognosci potest. Sunt vero hæc: Liber de Hymnis diuinis: cuius meminit ipsemet de cælesti hierarchia, cap. 7. in fine. Liber de intelligibilibus & sensibilibus; cuius meminit De ecclesiastica hierar. cap. 1. circa medium, & cap. 2 parte 3. Liber de Anima, quem commemorat De diuinis nominibus cap. 4 parte 1. paulo post initium. Liber Theologicarum hypotyposeon, seu Theologicarum institutionum, cuius meminit quinque aut sex diuersis locis. Alius liber, cui titulus Symbolica Theologia, seu Theologia significatiua: quem similiter sæpius commemorat sex aut septem locis. Liber alius, De legali sacerdotio. Meminit eius Ecclesiasticæ hier. cap. 3. parte 3. post medium. Denique liber de iustitia ac diuino iudicio. Meminit huius de Diu. nom. cap. 4. parte 4. in fine.

E T *alij cum eis*.] Meminit S. Dionysius S. Hierothei vt præstantissimi Theologi, & sui sub Apostolo Paulo condiscipuli, imo etiam vt sui præceptoris; in lib. de diu. nom. cap. 2. parte 2. cap. 4. parte 2. 3. 4. An igitur S. Lucas sub his verbis generalibus comprehendat B. Hierotheum; quæri potest non immerito: & nobis videtur probabile, consideratis his quæ in Martyrolog. Roman. de hoc Sancto viro leguntur die 4. Octobris, & eodem die in Menologio Græcorum; quæ illic in Notis recitat Baronius. Cur S. Lucas tantum virum, hic non expresserit nominatim, si ita est: fatemur causam à nobis ignotam, potuisse tamen esse aliquam rationabilem; forte illam quod non legatur in ecclesiastica hierarchia fuisse constitutus, tametsi nobilis Theologus.

ARGVMENTVM

CAPITIS XVIII.



AVLVS Apostolus euangelium Christi annunciat Corinthijs, & quidem (certa ex causa) sine vllo eorum sumptu; hæretque ibi sesquiannum, diuina visione ad hoc animatus: postea diuersas ciuitates & prouincias reuisit, ad confirmandos in fide nouellos christianos. Iudæus quidam Apollos nomine, postquam plenius mysteria fidei Christianæ esset edoctus, homo eloquens & potens in scripturis, magno adiumento est fidelibus Christi aduersus infideles Iudæos.

VERS. 1. Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum:)

ERAT Corinthus celeberrima vrbs Peloponnesi, quæ Peloponnesus pars erat Achaiæ, Isthmo à reliqua Achaia diuisa. Habet apud Ptolemæum tabula 10. Europæ Corinthus longit. gradus 51. latit. 37. & etiamnum nomen retinet, Corintho vel Corantho dicta, vt ex scriptoribus probat Ortelius in Thes. Geogr. Porro Isthmus est terra angusta inter duo maria: & quidem iste Corinthiacus est inter mare Adriaticum & mare Creticum, vt liquet dicta tab. 10. Europæ apud Ptolemæum. Vnde bimarem Corinthum nominat Horatius lib. 1. Carm. *Aut Ephesum bimarisue Corinthi, Mœnia.*

VERS. 2. Et inueniens.)

SCILICET Corinthi; *Quendam Iudæum, nomine Aquilam; Ponticum genere.*] Erat Iudæus sanguine; sed patria Ponticus, id est natus in ea prouincia Asiæ quæ Pontus dicebatur; Iudæis nimirum iam ante hæc tempora quaquauersum dispersis. Fit mentio huius prouinciæ sup. cap. 2. & 1. Petri 1. v. 1. Additur, *Qui nuper venerat ab Italia.*] Causa exponetur paulo post verbis parentheticis. *Et Priscillam vxorem eius.*] Facit horum duorum, tanquam insigniter Christianorum, valdè honorificam mentionem Apostolus, ad Rom. 16. in principio; vbi quæ hic nomine diminutiuo dicitur *Priscilla*; nominatur *Prisca*, nomine primitiuo; vt est consuetum in talibus. Et quia est nomen latinum, videtur hæc matrona fuisse ex Latio, certè ex Italia. Sed cur igitur nuper reliquerant Italiam? subijcitur causa per parenthesin. (*Eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma*) Hoc edictum Claudij Cæsaris factum fuit anno Christi 51. qui imperij Claudij annus 9. vt illo Christi anno, primis §§. probat Baronius Tomo 1. Quæ autem hoc capite narrantur de aduentu Pauli Apostoli Corinthum, & eius cum Aquila societate, euenerunt anno Christi 52. Claudij Imp. 10. vt est videre illic apud eundem Baronium §. 15. & seqq. Ex quibus iam intelligitur quam aptè cohæreat hæc B. Lucæ narratio, nempe Aquilam cum vxore deuenisse Corinthum paulo ante quam illuc Paulus appelleret; reliquisse autem ipsos Italiam propter edictum Claudij Imp. quo omnes Iudęos proscripserat. Neque vero Claudius distinguebat Iudæos inter se, videlicet an Iudaicam legem retinerent aduersantes Christo, an vero essent Christiani; sed indifferenter omnes expulit; vt hic videmus: quando & Aquila propter eius edictum migrauit. Et hac occasione etiam S. Petrus Roma redierat Ierosolymam, & præsederat concilio Ierosolymitano, sup. cap. 15. Causa quæ mouit Claudium ad istud edictum, narratur ab Orosio lib. 7. cap. 6. ex Suetonio; nempe quod Iudæi assidue tumultuarentur. Credibile est autem (nam obscurè loquitur Suetonius) tumultuationes istas fuisse infidelium Iudæorum Romæ degentium, aduersus B. Petrum fidem Christi illic propagantem, & aduersus illos ex sua gente Iudaica, qui ibi fiebant christiani. Valde enim qui permanse-

runt

runt in infidelitate Iudæi, restiterunt propagationi euangelij, id est, Fidei de Iesu Nazareno quod ipse est Christus; vt tam multis locis vidimus in superioribus,& videbimus in sequentibus huius operis,etiam hoc ipso capite. *Accessit ad eos.* Accessit ad Aquilam tanquam Iudæus Christianus ad Iudæum Christianum. Nec accessit solum vt salutaturus, sed vt cohabitaturus, quod dicitur verbis sequentibus.

VERS. 3. Et quia eiusdem erat artis;

PAVLVS scilicet,cuius erat Aquila. Cuius vero artis vel opificij; dicetur à S. Luca paulo post. *Manebat apud eos, & operabatur: erant autem scenofactoriæ artis. Scenofactoriæ artis.*] Mirabilis compositio ex voce græca & latina; sed eo tolerabilior quod (scena) sit vocabulum tritum inter latinos; nec tam est insolita hæc compositio; cum sint similia exempla nonnulla, Coepiscopus, Compresbyter, Condiaconus,Monoculus,Protonotarius. Sensus est,erant artifices conficiendorum tabernaculorum ac tentoriorum. Ea olim fiebant plerumque ex pellibus animalium,aptè inter se consutis: Vnde (pelles) pro tentorijs ponuntur,tam in sacris quam in profanis scriptoribus. Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa, filia Ierusalem,sicut tabernacula Cedar,sicut pelles Salomonis.* Abacuc Prophetæ cap.3. *Turbabuntur pelles terræ Madian.* & alibi sæpius. *Et operabatur.*] Tres præcipue causæ sunt cur apud nonnullos gentilium Paulus Apostolus prædicans euangelium multosque ad salutem adducens,noluerit tamen ab eis necessariam vitæ sustentationem petere aut accipere,sed vel aliunde capere oblatam,vel manibus laborando parare. Prima, ne gentiles (qui non assueuerant alere suos doctores) offenderentur, (infirmi scilicet adhuc in illis initijs conuersionis sui) quasi temporalium consequendorum gratia Apostoli annunciarent euangelium. Altera, vt materiam gloriandi aduersus Paulum ipse eriperet Pseudoapostolis, qui, vt facilius deciperent incautos hac ficta sua & insidiosa beneuolentia; non accipiebant sumptum ab his quos misere seducebant; quasi videlicet nihil nisi salutem eorum quærerent. Tertia, vt exemplum diligentiæ & corporalis etiam laboris præberet ethnicis; inter quos,etiamsi facti essent Christiani,erant multi dediti ocio,nullò vtili negocio occupati. Prima harum causarum ab Apostolo adfertur infrà, cap. 20. vers. 34. & seq. 1. Cor. 9. v. 12. & aliquot sequentibus. Secunda, 2. Cor. 11. vers. 7. & seqq. multis. Tertia, 2. Thess. 3. v. 6 & sequentibus.

MEMINISSE horum oportet eos, qui tam præpostero sunt iudicio vt putent non esse honesti viri aliquid manibus operari, aut artem vllam tenere; & partem quandam nobilitatis esse existiment nihil scire, nihil manuarij negotij exercere; sed alto ocio torpescere; & vix tantillum nosse literarum vt nomen proprium queant subscribere schedis amanuensium. Qua stultitia siqui etiam religiosi fortassis sunt correpti: vtile ijs erit si librum B. August. legant de opere Monachorum,præsertim c.14.& seqq. Sequitur de Paulo Apostolo;

VERS. 4. Et disputabat in synagoga per omne sabbatum: suadebatque Iudæis & Græcis.)

HINC patet Corinthi fuisse Synagogam Iudæis illic commorantibus; sicut præcedente c. vidimus fuisse Thessalonicæ, Berœæ, & Athenis. Itaque statim postquam venisset Corinthum, singulis sabbatis (nam tunc conueniebant Iudæi in suam synagogam) sermocinabatur apud eos Paulus de regno Dei, ac specialiter de Messia, quod iam venisset, quodque is esset Iesus Nazarenus, passus, crucifixus, mortuus, tertia die ad vitam immortalem suscitatus primus omnium hominum.

SVADEBATQVE *Iudæis & græcis*] *Græcis*, id est gentilibus qui Corinthi erant. Ita enim sæpe sumitur Græcorum nomen vt quosuis gentiles designet. Vtrisque suadebat Paulus Apostolus: sed conuenienter ad animos vtrorumque. Dabat operam vt Iudæi qui vnicum verum Deum colebant, agnoscerent Iesum redemptorem: dabat operam vt gentiles ante omnia vnicum verum Deum agnoscerent, reijcientes omnes falsos Deos; postea eis propositurus doctrinam de Filio Dei homine facto redemptore generis humani. Ista methodo videmus eum hactenus vsum, & vsurum deinceps. Neque istis gentilibus concionabatur in synagoga Iudæorum; quoniam illuc tales non admittebantur: sed alibi, vbi commode poterat. Conferantur dicta ad v. 17. cap. præced. Verba illa media, *Interponens nomen domini Iesu*, non sunt apud Ven. Bedam, neque in bonis libris latinis, vt in nullis græcis; vt satis certum sit esse assuta à scribis præposterè diligentibus. Sequitur,

VERS. 5. Cum venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus;)

EOS reliquerat Paulus Berœæ, cap. præced. v. 14. ac iusserat postea vt se conuenirent Athenis, eodem cap. vers. 15. sed ijs iam iter ingressis Paulus obnunciauit (vt videtur ex scriptura citanda.) Timotheo vt reflecteret iter in Macedoniam, & visitaret Thessalonicenses. 1. Thess. 3. in principio. Quo facto, ipse vna cum Sila, intelligens Paulum interea venisse Corinthum, illuc venit; vt hic narratur. *Cum venissent igitur ex Macedonia Silas & Timotheus Corinthum; Instabat verbo Paulus*] potissimum apud Iudæos Corinthi agentes; vt patet ex seq. istis, *Testificans Iudæis esse Christum, Iesum.* Ordo grammaticus verborum est, *Iesum esse Christum*; id est, Iesum Nazarenum, crucifixum, & mortuum, deinde à Deo patre triduo resuscitatum ad vitam immortalem, esse Messiam Domini, redemptorem humani generis qui expectabatur; nec expectandum alium. Nam hic est articulus fidei Christianæ, qui fideles distinguit ab infidelibus Iudæis. Idem ordo grammaticus intelligendus est in verbis vltimis huius cap.

SED quid ad rem facit quod S. Lucas ait, post aduentum Silæ & Timothei Paulum institisse verbo? Nonne & antea instabat? Non adeo instabat sanè; sed diebus

diebus sabbathi dumtaxat, concionabatur Iudæis in synagoga congregatis, vt dicebatur vers. 4. Nam alijs diebus totus erat intentus operi manuario, vnde victum sibi pararet; vt dictum fuit v. 3. At Silam & Timotheum ex Macedonia attulisse Paulo Apostolo honestum aliquod subsidiũ, quod christiani Macedones per eorum manus ipsi miserant; possumus coniectare; vnde iam sustentaretur; & sic intermisso nonnihil opere manuali, sæpius Iudæis sermocinari potuisse, siue in synagoga siue alibi congregatis, imo & domesticatim eos adeundo. Id quod & alibi (dico domesticatim docere) ese fecisse, ipse testatur infra cap. 20 v. 20. Hanc de subsidio ex Macedonia allato coniecturam nos facimus ex Philip. 4. v. 15. 16. & ex 2. Cor. 11. v. 7. & seqq. cap. 12. v. 13. & seq. In græco codice pro istis (*Instabat verbo*) legitur [illegible], *Constringebatur (seu coarctabatur) spiritu*: sed noster interpres latius reddit sensum dum pro causa reddit effectum. Quoniam enim Iudæorum incredulitas vrebat animum Apostoli; ideo tanto studio illis inculcabat veritatem euangelici verbi, quod Iesus est Christus.

VERS. 6. Contradicentibus autem eis & blasphemantibus;)

QVOD vtique ingenti scelere faciebant, resistentes doctrinæ salutis, legitime annunciatæ. Nec solum resistebant contradicendo; sed etiam blasphemabant, tum ipsum Christum Dominum qui annunciabatur, tum eius Apostolum Paulum. Nam *blasphemia* apud græcos originaria significatione generaliter significat conuicium, maledictum. *Excutiens vestimenta sua dixit ad eos:*] Excussit vestimenta sua volens isto ritu significare quod euangelicæ prædicationis laborem ipsis sedulo impendisset: iuxta ea quæ ex Ven. Beda diximus ad cap. 13. v. 51. Simul autem videtur isto ritu indicare voluisse, penes ipsum nihil culpæ hærere, si perirent. Dixit enim ad eos, dum hoc ritu externo vteretur ad timorem salutarem ipsis incutiendum, & ad suam innocentiam declarandam;

SANGVIS *vester super caput vestrum.* Hoc est, vestri interitus vos estis vobis authores, non ego, qui ex officio diuinitus mihi iniuncto, viam salutis vobis annunciaui magna cum sedulitate.

MVNDVS *ego ex hoc ad gentes vadam.*] Id est, sine peccato ego posthac vos huius ciuitatis, deseram tanquam deploratos & incorrigibiles; & me impendam gentilium Corinthiorum conuersioni ad fidem Christi. Simile quiddam idem Apostolus postea fecit Ephesi, infra cap. 19. v. 8. & 9. Alterum quoque sensibile signum addidit quo abominari sese Iudæorum istorum facinus declararet; nempe quod iuit habitatum in domo viri gentilis.

VERS. 7. Et migrans inde.)

INDE.] Nempe ex domo Aquilæ & Priscillæ vbi hactenus degebat, vt dictum fuit v. 3. Nunc autem eos deserit, non illis offensus, qui Christiani optimi

erant;

erant; sed volens diuersari in domo hominis gentilis, ad maiorem detestationem facinoris Iudæorum. *Intrauit in domum cuiusdam nomine Titi Iusti, colentis Deum;*] id est, qui vnicum verum Deum colebat, tametsi non erat proselytus religionis Iudaicæ. Sic enim intelliguntur isti *colentes* tam hic quam cap. præcedenti v. 4. & 17. & cap. 13. v. 50.

CVIVS *domus erat coniuncta Synagogæ.* Apparet hoc attexere S. Lucam ob ea quæ dicentur v. proximo. Videtur enim Crispus Archisynagogus habuisse suum domicilium in loco ipso synagogæ, vt fit in talibus; atque ita Paulum Apostolum in domo Titi Iusti, quæ erat contigua, sæpius, (præsertim de nocte propter metum obstinatorum Iudæorum) audiuisse; & suos domesticos eodem adduxisse; donec omnes conuerterentur ad fidem Christi. Hæc sunt illa sequentia;

VERS. 8. Crispus autem archisynagogus, credidit Domino;)

ID est, Saluatori nostro Iesu Christo Nam fidem vnici veri Dei antea habebat. *Cum omni domo sua.*] De hoc Crispo est mentio in martyrologio Rom. 4. Octobris, sicut & illius Caij Corinthij, cuius simul meminit Apostolus 1. Cor. 1. v. 14. Additur, *Et multi Corinthiorum audientes, credebant; & baptizabantur.*] *Multi Corinthiorum audientes*, Paulum scilicet annunciantem fidem vnici veri Dei, & Iesu Christi tanquam redemptoris: *Audiebant* vero Paulum siue in ipsius hospitio, nempe in domo Titi Iusti; siue in ipsorum ædibus; vbi & iam *credentes baptizabantur.* Nempe à Sila & Timotheo, & siquis accessit alius subsidiarius: Nam Paulus ipse nullos Corinthi baptizauit, totus intentus prædicationi euangelicæ; nisi Crispum qui hic commemoratur, Caium, & familiam Stephanæ; vt scribit ipsemet 1. Cor. 1. vers. 14. 15. 16. Neque solum baptizabant Silas & Timotheus, sed etiam prædicabant. 2. Corinth. 1. vers. 19. Sequitur,

VERS. 9. Dixit autem Dominus nocte per visionem, Paulo;)

SATIS est verisimile hanc visionem fuisse imaginariam, exhibitam Paulo in somno; qualis illa erat de qua cap. 16. v. 9. 10. Qualis & illa quæ fuit exhibita B. Ioseph sponso Deiparæ, & Magis Christi adoratoribus Matth. 1. v. 20. c. 2. v. 12. 13. 19. Videatur S. Thomas 2. 2. q. 174. ar. 2. & 3. Quid autem dixit Dominus Paulo?

NOLI *timere:*] scilicet frustraneum fore laborem tuum in prædicando euangelio, etsi Iudæi valde obsistant. Item, noli timere afflictiones tibi futuras, si hic pergas euangelizare. Vtrumque horum accipimus ex v. seq. vt & Chrysost. *Sed loquere, & ne taceas;* viam salutis, euangelium meum; quod in primis complectitur doctrinam de vnico vero Deo, gentilibus contra cultum idolorum annunciandam; deinde doctrinam de Iesu quod sit Christus, per quem

quem sit accipienda remissio peccatorum, & status salutis. Causa subiungitur quare non sit ei timendum quicquam dictorum.

VERS. 10. Propter quòd ego sum tecum.)

ILLVD (quod) accipiendum est vt coniunctio causalis, quasi dictum esset, eo quod, propterea quod, quoniam; quo postremo modo vertit Interpres in verbis proxime sequentibus, *quoniam populus* &c. cum alibi frequentissime vertat vt hîc initio versus, modo latinis parum trito, sed qui vt dictum est possit defendi. *Ego sum tecum.*] Vt defensor tuus; & vt auxiliator, qui initium, promotionem, & exitum, faciam negotiorum tuorum. *Et nemo apponetur tibi vt noceat te:*] hoc est, ego efficiam, ego auertam, ne quisquam ne quidem Iudæorum ex his qui tibi tuoque officio aduersantur, te affligat. *Noceat te*] hoc ita dixit Interpres noster & hîc & alibi, velut Lucæ 4. v. 35. iuxta priscam illam latinitatem etiam ethnicis vsitatam. Eodem modo in psalterio Romano, psal. 88. v. 23. legitur; *Et filius iniquitatis non nocebit eum.* Id quod retentum est in veteribus Missalibus in versu gradualis, *Inueni David* &c. De communi martyris Pontificis; & 23. Iulij. Ac retineri porro poterat: cum etiam in psalterio Gallicano tota Ecclesia legat, psal. 34. v. 1. *Iudica Domine nocentes me*, & cum ex psalterio Romano retineamus Introitus, Gradualia, Off. Postcommuniones, qui & quæ sunt ex psalmis.

SEQVITVR, *Quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate.* Hæc verba Domini videntur directè dici aduersus illum Pauli timorem, quo metuebat suum in annunciando Corinthi euangelio laborem fore frustraneum. Dominus enim promittit multos fore conuertendos. Sensus verborum est, In mea prædestinatione habeo ego populum multum in hac ciuitate; qui, me quod prædestinaui exequente, meus sit futurus per fidem mei, & fidei sacramentum baptismum.

SATIS manifestum est, non vocari hîc *populum Dei* secundum præsentem iustitiam: neque tamen necessum est vniuersaliter de his omnibus intelligi secundum prædestinationem gloriæ; satis est intelligi secundum prædestinationem eius salutis quæ in hac vita habetur, ab ijs scilicet qui sunt in statu salutis seu gratiæ.

VERS. 11. Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos verbum Dei.

DOCENS *apud eos verbum Dei.*] Potissimum videlicet conuertens gentiles. Nam in synagogam Iudæorum non est ingressus post ea quæ dicta sunt v. 6. & 7. In conuentum autem gentilium Iudæi non intrabant: ita factum est vt toto sequente tempore pauci Iudæorum audiuerint Paulum. Quare hoc loco per *verbum Dei*, non intelligitur præcise euangelium de Iesu quod ipse est Christus; sed generalius, doctrina salutis. Nam ethnici ante omnia erant conuertendi

uertendi à cultu idolorum ad vnici veri Dei fidem; ac postea docendi de Saluatore. Conferantur dicta ad v. 4. huius & ad v. 17. cap. præced.

S. Lucas quidem hoc loco paucissimis perstringit quæ Paulus Apostolus tam longo tempore egit & fecit Corinthi; dum ait, *docens apud eos verbum Dei:* sed aliunde discimus illa explicatius, videlicet non solum fuisse plurimos Corinthi conuersos ad fidem Christi (quod v. 8. fuit dictum) sed etiam multa & magna miracula illic Deum per ministerium Pauli fecisse, ad confirmationem doctrinæ de vnico vero Deo & Iesu Christo redemptore humani generis. Discimus hæc ex ipsius Apostoli verbis, 2. Cor. 12. vers. 11. & aliquot seqq. magno cum affectu prolatis.

PRÆTER hæc Paulus interea dum nunc hæret Corinthi scribit priorem ad Thessal. epistolam; quæ omnino videtur temporis ordine esse prima inter omnes eius sacras Epistolas. Hoc tempore fuisse scriptam facile liquebit conferenti v. 5. huius cap. cum initio illius prioris ad Thess. & cum cap. 3. eiusdem in principio, & v. 6. Secundam quoque ad Thess. intra hoc tempus quo hæsit Corinthi Apostolus, esse scriptam: vix est vt negetur, siquis exordium secundæ cum exordio prioris conferat, & obseruet plane eosdem esse qui salutationem in exordio pronuncient.

HÆSIT itaque Paulus Apostolus Corinthi bona parte anni Christi 52. & bona 53. quo quinquagesimo tertio euenerunt ea quæ deinceps hic narrantur de tumultu Iudæorum Corinthi aduersus Paulum excitato, sed (quod Chrysost. annotat) irrito conatu, iuxta promissionem Domini quam audiuimus sup. v. 9. Sequitur ergo,

VERS. 12. Gallione autem proconsule Achaiæ.)

LOQVITVR S. Lucas de isto Gallione, tanquam de viro omnibus quando hæc scribebantur notissimo: & tamen nonnulli nescio quid nubilum patiuntur in hac de Gallione historia. Est itaque sciendum fuisse olim inter claros rhetores Romæ, quendam Iunium Gallionem, cuius meminit Fabius lib. 3. cap. 1. in fine & lib. 9 cap. 2. nominans eum Gallionem patrem, haud dubiè ad distinctionem Gallionis iunioris. Huius Gallionis, senioris videlicet, meminit aliquoties tanquam amici, Seneca pater in declamationibus: Sed nemo historicorum prodit Gallionem patrem fuisse proconsulem Achaię; verum id traditur de Gallione iuniore, filio adoptiuo illius senioris, fratre Senecæ philosophi, & quidem maiore natu. Seneca enim Pater, declamator agnominatus, habuit filios tres, qui omnes præclari euaserunt: M. Annæum Nouatum, L. Annæum Senecam. L. Annæum Melam. Horum vltimus pater fuit Lucani poetæ: Medius, fuit ille philosophus, præceptor Neronis, qui varia scripsit; non tamen tragœdias (nam diuersus est ab eo ille Seneca tragicus poeta) nisi vnam Medeam. Primus horum trium fuit adoptatus à Gallione seniore; & ex adoptione nominatur in Chronico Eusebij, *Iunius Annæus Gallio.* Huic, in gratiam fratris sui, L. Annæi Senecæ, philosophi nimirum, postquam is Neroni datus erat præceptor & moderator; attributa est Achaia prouincia, vt à Proconsule

consule regenda; procurante hoc Agrippina secunda vxore Claudij Imper. Hæc breuiter ex prolegomenis Lipsij de Vita & scriptis Senecæ philosophi,& ex Baron. anno Christi 53. §. 33. dixisse sufficiat;quorum sententiam habemus probabiliorem & melioribus argumentis nixam, eâ quæ Gallionem patrem arbitratur fuisse hunc proconsulem. Fuit Seneca, agente Messalina priore vxore Claudij,Corsicam missus in exilium, anno primo Claudij; egit in eo, annos circiter octo. Lipsius ibid. cap. 5. in medio: Quæ autem hic à S. Luca narrantur, acciderunt circiter annum Claudij. 11. Domini Saluatoris 53. Nauigationis qua febris depellendæ causa vsus est Gallio ex Achaia, meminit Seneca epist. 104. vbi eum vocat Dominum suum, ciuilitate tunc vsitata erga fratres seniores,præsertim in magnis præfecturis positos. Lipsius ibid.

Porro ex verbis S. Lucæ satis apparet Gallionem non fuisse proconsulem Achaiæ tunc quando primum Paulus venit Corinthum, sed facile vno anno post: siquis cum hoc v. 12. conferat v. 11. & 18. eiusdem huius capitis. Itaque quod non fecerant Iudæi sub prædecessore Gallionis, forte non sperantes aliquid apud eum obtinere; id nunc faciunt, vbi Corinthum venisset Gallio,nouus proconsul;nempe,*Insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum*] *Iudæi*, ait. Indignum planè, cum gentiles Corinthij non molestarent Paulum, molestari eum à Iudæis qui illic agebant. Sed hæc eorum à Deo,ob peccata sua, desertorum erat malitia, vt omnibus modis Christianæ fidei obsisterent, eamque cuperent impeditam & extinctam,& eius propagatores sublatos è medio.Hoc eos facturos Dominus discipulis prædixerat Ioannis 16. in principio *Et adduxerunt eum ad tribunal.*] Hinc apparet Iudæos Corinthi habitantes (& idem est iudicium de alijs ciuitatibus gentilium vbi illi habebant synagogas) non habuisse potestatem iudicandi. Alioqui,ipsimet iudicassent Paulum nec adduxissent ad tribunal Proconsulis.

VERS. 13. Dicentes, Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum.

LOQVVNTVR isti Iudæi de sua,id est,Mosaica,lege;sicut eorum maiores coram Pilato Ioannis 19. v. 7. cum de Domino Saluatore dicerent, *Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.* Ita hi apud Proconsulem Paulum accusant quod hominibus quos conuertebat,persuadebat quidem colere vnum verum Deum, sed colere contra legem quam ipsi haberent diuinitus traditam. Nam Paulus quos ethnicos conuertebat non hortabatur ad suscipiendam circuncisionem & legem ceremonialem traditam per Moysen; sed dehortabatur potius, scilicet post euangelij promulgationem. Item Paulus annunciabat Iesum Nazarenum esse Messiam Dei Patris, ipsi æqualem;quod infideles Iudæi credebant esse contra honorem vnici veri Dei; quasi non foret vnicus Deus,si Filius Patri esset æqualis. Hæc sunt quæ volunt dicere per suam accusationem. Sed quare deferunt eam ad Proconsulem? Quia iudicandi potestas ipsis à Romanis non permittebatur;&,quia Claudius

Imper. (cuius anno 11. hæc gesta sunt) iam antea concesserat Iudæis toto orbe dispersis vt liberè secundum religionem suam viuerent; omnibusque prohibuerat ne quis illos ea in re turbaret. Refert eius in hanc rem edicta Iosephus Antiq. 19. cap. 4. §. 8. 11. & seqq. Ergo Paulum Apostolum apud proconsulem accusant, tanquam qui (etsi homo Iudæus) ipsos in religionis suæ negotio turbet: & verisimile est, si fuissent audiri à proconsule, quod conclusio accusationis ea fuisset qua peterent Paulum, vt violatorem legis ipsorum occidi; vt petiuerant eorum maiores à Pilato contra Christum; aut saltem perpetuo carceri includi, sic vt nulla esset ei facultas loquendi cuiquam.

VERS. 14. Incipiente autem Paulo aperire os.)

AD se defendendum coram Proconsule; *Dixit Gallio ad Iudæos:* accusatores magno illic numero congregatos; quoniam vno animorum consensu insurrexerant in Paulum, & rapuerant eum ad tribunal, vt dictum est vers. 12. *Si quidem esset iniquum aliquid aut facinus pessimum, ô viri Iudæi; rectè vos sustinerem:*] Sensus, siquis alteri fecisset iniuriam, aut siquis tametsi nulli priuato iniuriam fecisset, commisisset tamen facinus aliquod enorme: foret officij mei accusationes vestras audire, & de negocio, authoritate nostra proconsulari, cognoscere. Sequitur,

VERS. 15. Si vero quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra; vosipsi videritis: Iudex ego horum nolo esse.

VIDETVR duplicis generis quæstiones Proconsul à se reijcere: prius genus, vbi non de re, sed de rei vocabulo, vel de modo loquendi, controuertitur. Talis controuersia, si magno strepitu agitetur, indigna est viris grauibus & verè doctis: sed contentiosi homines in eiusmodi quæstionibus tempus consumunt, & quidem longius sæpenumero quam in ipsa re. Erant autem Iudæi, præsertim Iudaizantes, valde contentiosi, quibus nihil prius erat quam altercando vincere aut videri vicisse. Posterius genus, erat quæstionum quæ mouebantur de lege Iudæis data. Vtrumque genus Proconsul Gallio à se reijcit: Prius, vt sua cognitione indignum; posterius vt sua cognitione superius. Exemplum imitandum iudicibus sæcularibus; ne sese negocijs ecclesiasticis, & in primis quæstionibus de religione & cultu Dei, immisceant; memores quid euenerit Oziæ regi Iuda, 2. Paralip. 26. v. 16. & seqq. tametsi verum Dei cultum & ecclesiam sua potentia debeant defendere; eadem ratione qua Remp. aduersus improborum facinora. Rom. 13. Qua de re legendæ sunt epistolæ S. August. 48. & 50. Tract. 11. in Ioannem. Contra Parmen. lib. 1. cap. 8. contra Cresconium lib. 3. cap. 51. Iustitiam Gallionis in ea re laudat Chrysost. & merito; quoniam magna iniustitia est eum quis vsurpat sibi iudicium, cuius exercendi non habet authoritatem. Ergo Proconsul Iudæis palam dicit, si tales

sint

sint quæstiones quas contra virum istum habeant : *Vosipsi videritis.*] Græce est ὄψεσθε, *videbitis.* Vnde illud nostrum (*videritis*) futurum subiunctiui accipiendum est pro futuro indicatiui, more latinis vsitato; & hoc ipsum pro imperatiuo verbo. Hortatur enim & quodammodo ijs imperat vt tales controuersias inter se componant,transigant,& finiant; tametsi non haberent iudicij forensis potestatem. Addit Proconsul, *Iudex ego horum nolo esse.* Ob causas paulo ante dictas, nempe quod vel à mea cognitione sunt aliena, vel ea sunt indigna.

VERS. 16. Et minauit eos à tribunali.)

VTIQVE per suos satellites; à tribunali eos amouit ac depulit. Mirum cur Desiderius hic in annotat. dicat (minare) esse verbum valde insolens latinis auribus; cum S. Hieron. in conuersione veteris testamenti Thren 3. vers. 2. c. 5. v. 5. Isaiæ 11. v. 6. cap. 20. v. 4. 1. Reg. 30. v. 20. 2. Reg. 6. v. 3. 4. Reg. 4. vers. 24. Exodi 3. v. 1. & alibi, sæpiusculè vtatur, vir latinissimus; & reperiatur apud Nonium Festum, vt testantur adauctores Calepini. Quare & hic extra culpam est interpres noster, & Iacobi 3. v. 4.

VERS. 17. Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat.

EST aliquid obscuritatis in his verbis. Disputatur enim an hic Sosthenes sit diuersus à Crispo de quo v. 8. Et, vt sit diuersus, an tunc temporis fuerit christianus: ac tertiò, à quibus sit percussus ante tribunal. Ad primam quæstionem sine longiore disputatione dicendum est, esse diuersum. Id facile liquet ex 1. Cor. 1. v. 1. & 14 inter se collatis. Deinde ex Martyrologio Romano, vbi memoria est Crispi die 4. Octob. Sosthenis vero die 28. Nouemb. Ad secundam quæstionem, dicendum nobis videtur cum bonis authoribus, tunc fuisse christianum hunc Sosthenem, aut saltem conuersum ad fidem Christi, licet forte nondum baptizatum. Eius rei magnum argumentum videtur quod in Martyrologio Roman. die illa 28. Nouemb. ita legitur; Apud Corinthum Natalis S. Sosthenis, discipuli B. Pauli, cuius mentionem facit idem Paulus Corinthijs scribens (1. Cor. 1. v. 1.) Hic ex principe synagogæ conuersus ad Christum, ante Gallionem Proconsulem acriter verberatus, præclaro initio fidei suæ primordia consecrauit. Ecce, iam ad Christum couersus fuisse dicitur quando coram Gallione percutiebatur.

OBIICIET quispiam nullo modo id videri posse, quandoquidem vnà cum infidelibus Iudæis comparuerit aduersus Paulum coram Gallione. Id enim ex hac narratione notum est; cum coram tribunali fuerit verberatus. Respondebimus, eum non potuisse effugere, cum esset archisynagogus; verisimiliter surrogatus in locum Crispi postquam manifestum fuit illum esse factum christianum; supra v. 8. nisi etiam antea fuerit in eo officio essentque in ea synagoga

plures archisynagogi; quod interdum fuisse factum ex cap. 13. v. 15. manifestum est. Ergo, eum cum esset archisynagogus non potuisse euadere quin vna cum sua gente collectim ad Proconsulem cursitante, ipse quoque accederet: non tamen vel fidem Christi negando, vel prauis suorum operibus, velut huic in Paulum accusationi, consentiendo; sed contrà potius animo ac studio prauos eorum conatus prudenter impediendi, vel diuertendi. Sicut Gamaliel, tametsi Christianus, magno illi concilio Iudaico de quo huius lib. cap. 5. v. 34. intererat, ad nouellæ Christi ecclesiæ vtilitatem. Videantur quæ illic diximus, allatis similibus pluribus exemplis. Hoc ipsum inde quoque possumus argumentari, quod hunc archisynagogum Iudæi à Gallione repulsi, statim illic ante tribunal, gregatim apprehenderunt & percusserunt; videlicet (vt Oecumenius quoque arbitratur) quasi coram Gallione non satis strenue locutum contra Iesum & Paulum pro lege Iudaica, sed dissimulantem & veluti colludentem. Nam (vt iam ad tertiam quæstionem eadem opera respondeamus) vix est vt qui seriem sermonis S. Lucæ hoc loco considerabit, dicat ab alijs, quam à Iudæis istis tumultuosis, fuisse percussum Sosthenem archisynagogum ante tribunal. Clarum enim videtur quod de quibus sacer historicus noster dixerat vers. præced. *Minauit eos à tribunali*; de ijsdem continuo attexat, *Apprehendentes autem omnes* &c. quod ex eo quoque confirmatur, quod subditur. *Et nihil eorum Gallioni curæ erat.* Nempe qui vers. 14. dixerat se non neglecturum siqua esset iniuria; is tamen non sese commouet videns arripi & percuti archisynagogum; quia videbat esse Iudæorum inter se dissensiones super lege ipsorum; qua de materia iam protestatus erat nolle se iudicem esse. Neque credibile est, si alij quam Iudæi percussissent tanto cum tumultu archisynagogum Sosthenem; & quidem ante ipsum tribunal: otiosum fuisse futurum Gallionem. Huic responsioni obijci potest textus græcus, huius loci in quo dicitur *πάντες οἱ Ἕλληνες, omnes græci*, seu *omnes gentiles*. Responderi potest, non immerito suspicari nos posse per temerarios scribas insertum esse in textum, istud *οἱ Ἕλληνες*, cum non intelligerent qua de causa ipsi Iudæi suum archisynagogum verberassent. Chrysostomus, græcus vtique author, hanc de gentilibus particulam in suo codice græco non habuit; nam manifeste (in iterata expositione) ea quæ hoc v. dicuntur intelligit de Iudæis, iam pudefactis, & commotis quod ita reiecti fuissent à tribunali. Et ex versione nostra liquet veterem latinum interpretem in suo codice græco, ea duo verba non legisse. Certe (vt ad v. 7. diximus) est pene certum vers. 7. in græco per vitium deesse nomen *Titi* quod habemus nos in latina versione: & viri docti, etiam Erasmus, non raro fatentur se opinari quibusdam in locis textum noui testamenti latinum, esse integriorem græco, qui hodie extat. Magnum sane momentum habere videtur quod Chrysost. in græco hoc additamentum non habuerit. Idem dicendum de Oecumenio: nam & is de Iudæis aperte exponit hæc verba. August. tamen Epist. 48. pag. 64. legit *τὸ* Græci: & pro Paulo credit Sosthenem verberatum, tanquam Iudæum Pauli aduersarium. Vnde sequeretur quod isti gentiles fuerint conuersi ad fidem Christi, & amore Pauli percusserint hunc archisynagogum, vt caput accusatorum & hostium ipsius: sed profecto id Paulus non tulisset

lisset ibi præsens; neque illi christiani id fecissent. Adde quod non liqueat facile quem bonum sensum habeat ista hodierna huius loci græca lectio. An enim omnes gentiles Corinthij illic erant ante tribunal, qui percuterent archisynagogum? qua occasione tanta multitudo illuc confluxisset? Iudæi quidem magno numero proconsulem aduersus Paulum adierant; sed gentiles non curabant negocia Iudæorum. Et quam ob causam gentiles isti ita male tractassent archisynagogum? Posset fortasse responderi, non esse sermonem de omnibus absolute gentilibus; sed de ijs dumtaxat qui ad tribunal spectandi & audiendi causa confluxerant, dum viderent multitudinem Iudæorum illuc accurrere, arrepto vno homine, quem vellent coram Proconsule accusare. Sed manet quæstio tamen quare omnes illi impetum fecissent in archisynagogum; & quare gentilibus eum verberantibus, non defendissent Iudæi: Nisi responderi queat quod satellitibus Gallionis depellentibus Iudæos à tribunali, iunxerint se illi gentiles, odio Iudæorum, gentis inuisæ. Sed authoritas Martyrologij Rom. & Chrysost. atque Oecum valent pro Sosthene vt Christiano. Additur. *Et nihil eorum Gallioni cura erat.* Chrysostomus adeo non culpat ea in re Gallionem, tam priore quam posteriore expositione, vt virum iustum dicat, & modestum; qui non se commouerit, quamuis ista archisynagogi ante tribunal verberatio in contumeliam proconsulis cederet. Sunt tamen qui hîc eum officio putent defuisse, fortassis odio gentis Iudaicæ rixosæ & contentiosæ. Sequitur,

VERS. 18. Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos,)

DICTVM fuit v. 11. Paulum hæsisse Corinthi annum vnum & menses sex; hic dicitur quod post istum coram Gallione tumultum Iudæorum, permanserit Corinthi adhuc dies multos: ex quibus iunctis liquet aberrare eos qui tumultum istum post sesquiannum illum putant accidisse, accidit enim intra tempus illud sesquianni, vt ex his patet: tametsi certo designare non possimus, quanto tempore post eum tumultum Corinthi Paulus manserit; Nam S. Lucas non exprimit, sed indefinite ait *dies multos*. *Fratribus valefaciens*] qui erant Corinthi. *Nauigauit in Syriam.*] Cuius pars Iudæa, in qua Ierusalem. *Et cum eo Priscilla & Aquila*] de quibus supra vers. 2. Hi non nauigauerunt cum Paulo vsque in Syriam, sed bonam partem dumtaxat huius itineris. Nam v. proximo dicitur quod Paulus eos reliquerit Ephesi; & quod ibi diutiuscule hæserint, patet ex versibus 24. 25. 26. Cur autem S. Lucas præponat nomen vxoris nomini mariti, forte non habet aliquam singularem rationem; tametsi paulo post aliquid coniecturæ modo dicemus. Præponitur etiam infra, huius cap. v. 26. & ad Rom. cap. 16. v. 3. Contra autem nomen Aquilæ præponitur v. 2. huius cap. & 1. Cor. 16. v. 19.

QVI *sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum.*] *Cenchris.*] Ita videtur Interpres noster dixisse tam hic quam ad Rom. 16. vers. 1. quod græce est, *in Cenchreis*, nomine trissyllabo. Erat autem portus Corinthi ad Orientem; qui Cenchreæ dicebatur. In hoc portu Paulus Apostolus (vt plerique

rique intelligunt) antequam nauem conscenderet, curauerat sibi tonderi caput, more Nazaræorum, non perpetuorum sed temporariorum. Qui temporarij Nazaræi quid facere deberent cum peruenissent ad finem eorum dierum quibus ex voto egerant Nazaræum; præscribitur fuse Num. cap. 6. Inter cætera præscribebatur (vers. 18. illius cap.) vt durante Nazaræismo comam nutrirent, eamque peractis diebus voti sui, tonderent & igni traderent. Hoc Paulus nunc facit, vt qui eousque per aliquod tempus haberet votum Nazaræi temporarei, cuius voti dies nunc explebantur. Constat quidem Paulum hic non omnia fecisse quæ cap. illo 6. Num præscribuntur; nec enim poterat omnia, extra Ierusalem degens; in qua sola ciuitate licebat ritu Iudaico offerre sacrificium: sed quod potuit ex toto ritu Nazaræismi, id hic fecit in isto portu Corinthiorum. Et ita videtur tolli posse difficultas quam hic nonnulli mouent, non videri Paulum Nazaræi temporalis ritum hic seruasse, qui præscribitur dicto cap 6. Num. Certe enim B Hier. epistola quadam (quæ extat inter S. Aug. numero 11. inter autem Hieronymi 89.) cap 3. intelligit Paulum Apostolum hic egisse Nazaræum (saltem quantum dabatur); & ipse Aug. similiter epistola sua 19. c. 2. & hos secutus Ven. Beda hîc. Item Chrysost. initio homiliæ 40. & ex eo Oecum. hic agnoscunt Iudaicam ex voto tonsionem capitis: de persona non omnino liquet ex verbis eorum; vt paulo post dicetur. Licuisse hoc facere Paulo, etsi lex ceremonialis non amplius obligabat; certum est: sed videndum quæ spiritualis aliorum vtilitas, quam hinc speraret venturã, ipsum ad id faciendum mouerit. Id luculenter exposuit S. Aug. loco allegato, & ex eo Ven Beda, & post eos bene Liranus, tametsi recentior; omnes eâdem sententia. Nempe (verbis Lyrani vtemur) hoc fecit Paulus, natione Iudæus, ad euitandum scandalum Iudæorum; sicut eadem ex causa circumcidit Timotheum sup. cap. 16. v. 3. nempe vt Iudæi intelligerent Paulum non docere cessationem legalium tanquam rituum sacrilegorum quos Deus semper fuisset abominatus; sed tanquam figuratarum per aduentum veritatis iam completarum. Imo vero (addit Lyr.) voluit Spiritus sanctus vt in primitiua ecclesia non statim obseruatio legalium inhiberetur his qui ex Iudæis conuertebantur; sicut gentilitatis ritus inhibebatur his qui conuertebantur ex gentilibus: vt inter hos ritus differentia ostenderetur. Nam gentilitatis ritus erat omnino illicitus, & semper à Deo prohibitus; ritus autem legis cessabat tanquam impletus per Christi passionem, vtpote à Deo institutus in figuram Christi; quæ cessat præsente veritate. Sed non statim omnino cessare debuit; ne ab aliquibus crederetur semper fuisse illicitus, sicut gentilitatis ritus. Propter quod, conuersis ex Iudaismo licebat legalia obseruare tempore medio inter passionem Christi & euangelij publicationem; ita tamen quod non existimarent fidem Christi sine illa obseruatione non sufficere ad salutem. Hæc consentanea S. Aug. epist. illa 19. attulit Liranus, cum quibus sunt conferenda quæ diximus ad dictum cap. 16. v. 3.

ATQVE hæc eadem quæ ad defensionem Pauli Apostoli dicta sunt, locum habent ad defendendum Aquilam, virum per omnia Christianum; si de illo hæc dicuntur, nempe quod Cenchrëis sibi totondetit caput propter votum.

tum. Reuera enim non liquet an de Paulo an de Aquila hoc dicat S. Lucas. Quæ ambiguitas magis apparet in græco codice, qui ad verbum ita hic sonat; *Paulus verò cum* &c. *Nauigauit in Syriam; & cum eo Priscilla & Aculas, tonsus caput in Cenchreis; habebat enim votum. Deuênit autem Ephesum; & eos ibi reliquit.* Et fortassis idcirco hic præpositum est viro nomen vxoris, vt quod sequitur κειράμενος (tonsus) commodius annecteretur nomini (Aquila) seu (Aculas) quod proxime præcedit, quando nomen vxoris præponitur mariti. Facit huc quod olim multi libri latini hîc pluraliter legebant, *tonsos fuisse capitibus eo quod haberent votum*: id quod de Priscilla & Aquila dicebatur. Nam & mulieres ritum Nazaræorum temporalium obseruare potuisse, manifestum est ex Num. 6. v. 2. Venerabilis Beda testatur sibi conspectos tales codices, idem de se testatur Baron. anno Christi 53. §. vlt. Et Magister sententiarum lib. 4. d. 24 § B. fine vllo scrupulo ita loquitur; *In Actibus Apostolorum Priscillam & Aquilam hoc fecisse legimus, nempe quod caput totonderint.* Isid. quoque de diuin. officijs lib. 2. cap 4. iisdem hoc tribuit. Quibus est facultas inspiciendi Chrysost. græcum, hic consulant initium homiliæ 40. in acta Apostolorum, vt possint videre an & ipse non de illis hæc verba intelligat; præsertim quando dicit *Priscillam & Aquilam à Iudaica consuetudine nondum fuisse abductos per Paulum.* Quod ex Chrysost. repetit Oecumen. ad versum huius cap. proximè sequentem. Et quamuis hæc lectio videatur vitiosa, tamen huc saltem valet, vt probetur quod ista verba possint accipi de Aquila; vt non sit necesse intelligere de Paulo. Obijci poterit quod parenthesi separentur à reliquo corpore sermonis ista verba, *& cum eo Priscilla & Aquila*: idque tam in codicibus græcis quam latinis: itaque fieri non posse vt de Aquila dicatur illud (κειράμενος) (tonsus) sed de Paulo. Responsio facilis est, nulla authoritate hîc esse posita signa parenthetica, neque in libris græcis neque in latinis, sed quorundam priuatorum temeritate, qui verba S. Lucæ, ex se ambigua, ad vnum certum sensum voluerunt redigere, quod est præter officium interpretum & expositorum. Veteres libri, etiam impressi, nullam hic habent parenthesim; neque textus additus commentarijs Chrysost. aut Oecumen. neque nouum testamentum græce impressum diuersis locis. Sanè noster Interpres sua versione videtur indicare se de Aquila intelligere; vt etiam Nicolaus Zegerus obseruauit; dum participium græcum resoluit in relatiuum & verbum; vt ad proximum nomen fieri relationem intelligeremus.

VERS. 19. Deuenitque Ephesum; & illos ibi reliquit)

ERAT Ephesus maritima ciuitas in Ionia prouinciâ Asiæ minoris, longit. 58. graduum, latitud. vero fere 38. vt est videre apud Ptolemæum Tab. 1. Asiæ. Mansisse Ephesi Aquilam & Priscillam diutiusculè, postquam Paulus Ephesum reliquerat, euidens est ex v. 26. huius. Quid autem illic egerit Paulus tantillo tempore quo ibi hæsit; dicitur sequentibus verbis; *Ipse verò ingressus synagogam, disputabat cum Iudæis.*] Illud (cum) redundat tam hic quam supra cap. 17. v. 17. & infra cap. 20. v. 7. vbi boni codices latini omittunt; vt græcus omnibus tribus locis. Indocti scribæ ex communi loquendi more adiecerint;

tis;non considerantes obesse sensui: nec enim cum his disputabat Paulus: sed apud eos, tanquam auditores, disserebat, sermocinabatur; ea nimirum quæ erant salutis;vt exprimitur cap. 19. v. 8. *Disputans & suadens ea quæ sunt de regno Dei.*] Fuisse autem beneuole auditum hoc tempore à Iudæis compluribus Ephesi degentibus, arguunt sequentia;

VERS. 20. Rogantibus autem eis vt ampliori tempore maneret; non consensit:

HINC apparet tantum semel,aut iterum vt summum,Paulum nunc temporis fuisse Ephesi sermocinatum Iudæis in synagoga.quod non nisi sabbato fiebat: festinantem nimirum in Syriam. quæ festinatio magis explicatur verbis sequentibus;

VERS. 21. Sed valefaciens, & dicens; Iterum reuertar ad vos,Deo volente; profectus est ab Epheso.

POST illud, *dicens*; græci codices interponunt hanc sententiam, *Oportet me omnino festum instans agere Ierosolymæ*;sed iterum &c. Quæ mirum est cur aut qui absit à nostris libris latinis. Sed sciendum est multos veteres libros latinos habere;quod & Lyranus de suo tempore testatur,& recentiores de hoc nostro. Et Lyran. quidem credit vitiosos esse codices qui habent; addens rationem; Quia Paulus non iuit tunc in Ierusalem, sed postea per magnum tempus. Intelligit autem Lyran. illa tempora quæ commemorantur infra cap. 20. v. 16. & cap. 21. vers. 17. Inter autem aduentum Pauli in Ierusalem qui isto vltimo loco commemoratur, & inter ea quæ hîc narrantur,intercessit circiter triennium,vt facile liquebit conferenti sequentia huius capitis cum capitis 19. v. 1. 8. 10. & dicti cap. 20. v. 16. ac cap. 21. v. 17. Verum igitur dicit Lyran. cum ait quod diu post hoc tempus Paulus iuit in Ierusalem: sed in eo fallitur quod dicit eum hoc tempore illuc non iuisse Debebat meminisse eius quod S. Lucas supra v. 18. huius tam categoricè dixit, *eum valedixisse fratribus Corinthi, & abnauigasse in Syriam*. Certè autem in Syriam non iuit, nisi eodem itinere iret Ierosolymam. Ergo, non vitiosi sunt libri latini qui istam sententiam hic interponunt; sed qui omittunt. Omittendi autem illa causa fuit scribis parum aduertentibus, quam Lyranus attulit, nunc refutata. Certè & ipsa huius sententiæ versio quam refert idem Lyranus, veterem nostrum interpretem redolere videtur: sic enim verbum,verbo reddens, habet; *Oportet me diem solemnem aduenientem facere Ierosolymis*. Teneamus igitur Paulum Apostolum hoc itinere venisse Ierosolymam, & diem quendam festum, (quis fuerit ille dies festus non exprimitur à S. Luca,sicut expressus est alius alio tempore,dicto c. 20. v. 16.) illic celebrasse: & conformiter huic sententiæ,reliqua huius narrationis exponamus,cum Chrysost. & alijs bonis authoribus. Sequitur,

ITERVM *reuertar ad vos.*] hoc narratur factum capitis seq. initio. *Deo volente*] Obseruanda hæc pietas Apostoli, vt imitemur; quando de rebus quas facere

facere proponimus, est loquendum; ad quam & seria exhortatio Iacobi Apostoli cap. 4. vers. 13. & seqq. nos debet incitare: & alia eiusdem Apostoli Pauli exempla, Rom. 1. v. 10. & 1. Cor. 4. v. 19. c. 16. v. 7. ad Philipp. 2. v. 19. & 24. His dictis ad Ephesios; Apostolus profectus est ab Epheso, nauigio videlicet: nam id vox græca potius sonat. Sequitur,

VERS. 22. Et descendens Cæsaream,)

QVI Paulum Apostolum putant hoc tempore non iuisse Ierosolymam, ij consequenter hanc Cęsaream non intelligunt illam maritimam Palestinę ciuitatem, cuius est facta mentio superius cap. 8 vltimis verbis; cap. 10. v. 1. & 24. sed Cæsaream Cappadociæ metropolim. Verum, sicut in illa opinione falluntur, ita in hac quoque consequenter. Nec quadrat verbum descendendi, ad Cæsaream Cappadociæ; ad quam quod nauigio ab Epheso vectus sit Apostolus nulla est apparentia, si quis eius situm consideret Tab. 1. Asiæ apud Ptolemæum vbi habet longit. gradus 66. latit. 39. cum medio. Intelligamus ergo cum bonis authoribus quos diximus, Cæsaręam Palestinæ, ciuitatem maritimam; & conformiter quod sequitur, *Ascendit, & salutauit Ecclesiam*; intelligamus de ciuitate Ierusalem (de qua vbique videmus quod in eam profectio nominetur ascensus, ob situm eius altum) & de ecclesia Ierosolymitana. Quam Paulus (hac quidem vice, quæ videtur quarta à conuersione ipsius) dumtaxat salutauit, nullum illic Apostolicum officium exercuit, verisimiliter ita suadentibus certa ex causa fratribus; vel propter causam quæ est infra cap. 22. v. 17. & seqq. *Et descendit Antiochiam.*] Antiochiam Syriæ Chrysost. intelligit, de qua toties dictum est à cap. 11. hactenus: & nulla est ratio cur de Antiochia Pisidiæ (de qua cap. 13. vers. 14. cap. 14. v. 20.) tam longe dissita à Ierusalem, hęc accipiantur. Facit pro Antiochia Syriæ etiam id quod legitur versu proxime seq. nam venienti ex Syria prior occurrit (vt patet Tab. 1. Asiæ apud Ptolemæum) Galatia quam Phrygia seu maior seu minor; quæ prouinciæ ibi nominantur, & quidem eo ordine quo eas nunc peragrauit Paulus. Antiochiam autem Syriæ speciali quadam charitate Paulus Apostolus diligebat, ait Chrys. nimirum propter ea quæ habuimus supra in fine cap. 11. in fine. item cap. 14. & cap. 15. in principio & fine. Idem licet colligere ex verbis seqq. hoc loco, vbi dicitur Paulum, quantumuis festinantem redire Ephesum, tamen aliquamdiu hæsisse Antiochiæ. Hæc sunt illa.

VERS. 23. Et facto ibi aliquanto tempore, profectus est; perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam; confirmans omnes discipulos.

QVOD Galatiam & Phrygiam antea peragrarit Paulus patet ex cap. 16. v. 6. quod autem fuerit ei in more positum vt quibus locis plantauerat fidem Christi, eadem postea reuiseret ad confirmandos & consolandos chri-

 stianos,

ſtianos, docemur cap. 15. verſ. 36. & prius cap. 14. v. 20. & ſeqq. Idem nunc eum facere in Galatia & Phrygia, hîc audimus. Exemplum magnum epiſcopalis & paſtoralis viſitationis ſeriæ & accuratæ. Sequitur,

VERS. 24. Iudæus autem quidam Apollos nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Epheſum, potens in ſcripturis.

NON poſſumus dubitare Interpretem noſtrum ſcripſiſſe (Apollos) vt legitur in veteribus concordantijs biblicis; ſed imperitos ſcribas, quibus ſæpe erat auditum nomen (Apollo) iſtud autem (Apollos) minime; mutaſſe. Hic erat ſanguine Iudæus; ſed patria Alexandrinus, vtique ex Alexandria Ægypti, quæ plerumque hoc nomine intelligitur quando nihil additur. Huic tribuuntur duo epitheta à S. Luca: vnum, *Vir eloquens*; alterum, *potens in ſcripturis.* *Eloquens*] græce eſt λόγιος: quod nomen varia ſignificat; & Chryſoſt. ad diuerſa eius ſignificata expoſitionem ſuam adaptat. Significat inter cætera, eloquentem, prudentem, & bonum dialecticum, eum qui apte interrogare ſeu opponere, & ad interrogata ſeu obiecta apte reſpondere nouit: quæ ſignificationes huic loco videntur maxime congruere. Nam doctrinæ de fide chriſtiana non ſatis multum habebat iſto tempore, quando venit Epheſum; vt patet ex v. 26. Alterum quod ei S. Lucas tribuit, eſt iſtud *Potens in ſcripturis.*] Eſt potens in ſcripturis qui ſacras literas ſedulo legit, & ſtudet bene intelligere; intellectas aſſiduè meditatur; & ad quæſtiones de fide & moribus ſalutaribus occurrentes, ſcienter adaptat. Multa ad hæc duo attributa pertinentia dixit S. Auguſt. de doctrina chriſtiana lib. 4. cap. 5. 6. 7. & contra Creſconium grammaticum Donatiſtam lib. 1. cap. 1. 2. 13. & ſeqq vſque ad 20. incluſiue. *Deuenit Epheſum.*] Non videtur ambigendum Apollon veniſſe Epheſum poſtquam illinc ſoluerat Paulus Apoſtolus: & ſic Baron. anno Chriſti 54 §. 2. ſed eſt obſeruanda ac prædicanda Dei prouidentia, per quam Paulus Epheſi reliquerat Aquilam & Priſcillam, futuros inſtitutores huius Apollo in penitiore doctrina chriſtiana; vt paulo poſt dicetur, v. 26. Sequitur de eodem Apollo,

VERS. 25. Hic erat edoctus viam Domini;)

EDOCTVS, græce eſt κατηχημένος, quod S. Auguſt. reddit, *catechizatus*, contra Creſconium lib. 1. cap. 11. *Viam Domini.*] ſic etiam infra cap. 19. v. 9. & 23. & ſup. cap. 9. v. 2. Significat autem iter illud per quod Deus homines ducit in ſalutem; ſcilicet doctrinam & fidem de vnico vero Deo; ſimiliter fidem ac inſtituta Chriſti Domini, religionem qua Ieſus Nazarenus colitur vt Meſſias Dei Patris. Hanc iſte Apollos erat ſummatim edoctus, more catechetico. Per quem verò? Veriſimile eſt, per Ioannem Baptiſtam dum is in viuis eſſet, ante annos plus viginti. Hoc apparet ex ſeqq. illis; *Sciens tantum baptiſma Ioannis.*

ET

ET *feruens spiritu loquebatur & docebat diligenter ea quæ sunt Iesu*;] Id est ea quæ ex Ioannis Baptistæ institutione didicerat de Domino Iesu Nazareno; veluti, ipsum esse Messiam Dei, nec expectandum alium (infra vers. vlt.) hæc impetu quodam animi à Spiritu sancto impulsus, vbicumque erat opportunitas, sedulo & accurate inculcabat & docebat: seu publice, in synagoga; vt versu proximo dicetur; seu priuatim apud hos & illos ex gente Iudaica. *Sciens tantum baptisma Ioannis.*] Sensus, Non amplius sciens de Domino Iesu, quam quod docebat Ioannes eos quos baptizabat; atque adeo baptizatus à Ioanne, sed nondum baptismo Christi. A Ioanne baptizatum dicimus huius scripturæ authoritate: Quod enim de Christo legitur Ioannis 4. v. 2. eum per suos discipulos non per seipsum baptizasse; id de Ioanne non legitur, sed suis manibus baptizabat omnes qui eius baptismum suscipiebant. Si vlterius roget quis, Cur igitur Apollos à Ioanne non transijt ad Christum, sicut alij eius discipuli quos ad Christum misit? Ioannis 3. Responderi potest, hunc Apollon non fuisse inter discipulos Ioannis; sed cum turbis ad Ioannem vt baptizarentur accurrentibus, accurrisse. Si vlterius rogetur, cur Christo Domino prædicante & miracula faciente, non credidit mysteria religionis plura, quam id quod dictum est de Messia: Responderi potest, cum fuerit natione Alexandrinus, non habitasse in Iudæa, sed statim cum à Ioanne baptizatus esset, reuertisse ad propria; & distinctiorem euangelij doctrinam vsque ad hoc tempus quo Ephesi egit, à nemine accepisse. Materiam harum responsionum suggerit Chrysost. in iterata expositione eius quod est cap. seq. vers. 3. nam eadem quæri possunt de illis duodecim discipulis de quibus initio cap. seq. & eadem responderi: quoniam & illi à Ioanne baptizati erant. Ex quibus (vt hoc obiter addatur) potest intelligi quanti nominis longè latèque esset Ioannes Baptista, ad cuius baptismum certatim vndique concurrebatur, adeo vt & peregrini qui orationis causa Ierosolymam ascenderant, antequam ad propria redirent nollent committere quin ab ipso baptizarentur. Monuit hoc Guilhelmus Estius.

VERS. 26. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga.)

FIDVCIALITER *agere.*] Fidenter ac liberè loqui. Non vt doctor fidelium, nam erat tantum catechumenus; sed vt vir eloquens & potens in scripturis, ac vt disputator bonus, confidenter docebat quod Iesus Nazarenus est Messias; contra aduersarios veræ fidei de Iesu (quomodo dicebatur vers. præcedente) non tanquam authoritatem seu potestatem docendi habens, sed tanquam habens scientiam; quam nemo, etsi priuatus, prohibetur expendere in vtilitatem aliorum, & communicare. Neque prædicabat in Ecclesijs Christi; sed in synagoga Iudæorum, vt vir eloquens & potens in scripturis, vt dictum est. Talibus enim concedebatur per Archisynagogos in synagoga concionari, etiamsi non scirent esse sacerdotes. Exemplum videmus cap. 13. v. 15.

QVEM *cum audissent Priscilla & Aquila; assumpserunt eum: & diligentius exposuerunt ei viam Domini. Viam Domini.*] Expositum est initio annotationis ad v. præcedentem. Hanc, Priscilla & Aquila, bene & plene per Paulum Aposto-

tum instituti in fidei Christianæ articulis & præceptis, huic Apollo *exposuerunt diligentius.*] græce est ἀκριβέστερον, accuratius plenius scilicet & distinctius. Nam quamuis strenuè contra Iudæos defenderet Iesum esse Messiam, vt dictum est: tamen nihil sciebat de sacramẽtis à Christo institutis, de præceptis positiuis ab eo traditis. Vnde his verbis insinuatur quod isti ei ex posuerint (inter cætera) institutionem & necessitatem baptismi, & consequenter quod necessitate eius cognita, fuerit baptizatus; sicut illi duodecim, de quibus initio cap. sequentis, similiter dicuntur baptizati baptismo Christi v. illius cap. 5. prius baptizati à Ioanne, ibidem v 3; Quod autem dicitur, *assumpserunt eum;* significat quod eum ad se receperint, imo (vt probabile est) etiam in suum hospitium; vt maior esset commoditas cum eo loquendi, maioremque in eum charitatem declararent. Sequitur,

VERS. 27. Cum autem vellet ire Achaiam.)

IAM videlicet plenius institutus in fidei christianæ mysterijs: *Exhortati fratres.*] Ephesij fratres nimirum, *exhortantes discipulos* seu Christianos qui erant in Achaia, *ijs scripserunt vt eum susciperent,* id est honestè & amicè exciperent; nempe non solum vt bonum christianum, sed etiam vt bonum defensorem fidei christianæ: vt dictum est supra, & proximè dicetur.

VIDETVR autem Apollos cum his literis transiuisse reliquam Achaiam, & rectà iuisse Corinthum vbi iam plantata erat fides Christi per Paulum Apostolum, vt dictum fuit in superioribus huius cap. Hoc ita videtur ex his quæ sunt initio c. seq. & satis manifestum est illum diu hæsisse Corinthi, magnamque operam saluti fidelium illic impendisse, tum ex his quę proxime sequuntur hoc loco, tum ex 1. Cor. 1. v. 12. c. 3. v. 4. 5. 6. & in fine eiusdem cap. nec non c. 4. v. 6. Quoniam vero quæ illis locis à Paulo Apostolo de eo dicuntur, valde magnifica sunt: probabile fit fuisse (saltem postea) Corinthiorum Episcopum. Episcopus tamen nondum videtur fuisse, quando priorem ab Epheso ad Corinthios Epistolam scribebat Paulus; quantum ratiocinari possumus ex 1. Cor. 16. v. 12. Additur. *Qui cum venisset; contulit multum his qui crediderant.*] *Qui crediderant.*] Plerique erant gentiles; nonnulli, Iudæi; vt patet ex v. huius cap. 6. & multis sequentibus. Porro post istud, *Qui crediderant.*] Græcus addit, *per gratiam;* & incertum est an hoc complexum determinet verbum (*contulit*) an verbum (*crediderant*). Pari facilitate vtrolibet potest referri, & fortasse voluit sacer scriptor referri vtrouis. Qui crediderant Iesum esse Christum; vtique per præuenientem ac subsequentem Dei gratiam id fecerant, qua scilicet credere voluerant, deinde reipsa crediderant, ac denique donum habituale fidei erant consecuti. Apollos autem his qui crediderant, multam spiritualem vtilitatem contulit, refellendo Iudæos Christianæ fidei aduersarios; id quod faciebat per illas Dei gratias gratis datas, de quibus vers. 24. & 25. Hoc exponitur verbis sequentibus.

VERS.

VERS. 28. Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, ostendens per scripturas, esse Christum, Iesum.

EST sermo de Iudæis incredulis, quales videntur fuisse plerique qui eo tempore agebant Corinthi (vbi hæc acta sunt vt diximus ad v. præced) si consideramus quæ dicta sunt v. 6. huius cap. Ex quo liquet non solum fuisse incredulos, sed etiam aduersarios contradictores Christianæ fidei, & blasphemos in Iesum Nazarenum crucifixum. Hos & firmissimis argumentis, & magna vocis libertate, reuincebat Apollos, idque publicè; seu in synagoga, seu vbi vspiam numerus aliquis maior talium Iudæorum erat collectus; audientibus etiam nouellis ex gentilitate christianis, qui multi erant in ea ciuitate, iuxta dicta sup. v. 8 & seq. Reuincebat autem tales Iudæos iste christianus disputator Apollos, *ostendens ex scripturis* veteris testamenti (quas illi vtique admittebant) *Iesum* Nazarenum *esse Christum*; quod illi non solum negabant, sed etiam Iesum vt vilem hominem contemnebant, imo tanquam ignominiosè crucifixum blasphemabant. Idem Paulum apud Iudæos istos egisse dicebatur v. 5. Hic enim est articulus religionis Christianæ in quo propriè Iudæi increduli dissident à vera pietate; hic inquam; Iesum Nazarenum esse Christum Saluatorem mundi. Apollos igitur ex veteris testamenti scripturis ostendebat id ita esse: in Iesu enim Nazareno manifestè esse completas prædictiones sanctorum Prophetarum, quæ designarunt & tempus & locum natiuitatis eius; miracula item quæ esset facturus, tum & passionem eius, & mortē, & exaltationem subsequentem. Hac Apollos in scripturis veteribus poterat iam pridem conspexisse; & inde reuincere perfidos Iudæos; etiamsi adhuc ignoraret baptismum Christi eiusque necessitatem; & alia complura fidei Christianæ arcana, quæ patefecerunt ei Aquila & Priscilla, vt dictum est. Profuit vero fidelibus Corinthijs Apollos & alio modo, vt ad vers. præcedentem diximus; propagando fidem Christi in ea vrbe, baptizando conuersos, docendo, cæteraque boni pastoris officia exercendo. Vnde Apostolus 1. Cor. 3. v. 6. *Ego plantaui*, prædicando scilicet; *Apollos rigauit*; videlicet baptizando; & reliqua sacramenta ministrando. Hoc ex B. Prospero ad 4. obiectionem Gallorum, in fine.

ARGVMENTVM
CAPITIS XIX.


AVLVS Ephesum reuersus illic aliquot discipulos ad baptismum Christi perducit; in synagoga Iudæorum per tres menses prædicat fidem Christi; postea iustis ex causis deserta synagoga, alio in loco eiusdem ciuitatis idem facit quotidie, per biennium; cum multorum & magnorum miraculorum patratione, quibus ea doctrina confirmaretur. Conuertuntur plurimi, non Ephesij solum, sed & ex reliqua Asia. Per auaritiam cuiusdam argentarij & sodalium eius, suscitatur maximus Ephesi tumultus aduersus doctrinam salutis; sed irrito, per Dei gratiam, conatu.

VERS.

VERS. 1. Factum est autem, cum Apollos esset Corinthi;)

IN Achaiam eum iuisse habemus in fine cap. præcedentis. Porro quod vitiosè hic legitur (Apollo) legitur in veteribus concordantijs biblicis (Apollos) quomodo est græce. Idem factum est v. 24. cap. præcedentis. *Vt Paulus peragratis superioribus partibus*] postquam Galaticam regionem & Phrygiam, perambulasset ad confirmandos in fide nouellos christianos, vt dicebatur cap. præced v. 23. Quæ autem partes seu regiones mediæ sint inter Galatiam & Phrygiam ac inter Ioniam in qua Ephesus; licebit videre apud Ptolemæum, Tab. 1. Asiæ. *Veniret Ephesum & inueniret quosdam discipulos:*] Discipulos græce μαθητάς. Ex v. 5. huius cap. constat istos nondum fuisse baptizatos baptismo Christi: ergo per istud (*discipulos*) non possumus intelligere eos fuisse christianos; sed dumtaxat eos fuisse aliquousque institutos in doctrina religionis; vt de Apollo dicebatur v. 25 cap. præced *quod erat edoctus viam Domini*, cum tamen esset solum catechizatus ea doctrina quam tradiderat summariè Ioannes Baptista. An isti fuerint natione Iudæi, an gentiles; non liquet. Nam & gentiles fuisse à Ioanne baptizatos, possumus argumentari ex Lucæ 3. v. 12. & seqq. vbi & publicani & milites dicuntur ad Ioannem venisse; qui sanè non omnes erant Iudæi. Chrysost. tamen hom. 40. putat fuisse Iudæos in Asia habitantes, qui peregrinati fuerint in Iudæam tempore Ioannis Baptistæ; ac postea non redierint ex Asia.

VERS. 2. Dixitque ad eos; Si Spiritum sanctum accepistis, credentes?)

CREDENTES] græce est πιστεύσαντες, id est, postquam credidistis. Præsupponebat Paulus hos esse christianos, ideoque baptizatos, & quærit an post baptismum, acceperint dona Spiritus sancti, quæ tunc temporis, ad manuum episcopalium impositionem, solebant etiam sensibiliter conferri. Occasio quærendi illa erat, quod hoc tempore cum Paulus redijt Ephesum, integrum circiter annum abfuerat, vt ex superioris capitis historia ratiocinatur Baronius ad annum Christi 54. §. 2. in fine; & nemo episcopali potestate præditus, interea fuerat Ephesi, qui posset sacramentum confirmationis baptizatis conferre.

AT *illi dixerunt ad eum; sed neque si Spiritus Sanctus est, audiuimus.* Hac responsione aperiunt se non esse è numero christianorum: alioqui enim habuissent noticiam personæ Spiritus sancti; tum quia ante baptismum traditur catechumenis symbolum christianæ fidei, in quo est expressa mentio Spiritus sancti; tum quia ipse baptismus administratur expresse in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Hi vero erant iam adulti, *viri* enim nominantur infra v. 7. atque ita formam baptismi intellexissent, si fuissent baptizati in Christo. Vtramque rationem innuit Paulus, verbis ad ipsos, sequentibus,

VERS. 3. Ille vero ait, In quo ergo baptizati estis?

QVASI dicat. Ego credebam vos esse christianos, ideoque baptizatos in Christo: quales si essetis; vtique non esset vobis inauditus Spiritus sanctus. Nempe ob duas rationes iam dictas. Græce est, εἰς τί, *In quid* &c. sed sæpe ponitur εἰς pro ἐν, vt exemplis docent grammatici:& complura ex nouo testamento proferri queunt. Matth. 10. v. 41. 42. c. 18 v. 20. c. 28 v. 19 Ioan. 1. v. 12. c. 2. v. 23. & c. 3. v. 18. Huius libri c. 8. v. 16 23. 40. & huius cap. v. 5. 1. Cor. 1. v. 13. 15. vtique omnia hæc in originali scriptura. Ergo sensus interrogationis est, In cuius ergo nomine estis baptizati? Vel sic, In cuius ergo nomen estis transcripti per vestri baptismum? Confer Estium 1. Cor. 1. v. 13. 15. Et conformiter, responsio istorum haberet hunc sensum; Sumus transcripti in nomen ac numerum baptizatorum à Ioanne.

QVI *dixerunt, In Ioannis baptismate.*] græce est, εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα. *In Ioannis baptisma.* Sed quadrat hæc constructio ad præcedentem Pauli interrogationem, εἰς τί: intelligenda vt illa; sicut iam dictum est. Ex his verbis collatis, cum horum eorundem responso quod est vers. 2. manifestum est Ioannem Baptistam cum quempiam baptizaret; non fuisse vsum ista forma, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Alioqui enim baptizatis à Ioanne non fuisset ignotus Spiritus sanctus. Vnde vlterius sequitur contra Caluinistas, non eundem esse baptismum Ioannis & Christi. Quod ipsum ex vers. 5. cum his verbis collato, euidens est.

SI quæratur, quis istos baptizauerat baptismo Ioannis: respondendum est, Ipse Ioannes, antequam in carcerem conijceretur. Sic enim colligitur ex verbis Pauli Apostoli, v. proxime sequente, & ex his quæ diximus ad c. præced. v. 25. Si vlterius quæratur, In cuius nomine Ioannes baptizauerit siue hos siue alios quoscumque: respondebitur quod in nullius nomine; nam ipse nullius nomine inuocato baptizabat; sed tantum docebat homines fidem in Christum, & pœnitentiam super peccatis suis. Quo pertinent verba Pauli Apostoli, sequentia;

VERS. 4. Dixit autem Paulus; Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent; hoc est in Iesum.

GRÆCE est *Ioannes quidem baptizauit* &c. sed istud *(quidem)* intelligendum est redundare, vt sæpe alias; neque postulare aliquid quod ei reddatur. Simile est huius libri cap. 1. v. 1. & apud græcos authores sæpe. Velut initio Topicorum Aristotelis, scriptoris tamen planè Attici. Initio parænescos Isocratis ad Demonicum, &c. Sensus; Ioannes, sicut sua doctrina monebat populum agere pœnitentiam, & credere in Iesum paulo post manifestandum, verum Messiam Dei Patris: ita suo baptismo veluti initiabat pœnitentiæ & Fidei de Iesu Messia, eos quos baptizabat; nec quicquam conferebat præterea. Fuit

eius baptismus tantum doctrina, exhortatio, & quædam inchoatio pœnitentiæ, atque ad eam assuefactionis initium. Hinc in Cantico Zachariæ obseruare licet quod Christus vocetur cornu salutis, salutis author: Ioannes autem, parans vias Domini, ad dandam scientiam salutis plebi eius.

VERS. 5. His auditis)

IAM intelligentes sese tantum esse præparatos ad fidem christianam & baptismum Christi. *His auditis.*] Græce est, *Audientes autem* &c. Sed non est putandum, illud (autem) reddi isti μὲν quod præcessit versu 4. verum per se poni, copulandi solum sermonis gratia, perinde ac si nullum μὲν præcessisset. Alioqui, hęc non de istis duodecim viris dicerentur à S. Luca; sed dicerentur à Paulo de baptizatis per Ioannem; cum defectu narrationis de baptismo istorum duodecim *Baptizati sunt.*] Non confestim, vt videtur; sed prius catechizati amplius; vtpote qui parum instituti essent etiam in præcipuis capitibus fidei, ignorantes nimirum personam Spiritus sancti. Sicut cap. superiore ad v. 26. dictum fuit de Apollo, fuisse tunc demum baptizatum quando viam Domini accuratius edoctus erat per Priscillam & Aquilam. *Baptizati sunt in nomine Domini Iesu.* Totus iste scripturæ locus manifestissimum ponit discrimen inter baptismum quem conferebat Ioannes Baptista, & inter baptismum à Christo institutum: & tamen tanta est improbitas Caluinistarum vt cum magistro suo non plus tribuant baptismo Christi quam Ioannis; videlicet ne ab illo suo dogmate recedant, Sacramenta Christi nullam sanctificandi efficaciam habere, esse tantum sigilla quædam iustitiæ per fidem iam acceptæ, quæ fides sola hominem coram Deo iustificet. Est contra istam impudentissimam hæresim Canon 1. sess. 7. vbi de baptismo agitur in Concil. Trident.

SI quæratur, à quo isti sint baptizati: respondendum est non liquere an à Paulo Apostolo; & verisimile esse quod ab alio; forte ab Aquila iubente Paulo. Versu enim proximè sequente signanter de Paulo dicitur quod illis imposuerit manus; quasi ad innuendum quod alius eos baptizarit. Congruit hęc opinio his quæ Apostolus dicit 1. Cor. 1. v. 17.

QVOD vero hic dicitur baptizatos fuisse istos in nomine Domini Iesu, non arguit fuisse eis collatum baptismum hac forma verborum; sed significat eos fuisse baptizatos super professionem celebrem quam prius faciebant de sua fide in Iesum quod ipse sit saluator mundi, redemptor generis humani, eaque de causa Dominus noster peculiari titulo. Ita eadem locutio intelligitur huius lib. cap. 8. v. 16. Græce legitur eos fuisse baptizatos *in nomen Domini Iesu*, quod licet reddi possit, quomodo reddidit noster, iuxta ea quæ ad v. 3. annotauimus: potest tamen etiam per quartum casum reddi; & hunc sensum habere, quod isti per suum baptismum sunt ascripti in nomen Domini Iesu; nimirum nunc *eius domestici* (Ephes. 2. v. 19.) facti, ac deinceps appellandi christiani. Quo sensu posito; prorsus euanescit probabilitas argumenti quod ex hoc & similibus locis nonnulli ducunt pro forma baptismi quæ solum nomen Christi expresserit, in primitiua ecclesia subinde (vt putant) vsitata. Vt omittamus

quod

quod contra illam opinionem bonum argumentum ducitur ex versibus 2. & 3. huius eiusdem capitis.

VERS. *6*. Et cum imposuisset illis manus Paulus; venit Spiritus sanctus super eos; & loquebantur linguis, & prophetabant.

IAM baptizatis Paulus Apostolus confert sacramentum confirmationis;cuius effectus augmentum charitatis & robur animi ad profitendum fidem Iesu Christi. Effectus verò iste conferebatur his cum sensibili effectu alio, ad istius interioris gratiæ maiorem declarationem. Ita non raro fiebat in illis primis ecclesię initijs,Deo sic volente gratiæ suæ opera manifestare.Ita factum Samaritanis, supra cap. 8. v. 17. 18. Cornelio centurioni & domesticis eius, cap. 10. v. 44. 45. 46. Sic & hi,ad interioris gratiæ maiorem declarationem, acceperunt donum linguarum & prophetiæ; quorum sensibiles sunt effectus. *Loquebantur* (ait S. Lucas) *linguis*, nimirum exoticis,quas nunquam didicerant: *& prophetabant*,id est,ad Dei laudem mysteria diuina loquebantur quæ nullus hominum eos docuerat. Sicut de familiaribus Cornelij centurionis dicitur cap. illo 10. Quod *loquebantur linguis & magnificabant Deum*. Prophetia enim non tantum est notitia & prænunciatio futurorum contingentium; sed etiam aliorum occultorum enunciatio, quæ ab homine nisi ex diuina reuelatione nequeunt cognosci. S. Thomas 2. 2. q. 171. art. 3.

VERS. *7*. Erant autem omnes viri fere duodecim.)

IVDICIA *Dei abyssus multa*;ait hic Vener. Beda ex psalmo 35. & addit; Ecce Asia nuper (suprà, cap. 16. v. 6) nec visitatione Apostolorum digna; nunc & apostolico sacrata numero,& prophetali est munere sublimata.

VERS. 8. Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur, per tres menses, disputans, & suadens,de regno Dei.

INTROGRESSVS *autem synagogam.*] Quæ erat Ephesi,Iudæorum; quam eandem fuerat ingressus semel iterumque anno superiore,antequam nauigaret in Syriam; supra cap. 18. vers. 19. *Cum fiducia loquebatur* quia multi Iudæorum libenter eum audiebant, vt possumus coniectare ex dictis c. 18. v. 20 Præcipuè vero loquendi Iudæis fiducia & libertas ista ei veniebat à diuina protectione, & à spe illius continuandæ. *Per tres menses.*] Sed quia non nisi sabbatis conueniebatur in synagogam; Paulus per tres menses sermocinatus est diebus sabbati, *Disputans & suadens de regno Dei*]Satis mirum est interpretes omittere articulum τὰ, qui hic græcè interponitur,hoc modo;*disputans & suadens ea quæ sunt de*

regno Dei. Idem planè accidit cap. 1. v. 3. vt ibi monuimus. Multo plus autem significat ista oratio, si additus fuerit articulus, quam si omittatur: vt quilibet per se concipere potest. Nam si Paulus de regno Dei tantum in generali fuisset locutus, & ad nulla particularia descendisset: verum quidem foret quod nos habemus, sed non id quod habet codex originalis. Quare etiamsi nobis in nostra versione desit iste articulus; debemus tamen ita interpretari hæc verba, vt vis eius elucear. Sermocinabatur itaque Paulus Apostolus de regno Dei, quid sit, quotuplex sit, ac quibus modis, & quibus in rebus Deus regnet; nec non quibus modis in Dei regnum veniatur: ac suadebat audientibus vt curarent esse in regno Dei, inque eo perseuerare.

VERS. *9.* Cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine:)

ECCE, Paulo Apostolo concionante non omnes credunt: ne mirentur concionatores, si, quantumuis rite versentur in suo officio, non omnes credant articulis catholicæ religionis, aut non omnes suos malos mores deserant. Meminisse oportet parabolæ seminatoris illius euangelici; quo spargente semen, sola quarta pars peruenit ad frugem; Lucæ 8.

ERGO, quum nonnulli Iudæorum (de his enim agitur) Ephesi commorantium, post trimestrem Pauli apud eos laborem in dicendo & suadendo; efficerentur magis auersi à fide Christi quam fuerant à principio prædicationis Pauli; adeo vt doctrinam & fidem de Iesu quod ipse sit Christus, maledicerent ac detestarentur; & hoc coram multitudine suæ gentis Iudaicæ, verisimiliter vt eam à fide Christi auerterent, vel iam conuersos corrumperent, & in Iudaismum retraherent: quid fecit Paulus Apostolus?

DISCEDENS *ab eis segregauit discipulos; quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam. Discedens ab eis*] hoc est non amplius veniens in synagogam; vt suo exemplo doceret fugiendos esse obstinatos aduersarios fidei, ac ipso facto se illos abominari ostenderet. Similiter fecit Corinthi, cap. præced. vers. *6. 7.* *Segregauit discipulos*] ab istis obduratis Iudæis, ne eorum vel exemplo vel doctrina corrumperentur. *Discipulos* autem videtur appellare non illos solum qui iam erant facti christiani; sed illos quoque qui nondum fidem receperant, libenter tamen Paulum concionantem audiebant; quales vidimus complures Berœenses, supra cap. 17. v. 11. Exemplum hic nobis datur, vt ab hæreticorum consortio segregemus catholicos omni vigilantia.

QVOTIDIE *disputans.*] In synagoga sermocinatus fuerat tantum diebus sabbati, quoniam tum demum erat conuentus Iudæorum: nunc disserit quotidie, vtique de his quæ pertinent ad regnum Dei, vt dicebatur versu præcedenti. Disserit autem publicè, omnibus accedentibus, non minus gentilibus, quam Iudæis, si qui ex his moderatiores eò venirent, vt veniebant nonnulli haud dubie. De gentilibus constat ex vers. seq & ex cap. 20 v. 20. 21. Docebat vero publ ce

publice Paulus. *In schola Tyranni cuiusdam.*] Magna varietate expositores loquuntur de isto Tyranno, & de eius schola. Nobis videntur bene sentire qui istud (Tyranni) credunt esse nomen proprium. Ita manifeste intellexit Interpres Syrus, ita Glossa interlin. Glossa ordinaria admittit. Ita & Baron. simpliciter accipit, anno Christi 55. §. 3. Non est verisimile ponere hoc nomen vt commune S. Lucam, ac tanquam vocabulum medium, vt non plus significet quam Dynastam aut Toparcham: cur enim ad hoc significandum vteretur vocabulo (Tyrannus), quod tunc temporis & diu antea, tam apud græcos, quam apud latinos, non nisi in malam partem, pro Rege scilicet iniquo, vsurpabatur; licet originaria significatione fuisset vocabulum medium? Sumi autem hic in malam partem non est verisimile: Qua via enim Paulus scholam ferocis tyranni occupasset? Nec valet obiectio quorundam; hic apponi τινός: ergo non esse nomen proprium. Refellitur hæc obiectio exemplo quod est huius ipsius cap. v. 24. & plura occurrent obseruanti; in hoc eodem opere cap. 21. v. 16. cap. 21. v. 12. cap. 24. v. 1. Ita & Ioannis 11. v. 1. Marci 15. v. 21. Et, ne putetur insolitum; meminit Suidas rhetoris cuiusdam, cui esset nomen proprium Tyrannus. Ex eodem & aliunde constat fuisse duos alios celebres scriptores, quorum vtrique nomen Tyrannion: quorum posterior libertus fuit Terentiæ; vt Tiro, M. Tullij. Videtur & 2. Machab. 4 vers. 40. esse nomen proprium, *Tyrannus.* Eusebius hist. 7. c. 26. commemorat quendam Antiochenum episcopum, cui Tyranno nomē fuerit. De schola ipsa est altera dubitatio. Et quidem verum est quod (*schola*) apud græcos proprie dicitur vacatio à negotijs, otium: sed tamen vsitatissimè significat disputationem aut sermocinationem quæ per otium agitatur, ac inde, ipsum locum in quo ea fit; (quem σχολαστήριον dicunt græci vna significatione huius vocabuli; cum generaliter significet locum aptum quieti ac refocillationi post labores) quæ significatio adeo trita est vt vulgo vix aliter accipiatur nomen scholæ: eodem fere modo quo vocabulum (ludus) ad significandum locum vbi literæ traduntur, accipitur. Eam vocabuli (*schola*) significationem opinari possumus hîc valere; ac significari, non ludum literarium, sed maiorem quandam scholam quæ multitudinem hominum posset capere, quales scholæ philosophorum; sic enim Chrysostomus in iterata expositione accipit.

Sed qua occasione fuissent Ephesi tales aliquæ scholæ grandiores? Scire oportet Ephesum tunc floruisse bonarum artium studijs, id quod ad sua vsque tempora durasse testatur idem Chrysost. in summario quod præposuit expositioni epistolæ Paulinæ ad Ephesios, his verbis: *Plurimi ex philosophis, maxime ij, qui in Asia floruerunt, Ephesi egerunt. Dicitur inde fluxisse tota Ionica philosophia: illic egisse Parmenides & Zeno & Democritus. Et multos illic nunc adhuc inueneris philosophos.* Tum addit Chrysost. hanc fuisse causam cur Paulus Apostolus sublimia dogmata sublimibus verbis & sententijs tradat in illa ad Ephesios epistola. & S. Hieron. præfatione in lib. 3. comment. ad epist. Ephes. ait Apostolum ad nullam ecclesiarum tam mystice scripsisse, & sæculis abscondita reuelasse sacramenta. Eadem dixerat præfatione in 1. librum illius operis, sub finem. Itaque ea illic vna schola viri cuiusdam, Tyranni nomine: siue is eam ædificarat,

ſiue alio modo eius dominium conſecutus erat. In hanc admiſſus eſt Paulus Apoſtolus, ad illic docendum quotidie; admiſſus autem veriſimiliter ab ipſo domino loci, aut certè ab eo qui ſcholam haberet in conducto: & hoc ſiue prece, ſiue precio, titulo locationis. Non enim liquet de modo & via qua id peractum ſit.

VERS. 10. Hoc autem factum eſt per biennium; ita vt omnes &c)

ET antequam in hac ſchola Paulus quotidie doceret, docuerat in ſynagoga Iudæorum tres menſes, vt dictum eſt verſ. 8. quos ſi addas huic biennio; addas item reliquum tempus quo fuit in reliqua Aſia, ſupra v. 1. fit illud triennium de quo ipſe ait infra cap. 20. v. 31.

ITA *vt omnes qui habitabant in Aſia, audirent verbum Domini, Iudæi atque gentiles.* Sermo eſt de Aſia minore, cuius metropolis erat Epheſus: Epheſum autem quotidie ventitabant plurimi ex tota Aſia, ſiue tanquam ad metropolim, negotiorum cauſa; ſiue ad templum Dianæ famoſiſſimum, quæ illic ſummo concurſu colebatur; ſiue tanquam ad bonarum artium Academiam. vt ſup. v. præced. ex Chryſoſt. diximus.

AVDIRENT *verbum Domini.*] *Ieſu*, addit græcus codex. *Verbum Domini Ieſu* eſt doctrina de Ieſu Nazareno quod ipſe eſt Chriſtus, redemptor humani generis; & de his quæ docuit, quæ præcepit, quæ inſtituit. *Audirent*, nec ſolum audirent, ſed & multi crederent, ac in eccleſiam Chriſti cooptarentur, toto iſto biennio. Nimirum hoc ſignificabat Paulus illis verbis prioris ad Cor. epiſtolæ, aliquanto ante finem huius biennij ſcriptæ, cap. 16. v. 8. 9. *Permanebo Epheſi vſque ad Pentecoſten: Oſtium enim mihi apertum eſt magnum & euidens*] hoc eſt, Multi recipiunt euangelium ſeu doctrinam fidei chriſtianæ, Deo corda aperiente: ita exponente S. Aug. de prædeſt Sanctorum cap. 20.

VNDE autem Paulus cum ſocijs toto hoc biennio Epheſi nactus eſt vitæ neceſſaria? Reſpondendum eſt quod magna ex parte, manuum labore ea ſibi ac ſuis parauit: Infra cap. 20. v. 34. Diſcipuli tamen nonnulli ſuppeditauerunt multa; inter quos videtur eminuiſſe Oneſiphorus. 2. Tim. 1. in fine.

EST porro hic conſiderandum quod in nulla ciuitate (excepta Romana) tam diu hæſerit Paulus laborans in plantanda & propaganda atque confirmanda fide Chriſti, quam Epheſi: eo quod idololatria, aliæque variæ ſuperſtitiones, quin & magicæ artes, valde illic vigerent: vt vel ex hoc ipſo capite ſatis doceri poteſt v. 19. & ſeqq. v. 24. & ſeqq. vſque ad finem cap. tum ex eo quoque quod ille nominatiſſimus magus Apollonius Tyanæus Epheſi plurimum verſabatur his temporibus. Quare princeps tenebrarum videns hanc ciuitatem per Paulum ſuæ ditioni paulatim ſubſtrahi: totis ſatellitum ſuorum agminibus congregatis, Paulum opprimere nitebatur, ait S. Hier. præfatione vtraque in lib primum & tertium comment. in Epiſt. ad Epheſios: vt propterea ad Cor. primæ epiſtolæ cap. 15. v. 32. idem Apoſtolus ſcripſerit ſe contra beſtias Epheſi pugnaſſe; ſed Deo duce & adiuuante, victoriam retulit,

tulit, ob quam illi gratias agit 2. Cor. 1. Porro ad confirmationem doctrinæ de Christo Domino Deus per Paulum Apostolum suum miracula ingentia & insolita edebat Ephesi; de quibus subnectit S. Lucas;

VERS. 11. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli:)

VIRTVTES] græce δυνάμεις, id est miracula; vt sæpe alias, nomine causæ posito pro vocabulo effectus *Non quaslibet*] non paruas, seu non vulgares. relinquitur è contrario intelligendum, sed magnas & ingentes. Est enim vt in 1. p. q. 105. art 8. tradit doctor S. Thomas vnum miraculum altero maius, siue ratione eius in quo fit; siue secundum substantiam operis, siue secundum modum faciendi: de quo modo sunt verba sequentia.

VERS. 12. Ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia;

SEMICINCTIVM ita dicitur quod dimidium corporis cingat, partem ventris scilicet vsque ad genua; viris mechanicis vsitatum indumentum. Porro non est necesse intelligere hæc sudaria aut semicinctia fuisse Pauli Apostoli: (nec enim tam multa habebat ipse) sed verisimiliter plerumque erant ipsorum languidorum, per fideles aliquos transmissa vt ijs Pauli Apostoli corpus contingerent, deinde referrent; vel erant ipsorum fidelium, qui his Pauli corpus tangebant, deinde ad ægrotos sibi amicos aut notos, portabant, ijsque imponebant, cum fide ac deuotione erga Dei ministrum Apostolum, & cum fiducia adfuturæ diuinæ benignitatis. Talibus enim modis olim vtebantur fideles, pro se aut suis. Cui rei probandæ sufficiat cap. 8. lib. 22. de Ciuit Dei apud S. Aug.

ET *recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.*] Ita Deus glorificabat sanctum suum Apostolum; vtique ad salutem Ephesiorum, & cæterorum Asianorum, vt doctrinam eius tanto auidius susciperent, quam diuinitus talibus miraculis videbant confirmari, tanquam sigillis quibusdam supremi Regis Regum, Domini Dominorum. Exemplum magnum hic est tam diuinæ beneficentiæ, ita honorantis suos sanctos & eorum reliquias; quam catholicæ pietatis eos & eas propter diuinum testimonium venerantis. Hinc & ille mos profluxit veterum Romanorum Pontificum, qui ad maximos etiam principes catholicos non mittebant quippiam ex corpore alicuius sancti, sed solummodo sindonem quæ sacrum corpus tetigerat: quam sindoneem nominabant velamen sacrum, sanctuarium, & voce noua Brandeum. Videatur Baron. in notis ad Martyrologium Rom. 15. Iunij, no. 1. Sequitur deinde narratio de temeritate & curiositate quorundam Iudæorum, castigata, Deo authore, per ipsos malos spiritus.

VERS. 13. Tentauerunt autem quidam, & de circumeuntibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu; dicentes; Adiuro vos per Iesum quem Paulus prædicat.

DE *circumeuntibus Iudæis exorcistis.* Videntur illo tempore fuisse quidam Iudæi (nam à multis iam sæculis non viget exorcizatio inter Iudæos) qui circuirent vrbes & loca populosa alia, profitentes artem aut modum eijciendi dæmones ex corporibus obsessorum. Exorcismis vtebantur illi quos à maioribus suis acceperant, & cum effectu sæpenumero eos adhibebant, durante statu veteris legis; Deo sic volente nomen suum (per quod illæ adiurationes fiebant) honorabile apud plures efficere; quo nimirum inuocato, maligni spiritus cedere cogebantur; etiamsi interdum non essent multum religiosi qui hos exorcismos faciebant; ait hic Ven. Beda. Gratiæ enim gratis datæ communes sunt bonis & malis. Vnde Dominus suis Discipulis gaudentibus quod dæmonia quoque subijcerentur ipsis in nomine ipsius; respondit; *In hoc nolite gaudere quia spiritus subijciuntur vobis; sed gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Lucæ 10. v. 17. 20. Tales vero exorcistas apud Iudæos fuisse, patet ex verbis Domini ad Iudæos, Lucæ 11. v. 19. *Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia: Filij vestri in quo eijciunt?*

VTEBANTVR hi Iudaici exorcistæ non semper exorcismis quos traditione maiorum acceperant, sed interdum nomine Iesu, in suis adiurationibus: vnde est illa narratio Lucæ 9. v. 49. *Ioannes dixit; Præceptor, vidimus quendam in tuo nomine eijcientem dæmonia; & prohibuimus eum; quia non sequitur nos. Et ait ad illum Iesus; Nolite prohibere, qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.*

QVOD autem Vener. Beda ad hunc locum ait, refert Iosephus regem Salomonem excogitasse, suamque gentem docuisse modos exorcismi, id est adiurationis, qua immundi spiritus expulsi ab homine, vlterius reuerti non sint ausi: quale sit, merito est expendendum. Agit ea de re Iosephus Antiq. lib. 8. c. 2. De bello Iudaico lib. 7 cap. 25. aliquid simile obiter attingit. Sed profecto, si vera sunt quæ priore illo loco de Salomone refert Iosephus, explicans modum quo iste Salomonis exorcismus adhibebatur: non temere B. Thomas de potent. q. 6. ar. 10. ad 3. dubitat an illi exorcismi fuerint compositi à Salomone eo tempore quo erat in statu salutis, an vero tunc quando colebat idola, vt intelligatur eum per artes magicas fecisse. Quod si fuit: non erat in illis exorcismis vis eijciendi dæmones, nisi modo prædicto, inquit S. Thomas: intelligit autem modum quem in corp. articuli explicuerat, quando superiores dæmones à magis inuocati compellunt exire inferiores. Malumus autem credere non esse vera quæ Iosephus refert, eos exorcismos fuisse adhibitos cum olfactu cuiusdam radicis à Salomone indicatæ. Sæpe fallitur Iosephus in historia, etiam vbi ex sacris biblijs poterat veram narrationem texere: quanto magis ijs in rebus quas sacra historia non continet: qualis est hæc de Salomonis exorcismis

cijs talibus, narratio; quam verisimiliter Rabbini posteriores confinxerant, & Salomoni eos attribuerant, vt plausibilis esset fabula. Non est autem verisimile quod vel illi filij Iudæorum de quibus Dominus loquebatur dicto cap. 11. Lucæ, vel hi circumforanei exorcistæ de quibus nunc sermo est, sint vsi exorcismis illis qui tribuebantur Salomoni à superstitiosis Iudæis quos cap. illo 2. lib 8. Antiq Iudaicarum commemorat Iosephus, & ex eo Vener. Beda isto loco breuiter indicat: quia Dominus satis significat illos Iudæorum filios exorcistas eiecisse dæmonia *per digitum Dei*, id est virtute Spiritus sancti; ideoque valde blasphemos esse, qui quam ipse Saluator faciebat dæmoniorum eiectionem, tribuebant Beelzebub principi dæmoniorum.

Ergo quidam circumforaneorum exorcistarum Iudæorum tentauerunt super arreptitios inuocare nomen Domini Iesu, vtentes hac verborum forma; *Adiuro vos per Iesum quem Paulus prædicat. Tentauerunt*] hinc apparet eos curiositate motos istud fecisse, volentes experiri an succederet seu effectum sortiretur adiuratio facta per nouam formam. Videntur etiam moti fuisse auaritia. Nam quæstus causa probabile est circumiuisse per ciuitates & municipia; & quæsiuisse arreptitios, vt à liberalis larga honoraria acciperent. Ita sentit Chrysost. in hunc locum vtraque expositione. Et apud Cyprian. in sermone de Baptismo Christi, vocantur hi *quæstuarij exorcistæ*. Quod ergo nunc temporis vtuntur ista forma (nam catenus vtebantur alia) quæ continet non en Domini Iesu; non faciunt ex pietate, quippe qui non credebant in Iesum: sed causa dictis, quæstus scilicet & gloriæ. An cum successu fecerint; non liquet: credibile tamen est quod sic, saltem aliquando; Deo volente honorificare nomen filij sui, etiam à talibus inuocatum. Sane is de quo Lucæ 9. vers 49. tametsi non sequebatur Iesum, tamen illius nomine inuocato ejiciebat dæmonia; vt ibidem dicitur. Successum habuisse plane tradit sermo ille quem citaui apud Cyprian. Sequitur,

VERS. 14. Erant autem quidam, Iudæi Sceuæ principis sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant.

ILLVD (*Iudæi*) est secundi casus vt patet ex græco, & iungitur isti (*Sceuæ*) Porro hic Sceua dicitur *princeps sacerdotum*, non quod esset summus eo tempore Pontifex Iudæorum sed eo modo quo in historia euangelica sæpe nominantur principes sacerdotum, capita illarum 24. familiarum sacerdotalium de quibus sermo est 1. Paralip. 24 In historia euangelica loca sunt vbique obuia: vt vel in solo Matthæo est obseruare, cap. 2. vers. 4. cap 16 vers. 21. cap 20. vers. 18. cap. 21. vers 15. cap. 26. vers 3. 47 59. cap. 27. vers. 1 3. 12 41. Erant itaque istius Sceuæ principis sacerdotum septem filij, qui hoc quod dictum est vers. præced. faciebant. Verum quid euenit?

VERS. 15. Respondens autem spiritus nequam dixit eis; Iesum noui & Paulum scio: vos autem qui estis?

DIXIT *eis*] duobus ex illis se[p]tem filijs; qui ingressi domum quandam in qua erat dæmoniacus, tentabant dæmonium pellere, vtentes verbis proxime recitatis, *Adiuramus te per Iesum quem Paulus prædicat.* Hæc colliguntur ex versu seq. Quid vero dixit eis? *Iesum noui, & Paulum scio:*] *Iesum noui*] quis sit & quantus, eius potestatem timeo: *Et Paulum scio*] eius ministrum fideliter ipsi seruientem; eius potestate valentem, eius protectione munitum. Noui igitur eos experientia virtutis eorum; Dominum alterum, alterum ministrum. *Vos autem qui estis?* quasi dicat. Vos estis mei, mihi seruitis etiam hoc ipso quod per inuocationem nominis Iesu me vultis pellere: non congruit vobis tanti nominis inuocatio; & quidem contra me, quem colitis. Noui vos, tanquam ad meum regnum pertinentes nullam virtutem vestram sum expertus, quam debeam timere.

VERS. 16. Et insiliens in eos homo in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos;

DÆMONIVM *pessimum.*] In originali sunt eadem verba quæ v. praeced. vbi nos habemus, *spiritus nequam;* vt intelligamus hominem in eo malo spiritu arreptum qui illud responsum istis dederat; statim eo responso dato, in istos duos insiluisse, ijs prævaluisse, eosque tractasse *ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* Nimirum iste arreptitius, agitatus impetu irati dæmonis, vestes illorum duorum, saltem supremas detraxit vel lacerauit; & corpora vulnerauit. Priusquam vero progrediamur occurrunt quędam consideranda.

PRIMO illud, An per exorcismum quem isti protulerant super hunc energumenum, ipse fuerit liberatus à dęmonio. Resp. ita quidam videntur sensisse. In sermone enim illo de baptismo Christi inter opera Cypr[i]a. ita legitur, *Obediunt dæmones ex[orcistis. Christum]* (inquiunt) *scimus, & Paulum nouimus, & in nomine Christi quem Paulus prædicat, adiurati egredimur; vos autem penitus ignoramus.* Sed profecto parum probabile est id in isto fuisse factum, siquis textum narrationis huius consideret. Neque verba recitata conuincunt authorem [illius sermonis] istius hoc sensisse. Cum enim ex persona dæmonis istius, dicit, In nomine Christi adiurati egredimur: sensus esse potest, solemus egredi, iam aliquoties egressi sumus: tametsi tunc id non fieret ab isto. Deo licet per ipsum dæmonem volente punire hos duos exorcistas.

SECVNDO. Cum ex cap. 7. Matth. vers. 22. 23. constet quod etiam per malos homines dæmonia in nomine Christi ejiciantur, & miracula fiant: cur voluerit Dominus istos exorcistas tam male tractari ab illo dæmone? Respo. vtroque modo Dominus dat gloriam nomini suo, ad nostram spiritualem vtilitatem;

litatem; vtroque modo dico, id est, & tunc quando per malos etiam homines ad inuocationem nominis Christi pelli dæmones aut miracula alia operatur; & nunc quando visus est violentia dęmonis ad corporaliter affligendum istos quæstuarios atque ambitiosos exorcistas, per nomen Iesu adiurationem facientes. Nam id ex v. proxime sequenti intelligetur.

TERTIO, cur Paulus Apostolus non obstiterat istis quæstuarijs exorcistis tali formula adiurationes suas facientibus. Resp. variæ rationes esse potuerunt, spectatis circumstantiis: veluti quod expectabat à Deo vt ipse tempore oportuno remedium adferret, imo vt hoc ipsorum molimen conuerteret ad suam maiorem gloriam; vt factum est.

QVARTO. cap. 16. huius operis v. 18. legitur quod Paulus spiritus pythonici laudem qua is Paulum & Silam commendabat, non tulerit; & spiritum ipsum subito ex puella pythonissa eiecerit: cur hic dęmone dicente *Paulum scio;* nihil contradixerit. Resp. constat Paulum non fuisse præsentem cum hoc diceret spiritus malus. Deinde nec cap. illo 16. statim fecit Paulus quod ibi narratur; sed post complures dies, vt illic dicitur; oportunitate scilicet expectata. Quem spiritualem fructum multis attulerit, hæc quæstuariorum & ambitiosorum exorcistarum castigatio Deo authore per ipsum spiritum malum, facta: deinceps narratur vsque ad v. 21. Sequitur ergo.

VERS. 17. Hoc autem notum factum est omnibus Iudęis atque gentilibus qui habitabant Ephesi:

HOC] quod dæmon ita tractasset istos malos exorcistas, nec illos timuisset; cum interim Iesum & pręconem eius Paulum sese timere profiteretur. *Notum factum est omnibus.*] Ex domo enim istius dæmoniaci fugerant Iudaici illi exorcistæ, non expectata commoditate secreto exeundi, adacti præsente periculo: itaque res non potuit latere. *Et cecidit timor super omnes illos;*] Timoris variæ sunt species; indistinctè de illo loquitur S. Lucas: ita vt in quibusdam Ephesiorum natum fuisse timorem initialem possimus credere; in multis seruilem, qui tamen paulatim, in non paucis, transierit in salutarem timorem. De varietate timoris prout is sub considerationem Theologi cadit, videndus S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 2. & seqq. & 3. p. q. 85. art. 5. vbi duplicem timorem seruilem videmur satis accurate distinxisse. *Et magnificabatur nomen Domini Iesu.*] *Nomen Domini Iesu.*] Hoc est ipse Dominus Iesus à Paulo prædicatus laudatus, celebratus. *Magnificabatur*] id est, à multis magnus agnoscebatur, & palàm dicebatur: nam homines non alio modo possunt Deum magnificare. Magnus autem, potestate, authoritate, iustitia, benignitate Dominus Iesus habebatur & prædicabatur à quam plurimis. Item à Deo Patre *magnificabatur nomen Domini Iesu;* quia notitiam Christi hominis ac celebritatem qua coli iam à multis cœperat vt Saluator mundi; hanc, inquam, notitiam ac celebritatem Deus Pater augebat varijs modis, tam extensiue quam intensiue; nimirum plures ac plures ad eius notitiam & cultum adducens; & iam adductis augens fidem de Christo suo eiusque mysterijs, & charitatem in ipsum.

Quod totum etiam amplius à multis demonstrabatur, externa professione conuersionis animorum: nam

VERS. 18. Multi credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus suos.

VENIEBANT] quo? In primis ad Paulum ipsum; nonnulli Paulo manente, ad aliquem ex subsidiarijs Pauli veluti ad Timotheum & ad Erastum. nam hos tunc adhuc Ephesi fuisse patet ex v. 21. & 22 & eadem ratio videtur esse de Sila, qui arctiore quodam vinculo Pauli socius erat in munere euangelij, vt patuit sup. cap. 15. v. 40. cap. 16. v. 19. & seqq. multis. Porro Erastum illum, quoniam postea fuit Episcopus Philippensium, vt est in Martyrol. Rom. die 26. Iulij, hoc tempore saltem presbyterum fuisse à Paulo ordinatum, possumus probabiliter ratiocinari, præsertim cum v. 22. huius dicatur ab eo missus vna cum Timotheo in Macedoniam, vt nimirum nouellos christianos illic in fide confirmarent, & propagarent euangelium salutis.

CONFITENTES *& annunciantes actus suos:*] *Confitentes & annunciantes.*] græce, ἐξομολογούμενοι, καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς π. α. Eæ voces haud dubie plus significant quam quod isti in terminis generalissimis professi sint sese esse peccatores vel etiam se multa & grauia peccata fecisse: nam eum qui non plus dicat, nemo affirmabit confessum esse ea quæ fecit, & annunciasse sua facta. specialis igitur confessio peccatorum significatur.

SI vlterius quæratur, An ex hac scriptura valide probetur quod lapsorum à baptismo, specialis de suis peccatis confessio, sacerdoti facienda, sit necessaria; vel saltem quod primis ecclesiæ temporibus fuerit in vsu; an (inquam) ex hac scriptura id validè probetur: circumspecte respondendum est, & distincte. eius sacramentalis confessionis necessitatem tum ex traditione vniuersali perpetuo vsu declarata, tum ex alijs sacræ scripturæ locis, & veterum testimonijs. efficacissime à catholicis probari: ex hac vero non nisi probabiliter Non enim liquet an isti de quibus sermo est, fuerint tunc christiani, id est, per baptismum prius recepti in Ecclesiam; an vero nondum fuerint baptizati, sed dumtaxat ad prædicationem Pauli Apostoli iam credebant in Iesum, & magna pœnitentia vitæ anteactæ compuncti, enunciabant apud Apostolum & socios eius, sua peccata, adhuc ante baptismum. Hoc posterius est magis probabile, consideranti seriem narrationis huius à vers. 11. vsque ad 20. Consideranti præterea quod apud Ioannem Baptistam multi confitebantur peccata sua Matth. 3. v. 6. Marci 1. vers. 5. quibus locis similiter vt hîc, est participium ἐξομολογούμενοι & tamen constat nondum baptismo Christi fuisse baptizatos qui hoc apud Ioannem baptistam faciebant. Consideranti denique quod veteres ecclesiæ doctores hunc locum de nondum baptizatis accipiunt. Citat Ioannes Lorinus hunc locum exponens, Basilium in regulis breuioribus; (tametsi in Basilio latine verso, prout nobis nouissime datus est, non reperimus quod ille citat ex regula 228) Bedam quoque in cap. 1. Marci, cuius verba valde aperta sunt. Accedit, quod nullus veterum Theologorum hoc loco vsus reperitur ad probandum

sacra-

sacramentalem peccatorum confessionem, vt neque Conc. Trident. & quod multi ex recentioribus docti ingenue fatentur eò non valere: inter quos prolixe id docet idem Lorinus, citans eruditos neotericos idem sentientes, Caietanum, Michaelem à Palatio, Andream Vegam. His omnibus addi potest, quod nullo modo verisimile sit christianos neophytos (etsi Ephesi degentes, quæ vrbs erat plena superstitionibus magicis, & alijs) tam cito post suum baptismum, Paulo Apostolo cum socijs adhuc præsente, & quotidie concionante, redijsse ad peccata pristina, & inter ea ad artes magicas, ac libros sibi parasse eosque legisse rerum magicarum. Certe Arator quoque manifeste docet eos de quibus hic & v. seq. sermo est, nondum fuisse baptizatos, sed baptismo sese parasse per ea quæ hoc loco narrantur. Versus eius sunt;

Ast alij magicos possunt incendere libros,
Vt mereantur aquas, & vitent ignibus ignes.

Aratore vetustior B. August. in psal. 61. in fine concionis vbi agitur de reconciliatione cuiusdam mathematici, idem significat, etsi non plane exprimat. Augustino vetustior Euseb. Demonstrationis euangelicæ lib. 3. cap. 8. circa medium, plane de his loquitur tanquam de ijs qui nondum fuissent in ecclesiam recepti. Potest conferri quod Socrates lib. 5. cap. 17. narrat de quibusdam ethnicis Alexandrinis, plane simile. Opponitur à contrariæ sententiæ authoribus, quod isti vocentur credentes; *multi credentium*: (quod græce est τῶν πεπιστευκότων habens significationem præteriti) itaque videri fuisse iam Christianos. Responsio facilis est, etiam qui nondum sunt baptizati, fidem tamen Christi susceperunt; vt vere sunt, ita eos in scriptura vocari *credentes*, sicut initio huius cap. S. Lucas vocat *discipulos*, de quibus tamen narrat quod nondum erant baptizati in Christo. Loca sunt cap. 11. huius operis vers. 21. cap. 8. vers. 12. 13. 37. cap. 5. vers. 14. Omissis infinitis alijs: nam per se notum est, semper adultos antequam baptizarentur, fuisse non solum credentes, sed etiam fidem professos.

Hæc omnia istorsum dicta sint vt (quod subinde dictum est ac sæpe est dicendum) qui fidem catholicam apud infideles defendit, potius sit solicitus de argumentorum aduersus eos pondere, quam de numero; siue in hac de sacramentali confessione materia, siue in quauis alia. Nam qui secus faciunt, per imprudentiam male merentur de bona causa; offendiculum ponunt infirmis catholicis; & ijs quoque qui misere ab hæreticis sunt seducti. Nam vafricies hæreticorum ista infirmiora argumenta facile eludet, & magna cum gloriatione solutionem venditabit, firmioribus præteritis: quo fiet vt rudes catholici, vel ab hæreticis seducti, putent nihil firmitatis esse in catholica doctrina, cum adeo plausibiliter videant ista argumenta dissolui. Diximus ea de re nonnihil, ad cap. 6. vers. 3. & 6. & prius ad cap. 2. v. 42. in fine annot. Etiam Lorinus ita expresse iudicat esse faciendum, ad cap. 20. vers. 7. Omnino conferendum est quod habet S. Hieron. in cap. 37. Ezech. sub finem primæ annot.

VERS. 19. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros; & combusserunt coram omnibus:

QVI *fuerant curiosa sectati*] græcè est, *qui curiosa fecerant seu exercuerant*. Per ista *curiosa*, expositores vno consensu intelligunt artes magicas, quas valde viguisse Ephesi quando illa ciuitas idolis seruiebat, sup dixim us ad v. 10 ex B. Hier. præfationibus ad 1. & ad 3 libros Comment in ep. st ad Ephesios.

CONTVLERVNT *libros*] illos scilicet in quibus nefanda illa mysteria magiæ continebantur; illos (inquam) in vnum aceruum comportauerunt, coram Paulo, & socijs eius. non intra domum seu hospitium Pauli, sed in platéa ante domum; vt patet ex eo quod sequitur. *Et combusserunt coram omnibus*.] En remedium quo vtendum est: duersus libros perniciosos, siue quod sanæ fidei, siue quod bonis moribus contraria contineant. Quanquam ista prauorum librorum, vel chartarum extensarum, aut picturarum perniciosarum, exustio, nó remedium est dumtaxat, sed etiam signum execrationis errorum & scelerum ijs contentorum. Sunt veterum Impp. sanctiones multæ, nonminus quam Pontificum & Synodorum, quibus ita fieri iubeatur de libris hæresim aut superstitionem aliam, vel obscænitates continentibus. Sequitur, *Et computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*. Posterior pars ita sonat græce; *Inuenerunt argenti myriades quinque*. Notum vero est vnam myriadem comprehendere decem chiliades: vt quinque myriades abeant ad quinquaginta millia. Sed cuius monetæ aut quantæ debeant hæc quinquaginta millia intelligi; frustra laboratur vt queat designari, in tanta per diuersas regiones monetarum varietate, tum vetere tum recentiore. S. Lucas dicit *argenti quinque myriades*. quod recte accipias vt sit nummorum argenteorum quinque myriades seu quinquaginta millia; nec dubium quin loquatur de nummis argenteis monetæ Ephesiæ: sed incertum est quantum valuerit vnusquisque illorum illorum argenteorum nummorum. Interpres noster interpretatur *denarium*, pecuniaria voce romana: sed incertum est quantum valuerit apud romanos *denarius* lib. 1. de ling. lat. Varro quidē ait, Denarij dicti quod denos æris valebant; quinarij, quod quinos; vnde constat denarium fuisse nummum argenteum: sed singuli æri et nummi ex illis denis aut quinis, quanti fuerint, ignoremus libenter, sciri enim nequit; nec interest an sciamus. Satis esse nobis debet quod S. Lucas pretia istorum librorum ad ingentem summam abijsse narret. Quorsum vero hoc narrare voluerit, S. Aug. dixit in fine concionis ad psalmum 61. vbi hanc historiam allegans, ait; Incensi sunt libri tam multi; vt pertineret ad scriptorem æstimationem eorum facere, & summam precij conscribere. Hoc vtique *propter gloriam Dei*: ne tales etiam perditi desperarentur ab illo qui nouit quærere quod perierat. Hæc S. Aug. Ergo B. Lucas hoc de magnitudine precij attexuit, sicut & illud quod est vers. preced. ad demonstrandam magnitudinem diuinæ in istos misericordiæ; quæ, post fidem, ipsis inspirauerit

tit tantam pœnitentiam baptismalem, quanta hic describitur, per opera externa iam tam exemplis se p o le atem. Congruit his illa subiuncta acclamatio S. Lucæ,

VERS. 20. Ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur.

VERBIS pene iisdem vsus fuit sacer historicus cap. 6. v. 7. cap. 12. v. 24. Ex quorum locorum collatione, facile erit sensum huius clausulæ accipere. *Verbum Dei*] græce est. *Verbum Domini.*] Intelligitur autem doctrina de vno vero Deo, quæ tradebatur idololatris; multorum, ideoque falsorum Deorum cultoribus: doctrina item de Iesu Nazareno quod ipse sit Christus, missus à Deo Patre redemptor humani generis; quæ Iudæis quoque tradebatur vt illis necessaria, tametsi vnum Deum colentibus. Doctrina hæc & fides quæ de illa erat, *crescebat*] in dies pluribus ad eam recipiendam accedentibus; *&* *confirmabatur*, seu (quod habent nonnulli libri latini expressius è græco) *confortabatur*; his nimirum qui iam crediderant in fide corroboratis, & magno feruore per opera bona eam exercentibus. Id quod fecerant ij (tametsi nondum baptizati) de quibus iam dictum est v. 18. & 19. *Augebatur* item *&* *corroborabatur* in admiratione & æstimatione, apud eos quoque qui nondum credebant, sed ad fidem amplectendam propendebant, paulatim minus ac minus tribuentes magiæ & idololatriæ, ac his quæ eam solent consequi.

VERS. 21. His autem expletis, proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia & Achaia, ire Ierosolymam.

HIS *autem expletis.*] Hinc colligitur, superiora hactenus narrata non contigisse ad finem illius biennij de quo v. 10. sed aliquanto antea: nam isto tempore postquam illa contigerant, hæsit adhuc Paulus Ephesi; vt liquet ex v. proxime sequenti, & ex v. 23. vsque ad finem cap. *Proposuit Paulus in spiritu.* Sermo est de Spiritu sancto, iuxta Chrysost. qui Paulo suggesserit hanc profectionem Ierosolymitanam. Vnde factum est vt ab hoc proposito reuocari non potuerit, neque prædictione Agabi prophetæ, neque precibus amicorum vt narrabitur infra, cap. 21. vers. 4. 11. 12. 13. *Transita Macedonia & Achaia*] vt scilicet visitaret ecclesias istarum prouinciarum, quas fundauerat; nouelloque Christianos in fide & charitate ac patientia confirmaret: ac prætera vt eleemosynas colligeret quas portaret in Iudæam, ad pauperes ex ea gente christianos, illic degentes, facultatibus exutos à suis contribulibus propter fidem Christi. Hæc facile probantur ex 1. Cor. 16. in principio per aliquot versus. 2 Cor. 1. v. 15. & seqq. & cap. 8. ac 9. Item 1. Thess. 1. v. 14. 15. Adde Rom. 15. v. 25. & seq. nec non Gal. 2. *Ire Ierosolymam.* Fuerat Ierosolymis ante triennium, [illegible] dicta sunt cap. præced. v. 1[illegible] & 21. 22. sed [illegible] cupit nunc illuc [illegible] ar, [illegible] hoc ipsum immissum a Spiritu sancto vt dictum est. Causæ illius profectionis præter illam ele-

eleemosynarum delationem de qua dictum est, potuerunt esse hæ; vt antequam Romam peteret (quod eum deinde voluisse facere dicitur verbis seqq.) suum consilium communicaret cum Iacobo fratre Domini Ierosolymorum episcopo; item, vt locis illis sanctis valediceret, præsagiens se illuc non reuersurum; simulque christianis præsertim ex Iudaica gente, illic degentibus.

QVADRANT his ista sequent. a. *Dicens, quoniam postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.* Cum hæc diceret Apostolus Romam nondum viderat; cuius tamen videndæ magno & sancto tenebatur desiderio; non propter vrbem aut sæcularem eius pompam; sed propter christianos qui illic erant, & multi numero & fide atque charitate excellentes. Id ipse Apostolus testatur epistolæ ad Rom. cap. 1. vers. 8. & aliquot seqq. Rursum cap. 15. vers. 23. 24. 28. 29. Atque hac de causa cum à Iudæis periculum vitæ ei impenderet, ipse appellauit Cæsarem; vt esset ei facultas veniendi Romam. cap. 25. Sequitur de Paulo.

VERS. 22. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum & Erastum; ipse remansit ad tempus in Asia.

CVR hos præmiserit in Macedoniam, causam principalem attigimus sup. ad v. 18. initio annot. Causa alia erat vt isti præpararent eleemosynas à Macedonibus conferendas, quæ postea mitterentur ad pauperes christianos Ierosolymæ degentes. Videantur loca scripturæ ad vers. præced. allegata. *Ipse mansit ad tempus in Asia.* Ephesi nimirum, vbi erat; in Asiæ minoris metropoli. Hoc manifestum est ex sequenti narratione quæ durat vsque ad finem cap. apertissime autem ex v. 30. Et ex initio cap. sequentis.

SEQVITVR vltima pars huius capitis, de tumultu maximo Ephesi excitato per auaritiam quorundam, contra doctrinam fidei christianæ.

VERS. 23. Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini.)

ILLO *tempore.*] Quo scilicet dimissis in Macedoniam Timotheo & Erasto, Paulus adhuc aliquantisper remanebat Ephesi; vt proxime dicebatur. *De via Domini*] de religione christiana, eiusque apud Ephesios prædicatione, imo de fide vnici veri Dei, aduersus idololatriam illic prædicata. Multa enim complectitur *via Domini*; nempe totum illud iter per quod Deus homines ducit in salutem æternam. Conferatur huius cap. v. 9. & cap. præced. v. 25. Quæ autem turbatio?

VERS.

VERS. 24. Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ; præstabat artificibus non modicum quæstum:

ARGENTARIVS.] Græce est ἀργυροκόπος, vt intelligamus eum qui in argento incidebat, qui argentea sculpebat, siue per se, siue per alios, quorum operam conducebat; *Faciens ædes argenteas Dianæ;*] Illud Dianæ est secundi casus, vt liquet ex græco, ἀρτέμιδος. *Ædes*] græce, ναούς, templa. Per *ædes* igitur istas *argenteas Dianæ,* in magna varietate expositionum, videmur nihil melius posse intelligere quam argenteas imagines ipsius templi Dianæ, quod erat Ephesi magnificentissimum maximeque frequentatum etiam ex longinquis locis, vt ex historijs liquet. Has imagunculas argenteas peregrini magno numero emebant, & secum domum auferebant, in honorem Dianæ: vt nos catholici imagines ex quauis materia, templi Deiparæ quod est Hallis, aut in Aspero colle, aut Laureti, & sic de alijs locis. Credibile est quosdam has ipsas imagunculas argenteas obtulisse Dianæ in illo eius templo Ephesio; vt offeruntur alia donaria; in honorem, item in sarta tecta instauranda; aut in sustentationem ministrorum templi.

QVOD ad Dianam attinet, S. Hieron. præfat. ad lib. 1. Comment. in epist. ad Ephesios, ait Ephesios coluisse Dianam, non illam venatricem, quæ arcum tenet, atque succincta est; sed illam multimammiam, quam græci πολύμαστον vocant; vt scilicet, ex ipsa quoque effigie, mentirentur omnium eam bestiarum & viuentium esse nutricem. Non est operæpretium inquirere an diuersa illa nomina quæ ethnici Dianæ tribuebant, omnia in vnam eandemque, diuersa ratione, dicebantur: an in plures nomine Dianæ. Certe, quæ S. Hieron. dicit, manifestum est illum de diuersis dicere voluisse. Et Marcus Tullius lib. 3. de Natura Deorum, aliquanto post medium libri, tres Dianas à græcis cultas fuisse tradit. Eodem loco, simile (id est plures vno nomine fuisse) tradit, ex græcorum antiquitatibus, de plerisque Deorum gentilium, in irrisionem eorum; vt verisimile est. Verba Tullij sunt; Dianæ item plures: Prima, Iouis & Proserpinæ, quæ pinnatum Cupidinem genuisse dicitur. Secunda, notior, quam Ioue tertio & Latona natam accepimus. Tertiæ pater Vpis traditur; Glauce, mater. *Præstabat artificibus non modicum quæstum*] his scilicet qui ei operas suas locabant; vt fit in opificijs: vnum quempiam centum viros habere qui subseruiant. Hunc sensum accipimus ex græca voce quæ significat *opificium,* ἐργασίαν, vbi nos habemus, *quæstum.*

VERS. 25. Quos conuocans, & eos qui huiusmodi erant opifices; dixit: Viri, scitis &c.

ILLVD (*huiusmodi*) est pluralis numeri, neutri generis, secundi casus; vt sensus sit, *& eos qui talium rerum erant opifices.*] *Scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio:*]

quisitio:] *Acquisitio*] græce εὐπορία, rerum copia. Hic Demetrius, verificat quod Apostolus alibi dixit: *Radix omnium malorum est cupiditas pecuniæ;* & plura eodem pertinentia, 1. Tim. 6. v. 9. 10. Pergit Demetrius,

VERS. 26. Et videtis & auditis quia (quod) non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ Paulus hic, suadens, auertit multam turbam;)

ILLI genitiui (*Ephesi*) & (*totius Asiæ*) pendent ab illo subsequente substantiuo (*turbam*). *Auertit multam turbam*] à cultu nostrorum Deorum, inter quos Diana eminet. Pergit de Paulo; *dicens quoniam* (quod) *non sunt dij qui manibus fiunt.* En, Demetrius habet pro absurdo Pauli dictum non esse Deos qui manibus fiunt,& Caluinus (vt catholicorum argumentis possit illudere) mordicus tenet,aut se tenere simulat,quod ethnici nunquam fuerint tam stolidi,vt opera manuum humanarum putarent esse Deos. Hoc ille, contra tam multas, tam expressas increpationes & irrisiones quæ sunt in scripturis sacris in stupidos illos idololatras. Itaque Demetrius talem rationem suis proponit, qua periculum quæstus vrgetur: sed addit & aliam, quæ religionem illam paganicam concernat, dicens;

VERS. 27. Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire.)

QVASI dicat; Non agitur solum neque præcipue res nostra,quorum opificium magnopere periclitatur, ne vilescat & improbetur, ac ita quæstus noster pereat: *Sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur.*] Græcus interponit nomen (*Deæ*); hoc modo; *sed & magnæ Deæ Dianæ* &c. & sic recitat B. Hieron. præfatione illa ad lib. 1. Comment. in epist. ad Ephesios. Illud templum; postea, quamuis christiana religione inuecta; per ethnicos fuit diu retentum, vsque dum sub Gallieno Imperatore Gothi inuadentes Asiam, illud penitus spoliarunt & incenderunt. Narrat hoc ex Trebellio Pollione Baron. ad annum Christi 263. §. 20.

ADDIT Demetrius; *Sed & destrui incipiet maiestas eius; quam tota Asia & orbis colit.* Nulla erat maiestas illius Dianæ,nisi in miserorum idololatrarum opinione posita; qui eam *magnam Deam* fingebant; vt Satyricus de Fortuna dicit, Iuuenalis nimirum:

Te facimus Fortuna Deam, caloque locamus.

Itaque per se casura erat omnis illa maiestas, quando tenebris idololatriæ dispulsis, homines vnicum verum Deum agnoscere inciperent. Quod addit Demetrius de Diana, *Quam tota Asia & orbis colit:* proh dolor, nimis verum erat illo tempore;quando Deus merito grauissimorum peccatorum præcedentium, permiserat omnes pene nationes in varias idololatriæ formas ac species,etiam fœdissimas, prolabi; inque ijs hærere: iuxta ea quæ Apostolus Paulus dicebat supra cap. 14. v. 14. 15 & prolixe cap. 1. ad Romanos.

VERS.

VERS. 28. His auditis, repleti sunt ira; & exclamauerunt, dicentes, Magna Diana Ephesiorum.

REPLETI *sunt ira.*] Illi nimirum ad quos superiora verba concionabatur Demetrius; qui erant numero multi;& (vt fit in talibus) alij quoque illis sese adiunxerant cum viderent eos à Demetrio conuocatos concursare. *Et exclamauerunt, dicentes Magna Diana Ephesiorum.*] Hoc clamore suam erga Dianam religionem & venerationem sunt professi; ac veluti obtulerunt suum ministerium ad eius (vt loquebantur) maiestatem retinendam & tuendam. Est autem ex sequente narratione verisimile, quod discursauerint præ ira per plateas ciuitatis, ita clamantes; cum non ignorarent per omnes totius vrbis vicos esse complures, qui, Paulo Apostolo tanto iam tempore illic fidem vnius Dei & Christi prædicante, essent abducti à cultu Dianæ, & omnium falsorum Deorum; quod Demetrius v 26. conquerebatur. Vocant autem *Dianam Ephesiorum*, eo quod singulari veneratione ab Ephesijs coleretur, vt dictum est, in præcedentibus.

VERS. 29. Et impleta est ciuitas tota confusione;

MIRVM quo casu à Biblijs Clementinis absit illud (*tota*) cum codices latini, tam manuscripti quam alibi impressi, constanter habeant, conformiter originali. Ergo istis clamantibus & discursantibus; à ciuibus temerarius concursus factus est, plerisque nescientibus cuius rei gratia concurrentes alios viderent, vt dicetur vers. 32.

ET *impetum fecerunt vno animo in theatrum;*] Theatrum verisimiliter erat in loco maxime publico totius ciuitatis; hunc locum igitur toto agmine putarunt ciues isti concursantes esse occupandum; vt fit in tumultibus & seditionibus; nempe præcipuum forum, aliaque publica loca ante omnia curant tenere, qui prævalere optant. *Rapto Gaio & Aristarcho, Macedonibus, comitibus Pauli.* Hos videntur vspiam obuios habuisse aliqui ex istis concursantibus, & agnouisse quod essent ex comitibus Pauli; quod non est mirum: nam biennio iam & amplius Apostolus Paulus cum suis Ephesi agebat. Itaque cum istos haberent obuios; correptos violenter traxerunt in suam multitudinem; verisimiliter cum suis deliberaturi quid de illis esset agendum. Conferatur v. 37. Sequitur,

VERS. 30 Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli.

IN *populum*] congregatum scilicet ad illud publicum theatrum ciuitatis. hoc enim tam ex vers. præced. quam ex proxime seq. notum est. *Non permiserunt discipuli.* Verisimiliter, etiam retinentes volentem exire domo. Qua vtique in re non peccarunt; scientes Paulum adhuc necessarium esse propagationi euangelij & ædificationi ecclesiæ Christi. Neque Paulus peccauit volens sese dare in publicum, ad tumultuantem populum gentilem concione sedandum, &

docendum fidem vnici veri Dei, hac occasione quod authores huius tumultus vicatim clamauerant, *Magna Diana Ephesiorum:* non (inquam) peccauit; extimulatus dilectione Dei & proximorum, ac diuinæ prouidentiæ sese committens. Per spiritum autem discretionis seu prudentiæ, imo & charitatis, paruit precibus discipulorum, & sese palam periculo non exposuit. Quamuis autem in publicum non prodierit: erat tamen in tanto periculo & metu, ob magnitudinem istius tumultus; vt de hac tribulatione omnino videantur esse dicta quæ leguntur 2. Cor. 1. vers. 8. & seqq. Paruit item magnatibus Asianis, amicis suis, idem rogantibus; de quibus sequuntur ista;

VERS. *31.* Quidam autem & de Asiæ principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum.

ERANT *amici eius*] vel iam fideles, vel catechumeni; vel saltem in eum bene animati, forte propter accepta beneficia curationum de quibus supra v. 11. Porro quod dictum fuit totam ciuitatem impletam fuisse confusione; id S. Lucas aliquousque explicat verbis sequentibus.

VERS. *32.* Alij autem aliud clamabant.)

DEMETRIVS quidem cum suis à principio clamauerant plateatim; *Magna Diana Ephesiorum:* sed postquam ex tota ciuitate multitudo ingens confluxerat in locum publicum theatri; ex tota hac multitudine *alij aliud clamabant*, id est, diuersi diuersum quid; alij hoc, alij illud, alij rursum aliud. Diuersitatis illius causa subijcitur; *Erat enim ecclesia confusa;*] Intelligatur vt v. 29. explicatum est, istud *(confusione)*. Nam quadrat explicatio verbis sequentibus, istis; *Et plures nesciebant qua ex causa conuenissent.* Vt fit in repentinis tumultibus, ac plebis concursationibus. Nomen *ecclesia*, hîc iuxta generale suum etymon accipiendum est: significat enim istam inconditam multitudinem, euocatam in publicum opera Demetrij & sodalium eius. sic infra v. vlt. Sequitur,

VERS. *33.* De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis:)

VIX est dubium, quamuis Demetrius cum suis directo Paulum impeteret & eos qui doctrinam eius susceperant, quos à religione Deorum auersos dicebat, v. 26. tamen Iudæos qui Ephesi habitabant eodem pene loco habuisse quo Paulum & christianos. Nec enim ignorabant hi gentiles, Iudæos eadem cum Paulo sentire quod attinet ad multitudinem Deorum; Nempe non esse Deos qui manibus fiunt. Quoniam igitur Iudæi multi illic sedes posuerant cum suis familijs: cum fieret tantus nunc iste tumultus, cum professione religionis Dianæ; facile intellexerunt aduersus vnici veri Dei cultores, quatenus tales

tales sunt, conuersationem hanc fieri; ac sibi metuere cœperunt. Quare, vt certius scirent quid ageretur, & quo videretur tendere hæc coitio, multi eorum miscuerunt se huic multitudini; & cum illic reperissent inter cæteros, Alexandrum istum, gente Iudæum, hominem disertum; ipsimet Iudæi eum ex turba illa protraxerunt, & propulerunt vt editiorem aliquam partem theatri conscenderet, ac inde verba faceret ad populum; ad eum sedandum, aut saltem ad persuadendum istis Ephesijs gentilibus quod Iudæi non essent in eadem causa cum Paulo & christianis, vt quibus Paulus displiceret non minus quam ipsis: quo nimirum, hac arte, quidquid periculi instaret, à sese auerterent, ac in solos Paulum & christianos deuoluerent. Hæc in magna varietate expositionum, & super rebus hic gestis coniecturarum, videtur probabilissima, conformis sequentibus. Ergo cum dicitur, *De turba detraxerunt Alexandrum*; suppositum verbi *(detraxerunt)* subaudiendum est ex verbis illis sequentibus, *propellentibus eum Iudæis*. Nempe, Iudæi qui erant immixti huic multitudini, eum è turba plebis extraxerunt, & propulerunt in locum vnde posset audiri à populo. Quid deinde factum?

ALEXANDER *autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo.* Pro illo (reddere rationem) græce est ἀπολογεῖσθαι, defensionem dicere, satisfactionem adferre. bene ad sensum noster. *Rationem* igitur *volebat reddere*, qua populum sedaret; aut saltem efficeret ne furorem conuerteret in Iudæos Ephesi commorantes; iuxta superius dicta. Cæterum, quid profecit Alexander? ne auditus quidem est. Sequitur enim,

VERS. 34. Quem vt cognouerunt Iudæum esse; vox facta vna est omnium, quasi per duas horas clamantium; Magna Diana Ephesiorum.

ECCE mirabilis Dei prouidentia; per ipsos ethnicos factum est, vt Iudæus qui forrassis oratione sua grauaturus erat Paulum & christianos, iuxta superiora; plane non sit auditus. Nam simulatque intellexerunt esse Iudæum, ideoque vnici Dei cultorem: veriti ne contra cultum Dianæ ipsorum Deæ, aliquid diceret; clamore incondito duarum ferme horarum, & illum à concionando impediuerunt, & de nouo suæ Deæ venerationem sunt professi, clamantes vt prius, *Magna Diana Ephesiorum.*

VERS. 35. Et cum sedasset scriba turbas; dixit; Viri Ephesij, Quis enim est hominum qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Iouisque prolis?

SCRIBA] vtique ciuitatis Ephesi publicus, ideoque omnibus illis tumultuantibus notus, & valens apud eos authoritate. Neque est dubium eum fuisse missum à Magistratu ad istum tumultuantem populum, tanquam publicum

ciuitatis officialem, & hominem facundum. fuisse gentilem, satis notum est legenti eius sermocinationem. *Cum sedasset turbas*] saltem eousque vt desinerent tam inconditè toto numero clamare. Hoc enim oportebat, vt ipse posset à multitudine audiri. *Dixit*, Sermocinatio huius scribæ eò tendit vt dissoluatur ista congregratio numerosissima & tumultuosa: & ad hoc persuadendum adhibet argumenta duo. Vnum, quod ducitur ab inhonesto; alterum quod à periculoso. Inhonestum enim erat, Ephesios, sine vlla iustâ causa facere tantum concursum, & tantos ciere clamores. Periculosum vero erat hæc eos facere; quoniam à Proconsule Asiæ accusari apud Imperatorem poterant de seditione; qui imperator deinde granem muliam esset irrogaturus ciuitati ob seditionem; statuendi exempli causa. Argumentum prius tractatur hoc versu, vsque ad 40. Posterius, v. illo. 40. vbi est finis cap. Ergo priore loco ita loquitur hic grammateus; *Ephesij, Quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ Dianæ Iouisque prolis?* Quasi dicat, Nulla erat causa cur tam numerosus vester concursus fieret, ac deinde tota multitudo tam diu clamaret, Magnam Dianam Ephesiorum: totus enim mundus nouit hanc ciuitatem esse specialiter addictam cultui magnæ Deæ, (hoc verbum enim additur græce) Dianæ, vbi templum ei structum & ornatum est, quale nusquam alibi.

IOVISQVE *prolis.*] Piget in his ethnicorum ludibrijs examinandis, bonas horas collocare. Pro istis verbis græce legitur ϗ τοῦ Διοπετοῦς; quod ad verbum sonat, *& illius à Ioue delapsi;*] vt subaudiatur (*simulacri*) vel quid simile. Nos probamus coniecturam Desiderij, Interpretem nostrum latinum in suo codice græco non habuisse articulum τοῦ: vnde factum vt istud Διοπετοῦς fecerit epitheton Dianæ, ac verterit (*prolis Iouis*) vt Dianam velit à Ioue delapsam seu deductam, via progeniei, iuxta fabulas poetarum, qui eam Iouis & Latonæ filiam fingunt. Id quod Marcus Tullius vbi sup. in 3. de Natura Deorum, de Ioue tertio (tres enim Ioues paulò ante illic commemorauerat) traditum fuisse ait. Tertium vero Iouem dixerat esse illum Cretensem, Saturni filium, cuius in illa insula (addit) sepulcrum ostenditur. Pergit scriba ad Ephesios verba faciens.

VERS. 36. Cum ergo his contradici non possit;)

VTPOTE toti mundo notis; *oportet vos sedatos esse, & nihil temere agere.* significat, id quod fecerant, temere, ac præcipitanter eos fecisse: quod apertius dicit verbis sequentibus.

VERS. 37. Adduxistis enim homines istos.)

VIDETVR sermo esse de Gaio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli, de quibus v. 29. nec enim apparet de quibus alijs dicatur. *Neque sacrilegos, neque blasphemantes Deam vestram.* Verum dicebat scriba, etsi fortassis ipse, vt homo gentilis, aliter de istis sentiebat. Paulus enim & soc. j eius neque sacrilegi erant, neque Deos gentilium blasphemabant, quando dicebant eos nihil

nihil diuinitatis habere, nec esse Deos qui manibus hominum fiunt. Conuicium id non erat, multo minus blasphemia: sed ipsissima veritas, iustis ex causis, cum debitis circumstantijs; audientibus proposita. Tum occurrit scriba tacitæ responsioni, quæ dari potuisset à populo, nempe sese confluxisse ad succurrendum Demetrio & sodalibus artificibus, qui detrimentum sese passos, aut certo expectare à Paulo, conquesti erant: cui occurrit his verbis;

VERS. 38. Quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent aduersus aliquem, causam: conuentus forenses aguntur, & Proconsules sunt, accusent inuicem.

QVASI dicat; Demetrius & sodales eius, qui hunc tumultum concitarunt, cum priuatum suum negotium agerent; præter officium fecerunt quod hac via ingressi sunt; qui coram Proconsule, aut eius vicario hic agente, debebant conuenire eum vel eos à quibus detrimenta sese accepisse conqueruntur. Addit scriba,

VERS. 39. Siquid autem alterius rei quæritis: in legitima ecclesia poterit absolui.

SENSVS; Quod si creditis hoc negotium non concernere solum Demetrium & sodales eius, sed etiam totum populum: tamen non idcirco gerendum erat eiusmodi concursu & tumultu; sed legitimo conuentu, seu congregatione aliqua publica, iuxta leges huius ciuitatis indicta, poterat expediri per eos per quos iure debet, & quo modo debet. *Legitima ecclesia* dicitur congregatio, seu euocatio populi iuxta leges ciuitatis facta. Singulis autem mensibus tres tales congregationes illic fiebant, ait hic Chrysost.

HIS verbis scriba viam parat alteri suo argumento, ad dissoluendum istum cœtum. Vult enim significare esse rem plenam periculi quam illi ciues faciebant, ita concutsantes & clamantes; metuendum enim esse ne apud Imp. ciuitas defetatur, tanquam seditionem fecerit nullo colore excusabilem. Hoc volunt ista;

VERS. 40. Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cum nullus obnoxius sit de quo possimus reddere rationem concursus istius.

CVM *nullus obnoxius sit &c.*] Hæc vsque ad finem sententiæ, variè leguntur & græce & latine; quibusdam illa verba (*de quo possimus reddere rationem*) cum Desiderio parenthesi includentibus, quibusdam minimè: quod posterius melius videtur, nam alioqui non cohæret oratio, neque satis veritati narrationis superioris videtur congruere. Est etiam expositionis varietas ex-
co

eo quod cum in græco codice dicitur *μηδενὸς αἰτίου ὑπάρχοντος*, illud, *μηδενὸς* potest esse generis masculni vt ad hominem pertineat, vel alterius; vt sensus sit, nulla existente causa; vel nulla re existente causa; de quo, vel de qua &c. Videtur simplicissimum & facillimum quod dedit noster interpres; cuius interpretationis sensus sit; *cum nullus fuerit author istius concursus, quem in eo facto possimus cum ratione excusare.*

Et *cum hæc dixisset*] scriba; incutiens suis verbis metum aliquem populo illic congregato, ideoque ad discedendum è theatro, iam propensum faciens, *Dimisit ecclesiam*] id est istum cœtum, istam congregationem. Dimisit autem; cum effectu: vel adhortans vt vnusquisque sine mora iret in domum suam; vel etiam hoc ipsum authoritate magistratus præcipiens. Et ita solutus est iste tumultuantium cœtus; vt patet initio capitis sequentis.

ARGVMENTVM

CAPITIS XX.



PAVLVS digressus Epheso, varijs locis Macedoniæ & reliquæ Græciæ fideles Christi in ipsius fide confirmat, exhortatur, consolatur; Troade adolescentem Eutychum è morte suscitat. Festinat nauigare in Syriam: in quo itinere cum venisset Miletum, illuc aduocauit episcopos & presbyteros prouinciæ Ephesiæ, hortans eos ad strenue & constanter faciendum officium, simulque valedicens. Illi autem, multis cum lacrimis vicissim valedicunt Paulo conscendenti nauem.

VERS. I. Postquam autem cessauit tumultus; vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit; & profectus est vt iret in Macedoniam.

IN priore parte huius versus, Interpres noster sensum reddit, non omnino verba; si tamen in suo codice græco ita legit vt habent codices hodierni. Vocauit, scilicet Paulus discipulos, & consolatus atque exhortatus est eos, nimirum propter tumultum qui aduersus doctrinam salutis fuerat commotus, & propter similes persecutiones quæ poterant expectari. Ac deinde ijs valedixit, & ingressus est iter vt proficisceretur in Macedoniam. Sic enim proposuerat cap. præced. v. 21. Fortassis autem citius discedit Epheso quam erat alioqui discessurus, ob illum de quo dictum est tumultum; prudentia & charitate ita suadente: ne propter eius diuturniorem Ephesi moram, aliqua noua tempestas concitaretur aduersus discipulos Pauli.

QVIDAM putauerunt à Paulo nunc Ephesum relinquente, illic Timotheum ordinatum fuisse eius ciuitatis episcopum, ibique hoc tempore mansisse:

fisse: sed hæc Timothei episcopalis residentia omnino videtur cœpta fuisse postea; si quis consideret cap. præced. vers. 22. & huius cap. vers. 4. 5. 6. 13. 14. etiamsi aliquamdiu Ephesi hæserit Timotheus, Apostolo illinc digresso, donec ad eum in Macedoniam iret, eius voluntate. Vide Estium in 1. ad Timoth. 1. vers. 3.

VERS. 2. Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone;

PARTES *illas*] ciuitates & prouincias per quas ab Epheso itur in Macedoniam; item ciuitates & prouincias ipsius Macedoniæ. *Et exhortatus eos fuisset multo sermone.*] *Eos* scilicet fideles illorum omnium locorum; vt stabiles in fide Christi & vita christiana permanerent, inter omnes tentationes & tribulationes *Venit ad Græciam.*] Per Græciam videtur omnino intelligi Achaia, quæ stricto nomine Hellas seu Græcia, dicebatur, vt est videre etiam apud Ptolemæum Tab. 10. Europæ. Videatur & Thesaurus Geographicus Ortelij; Achaia, Græcia.

VERS. 3. Vbi cum fecisset menses tres:)

NIMIRVM faciens quod solebat, confirmans fideles in Christi fide, consolans, exhortans ad perseuerandum in via salutis; imo & multos infideles conuertens ad vnius veri Dei & Christi fidem: *Factæ sunt illi insidiæ à Iudæis, nauigaturo in Syriam;*] *A Iudæis*, vtique cupientibus eum vspiam intercipere & occidere. Iampridem enim cupiebant interfectum; & in sequentibus huius operis capitibus narratur quod id tentauerunt ac moliti sunt aliquoties; cap. 21. v. 27. 31. cap. 22. v. 22. cap. 23. v. 12. cap. 25. v. 3. Credibile est Apostolum has quæ nunc commemorantur insidias, velle inter alias comprehendere, ijs verbis quæ sunt infra v. 19. vbi conqueritur de Iudæis insidiantibus. Nec obest quod ibi manifeste loquatur de insidijs quas Iudæi struxerunt ei in Asia; hic autem sermo est de Achaia: non obstat: quoniam hic non dicitur insidias istas structas esse in Achaia, sed nauigaturo ex Achaia in Syriam; quod vtique per bonam partem Asiæ futurum erat. *Habuitque consilium vt reuerteretur per Macedoniam.*] Ad vitandas insidias Iudæorum, alia via, per Macedoniam, iturus in Syriam. Vnde autem cognouit insidias sibi structas à Iudæis? Deo authore, sine dubio; siue per internam reuelationem, siue per ministerium hominis cuiuspiam ad hoc à Deo interpositi, sicut infra cap. 23. v. 16. alias aliorum Iudæorum insidias cognouit per suum ex sorore nepotem, quem Deus illarum insidiarum fecerat gnarum.

VERS. 4. Comitatus est autem eum.)

HIC græci codices addunt, *vsque in Asiam.*] quæ verba cum Louanienses Theologi priore Bibliorum correctione testentur in latinis manuscriptis

 se

se repetisse: nos putamus ad vulgatæ nostræ editionis integritatem pertinere. *Sopater Pyrhi*. Probabilius est subaudiri τὸ (filius) quam istud (pater): illud enim frequentius est in tali genere locutionis. Additur *Beræensis*; hoc est primi casus, vt patet ex græco. Est autem Berœa ea Macedoniæ ciuitas de qua supra cap. 17. vers. 10. & seqq.

THESSALONICENSIVM *vero Aristarchus & Secundus*; de Thessalonica, ciuitate itidem Macedoniæ, actum est cap. illo 17. huius operis in principio & v. 11. ac 13. *Et Gaius Derbæus*] ex Derba ciuitate Lycaoniæ, de qua supra cap. 14. v. 6. & 19. iterum cap. 16. v. 1. *Et Timotheus*] de quo iam sæpius, à cap. 16. in principio hucusque; veluti cap. 17. v. 14. 15. cap. 18. v. 5. Additur, *Asiani verò Tychicus & Trophimus*. Ex Asia minore hi erant: facitque mentionem honorificam Paulus Apostolus Tychici quidem, ad Ephesios 6. v. 21. ad Coloss. 4. v. 7. 2. ad Timot. 4. v. 12. Trophimi verò, eodem cap. 4. ad Tim. v. 20. Porro Aristarchi facta fuit mentio cap. præced. huius libri v. 29. Videturque idem esse quem Apostolus ad Coloss. 4. v. 10. suum concaptiuum nominat. Gaius autem qui hic nominatur, videtur esse diuersus ab illo qui cap. præced. v. iam dicto 29. nominabatur: nam ille quidem expresse dicitur fuisse Macedo; hîc autem iste Gaius nominatur Derbæus; ideoque Lycaonius fuit; & fortassis idcirco tam signanter hic ei apponitur epitheton, *Derbæus*, vt intelligamus esse diuersum ab illo. Sequitur,

VERS. 5. Hi cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade.

SVSTINVERVNT] dixit interpres pro, *expectauerunt*. Ad verbum poterat reddere, & quidem pulchre, *Manebant nos*] ἔμενον ἡμᾶς. Latinis elegans verbum (*manere*) pro expectare; vt ibi, Manet insontem grauis exitus. *Nos*] Paulum, Silam, & me Lucam. *Troade*] de hac ciuitate, & prouincia cui nomen dat, dictum fuit ad cap. 16. vers. 8. Erat ciuitas maritima ad mare Ægeum, habens gradus longitudinis 56. latitudinis pene 41. Tab. 1. Asiæ apud Ptolemæum. Sequitur,

VERS 6. Nos vero nauigauimus post dies azymorum à Philippis,)

POST *dies azymorum*.] Ad cap. 16. v. 12. ratiocinati sumus non fuisse Philippis synagogam Iudæorum: vnde apparet hic non intelligi dies azymorum quos Iudæi ritu ceremoniali Mosaico celebrauerint Philippis; sed simpliciter significari tempus Paschæ: nam fere coincidit Pascha christianorum cum Paschate ac solemnitate azymorum iudaica, vt patet. *A Philippis*, huius ciuitatis facta est mentio cap. 16. v. 12. vbi dicebatur esse primam ciuitatem Macedoniæ, videlicet (vt illic patuit) ex Thracia in Macedoniam eunti. Habet enim ea ciuitas longit. gradus pene 51. latitud. pene 42. apud Ptolemæum Tab 10. Europæ. *Et venimus ad eos*] qui nos expectabant; *Troadem in diebus quinque*. Tot dies fuisse consumptos non est mirum si quis latitudines conferat Philipporum

rum & Troadis; tum etiam quia nauigantibus remoræ diuersis ex causis veniunt. *Vbi demorati sumus diebus septem.* Non recreationis causa, sed spiritualis ædificationis gratia, scilicet confirmantes christianos, consolantes, exhortantes; quin & infidelibus viam salutis annunciantes. Obseruandum est autem quod S. Lucas hic omnia in prima persona dicit; significans sese his rebus interfuisse, vt comitem Pauli Apostoli. Cœpit ita loqui cap. 16. v. 10.

VERS. 7. Vna autem sabbati, cum conuenissemus ad frangendum panem;)

IN græco est, *Vna sabbatorum*; plane eodem modo vt Lucæ 24. v. 1. & Ioannis 20. v. 1. vbi nos habemus vt hîc, *vna sabbati*; originalis codex habet *Vna sabbatorum*: & illud (*vna*) ponitur pro (*prima*) vt liquet conferenti Matth. 28. v. 1. vbi Interpres *primam* dixit, quod græce est μίαν. Porro *sabbata* pluraliter dicuntur singuli dies hebdomadæ, in hac locutione, vt sit sensus, Prima dierum totius hebdomadæ, ea vero dies est quam christiani appellamus dominicam. Porro cum dictum sit v. præcedente Paulum Apostolum & comites eius hæsisse Troade dies septem; ex his quæ vers. isto 7. & v. 11. dicuntur patet hunc diem dominicum fuisse vltimum ex illis septem. nam postridie profectus est Paulus. Ergo die septimo commorationis Troade, qui fuit dies dominicus, *Cum conuenissemus ad frangendum panem;*] *Conuenissemus:* non est præcise sermo de Paulo & comitibus eius, sed & de christianis qui erant Troade. nam hæc pars ita legitur in originali, *Cum conuenissent discipuli ad frangendum panem:* Sequitur, *Paulus disputabat eis.*] A scribis addita fuit (cum) præpositio in quibusdam libris; cum Biblia Louaniensia Grauianæ impressionis & manuscr. quos vidit Isidorus Clarius meliores, non habeant, vt abest originali, & obsit sensui. non enim cum discipulis disputabat Paulus; sed ijs seu apud eos disserebat ac sermocinabatur de rebus salutaribus. *Profecturus in crastinum.*] id est profecturus postridie; profecturus illo die qui tunc erat crastinus. *Protraxitque sermonem vsque in mediam noctem*] Certabat nimirum auiditas audiendi discipulorum, cum auiditate docendi, exhortandi, consolandi, quæ erat Pauli Apostoli.

VERS. 8. Erant autem lampades copiosæ in cenaculo vbi eramus congregati)

LAMPADES] retinuit Interpres noster vocem græcam λαμπάδες, sed notum est ea voce non significari lychnos, sed generaliter lucernas.

VBI *eramus congregati*] græce, *Vbi erant congregati*; scilicet *discipuli*; refertur enim illuc istud (erant) de quibus vers. præcedenti, *Cum conuenissent discipuli.* Quare quod nos habemus (*Vbi eramus*) intelligatur sic, Paulus cum socijs, & discipuli seu christiani illius oppidi.

PORRO quod hic dicitur in eo cœnaculo fuisse lucernas copiosas; probabile argumentum suppeditat fuisse hîc congregationem sacram ac mensam sacram. Nec enim tulisset Paulus sui dumtaxat honoris causa, vim luminarium

accendi. Accedit quod omnes christiani illius ciuitatis videntur hic fuisse congregati, qui vtique magno cum incommodo erant tanto numero conuiuium corporale simul facturi. Adde quod ex v. 9. videntur fuisse congregati in tertio cœnaculo seu tabulato; vtique secreti causa; vbi sane non commode conuiuium vulgare erat futurum. Præterea ex vers. 11. collato cum hoc 8. patet quod panem frangebant isti post mediam noctem. Cum igitur hic audimus eos in cœnaculo isto fuisse congregatos; intelligere possumus congregatos fuisse ad audiendum sacram Pauli concionem; ac insuper (vt dicebatur v. 7.) ad frangendum panem, nimirum istum sacrum, qui dat vitam mundo: vt etiam B. August. intelligit Epist. 86. Sed vnde illis hic sacra Eucharistia? nempe, ipso Paulo sacrificante & consecrante, qui deinde eam distribuit, ac vna cum illis sumpsit; vt innuitur illis verbis v. 11. *Frangens panem & gustans.* Ita ratiocinandum nobis erit, conformiter proxime dictis; ac existimandum quod S. Lucas hæc ita verbis generalibus enunciet, sed quæ sciret à christianis lectoribus, vt mysteriis gnaris, facile intellectum iri. Et hæc quidem vt bene probabilia dicta sunt, consentanea B. August. epist. 86. sub finem, & Venerab. Bedæ ad hunc locum v. 7. quos authores multi sunt secuti. Non est tamen omnino certa hæc sententia: nam rationes allatæ solum possunt aliquatenus; & Chrysost. tam priori quam posteriori expositione de sacra mensa nihil dicit, sed perinde loquitur ac si vulgaris mensa hic fuisset, tametsi christianæ charitatis plena. Et Liranus de corporali refectione disertis verbis exponit hanc fractionem panis. Sequitur,

VERS. 9. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus, super fenestram; cum mergeretur somno graui disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus.

MIRABILIS Dei prouidentia voluit miraculo ingenti confirmare Pauli doctrinam; simulque eodem miraculo consolari istos fideles; ac sic Paulum eis valedicere. *Sedens super fenestram.*] Monet Chrysost. per hoc significari ingens desiderium audiendi Paulum, vt vnusquisque caperet quem locum posset, & quidem intempesta nocte, & in tertio tabulato. *Cum mergeretur somno graui.*] Non ab ignauia dormitauit, sed à necessitate naturæ, ait idem Chrysost. *Disputante diu Paulo.*] Iam dictum fuit v. 7. Paulum protraxisse dissertationem siue sermocinationem suam vsque in mediam noctem. *Ductus somno*] somno depressus, præ somno ruens, *Cecidit de tertio cœnaculo deorsum;*] *tertio cœnaculo*; græce est, *ex tristego*: quam græcam vocem S. Hieron. in vulgata nostra reliquit Gen. 6. v. 16. & Ezech. cap. 42. v. 6. significat autem *tertium tectum*: sed oportet meminisse quod singula tabulata sint quædam tecta; ita nimirum vt infimæ partis ædium quæ prima contignatio dicitur, tectum sit primum tabulatum; secundæ, tabulatum secundum; tertium vero tabulatum, sit tectum tertiæ: si modo sint tot tabulata. alioqui enim, si sint duo dumtaxat tabulata; ipsum supremum

premum tectum idem est tectum tertiæ. Expressit porro S. Lucas hanc altitudinem, tertij scilicet tabulati; vt intelligeremus lapsum fuisse lethalem. Vnde addit, *Et sublatus est mortuus.*

VERS. 10. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum)

VT quondam Elias & Helizeus in mortuos quos Dei virtute erant suscitaturi. 3. Reg. 17. v. 21. 4. Reg. 4. v. 34. *Et complexus.*] Amplius hoc est quam super eum incubuisse. Porro Deus corpora sanctorum suorum, etsi tunc nondum omnino renouata, ita honorauit propter inhabitantem ijs Spiritum sanctum, cuius erant templa; ita (inquam) honorauit vt eorum contactu suscitarentur mortui. Quod excitare debet fideles ad venerationem sanctarum reliquiarum, quas habemus sanctorum Dei iam cum Christo regnantium. *Complexus* vero *eum*] aliquantisper scilicet, nam hoc latet in vocabulo illo (συμπεριλαβών: *Dixit*, Nolite *turbari; anima enim ipsius in ipso est.* Commendat Chrysost. Pauli in hoc sermone modestiam. Vide (ait) vt fastu caret Pauli sermo: non dicit, *Ego illum excitabo*; sed duntaxat *Ne turbemini.* Et addit *Anima enim ipsius in ipso est.* Constat ex verbis historiæ proxime præcedentibus Eutychum fuisse vere mortuum: Apostolus tamen ait animam eius in ipso esse; sed hoc ait postquam iam aliquamdiu illum fuisset toto corpore complexus: nimirum simul cum hoc dicto anima eius in corpus redibat. Ita Arator hunc sermonem intellexit, & valde probabiliter. Est enim hoc pacto istud simile ei quod Saluator Ioannis 4 dicebat regulo illi; *Vade filius tuus viuit.* Simul enim cum his verbis Domini, tametsi absentis, morbus omnis pellebatur, & plena reddebatur filio sanitas, vt ex illius cap. vers. 52. notum est. Ita resuscitatus fuit Eutychus; quem tamen Paulus non vna secum adducit in superiorem locum vbi erat congregatio; ne ostentare videretur opus suum: sed ipse solus ascendit, & post aliquod spatium temporis fideles Eutychum adduxerunt in conspectum omnium. Hæc dicentur versibus duobus sequentibus.

VERS. 11. Ascendens autem frangensque panem, & gustans;)

INTERRVPTA erat sermocinatio Pauli, isto miserabili infortunio Fortunati (hoc enim sonat Eutychus); ac deinde miraculo illo ingente resuscitationis eius: pro qua actis Deo gratijs, Paulus ascendit in tertiam contignationem, vnde descenderat; & visus hac interruptione, iam incipit aliquid sumere refectionis; ac postea resumit sermocinationem vsque ad diluculum diei, & tum sese dat in iter. Hoc dicunt illa, *Satisque allocutus vsque in lucem, sic profectus est.* scilicet pedestri itinere, ipse sine comitibus. vers. 13.

VERS. 12. Adduxerunt autem puerum viuentem; & consolati sunt non minime:

ADDVXERVNT rediuiuum Eutychum, in conspectum omnium valedicentium Paulo Apostolo, & ipsum ei cum magna reuerentia valedicentem. *Et consolati sunt non minime.*]non mediocriter. Causa erat, tum propter ipsum & eos quos ille attingebat;tum propter miraculum, quo fides Christi in his discipulis corroborabatur, & Dei gloria augebatur. Recte dixit Interpres, *Non minime*] quia istud (*minime*) proprie non est negatio, sed est superlatiuus, idem valens quod *minimum*: licet vsitatum sit ponere pro negandi aduerbio, optimis authoribus; sed non est perpetuum. Sufficiat illud Columellæ, lib. 1. Lata bubilia esse oportebit pedes decem, vel minime nouem; quæ mensura ad procumbendum pecori laxa ministeria præbeat. In familiaribus epist. Cic. obseruatum simile, lib. 14. epist. 13. Quod in miserrimis rebus, minime miserum putabis, id facies. Pergit S. Lucas.

VERS. 13. Nos autem ascendentes nauem, nauigauimus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat, ipse per terram iter facturus.

ASSON] ciuitatem maritimam in Phrygia minore. Tab. 1. Asiæ apud Ptolemæum, aliquanto infra Troadem. *Ipse per terram iter facturus.*] Textus originalis sonat. *Ipse pedibus iter facturus.* Molestiorem profectionem suscepit Apostolus tum mortificationis causa, tum ad alloquendum complures in illo terrestri itinere, quam potuisset si & ipse vectus fuisset naui. Eius rei causa ipse sic ordinauerat.

VERS 14. Cum autem conuenisset nos in Asson.)

ERGO S. Lucas cum socijs citius venit Asson quam Paulus Apostolus. *Assumpto eo*] in nauem qua vehebamur, *Venimus Mitylenen.* Ea erat clara ciuitas maritima in Lesbo insula; habens longit. gradus 56. latitud. paulo plusquam 39. Tabula 1. Asiæ apud Ptolemæum.

VERS. 15. Et inde nauigantes, sequenti die venimus contra Chium.

CHIVS est insula infra Mitylenen; in hanc non videntur ingressi, sed ex aduerso illius quandam stationem in mari fecisse. *Et alia applicuimus Samum*) Videtur oppidum Samus significari (nam & insula tota illa Samos dicitur): in quod tamen non sint ingressi, sed vna nocte Trogyllij (quod hîc addit græcus, & erat prommotorium è regione Sami oppidi) quieuerint. Porro

ro Samus oppidum in Tab. 1. Asiæ apud Ptolemæum habet gradus longit. 57. cum medio, latitud. 37. cum medio.

Et *sequenti die venimus Miletum*: Nauigio vecti ex Samo. Erat nobilis ciuitas Miletus, habens in eadem tab. gradus longit. 58. & paulo amplius; latitud. 37. Eam idem Ptolemæus attribuit Cariæ; Alij Ioniæ, in qua Ephesus; vt Ælianus & Pomponius Mela, quibus accedit Ortelius in Thesauro geographico, Verbo Miletus: Quo eodem loco ex 2. Iliad. Homeri, ex Strabone, Pausania & Plinio, tradit fuisse aliam Miletū ciuitatem in Creta insula. Quod obseruandum est propter locum Apostoli 2. ad Tim. 4. v. 20. in quo nonnulli hærent; cum ibi videatur omnino illa Cretica Miletus intelligi, si quis conferat quæ leguntur infra huius operis cap. 27. v. 7. 13. 21. Hoc autem loco certissimum est Miletum designari illam Asiaticam de qua tam multa profani scriptores.

Vers. 16. Proposuerat enim Paulus transnauigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia.

Per hæc verba redditur ratio cur ab insula Chio aut certe ex promontorio Trogyllio, nō nauigauerint Ephesum, quod erat rectum iter, sed vecti sint inde Miletum vt dictum est v. præcedente. Ratio enim est hæc, quia Paulus hac profectione voluit prænternauigare Ephesum; sciens si illuc intrasset se à discipulis aliquot dies retinendum, vel inuitum Ipse autem omnem moram hærendi in Asia, vitare cupiebat. Et cur? *Festinabat enim si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis.* v. 6. dicebatur Paulum post dies azymorum, à Philippis Macedoniæ ciuitate nauigasse; &, quam diuersa loca interea viserit vsque dum nunc venit Miletum, patet ex superioribus; atque ita non multum temporis iam ei superfuisse vsque ad Pentecosten. Festinabat itaque vt in Pentecoste posset esse Ierosolymis. Causa huius festinationis erat non Iudaica solemnitas Pentecostes, quæ fere coincidebat in Pentecosten christianorum; sed, (ait Chrysost.) quod ad illam Iudaicam Pentecosten confluebant vndique Iudæi. Cupiebat igitur Paulus vti opportunitate permagnæ illius congregationis intra vrbem Ierosolymam; ad propagandam fidem Christi inter Iudæos, illos qui nondum credebant Iesum Nazarenum esse Messiam Domini; quorum vtique erat ingens numerus, & quorum cæcitatem & cordis duritiam valde hic Apostolus deplorabat; vt est videre Rom. cap. 9. & aliquot sequentibus. Alia causa festinationis erat collatio eleemosynæ in Iudæos christianos per Iudæam, suis exutos, & valde egentes. infra cap. 24. v. 17. Porro, quamuis Ephesum hoc nunc itinere præteruehere tur Apostolus, ob causam dictam: tamen noluit Ephesios sine omni alloquio præterire; curam habens salutis tum rectorum tum subditorum. Hoc dicunt sequentia,

VERS.

VERS. 17. A Mileto autem mittens Ephesum, vocauit maiores natu.

MAIORES *natu*] græce est πρεσβυτέρους. Poterat noster interpres, retinere vocem eandem, in latina hac versione; quoniam vsitatissima iam olim est latinis, quando dignitas seu præfectura ecclesiastica significatur, non quando ætas. Retinuerat cap. 15. v. 2. retinuerat etiam cap. 14 vers. 22. Vbi multa hac de re diximus. Poterat & alijs locis retinere; quando constat gradum ecclesiasticum significari; vt sane significatur hoc loco. Nam v. 28. ijdem nominantur *episcopi*, & dicuntur constituti à Spiritu sancto, ad regendum ecclesiam Dei: quod nemo sanus ob solius ætatis maioris causam dixerit.

POSSET quæri, an per istos presbyteros intelligantur soli illi qui propriè dicuntur Episcopi; quod videri posset alicui minus attento, propter illa verba v. 28. sed omnino dicendum est quod illo v. nomine *episcoporum* non intelligantur illi præcisè qui propriè episcopi nominantur, ordine scilicet & iurisdictione superiores ijs qui simplices sacerdotes dicuntur; sed etiam hi tales, præsertim si habebant curam animarum: nam ipsa animarum cura quædam episcope est; sed discernebantur tamen titulo tali, vt dicerentur secundi ordinis sacerdotes; presbyteri aut episcopi ex secundo ordine. Et ideo primis illis ecclesiæ temporibus, etiam tales subinde vocabantur episcopi: manente nihilominus superioritate tam ordinis quam iurisdictionis penes illos quibus postea appropriatum fuit episcopi nomen, vt omnis confusio vocabulorum tolleretur. Docuit hoc apertissimis verbis S. Chrysost. exponens initium epist. S. Pauli ad Philipp. Ita enim loquitur ibi Apostolus; *Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconis. Cum episcopis*, ait, Apostolus: vbi Chrysost. Quid sibi vult hoc? an tunc vnius ciuitatis erant episcopi plures? nequaquam: sed hoc titulo designat presbyteros. Erat enim eo adhuc tempore vocabulum hoc commune. Ita Chrysost. Idem commentario in hunc locum docet Oecumenius allatis etiam alijs ex nouo testamento locis; addens hunc scripturæ loquendi morem à multis ignorari. Præter hunc locum, & illum ex principio epistolæ ad Philippenses, Oecumenius citat. 1. ad Tim. 3. *Siquis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse.* Citat etiam ex 1. cap. epist. ad Titum, *Constituas per singulas ciuitates presbyteros.* Et mox; *Oportet enim Episcopum sine crimine esse.*

NOVA quæstio oritur, An igitur in hoc cœtu quem Paulus aduocauit, vnicus erat veri & stricti nominis episcopus, Ephesius scilicet: Respondendum videtur illum aduocatum non fuisse, iam enim erat cum Paulo; vt patet conferenti cap. præced. v. 22. huius cap. v. 4. 5. 6. 13. 14 Timotheus scilicet. Et nihilominus ex alijs ciuitatibus prouinciæ Ephesiæ (metropolis enim erat Ephesus) aliqui veri episcopi nunc adfuisse videntur, ex verbis Apostoli quæ sunt v. 25. *Amplius non videbitis faciem meam, vos omnes per quos transiui prædicans regnum Dei.* Non pertransierat autem solam diœcesim Ephesiam. Idem colligi potest

poteſt ex verbis Apoſtoli quæ ſunt verſ. 18. Et ita hanc hiſtoriam ſe intellexiſſe S. Irenæus declarat, lib. 3. cap. 14. inquiens; Paulus, in Mileto, conuocatis epiſcopis & presbyteris qui erant ab Epheſo & à reliquis proximis ciuitatibus, multa teſtificans eis, adiecit; &c.

VERS. 18. Qui cum veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit eis:)

EST hęc Pauli ad eos oratio hortatoria; qua grauiter magnoque charitatis affectu pręfectos iſtos eccleſiarum Prouinciæ Epheſiæ, admonet ſui officij, & integritatis atque conſtantiæ in eo obeundo; argumentis ſumptis tum ex neceſſitate muneris iniuncti & quidem à Deo, tum à ſuo exemplo, tum ex periculis in quæ alioqui caſuri ſint & ipſi & greges fidelium ijs concrediti. Hæc autem concio habita eſt à Paulo, iam accincto ad conſcendendam nauem: vt patet ex vltimis verbis capitis: vt ſimul ſit valedictoria. Ait, ergo, *Vos ſcitis, à prima die qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim.*] Quod nihil peccet Paulus hic multa de ſeipſo prædicans, bene hîc explicat Lorinus ex Gregor. Chryſoſt. Peluſiota, Bern. propter ſcilicet circumſtantias facti. *Qualiter vobiſcum fuerim:*] qualia & quanta paſſus ſim; qualia & quanta per Dei gratiam egerim & fecerim: idque *per omne tempus à prima die qua ingreſſus ſum in Aſiam* hanc minorem. Quod tempus fuit triennij; non minus nocte quam die; vt dicitur infra, verſ. 31. & ex cap. 19. v. 8. & 10. conſtat Paulum Apoſtolum in ſola Epheſo conſumpſiſſe biennium & tres menſes: Quare in reliqua Aſia facile aliquot menſes conſumpti ſunt; quemadmodum ſignificatur cap. illo 19. verſ. 1. vt fuerit triennium in Aſia occupatus; ſicut dicetur verſ. illo 31. huius cap.

VERS. 19. Seruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus quæ mihi acciderunt ex inſidijs Iudæorum:)

SERVIENS *Domino*] non ſolum vt bonus chriſtianus, ſed in primis vt bonus & fidelis Apoſtolus eius, & fidelium epiſcopus. *Cum omni humilitate;* Ita loquitur quoniam varij ſunt humilitatis gradus, de quibus B. Thomas 2. 2. q. 161. art. 6. poſt S. Benedictum & Anſelmum. Item, quia humilitas erga diuerſa hominum genera eſt exhibenda: nimirum etiam erga inferiores, imo etiam erga inimicos: rurſum, quia habenda eſt non ſolum in animo, ſed & in ſermone, in externa conuerſatione, in modo agendi, in geſtibus, totaque ſenſibili ſpecie; nec minus rebus proſperis quam aduerſis.

ET *lacrymis.*] Græce additur, *multis.* Solitus erat Apoſtolus fundere lacrymas, tam in ſuis ad Deum precibus pro ſua aliorumque ſalute, quam in admonitionibus quas verbo vel ſcripto, faciebat infidelibus vel peccatoribus alijs, aut infirmis in via Dei; infra v. 31. Item in conſolationibus afflictorum; nec

non in suis meditationibus, quando miserum & damnabilem statum multorum proximorum suorum, ac specialiter Iudæorum, considerabat. Videantur verba eius Rom. 9. vers. 1. & 2. 2. Cor. 2. v. 4. Ad Philipp. 3. v. 18. Similia fecerunt sancti; & ipse sanctus sanctorum, Lucæ 19. vers. 41. Ioannis 11. vers. 35. & ad Hebr. 5. vers. 7.

ET *tentationibus quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum. Tentationes*] dixit pro tribulationibus; quomodo & alibi in sacris literis. Lucæ 22. vers. 28. Iacobi 1. vers. 2. Vere enim, qui tribulant alios, ij quantum in ipsis est, eos prouocant ad impatientiam, ad maledicentiam, & similia. Et quanta sit patientia cuiusquam, id veluti explorat Deus per immissas tribulationes. Commemorat autem tribulationes suas Apostolus quæ ipsi acciderant ex insidijs Iudæorum; quamuis & à gentilibus passus erat afflictiones: quoniam animum eius magis cruciabant illæ quas à Iudæis accipiebat; à fratribus nimirum suis secundum carnem, & qui præ alijs hominibus debebant suscipere fidem Iesu Christi, ipsorum patribus promissi, & nunc exhibiti. Atque has tribulationes commemorans Apostolus, tacitè admonet istos presbyteros, vt & ipsi propter fidem Christi, & iustitiam, patienter ferant aduersa.

VERS. 20. Quomodo nihil subtraxerim vtilium)

QVOMODO, pendet ab illo verbo quod est v. 18. *Vos scitis. Nihil subtraxerim vtilium.*] Sensus est, Nihil detrectarim vel laboris vel periculi, qui vel quod ad vestram spiritualem vtilitatem posset valere. Idem verbum quod Interpres hic vertit (*subtraxerim*) infra v. 27. reddidit (*subterfugi*): vt hoc loco sub isto (*subtraxerim*) potius subaudiendum sit (*mihi*) quàm (*vobis*). Neutrum enim legitur in probis latinis libris, vt neque in originali: *Quo minus annunciarem vobis, & docerem vos.*] Quid? exprimitur v. seq. *Pœnitentiam in Deum, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.*] Vbi autem docerem? *Publicè, & per domos.* Quanto autem tempore, & quibus temporis partibus? addit infra v. 31. dicens, *Per triennium, nocte & die.*]

VERS. 21. Testificans Iudæis atque gentilibus, in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.

TESTIFICANS] id est, tanquam Apostolus à Deo missus, palam profitens & inculcans; *Iudæis atque gentilibus:*] illis vnius quidem veri Dei cultoribus, sed ignorantibus Messiam ab eo missum; his autem, idola ac falsos Deos complures colentibus. Inculcaui igitur vtrisque, vt si salui esse vellent, fidem amplecterentur non solum vnici veri Dei, sed & Saluatoris Domini Iesu Christi; simul autem agerent veram super peccatis suis pœnitentiam erga Deum. Hoc est qua detestarentur peccata sua tanquam Dei offensas, qui fons est bonitatis & benignitatis; vt summa & incomprehensibilis ingratitudo sit eum offendere.

NON

Non est vis facienda in eo quod Paulus Apostolus pœnitentiam prius hic nominat quam fidem in Christum. Ipse Saluator Marci 1. v. 15. auspicabatur suam prædicationem hoc modo, *Pœnitemini, & credite euangelio.* Nempe, plerumque distinctam de Iesu Christo fidem (etsi non fidem vnici veri Dei) præcedit pœnitentia prioris vitæ, & nouæ propositum atque inchoatio: sed procedente paulatim dispositione, vtrumque accipitur; scilicet & expressa fides Christi mediatoris, & magis distincta magisque acris peccatorum pœnitentia. In eo autem qui post baptismum lapsus est, retenta tamen fide; patet fidem etiam explicitam de mediatore esse priorem ea pœnitentia qua ipse est reconciliandus. Conferantur quæ sunt in Conc. Trid sess. 6. cap. doctrinæ 6. & 14. & sess. 14. cap. doctrinæ 1. & 2. ac 4. Pergit Apostolus,

VERS. 22. Et nunc, ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem; quæ in ea ventura sint mihi, ignorans:

ALLIGATVS *ego spiritu*] id est à Spiritu sancto necessitate cuiusdam præcepti constrictus. Conferantur quæ dicta sunt ad cap. præced. v. 21. *Vado in Ierusalem* & quidem festinanter, ob causam explicatam ad v. 16. huius. *Quæ in ea ventura sunt mihi, ignorans;*] scilicet in speciali, ait bene post Chrysost. Liranus. nam in generali sciebat se ibi male tractandum; citra tamen mortem. Reuelatum enim erat ei quod Romam postea esset visurus, vt ex dicto cap. præcedentis vers. 21. idem Chrysost. & alij colligunt; & postea renouata fuit reuelatio, cap. 23. vers. 11. Male se Ierosolymis tractandum, dicit per hæc generalia verba subsequentia,

VERS. 23 Nisi quod Spiritus sanctus, per omnes ciuitates.)

ID est, per fideles prophetas incolentes eas ciuitates quas hoc itinere transeo. *Mihi protestatur.*] In originali est verbum idem cuius participium habuimus v. 21. vt, sensus sit; Mihi palam denunciat, disertis verbis affirmat. *Dicens quoniam* (quod) *vincula & tribulationes Ierosolymis me manent.* Hæc ita postea euenisse, patet ex cap. 21. vers. 27. & seqq. nec non capitibus 22. 23. Pergit Apostolus,

VERS. 24. Sed nihil horum vereor; nec facio animam meam pretiosiorem quam me:)

NEC *facio animam meam*] id est vitam meam temporalem, vt sæpe alibi: Ioannis 12. vers. 25. cap. 13. v. 37. 38. *Pretiosiorem quam me:*] Ille vitam suam æstimat pretiosiorem quam semetipsum, qui illius seruandæ causa seipsum perdit; Deum videlicet offendens potius quam vitam temporalem amittat. Quæ magna stultitia est; dicente Saluatore, *Nolite timere eos qui occidunt corpus: timete autem eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. v. 28. Græce, eodem sensu legitur, *Neque habeo animam meam pretiosam mihi ipsi.*

& ita legit S. August. conc. 2. in psal. 36. *Dummodo consummem cursum meum*,] vitam istam feliciter, seu in statu gratiæ finiendo; quod quilibet pro se curare debet. Consummem *& ministerium quod accepi à Domino Iesu*,] ad aliorum salutem. Hoc ministerium exponit per verba sequentia, *Testificari euangelium gratiæ Dei.*] *Testificari*] est in originali eadem vox quæ erat vers. 21. *Euangelium gratiæ Dei*] lætissimum nuncium quod Saluator mundi venerit, opus redemptionis peregerit; quod item qui in eum credunt, eique pœnitentes obediunt, ij eius merito accipiant gratuitam peccatorum suorum remissionem, vna cum gratuita illa adoptione qua iustificati adoptantur in filios Dei.

VERSV proxime sequenti dicit *regnum Dei*; quam hîc, *Dei gratiam*: per gratiam enim suam Christus regnat in cordibus, eo regno quod dicebat non esse ex hoc mundo. Ioannis 18. Pergit Apostolus;

VERS. 25. Et nunc, ecce ego scio quia (quod) amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnum Dei.

EGO *scio*] diuina reuelatione; sicut illud quod infra, vers. 29. scire sese ait. *Non amplius videbitis faciem meam vos omnes* &c. Hoc præmittit, vt quæ subijciet, tanquam extrema eius verba memoriæ insigantur. Item (vt Chrysost. notat) ea de causa, vt intelligant hi presbyteri quod necessitas sit ipsi Apostolo ipsos contestandi graui illa oratione quæ sequitur; & cuius causa, superiora omnia præparatoriè sunt præmissa.

VERS. 26. Quapropter contestor vos hodierna die, quia (quod) mundus sum à sanguine omnium.

ID est, si aliquos ex vobis aut ex vestris subditis contingat perire: non erit per meam culpam; sed per vestram, si officio vestro pastorali defueritis; aut per culpam subditorum, si præfectis facientibus officium non obtemperauerint. Ita Chrysost. Probationem addit Apostolus sui dicti;

VERS. 27. Non enim subterfugi quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis.

IDEM dixerat vers. 20. *Omne consilium Dei*,] omnem Dei voluntatem de his quæ vobis sint necessaria creditu & factu, vt saluari possitis. Ita sua verba exposuit ipse Apostolus vers. 21. Atque ex his infert conclusionem hortatoriam; addens,

VERS.

VERS. 28. Attendite vobis, & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

ATTENDITE *vobis & vniuerso gregi.*] Curam gerite salutis propriæ, & aliorum qui vobis sunt commissi. Duplum onus incumbit his qui præsunt: vnum, quatenus sunt ex toto hominum numero singuli quidam, vt quiuis alius ex vniuerso hominum genere; alterum, quatenus habent officium curandi aliorum salutem, pro quorum factis ac moribus Deo Iudici omnium debent reddere rationem, an ad eorum mores emendandos adhibuerint quidquid officij ratione adhibere debebant. Tam multa de isto periculoso onere à sanctis patribus dicta & scripta sunt; ac rursum, tam multa de magnitudine mercedis à Deo retribuendæ his qui gnauiter, industrie, fideliter, constanter, in hoc onere versantur: vt eos qui ad spiritualem (& magna parte idem de temporali seu ciuili dicendum est) præfecturam parantur, vna quidem ex parte extimulari oporteat propter ecclesiæ necessitatem, ac propter magnum amoris in Christum indicium, larga mercede ab ipso compensandum; & nihilominus, altera ex parte veluti fræno quodam coerceri, periculi denunciatione, ne ante tempus prosiliant ad eiusmodi sarcinam gestandam, opprimendi onere citius quam onus portaturi. Hæreat mentibus eorum illa S. Pauli ad Timotheum iam episcopum monitio, quæ est prioris epist. cap 4. vers. 13. vsque ad finem capitis. & ad Hebræos cap. 13. vers. 17. Imo quod est apud Ezechielem prophetam ex ore Domini; Ezech. 33. & 34. Dignus lectu B. August. sermo habens titulum De pastoribus; & alter, habens titulum, De ouibus; vterque Tomo 9. vterque habens titulum libri apud Venerab. Bedam.

IN *quo vos spiritus sanctus posuit episcopos.*] Iam ad v. 17 dictum est, hoc loco non eos solos nomine episcoporum intelligi qui stricte & proprie sic appellantur; sed etiam qui sunt ijs inferiores, curam animarum habentes, Parochi nuncupati. Et nihilominus verum est etiam de talibus, quod Spiritus sanctus eos posuit, vnumquemque in grege suo, rectores, inspectores, præfectos ad regendam Dei ecclesiam: quoniam neque ordinis neque iurisdictionis potestas sacerdotalis cuiquam confertur, nisi virtute & authoritate sancti Spiritus, tametsi per hominis ministerium. Quare ex hoc loco non satis firmiter potest probari quod episcopi suam iurisdictionem habeant immediate à Christo Domino. Maiore probabilitate ex hoc scripturæ loco, queat argumentum duci, episcopos & parochos iure diuino teneri ad residendum apud oues suas; quoniam scilicet Spiritus sanctus vnumquemque in suo grege posuit.

REGERE *ecclesiam Dei.*] *Regere*, Græce est *ποιμαίνειν*; quod non significat regere quomodocumque, sed quomodo ouium pastor regit sibi concreditas oues. Eodem igitur iuxta proportionem modo, debent hi pastoraliter regere oues Christi, illas quæ ipsorum curæ sunt commissæ; quas ipse Christus tantopere diligit vt ijs redimendis vitam suam corporalem impenderit, tanto pre-

tio ex dura captiuitate, quam sub diabolo vt carcerario & tortore, per Dei iustitiam patiebantur, eas veluti emens à Deo Patre, suasque faciens. Hoc dicunt illa verba in Christum prolata, *Quam acquisiuit sanguine suo*. S. Thomas 3. p. q. 48. ar 4. & 5. Ad hanc vigilantiam à præfectis gregi suo adhibendam, Apostolus nouum argumentum, & quidem bipertitum, ductum à necessario, adiungit; inquiens:

VERS. 29. Ego scio quoniam (quod) intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi:

EGO *scio.*] Deo mihi reuelante. *Lupi rapaces.*] Qui fideles Christi abducunt vel abducere student in hæreses, in schismata, aut in quæuis alia peccata quibus perditur salus; ij per metaphoram dicuntur lupi, propter fraudulentiam nimirum & crudelitatem; quarum vtraque similes sunt lupis. Quod enim lupi facere solent ac student ouibus; hoc isti student facere rationabilibus Christi ouibus: sed hoc interest quod lupi corpus dumtaxat perdere possunt brutarum illarum ouium; isti vero perdunt rationales animas, dum eas ab æterna salute auertunt. Qua crudelitate nulla maior potest reperiri. Vt iure dicantur *lupi rapaces*, qui illam æternam vitam auferunt; aut, vt hic græce est, *Lupi graues*, qui videlicet tantum detrimentum inferant, quo nullum maius esse potest: vnde de ijs adiungit, *non parcentes gregi*. De mercenarijs nihil hic dicit Paulus Apostolus; sed quid de ijs dicendum sit colligi potest ex c. 1. epistolæ ad Philip. Tolerandi nimirum sunt, saltem vsque dum veri pastores in locum ipsorum queant induci: Tolerandi, dico; quoniam etsi sibijpsis per istum mercenarium animum inutiles sint; gregi sunt tamen vtiles, quandiu intra mercenariorum limites se continent, & non est periculum à lupis. Quid hæc esse velint; discendum est ab his qui scribunt in cap. 10. euangelij secundum Ioannem, vbi est mentio ouium, Pastoris, Mercenarij, & lupi.

ALTERA pars argumenti adhortatorij, & quidem maioris etiam ponderis, est in verbis sequentibus.

VERS. 30. Et ex vobisipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.

EX *vobisipsis.*] non est necesse hoc verificari de aliquibus qui tunc illic erant præsentes Apostolo ista loquenti, sed verificatio fit de aliquibus præsbyteris prouinciæ Ephesiæ. Sensus enim est; Imo, ex hoc ipso vestro huius prouinciæ presbyterorum ordine, nonnulli deficiscent à vera fidei christianæ doctrina, ac docebunt hæreses. Hoc enim est illud, *loquentes peruersa*, seu distorta, obliqua, id est falsa & orthodoxiæ repugnantia, siue in doctrina fidei siue in morum. Qua ratione vera christiana catholica fides dicitur orthodoxia; eâdem, errores qui ei repugnant dicuntur quædam distorta, obliqua, praua, peruersa. Hæc est loxodoxia: Addit Apostolus.

VT

VT *abducant discipulos post se*] *Abducant*] græca vox paulo vehementius sonat, *abstrahant, auellant*; quo significatur magnum studium seducendi. *Discipulos.*] siue eos qui iam sunt discipuli Christi hoc est fideles christianos, siue quos ipsi ex paganismo conuertant. His verbis Apostolus exponit scopum quem hæretici sibi proxime quærunt, quando cudunt noua dogmata. Nempe; cupiunt quamplurimos sibi in suis nouis doctrinis credere: veriti ne parum insignes habeantur si à paucis audiantur: ideoque vt multi eos audiāt, nouitate doctrinæ infirmos, imperitos, carnales homines attrahunt, omnemque suā molitionem destinant ad propriam gloriam & quęstum. Putāt enim sibi esse gloriosum quod ipsis credatur, quod honorentur tanquam veritatis annunciatores: nec curant vt Deus honoretur. Cum ex proprio loquantur; propriam etiam gloriam quærunt; de honore Dei, ac de animarum salute non soliciti; tametsi verbis ea simulent. Imo sæpe præter suam gloriam & temporalia commoda, etiam quærunt nocere ipsi Ecclesiæ ijsque qui ecclesiæ præsunt; odio excæcati & impulsi planè satanico; & hac de causa quoscunque possunt ab Ecclesia misere seductos, suæ factioni adiungunt, aduersus eandem matrem quondam suam. Tempora quibus nos viuimus, nimis multis & magnis experientijs nos ista omnia docuerunt.

QVI ex prouincia Ephesia hanc Apostoli prædictionem verificauerint, ex historia ecclesiastica disci potest: quanquam & ex ipsius Pauli epistolis aliquid haberi potest; 1. Tim. 1. v. 19. 20. & c. 4. per aliquot versus à principio monet Timotheum tanquam archiepiscopum, aduersus quas instantes hæreses, se & suos debeat præmunire. 2. Tim. 1. v. 15. cap. 2. v. 17. cap. 4. vers. 14. 15. Concludit deinde Apostolus suam exhortationem, dicens;

VERS. *31.* Propter quod vigilate,)

ADVERSVS lupos istos, & aduersus omnes omnino hostes salutis tum vestræ tum vestri gręgis: qui sunt (1. Petri 5. v. 8.) dæmones, mali homines item, qui etsi non rectam fidem fort...lis, tamen bonos mores corrumpunt; item propria cuiusque infirmitas, & praua cupiditas. Aduersus omnes istos inimicos salutis vigilandum esse, intelligit Apostolus; vt patet ex sequentibus verbis, his,

MEMORIA *retinentes quoniam* (quod) *per triennium, nocte & die, non cessaui cum lacrymis monens* (id est monere) *vnumquemque vestrum.*] *Per triennium*, etiam integrum, & huius triennij maior pars est consumpta Ephesi. conferantur dicta ad huius cap. v. 18. *Cum lacrymis.*] De his ad v. 19.

MONENS *vnumquemque vestrum.*] *Monens*, & ad cautelam, & ad in bono perseuerantiam. Illud (*vestrum*) à plerisque græcis codicibus abest: sed potest retineri, modo intelligamus non præcise significare istos tunc Apostolo præsentes, sed in illorū persona omnes fideles prouinciæ Ephesiæ. *Vnumquemque.*] Hoc supra v. 20. ita dixit, *Publice & per domos* id est domesticè (vt S. Hier. reddidit, præfatione Comment. in epist. ad Ephes.) seu priuatim. Mira Apostoli charitas, & ex charitate sedulitas lucrifaciendi animas hominum. supra, versibus 18. 19. 20. 21. Addit Apostolus;

VERS. 32. Et nunc commendo vos Deo & verbo gratiæ ipsius:)

VOs] intelligatur vt proxime expositum est istud (Vobis) alloquitur enim omnes fideles prouinciæ Ephesiæ. *Commendo Deo.*] Deo, qui est verus Pastor, & cuius beneficio boni pastores dantur fidelibus. *Vos commendo;* vos seruandos veluti committo & trado;

ET *verbo gratiæ ipsius:*], Notum est locutione hæbraica sæpe (*verbum*) poni pro re, negotio, facto ac similibus: vnde *verbum gratiæ diuinæ*, potest intelligi ipsa diuinæ gratiæ potentia: siue de increata gratia accipias, siue de creata; quæ creata gratia est (præter cætera) ipsum speciale Dei auxilium, nos præueniens & subsequens. Addit Apostolus,

QVI *potens est ædificare.*] *Qui*, Deus nimirum; nihil enim impedit eò referri, quiquid Desiderius parum aduertens, dicat in Annot. & optime quadrat quod adiungitur, *Potens est ædificare.* græce est, superædificare, seu superstruere. quasi dicat, Fundamento spiritualis ædificij à me iacto, Deus potest superstruere quod restat ad totius complementum: vt merito illi tanquam omnium principali authori vos vestramque salutem commendem, qui vos superædificet. Huic apte consonant quæ idem Apostolus Corinthijs scribit 1. Cor. 3. v. 4. & aliquot sequentibus. Potens est, *& dare hæreditatem*; subauditur *vobis*, quod græcus codex exprimit. *In sanctificatis omnibus*] hoc est, inter omnes sanctificatos. sic enim accipimus ex cap. 26. v. 18. vbi similiter est *sanctificatorum* appellatio, in originali. Per hæc igitur verba nouissima Paulus Apostolus commendat istos Christianos Deo ad dandum ipsis perseuerantiam. Nam solis in via Dei perseuerantibus datur hæreditas inter sanctificatos. Deinde addit;

VERS. 33. Argentum & aurum aut vestem nullius concupiui.

PER hæc & ea quæ sequuntur vsque ad finem concionis, Apostolus ostendit se non fuisse mercenarium: & tacite admonet, imo sequentibus paulo post verbis diserte hortatur istos presbyteros, vt suum exemplum imitentur, ad maiorem profectum euangelicæ doctrinæ inter gentes. Nihil cuiusquam concupiui; ne oblatum quidem accepi, tantum abest vt exegerim; *tametsi Dominus ordinauerit ijs qui euangelium annunciant, de euangelio viuere.* 1. Cor. 9. v. 14 Pergit Apostolus.

VERS. 34. Ipsi scitis quoniam (quod) ad ea quæ mihi opus erant.)

VIDELICET ad vitam sustentandam, *& his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.*] Nempe labore manuum mearum parati vitæ necessaria; nihil à vobis volens accipere vnde viuerem. De manuali Apostoli labore ex hac causa

suscepto

ſuſcepto in alijs prouincijs, eſt 1. Cor. 4. v. 12. cap. 9. v. 12. 1. Theſſ. 2. v. 9. 2. Theſſ. 3. v. 8. & ſupra cap. 18. v. 3 ad quem verſum quæ dicta ſunt ſeruient explicationi eorum quæ hic ſequuntur.

VERS. 35. Omnia oſtendi vobis; quoniam (quod) ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.)

OMNIA *oſtendi vobis* &c.] quaſi dicat, Meo exemplo demonſtraui vobis preſbyteris eccleſiarum, omnia quæ facienda & patienda ſint, prouehendæ ſaluti ouium vobis concreditarum; ac ſpecialiter quomodo erga infirmos in fide & moribus, vos debeatis gerere, ne vllam occaſionem habeant reſiliendi à via Dei, & male de vobis ſentiendi, quaſi veſtris commodis ſtudeatis, expectantes honorarium ſcilicet dum doctrinam ſalutis ipſis annunciatis. Quin oportet nos, etiam per moleſtiam ac laborem ſponte ſuſceptum, quæ vitæ ſunt neceſſaria quærere, potius quam vt à talibus infirmis, ea directe vel indirecte exigamus: quos velut iniecta manu retinere debemus, alioqui periculo lapſus expoſitos.

IN verbis iſtis, non eſt putandum hæc eſſe iungenda, *laborantes infirmos*; ex græco enim manifeſtum eſt contrarium: ſed tenendum quod quartus caſus (*laborantes*) regatur à fronte infinitiui (*ſuſcipere*); ille autem caſus (*infirmos*), à tergo eiuſdem: quaſi dicat debemus nos etiam afflicti labore, ſuſcipere ac retinere tales infirmos. Addit Apoſtolus,

AC *meminiſſe* (ſcilicet oportet) *verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit, Beatius eſt magis dare quam accipere.*] Duæ quæſtiunculæ hic mouentur. Prior, in qua euangelij parte ſit ſcriptum hoc verbum Domini Saluatoris. Reſponſio facilis eſt, quod his ipſis verbis in nulla euangelij parte reperiatur ſcriptum; nec id eſſe neceſſe. Exemplum hoc eſt vnum è multis, quo docentur non omnia creditu vel factu neceſſaria, eſſe à ſacris prophetis, euangeliſtis aut Apoſtolis, literis mandata. Si quæratur vnde Paulus Apoſtolus, qui cum Domino non fuerat conuerſatus, ſciuerit ipſum hoc dixiſſe: facile reſpondetur quod Dominus qui doctrinam ſalutis ei reuelauerat, ad Galat. 1. v. 11. 12. ad Epheſ. 3. v. 3. inter cætera & hoc reuelauerit. Potuit etiam ab alijs Apoſtolis, imo ab aliquibus ex reliquo diſcipulorum Chriſti numero, Paulus accepiſſe Chriſtum hoc dicere ſolere. Nec enim putandum eſt ſemel dumtaxat eum hoc dixiſſe: ſed ſæpius dicere ſolitum, & hoc & alia ſalutaria documenta, etiam apud eoſdem; vt faciunt prudentes & ſeduli inſtitutores. Vnde iſtud, *Quoniam ipſe dixit* recte ſic accipias; quia ipſe ſolebat dicere, ipſe dicere conſueuit.

ALTERA quæſtio eſt de veritate huius ſententiæ. Videntur enim multa eſſe argumenta quibus queat impugnari: quæ non eſt neceſſe particulatim proponere; quoniam omnes obiectiones euaneſcent, ſi genuinam ipſius ſententiæ intelligentiam aſſecuti fuerimus. Ad quam aſſequendam proponenda ſunt verba quæ Paulus Apoſtolus ſcribit Philippenſibus c. 4. v. 10. & ſequentibus vſque ad 19. ac ſpecialiter illa, verſus 17. *Non quia quæro datum; ſed requiro fructum abundantem in rationem veſtram*, nimirum plus ſpiritualis fructus natum

est consistere in dando temporale subsidium per misericordiam aut beneficentiam; quam in accipiendo. Qui illud accipit, nullum spiritualem fructum sibi parit quatenus hoc accipit;sed temporale dumtaxat leuamen:at qui illud præbet, magnum sibi emolumentum spirituale comparat, præbendo ex vera Dei & proximi charitate; nempe meritum vitæ æternæ. Ac propterea ad eleemosynas faciendas (vt hoc obiter addamus) debent homines incitari, magis consideratione fructus spiritualis qui ipsis sit venturus, quam temporalis refocillationis venturæ indigenti. Debet tamen eos mouere & alia quædam spiritualis vtilitas quę ventura sit accipientibus; nempe quod ij Deo sint acturi gratias tam pro ipso subsidio, quam pro dono charitatis quam benefactori Deus inspirarit; quod sint oraturi pro benefactore, & ad charitatem in ipsum prouocandi. Quos spirituales fructus subsidia accipientium, Apostolus explicuit 2. Cor. 9. v. 11. & sequentibus vsque ad finem cap.

ITAQVE vt in pauca verba explicationem conferamus; ista sententia proprie loquitur de temporalibus subsidijs:id quod ex ipsa serie & connexione sermonis apostolici, satis apparet. Et ita non habent locum obiectiones de his qui gratiam iustificantem accipiunt opera ministrorum ecclesiæ; qui accipientes vtique beatiores sunt illam accipiendo, quam ministri conferendo quatenus quidem conferunt. Cessant item obiectiones de hominibus offerentibus Deo sacrificium, vel dantibus ei laudem, gloriam, gratiarum actionem. Psal. 67. ad finem. *Date gloriam Deo super Israel.* Et Apoc. 4. v. 9. *Cum darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum;* &c. & mox, *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem* &c. & cap. 5. v. 12. *Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem,* &c. Deus autem ista accipit à creaturis suis;quæ proinde hæc illi dant: nec tamen ideo sunt ipso beatiores; vt notum est. Quamquam hæc obiectio & alio modo tolli potest; dicendo quod Deus proprie nihil à sua creatura accipit; & consequenter illa nihil ei propriè dat;quoniam ipsius sunt omnia;atque ita nihil nostrum possumus nos transferre in Dei dominium; quod propriè foret Deo aliquid dare. Sed dicimur illi dare, quod ad eius honorem vel consumimus vel eius ministris aut pauperibus damus,vel in loca sacra impendimus. Dicimur item illi dare, quæ de ipso prædicamus,ipsum laudantes & gratias ei agentes: quo quidem modo reipsa nihil illi conferimus, sed contra profitemur omnia esse eius & ab eo; idque semper. Conferatur quod dicit Dauid 1. Paralip. 29. v. 14. & sequentibus. Hucusque concio Apostoli ad presbyteros prouinciæ Ephesiæ. Sequitur,

VERS. 36. Et cum hæc dixisset; positis genibus suis orauit cum omnibus illis.

SIMILE fecit Apostolus & fideles Tyrij,in littore;infra cap. 21. v. 5. Porro orare simul cum alijs, signum est communionis in eadem fide & religione: quare hæc Apostoli cum Ephesijs presbyteris communis oratio, catholicæ communionis fuit symbolum: & credere possumus quod ad hoc significandum eam adhibuerit Apostolus. Sed præterea tamen non est dubitandum, quin

quin simul egerit Deo gratias pro beneficijs gratiæ suæ eousque in ipsos collatis;& quin Apostolus à Deo illis rogauerit in via salutis perseuerantiam & profectum;illi autem vice versa Deum rogauerint pro ipsius Apostoli & sociorum eius prosperitate,iam dantium sese in iter:vt hic exemplum habeamus precum quæ ex more ecclesiæ fiunt pro his qui iter quodcumque ingrediuntur. Sequitur,

VERS. 37. Magnus autem fletus factus est omnium:)

DOLENTIVM discessum eius, sine spe reditus,vt proximo v. dicetur. *Et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum*; vna eademque opera testantes suum erga ipsum,vt doctorem salutis, verè Christianum amorem,& ei valedicentes. Sequitur,

VERS. 38. Dolentes maxime in (seu de, super) verbo quod dixerat quoniam amplius faciem eius non essent visuri.

HOc dixerat supra v. 25. Hic dolor non erat qualis solet esse humanus ille luctus, quo nunquam deinceps videndos amicos suos deflent homines: sed erat dolor pius, optantium Paulum ad ipsos redire, spiritualium commodorum gratia,per ipsius ministerium à Deo accipiendorum. Talis enim est eorum qui secundum Deum suos charos diligunt.

ET *deducebant eum ad nauem*] cupientes eius præsentia gaudere quamdiu possent, scilicet vsque dum nauis eum ipsis auferret. Idem faciunt christiani Tyrij cap. 21. v. 6. Non dubitandum autem quin ipsam nauem qua auehebatur prosecuti sint oculis, quamdiu potuerunt; sicut Apostoli Christum Dominum ascendentem in cælum:huius operis cap. 1. v. 10. Boni fideles hic exemplum sibi imitandum habent propositum, eximij amoris quo diligant suos Episcopos,Parochos, confessarios,concionatores,& alios qui dant quomodocumque operam saluti ipsorum promouendæ.

ARGVMENTVM

CAPITIS XXI.

PAVLVS Apostolus soluens Mileto, post longam nauigationem appulit Tyrum, inde Prolemaidem,hinc Cæsaream Palesthinæ: & quamuis diuersis locis fideles eum dehortarentur ne iret Ierosolymam,aduersa illic passurus si iret;ipse nihilominus in sententia persistit,amore patiendi pro Christo. Ierosolymæ Iudæi Asiani commouent reliquos Iudæos;fit tumultus;arripitur & dure tractatur Paulus; occidendus à Iudæis, nisi Tribunus militum præsidiariorum ipsum liberasset; à quo impetrat facultatem loquendi ad populum Iudaicum tumultuose illic collectum.

VERS. 1. Cum autem factum esset vt nauigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum; & inde Pataram.

EST Cous vna earum insularum quæ Cyclades appellantur, in mari Icario, habens ciuitatem eiusdem nominis; cuius ciuitatis in Tab. 1. Asiæ apud Ptolemæum, est longitudo 57. graduum, latitudo vero 36. cum medio.

ET *sequenti die Rhodum.*] In mari Carpathio insula est, & eiusdem nominis ciuitas, quondam celeberrima varijs nominibus; quam insulam ab hinc annis 98. Turcæ nobis eripuerunt, & tenent hucusque: cum equites hospitalarij nostri recuperassent anno Domini 1309. ex manibus Turcarum vt est apud Meierum, Annal. Flandriæ eo anno, & alios.

ET *inde Pataram.*] Patara fuit Lyciæ ciuitas maritima, longit. 60. cum med. gr. in eadem Tab. 1. Asiæ latitud. 36. Patria sanctissimi episcopi Nicolai.

VERS. 2. Et cum inuenissemus nauem transfretantem in Phœnicen, ascendentes nauigauimus.

PHOENICE prouincia est Syriæ, in qua ciuitates nobiles Tyrus & Sidon maritimæ. fuit eius mentio supra cap. 11. v. 19. & cap. 15. v. 3. Nauem hanc fuisse onerariam liquet ex fine v. seq. Sequitur,

VERS. 3. Cum apparuissemus autem Cypro; relinquentes eam ad sinistram, nauigauimus in Syriam.

CYPRI insulæ iam aliquoties est facta mentio: cap. 11. v. 19. cap. 13. v. 4. cap. 15. v. 39. Quod dicitur, *Cum apparuissemus Cypro*, tantum valet ac si dictum esset, cum Cyprus nobis cœpisset apparere. Vtrumque enim alteri consequens est in talibus. *Relinquentes eam ad sinistram; nauigauimus in Syriam*, ergo prænauigarunt Cyprum, neque sunt eam ingressi, sed ad læuam reliquerunt.

NAVIGAVIMVS *in Syriam, & venimus Tyrum;*] Tyrus, caput Phænices seu Phæniciæ; Phænicia pars Syriæ. Habet Tyrus in Tab. 4. Asiæ apud Ptolemæum longit. gradus 67. latitud. 33. cum medio. In eadem Tab. 4. potest conspici nauigationis huius ductus, à Patara vsque Cæsaream Palestinæ. Cur Tyrum appulerint, reddit rationem B. Lucas; Ibi enim *nauis expositura erat onus.* Vnde liquet onerariam nauim fuisse.

VERS. 4. Inuentis autem discipulis.)

EN, & Tyrii iam erant christiani complures; & tamen hactenus in hac apostolicorum Actuum historia nihil fuit narratum de euangelio illic planta-

to:

to: vt videamus non omnia esse scripta quæ facta sunt per Apostolos & alios Christi discipulos in conuersione hominum ad fidem Christi, seu Iudæorum seu gentilium.

MANSIMVS *ibi diebus septem.*] Hinc colligimus multos Tyri fuisse Christianos, vtpote quibus in fide confirmandis Paulus Apostolus, quantumuis festinans, septem dies impenderit.

QVI *Paulo dicebant per Spiritum, ne ascenderet Ierosolymam.*] Non per spiritum prophetiæ hoc Paulo dicebant isti; quoniam voluntas Domini erat, & per Spiritum sanctum (sup. cap. 19. v. 21. cap. 20. v. 22.) iam constituerat Paulus ascendere Ierosolymam ad Pentecosten proximam: sed dicebant hoc per spiritum charitatis, qua cupiebant illum declinare pericula, quæ ipsi Ierosolymis instare prædicebant qui inter eos erant prophetæ. Non dehortationis, sed dilectionis consilio eum retinere tentauerunt. Tertull. Scorpiaci cap. vlt. Simile quid est quando per spiritum charitatis quis interpretatur dubia in meliorem partem, quæ sit tamen falsa speculatiuè.

SIMILITER intelligendum est quod de alijs itidem hanc profectionem dissuadentibus narratur vers. 12. Quamuis autem voluntas Dei esset Paulum proficisci Ierosolymam; tamen effi it vt ei prædicantur pericula illic euentura; quo per Dei gratiam se amplius det orationibus ad Deum, ac sic magis aduersus ea animum suum paret & confirmet: sicut & factum est, vt patet vers. 13. huius capitis. Sequitur,

VERS. 5. Et expletis diebus, profecti, ibamus; deducentibus nos omnibus, cum vxoribus & filijs, vsque foras ciuitatem: & positis genibus in littore, orauimus.

PLANE simile vidimus factum Mileti in fine cap. præced. Videantur quæ illic annotauimus. Exempla hæc nos docent, quando est iusta necessitas vel vtilitas, non esse coram infidelibus omittenda officia religionis catholicis vsitata. nam vtique coram multis infidelibus orationes istæ fiebant in littore.

VERS. 6. Et cum valefecissemus inuicem.)

COMPLETA iam communi illa in littore oratione: *Ascendimus nauem: illi autem redierunt in sua.*] non dubium quin oculis prosecuti abnauigantem Paulum cum socijs, quamdiu poterant.

VERS. 7. Nos vero nauigatione expleta à Tyro descendimus Ptolemaidam:

SERMO est de Ptolemaide Phœniciæ; fuerunt enim multæ illius nominis ciuitates, vt patet in Thesauro Geographico Ortelij. Vocatur *Ptolemais* & *Ptolemaida*: est ciuitas maritima; cuius crebra est mentio in libris Machabæorum.

um. Olim vocabatur Ace, ἄκη; testibus Strabone & Ptolem. hodie putatur vocari Acon seu Accon; & non est absimile vero hoc fuisse eius antiquissimum nomen, quod postea sit interruptum: nam in lib. Iudicum cap. 1. v. 31. nominatur Accho, & ponitur in tribu Aser. In Tab. 4. Asiæ apud Ptolemæum est post Tyrum proxima ciuitas maritima, meridiem versus. *Et salutatis fratribus mansimus die vna apud illos.* Ecce, etiam Ptolemaide erant complures tum temporis christiani: de quibus tamen hucusque nihil dictum est, eo quod occasio nulla fuerit eorum mentionem faciendi.

VERS. 8. Alia autem die,)

ID est postera die, vt est græce. *Profecti venimus Cæsaream.* Sine dubio intelligitur Cæsarea Palestinæ, ciuitas maritima, de qua iam sæpe est facta mentio. Act. 8. v. 40. cap. 10. vers. 1. 24. cap. 11. vers. 11. cap. 12. v. 19. cap. 18. v. 22. & fiet sæpiuscule in seqq. cap. 23. v. 23. 33. cap. 25. v. 1. 4. 6. 13.

ET *intrantes domum Philippi euangelistæ, qui erat vnus de septem; mansimus apud eum.*] *Euangelistæ,*] quia euangelium, id est fidem de Iesu quod ipse est Christus, strenue prædicauerat & adhuc prædicabat, diuersis ciuitatibus: vt est videre supra cap. 8. vers. 5. 12. 40. & doctrinam miraculis magnis confirmabat; eodem cap. v. 6. 7. 13. Eadem ratione scribit Apostolus Timotheo, Opus fac euangelistæ; epist. 2. cap. 4. v. 5. Et hæc quidem faciebat cum esset dumtaxat diaconus, sed vnus ex septem primis; qui commemorantur Act. 6. v. 5. *Mansimus apud eum.*] Nullus enim dignior in ista ciuitate qui istos viros exciperet. Quod autem dicitur, *domum Philippi* non significat quod eam possidebat vt propriam, sed quod olim eius fuerat, & eam fecerat fratribus communem. Erat enim ex ijs qui omnia bona sua contulerant in commune; imo vnus illorum quos Apostoli dispensationi bonorum communium præfecerant. sup. cap. 6. Idem videtur dicendum de domo S. Ioannis euangelistæ, quam is Ierosolymæ habuerit, & in quam receperit matrem domini; iuxta illud, *Ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Ioannis 19.

VERS. 9. Huic autem erant quatuor filiæ virgines, prophetantes.

VTIQVE ex legitima vxore has filias susceperat Philippus: sed factus diaconus, & quidem vnus ex primis septem, planè ab vsu coniugij (si vxor adhuc viuebat) abstinuit, cum euangelio prædicando totus esset intentus; & cum Paulus Apostolus eas qualitates in diaconis requirat, 1. Tim. 3. quæ cum vsu coniugij non cohæreant; & in epist. ad Titum. 1. v. 8. nominatim requirat ab episcopo continentiam; nec (ad hanc quidem conditionem quod attinet) dissimilem velit episcopo esse diaconum.

QVATVOR *filiæ virgines.*] Non dubium hoc dici in laudem virginitatis; nec est ambigendum fuisse virgines perpetuas. nam vt infra notauimus ad v. 16. erat annus Domini 58. quando hæc agebantur: ergo minima natu harum filiarum

filiarum superabat annum ætatis 24. Nec enim S. Philippus post diaconatum suum est vsus coniugio, qui omnia reliquerat Vnde liquet filias istas iam adultiori ætate in virginitate mansisse. Et ex epist.27.B.Hier cõstat eius temporibus adhuc superfuisse Cæsareæ ædiculam Philippi huius sancti diaconi, & cellulas filiarum eius, virginum Fit earum mentio vna cum patre S. Philippo, in Martyrologio Rom. die 6.Iunij vbi tres fuisse sepultas iuxta Patrem, traditur; quartam autem obijsse Ephesi.

PROPHETANTES.] De prophetis qui tempore noni testamenti fuerint, dictum est ad cap. 13 v. 1. & breuius ad cap. 15. v. 32. Dicuntur hæ virgines fuisse prophetantes seu prophetissæ, siue quod speciali Dei reuelatione futura cognoscerent, siue quod religionis christianæ mysteria, peculiari Spiritus sancti munere, plenius & penitius nossent, quam communis multitudo fidelium.

ADMONET Oecumenius his filias à Deo consecutas spiritum prophetiæ, tanquam præmium virginitatis. Admonet idem S. Lucam istorsum commemorare has quatuor filias fuisse vrigines, vt tacitè nobis virginitatis laudem insinuaret, tanquam rei pro qua dignum sit laborem & solicitudinem impendere. Quare hic locus obseruandus est, contra sectarios continentiæ inimicos; vt qui Deo gratam declaret virginitatem. Alia scripturæ loca facile occurrent. Matth. 19. 1. Cor. 7.

VERS. 10. Et cum moraremur per dies aliquot; superuenit quidam à Iudæa, propheta, nomine Agabus;

A *Iudæa*] non enim Cæsarea erat in Iudæa, cuius caput Ierusalem; sed in confinio Phœnices & Palestinæ. *Nomine Agabus*] non est controuertendum sitne ille idem de quo cap. 11. v. 28. Est memoria sancti viri in Martyrol. Rom. die 13. Febr.

VERS. 11. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli; & alligans sibi pedes & manus, dixit.

SIBI] bene Interpres, consentanee græco codici & filo narrationis B.Lucæ, ac verbis Agabi sancti; qui si ipsum Paulum alligasset dicturus erat. *Hunc virum sic alligabunt &c.*] In hoc ritu Agabus veteres prophetas imitatur, qui non verbis solum, sed etiam externis quibusdam ritibus prædicebant futura; ad penitius infigendum mentibus hominum quod prædicebant, & ad animos eorum magis commouendos. Exempla sunt in Isaia, cap. 20. v. 2. 3. Ieremia, cap. 13. v. 1. & seqq. cap. 27. in principio. Ezechiele, cap. 4. in principio. cap. 12. v. 3. & seqq. Osee. 1. v. 2. & seqq. Quid autem dixit Agabus?

HÆC *dicit Spiritus sanctus; Virum cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi; & tradent in manus gentium.*] *Hæc dicit Spiritus sanctus.*] Locus obseruandus vt quo expresse diuinitas Spiritus sancti declaratur; vt alijs permultis passim in scriptura.

VIRVM

VIRVM *cuius est zona hac* &c.] In tertia persona loquitur de Paulo, qui tamen erat præsens: sed ita loquitur, quoniam materia de qua loquebatur, erat tristis. Exemplum imitandum doctoribus & concionatoribus, & generaliter his qui alios debent monere & obiurgare, vt, etiam si præsentibus loquantur, loquantur tamen in tertia persona, quasi absentibus; vt mollius in pectus audientis descendat sermo, & profundius penetret. Experientia docet hoc expedire sic fieri: & S. August. vir prudentissimus, in talibus esse vtendum eiusmodi forma sermonis, serio monet, lib. de Dono perseuerantiæ cap. 22.

ET *tradent in manus gentium.*] Conferenda sunt quæ leguntur huius cap. v. 27. 30. & seqq. vnde intelligetur Iudæos fecisse id quod perinde valeret ac si in manus gentium Paulum tradidissent. Coegerunt enim Tribunum sua insolentia, vt ipse Paulum apprehenderet & ligaret. Item v. 36. & cap. 22. v. 22. vrgent Tribunum vt tollat Paulum è medio. Hinc & illud intelligitur quod est cap. 28. vers. 17.

VERS. 12. Quod cum audissemus; rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam.

QVOD *cum audissemus, rogabamus.*] Hinc patet ipsum quoque S Lucam inter eos fuisse qui hoc Paulum rogarent. Videtur & Philippus diaconus, & sanctæ eius filiæ virgines, idem rogasse; quoniam dicitur, *& qui loci illius erant.* Vbi exoritur quæstio, quomodo non peccauerint hi sancti, in eo quod Paulum rogarint ne ascenderet Ierosolymam; cum non videantur ignorasse Dei voluntatem esse, vt illuc Paulus ascenderet; & vt illic propter fidem Iesu Christi aduersa pateretur. Sup. cap. 20. vers. 22. 23. Hæc quæstio facile soluetur, si legantur quæ habet S. Thomas 1. 2. q. 19. art. 10. Et quæ de hoc ipso huius loci exemplo obseruauit. S. August. Enchiridij cap. 101. Nempe potest hominis bona voluntas discordare à voluntate diuina in volito materiali, non in formali: vt latius ibi S. Thomas exponit. Sequitur,

VERS. 13. Tunc respondit Paulus, & dixit; Quid facitis flentes, & affligentes cor meum?

HINC liquet quod non simpliciter, aut obiter, eum rogauerint ne iret Ierosolymam; sed valde instanter, & cum lacrymis. Patet item Paulum Apostolum magno affectu condoluisse eorum tristitiæ, quam concipiebant de illius Ierosolymam profectione & aduersis ibi perpetiendis: quoniam dicit *cor suum* ab ipsis *affligi*, imo vt vox græca vehementius sonat, *comminui. confringentes cor meum*, legit B. August. conc. 2. in psal. 36. ad illum versic. *Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iustos Dominus*; in fine expositionis illius versiculi. Addit Paulus,

EGO *enim non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum, propter nomen Domini Iesu.* Idem significauerat sup. cap. 20. v. 23 24. & hic idem Apostolus ad Rom. 8. in fine, exclamat, nihil esse quod electos queat separare à charitate Dei,

æci, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. In electorum autem numero sese esse confidebat. Sequitur,

VERS. 14. Et cum ei suadere non possemus:)

FORTE Interpres scripserat *(persuadere)* : hoc enim sensus requirit; & vox græca vtrumque significat.

QVIEVIMVS, *dicentes, Domini voluntas fiat.*] Non hoc ita accipiendum est quasi dissuadentes Paulo iter in Ierusalem, plane antehac sciuerint esse Dei voluntatem vt illuc iret: sed potius quod nunc demum id certò cognoscant, idque vel maxime ex isto firmo proposito eundi Ierosolymam, quod nunc in Paulo videbant; qui tamen alias solebat monitis ac precibus discipulorum acquiescere in cauendis periculis. Exempla vidimus supra cap. 17. vers. 14. 15. cap. 19. v. 30. 31. cap. 20. v. 3. & prius cap. 9. v. 24. 25.

DOMINI *voluntas fiat.*] Non est precatio, neque optatio, vt Paulo calamitates veniant: sed his verbis voluntatem suam diuinæ voluntatis decreto humiliter subijciunt, quo Deus Paulum Ierosolymam ire, & ibi aduersa pati, iam decreuerat. Erant idem facturi de seipsis quod de Paulo faciunt, nempe prompto animo patienter laturi quidquid calamitatis Deus ijs euenire voluisset. Qualem animum vnicuique esse oportet. Sermo igitur est de diuina voluntate beneplaciti. Sequitur,

VERS. 15. Post dies autem istos, præparati, ascendebamus in Ierusalem.

PRÆPARATI] collectis scilicet sarcinulis nostris, & procuratis rebus ad iter necessarijs. Est autem credibile ijs sarcinulis fuisse inclusam pecuniam collectam in Macedonia & Achaia pro pauperibus christianis qui erant in Iudæa; quam Paulus Apostolus nunc illuc ferebat, vt ipse testatur infra cap. 24. v. 17. cuius collectæ ipse facit mentionem Rom. 15. v. 26. & 1. Cor. 16. in principio. & 2. Cor. 8. & 9. Est enim hæc collecta diuersa ab ea quam Paulus & Barnabas tulerant in Iudæam; cap. 11. & 12. huius operis, vtrobique in fine. Videantur dicta ad cap. 19. v. 21. 22.

ASCENDEBAMVS] hinc licet argumentari Paulum & socios itineris ex Cæsarea maritima Ierosolymam iuisse, itinere terrestri; non vero partem itineris confecisse mari, velut Ioppen vsque, aut Ascalonem. Sequitur,

VERS. 16. Venerunt autem & ex discipulis à Cæsarea, nobiscum; adducentes secum apud quem hospitaremur, Mnasônem quendam, Cyprium, antiquum discipulum.

VENERVNT *autem & ex discipulis à Cæsarea nobiscum.*] Quamuis iam scirent Paulo calamitatem impendere Ierosolymis, voluerunt tamen isti

christiani Cæsareenses Paulum comitari eousque:tanta erat vis charitatis erga Apostolum.

ADDVCENTES *secum apud quem hospitaremur, Mnasonem quendam.*] Significatur illum habuisse domum Ierosolymæ, siue directo siue vtili dominio, in quam cupiebat recipere Paulum & comites eius. Cuius rei erat quædam necessitas; tum quod christianis qui erant Ierosolymis non esset facultas eos excipiendi, vtpote exutos suis fortunis à perfidis Iudæis, tum quod alibi difficulter hospitium foret reperiendum, ob multitudinem vndique confluentium Iudæorum ad festum Pentecostes.

PONITVR patria huius hospitis;fuisse Cyprium. Additur,*fuisse antiquum discipulum*, siue quod fuerat vnus ex 72. discipulis Christi,siue quod esset vnus ex primis qui post ascensionem Christi Domini erant conuersi ad fidem christianam. Agebatur autem quando hæc acciderunt, annus à Christi ascensione 24 vt patet ex Baron. anno Christi 58. §. 116. 117.

VERS. 17. Et cum venissemus Ierosolymam, libenter exceperunt nos fratres.

EXCEPERVNT] non hospitio;nam in domo Mnasônis habebant hospitium, vt iam dictum est v. præced. sed *nos exceperunt* salutatione & aduentus gratulatione; idque fecerunt *libenter*, amicè & summo cum gaudio.

VERS. 18. Sequenti autem die,introibat Paulus nobiscum ad Iacobum;)

NOBISCVM] id est nobis comitantibus. nam vulgari modo loquendi posset hoc praue intelligi, quasi Paulus fuisset comes istorum. *Ad Iacobum.*] Episcopum videlicet ciuitatis Ierusalem; qui fuit Iacobus Apostolus, cognomento Minor,cognomento frater Domini, & Iustus; cognomento Alphæi, filius scilicet.

OMNESQVE *collecti sunt seniores.*] Pro (*seniores*) græce est οἱ πρεσβύτεροι; & fortassis satius fuerat retineri nomen græcum ab Interprete; quoniam non ætas sed ecclesiastica dignitas eo nomine hîc significari videtur. Diximus ea de re satis multa, ad cap. 14. vers. 22. vbi græcum nomen interpres retinuit; sicut & cap. 15. v. 2. Ergo,totus ordo præfectorum ecclesiæ conuenit ad S. Iacobum episcopum Ierosolymæ; & illic Paulus eos salutauit,vt dicitur seqq.

VERS. 19. Quos cum salutasset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius.

NARRAVIT itaque nunc quidem (nam aliam similem narrationem antea fecerat Ierosolymis apud Apostolos & presbyteros; cap. 15. v. 4. & v. 12) B. Iacobo & collegio presbyterorum Paulus Apostolus, idque ordinè ac distinctè, ea quæ ab initio cap. 16. hucusque summatim retulit B. Lucas, de

de conuersione gentilium per tam multas prouincias & ciuitates. Obseruanda locutio. *Quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius.* sic decuit loqui tam Paulum Apostolum quam Lucam Euangelistam, diuinæ gratiæ agnitores & laudatores: vbi alius quispiam dixisset; *Quam multos gentilium conuertisset.* Quo quidem modo cum iusto dolore, videmus nonnunquam loqui ac scribere, etiam viros religiosos, per inaduertentiam aut similem aliam culpam; non satis memores diuinæ gratiæ. Sequitur,

VERS. 20. At illi cum audissent, magnificabant Deum;)

IDEM factum cap. 11. v. 18. cap. 15. v. 3. 4. 12. *Magnificabant* vox græca sonat, *glorificabant*, vel *clarificabant*. Sensus idem est; Deum laudabant; Dei potentiam & bonitatem extollebant, cum gratiarum actione de ipsius beneficio quod conuerterat gentiles à cultu idolorum ad fidem vnius veri Dei & Christi eius. Sicut oratio qua petitur auxilium Dei; ita & gratiarum actio pro auxilio iam præstito, est diuinæ gratiæ testificatio; vt sæpe inculcat S. August. aduersus Pelagianos; & res ipsa loquitur.

DIXERVNTQVE ei; *Vides, frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt; & omnes æmulatores sunt legis:*

VERS. 21. Audierunt autem de te quia discessionem doceas à Moyse, eorum qui per gentes sunt Iudæorum; dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi.

ANTEQVAM procedamus ad horum verborum expositionem, reuocanda sunt in memoriam quæ dicta fuerunt ad cap. 18. v. 18. & quæ antea ad cap. 16. v. 3. Tenendum est enim, primò, quod lex ceremonialis simul cum lege circumcisionis, etsi quondam à Deo lata, tamen per mortem Domini Saluatoris omnem vim obligandi amisit. id quod (inter cætera) significabatur per hoc quod moriente Domino velum templi scissum est à summo vsque ad imum in duas partes: id quod tres euangelistæ in historia passionis Domini conformiter retulerunt, Matth. Marcus, Lucas. Vim autem obligandi amisit: quia illæ ceremoniæ per eam legem præscriptæ, erant figuratiuæ rerum per Christum gerendarum. Exhibita igitur veritate, falsa erat significatio illarum ceremoniarum, quasi Christus nondum venisset & redemptionis negotium nondum perfecisset. Per mortem itaque Christi, cessabant illa legalia; tanquam figuræ per exhibitionem veritatis iam completæ.

SECVNDO tenendum est quod nihilominus tempore medio inter passionem Domini & euangelij promulgationem, licebat Iudæis, etiam ad fidem Christi conuersis, illas ceremonias obseruare, modo ex rationabili causa id facerent. Rationabiles causas quare Paulus eas subinde obseruauerit, exposui-

mus ad illum v. 3. cap. 16. & ad v. 18. cap. 18. ex bonis authoribus Chrysost. & August. Hieron. Venerab. Beda.

TERTIO tenendum est quod non licebat idipsum Iudæis facere ex ea persuasione qua crederent sese ad eam obseruationem teneri; & per consequens qua crederent earum obseruationem esse saluti necessariam, etiamsi fidem Christi iam suscepissent.

QVARTO est tenendum quod absque tali persuasione non solum licebat Iudæis fidem Christi amplexis, eas ceremonias tempore illo medio obseruare; sed etiam quod expediebat eos id facere tunc temporis: propter causam expositam ad v. illum 18. cap. 18. nempe vt discrimen poneretur inter ceremonias illas, & inter ritus idololatricos, semper abominabiles; cum contra illæ ceremoniæ essent quondam à Deo præscriptæ; ac propterea non essent nunc omittendæ tanquam per se illicitæ, sed tanquam per exhibitionem veritatis completæ. Hęc omnia nemo luculentius tradidit quam S. August. epist. 19. c. 2.

NVNC ad verba Iacobi Apostoli veniamus, quibus ille Paulum Apostolum alloquitur. *Dixeruntque ei;*] Nimirum per os Iacobi Apostoli, qui erat episcopus loci. hoc facile probatur ex eo quod Paulum nominat *fratrem:* quod nemo aliorum fidelium Ierosolymitanorum, erat facturus. Inquit enim;

VIDES, *frater, quot millia sunt in Iudæis,* Id est, inter Iudæos, *qui crediderunt;* hoc est fidem susceperunt de Iesu Nazareno quod ipse est Christus. Sic enim intelligitur *fides* plerumque in scriptis Apostolicis, vt sit fides Christi, fides de Iesu quod ipse est ille tamdiu expectatus Messias, nec sit expectandus alius. *Quot millia*] hi tamen pauci erant respectu pereuntium Iudæorum; vt conqueritur Apostolus Rom. 9. 10. & maximè 11. capitibus. *Et omnes æmulatores sunt legis*] *omnes*, ait, *zelotæ sunt legis*, ζηλωταί *legis*. Sermo est de lege Mosaica ceremoniali, vt dictum est: hanc multi (nec enim omnes omnino, sed plerique, vt ex c. 14. ad Rom. liquet) ex Iudæis iam Christianis ita zelabant, id est ita feruidè diligebant, ita acriter eius honorem tuebantur, vt non solum bonam dicerent, vtpote à Deo olim datam; sed etiam post Christi passionem obseruarent, & necessariam obseruatu esse, saltem Iudæis, docerent ac tuerentur. Hi legis, tanquam diuinitus datæ, zelum habebant; sed non secundum scientiam; vt loquitur Apostolus Rom. 10. v. 2. Idem maiore etiam ratione dicendum est de his (si tamen vlli talium erant Christiani) qui legem, siue istam ceremonialem, siue moralem decalogo compræhensam, credebant sufficere, ad benè viuendum coram Deo, & ad consequendum remissionem peccatorum: quum lex (etiam Decalogi) peccata non tollat; sed dumtaxat prohibeat, & reos pœnæ conuincat qui ea commiserint; item cum lex non prębeat vires ad faciendum iustitiam coram Deo, per spiritum charitatis, sed dumtaxat doceat ac iubeat quid faciendum quid vitandum; & per comminationem pœnarum incutiat metum transgressoribus; animum ipsa non immutet ad verum amorem virtutis.

HÆC sunt quæ de lege, seu morali seu ceremoniali, ex professo docet Apostolus aduersus Iudaizantes: in Epistola ad Rom. ad Galat. ad Coloss. ad Hebræos: sed hoc discrimine quod in Epistola ad Rom. (veluti c. 3. & 4.) quum legem legisque opera non iustificare docet; de pręceptis moralibus potissimum agit.

agit. In Epistola vero ad Galat. Coloss. & Hebræos, potissimum de ceremonialibus; addens ea post reuelatam fidem Christi, noxia esse obseruatu. & ad Galat. quidem & Coloss. præcipuè loquitur de sacramentis & obseruantijs legalibus: ad Hebræos autem, de legalibus sacrificijs & sacris ita propriè dictis. In quæ quatuor capita ceremoniæ Mosaicæ distinguuntur; vt est videre apud S. Thom. 1. sec. q. 101. art. 4.

Si quis igitur nunc roget, An Paulus Apostolus fuerit æmulator legis: Respondendum est fuisse; sed secundum scientiam, non cæco impetu, vt zelatores Iudaizantes, qui legem Iudæis obseruatu necessariam asserebant, etiamsi iam Christianis. Paulus autem docebat legem ceremonialem (de illa hîc agitur) fuisse à Deo latam, ideoque bonam: sed addebat non esse necessariam obseruatu, ne quidem Iudæis, post Christi Domini passionem; posse tamen ab ijs, ex causa rationabili, adhuc aliquantisper obseruari; modo non existimarent ad eam sese teneri, nec alioqui per fidem Christi & baptismum eius posse consequi salutem. Vnde & ipse (c.16. v.3.) Timotheum circuncidit, condescendens infirmitati Iudęorum, & per id quod adhuc licebat, tollens atque auertens eorundem scandalum; sicut ibi pluribus expositum est: nempe, vt Paulus ijs ostenderet non se habere legem, etsi iam abolitam, eodem loco quo Idololatriam. Ergo Paulus quoque erat zelator legis, sed secundum scientiam; id est veram cognitionem mysteriorum cultus diuini: nempe tribuebat legi quod ei debebatur. Calumniabantur eum maleuoli Iudęi, quasi prohiberet Iudæis, ne illo tempore, quando (vt ipse loquitur Galat. 3. v. 23.) primum reuelabatur fides, ceremonias legis amplius obseruarent, aut filios suos circuncideren: quod non prohibebat, sed esse necessarium negabat; negabat autem temporibus & locis opportunis; interim ijs non prohibens. At ne Gentiles ad fidem Christi conuersi, eas ceremonias obseruarent, aut circunciderentur; omni modo obstabat; quoniam id non erat futurum ex vlla rationabili causa, sed cum sacrilega significatione quod fides Christi & baptismus non sufficiant consequendæ saluti; quæ erat hęresis illorum de quibus supra, cap. 15. in princ. & toto deinde cap. Omnino legenda B. Augustini Epistola illa 19. præcipuè sub medium, & quæ Vener. Beda huc in suum Comment. transcripsit. Ex dictis patet, illud ζηλωταί, quod est in fine v. 20. non satis bene sic reddi (*studiosi sectatores*): quoniam iuxta hunc intellectum Paulus aut S. Iacobus Episcopus Ierosolymorum, & qui alij rectè de illa lege ceremoniali iudicabant, non fuissent zelatores legis: quum tamen illi in primis, qui legem zelabant secundum scientiam, hunc titulum mererentur. Et quod inter Iudæos Christianos erant multi tales: manifestum est ex Epist. ad Rom. cap. 14. à principio, per multos versus. Ex quo eodem cap. patet quod nonnulli hanc scientiam habentes, eâ abutebantur, ad offendiculum fratrum infirmorum. Infirmi autem erant multi: qui, etsi fide Christi susceptâ, non poterant auelli ab obseruatione legalium, aut eam credere sibi non necessariam: vel quia consilium Dei de legis ceremonialis per legem Christi abrogatione non satis capiebant, cum scirent illam fuisse diuinitus latam; vel propter obseruandi consuetudinem. Addit S. Iacobus.

VERS. 21. Audierunt autem de te quia (quod) discessionem doceas à Moyse, eorum qui per Gentes sunt, Iudæorum:

DISCESSIONEM] græcè est ἀποστασίαν, atrox vocabulum; sed Interpres noster vertit hic (*discessionem*) sicut & 2. Thess. 2. v. 3. sensus est, Audierunt de te, quod Iudæos eos qui sunt dispersi per nationes Gentilium, doceas deficere à lege ceremoniali per Moysen à Deo lata: *Dicens non debere eos circuncidere filios suos*, *neque secundum consuetudinem ingredi*. Istud (*debere*) addit Interpres explicandæ sententiæ causa; sed oportet illud ordine declaratorio præponere negatiuæ illi particulæ; vt sensus sit, *Dicens eos debere non circuncidere filios suos, & non ambulare seu conuersari secundum mores pristinos*, *lege ceremoniali præscriptos*. Hunc enim sensum postulat quod est in originali. quasi dicat, Iubens eos non circuncidere &c.

Ex his quæ supra diximus, patet hanc fuisse calumniam, in Paulum Apostolum, confictam ab incredulis Iudæis ipsius pertinacissimis hostibus; & ab ijs Iudæis qui fidem Christi Ierosolymis ac in reliqua Syria susceperant, temerè ac nimis inconsideratè, creditam: quum Timotheum circuncidisset propter causas rationabiles, quod ignorare non debebant hi nimis creduli istis maledicis.

PERGIT Iacobus Apostolus ad Paulum loquens;

VERS. 22. Quid ergo est? vtique oportet conuenire multitudinem: audient enim te superuenisse.

SENSVS est, Quoniam ignorari non potest te huc aduenisse, & nobiscum esse colloquutum; & nos tuum colloquium non recusasse, sed amicè & prolixè tecum esse sermocinatos, audiendo & respondendo: idcirco conuocare debebimus multitudinem fidelium, vt facti nostri rationem reddamus; ne videlicet tui occasione à nobis pastoribus suis reddantur alieni; & eadem operâ apud eam multitudinem debebimus tuam innocentiam declarare, in eo quod de te sparsum est. Quod vt fructuosè queamus facere: danda tibi est opera, vt antequam multitudinem conuocemus, tu publicè aliquo exemplo declares quod sentias legem esse bonam, & propter diuinam authoritatem esse venerabilem, adeoque rectè obseruari, saltem adhuc hoc tempore. Deinde suggerit Paulo opportunitatem talis exempli edendi; dicens,

VERS. 23. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se:

SERMO est de temporali voto Nazaræismi, de quo c. 6. Numerorum, & supra c. 18. v. 18. Hoc patet ex versu sequenti;

VERS.

VERS. 24. His assumptis, sanctifica te cum illis;)

GRÆCE est, *Hos assumens, purificare cum illis;* videlicet secundum ritum lege præscriptum dicto c. 6. Numer. quatenus quidem nunc à te fieri potest, sicut in cap. 18. vers. 18. similiter faciebat quantum dabatur. Additur, *Et impende in illis ut radant capita.* [*Radant capita*] vt eadem lege Numer. 6. præceptum est, v. 18. Neque hic, neque v. 26. & 27. est vlla significatio quod Paulus suum caput nunc raserit; quoniam temporis defectu, non potuit ipse omnia facere, quæ Numer. 6. præscribebantur; vt doceri potest ex v. 27. huius, collato cum cap. 24. v. 11. sed, ex consilio B. Iacobi, & presbyterorum Ierosolymæ, cum essent viri quatuor *qui iam* (vt videtur) *auspicati erant suum Nazaræismum per aliquot dies;* Paulus se quomodo potest, illis iungit; illos ad se assumit, laudans votum eorum, hortatur vt perficiant, & (quia videntur pauperes fuisse) præbet sumptus ad sacrificia offerenda secundum legem; quando etiam capita eorum radebantur, & capilli in ignem sacrum domino, conijciebantur; Imo amplius facit, intrans cum illis in templum, quando sacrificia pro ipsis fiebant. Omnibus his modis Paulus publicè declarat, sese non execrari legem ceremonialem tanquam sacrilegam, sed honorare vt à Deo latam, & religiosè adhuc posse obseruari; cum ipsemet obseruaret & iuuaret obseruatores, inter cætera præbendo impensas sacrificiorum lege præscriptorum. Hoc enim (dico, impensas præbere) significat vox græca δαπάνησον, quæ nobis redditur, *impende.* Ergo, B. Iacobus & Presbyteri suadent Paulo vt ad hanc calumniam depellendam; ipse suo exemplo celebret, seu celebrari curet ac iuuet ritum lege præscriptum; quam legem damnare illum, sparserant calumniatores. Atque hoc est quod S. Iacobus, vtilitatem huius exempli proponens, addebat; dicens Paulo, *Et scient omnes quia (quod) quæ de te audierunt, falsa sunt; sed ambulas & ipse custodiens legem.* Tanquam ipse quoque Iudæus, de lege bene sentiens. Tum addit B. Iacobus, ex quo possit intelligi, Iudæis non esse necessariam obseruationem legis, tametsi licitam, v. 25.

VERS. 25. De his autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, iudicantes vt abstineant se ab Idolis immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.

DE his fusè actum est ad cap. 15. v. 20. & 29. vt nihil hic dicatur; nempe Gentiles christiani, declarati sunt planè liberi ab obligatione legis ceremonialis (& per consequens nec Iudæi illâ iam obligabantur): sed præcepto Apostolico à sanguine & suffocato prohibentur Gentiles ij qui mixti erant Iudæis per prouincias, legalia adhuc obseruantibus; vt facilius in vnum corpus Ecclesiæ coalescerent, vt ad v. 29. cap. 15. latè dictum est. Sequitur,

VERS. 26. Tunc Paulus assumptis viris, postera die purificatus cum illis intrauit in templum;

GRAECE est ordo verborum hic, *Postera die cum illis purificatus* &c. Et nihilominus ambigna est determinatio;an illud (*postera die*) determinet participium (*purificatus*) an verbum (*intrauit*). Similiter quæri potest an istud complexum (*cum illis*) determinet τὸ (purificatus) an vero τὸ (intrauit). (*Assumptis viris*) illis scilicet quatuor de quibus dictum est. assumpsit vero illos Paulus modo iam explicato, eos sibi adiungens, vt probans & iuuare cupiens eorum Nazaræismum. *Postera die purificatus*] quantum quidem per téporis breuitatem, ipse ex lege illa Numer. 6. tunc obseruare poterat, vt ad v. 24. diximus. *Cum illis intrauit in templum;*] hoc etiam modo declarans sese probare ritum Nazaræismi lege præscriptum. *Annuncians expletionem dierum purificationis.*] Non videtur sermo esse, nisi de expletione dierum purificationis illorum quatuor virorum; conformiter superius dictis; & quod eam expletionem Paulus quoque annunciabat, siue sacerdotibus siue quibusuis alijs, vt occasio erat. Sacerdotibus videlicet, qui essent requirendi vt pro singulis eorum quatuor, offerrent sacrificia, præscripta Numer 6. v. 14. & sequentibus. Et hoc possumus accipere ex verbis sequentibus, *Donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio:* Paulo nimirum impensam faciente, in istarum hostiarum oblationem: & hoc modo declarante quid de legalibus ceremonijs sentiret, quod idem etiam per hoc declarauit, quod expletionem dierum purificationis istorum quatuor virorum, ipse annunciabat his quibus conueniebat; vt sic quoque cooperaretur Nazaræismo istorum virorum; & consequenter declararet suam de qualitate legalium sententiam.

VERS. 27. Dum autem septem dies consummarentur;

NON parua est difficultas, vnde S. Lucas intelligat inchoatos istos septem dies, quos hic ait consummatos, seu consummationi proximos. Quod initium istorum dierum non possit sumi ab eo tempore quo Paulus hac vice intrauit Ierosolymam, vt dicebatur v. 17. huius: facile demonstratur ex cap. 24. vers. 11. vbi Paulus Felici Præsidi Iudææ dicit, *Potes cognoscere quod non plures sunt mihi dies quam duodecim ex quo ascendi adorare in Ierusalem.* Hæc dixit Paulus Præsidi Fælici Cæsareæ, post quinque dies aduentus sui in eam ciuitatem, vt ex fine c. 23. & initio 24 manifestum est:ergo septem dies qui hic commemorantur, non sunt numerandi ab eo tempore quo Paulus erat hac vice ingressus Ierosolymam. Alioqui plures quam duodecim dies fuissent quando Cæsareæ loquebatur ista Præsidi. Nam isti septem, & illi quinque de quibus initio cap. 24. iam conficiunt numerum duodenarium: & tamen oportet adhuc addere diem illum quo Paulus captiuus fuit productus in concilium Iudæorum, à Tribuno præsidij Ierosolymitani: infra cap. 22. vers. vlt. & cap. 23. in princ. vsque ad v. 11: oportet item addere diem, quo conspiratio illa facta est Iudæorum

rum de occidendo Paulo, quæ describitur cap. illo 23. v. 12. oportet præterea addere diem illum quo equites ex Antipatride, deduxerunt Paulum Cæsaream, vt dicitur eiusdem cap. 23. vers. 31. 32. Itaque falsum foret quod Paulus dixit Præsidi cap. 24. v. 11. Huic obiectioni nonnulli conati sunt occurrere, dicendo quod hoc loco huius cap. græcus codex ita sonet, *Vt autem futurum erat septem dies consummari*: seu, *Cum autem iam consummandi essent dies septem: Iudæi Asiani* &c. Itaque dies istos septem nondum fuisse consummatos, sed cursus eorum (inquiunt) agebatur, & consummatio expectabatur. Sed hęc responsio non eneruat obiectionem; quoniam (vt bene replicat Liranus) secundum superiora hæc tumultuatio quæ deinceps describetur, accidisset quarto circiter die postquam Paulus intrarat Ierosolymam: non voluit autem S. Lucas illum diem his suis verbis significare, vt satis videtur per se liquere, sed diei septimæ saltem initium. Quare isti septem dies non sunt attribuendi Paulo Apostolo, vt videtur; sed potius istis quatuor viris, quibus se (vt dictum est) iunxerat ex consilio S. Iacobi, & in quorum oblationes sumptum faciebat, ita tamen vt illi, ante Pauli hunc aduentum, videantur partem aliquam sui Nazaræismi confecisse, vt ad vers. 24. dictum est. Videtur itaque sic intelligi posse hic locus. *Dum autem oblationum* lege præscriptarum, quæ pro vnoquoque istorum quatuor offerebantur, *dies septimus aduenisset hi* &c.

HI *qui de Asia erant Iudæi, cum vidissent eum in templo; concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus; clamantes,*] *Hi qui de Asia erant Iudæi*; hoc est qui in Asia minore habitabant, sed nunc ascenderant Ierosolymam, ad diem festum Pentecostes. hi in Asia eum nouerant, & audierant, tametsi non crediderant Euangelizanti. hi poterant scire, non ita Apostolum docere de lege Mosaica, sicut illi imponebatur per calumniatores: & hoc nomine videntur minus excusabiles quam Iudæi degentes Ierosolymæ; cum præsertim isti Asiani Iudæi hîc sese præbeant capita factionis & tumultus contra Apostolum. Nam *Cum vidissent eum in templo*, vna cum illis quatuor viris, quorum Nazaræismus agebatur: hoc tamen dissimulabant isti Iudæi, & fingebant eum Gentiles in templum induxisse, vt vers. proximo dicetur, & 29. Hoc figmento concitauerunt populum Iudaicum Ierosolymæ, *& manus in Paulum iniecerunt*, cupientes eum non solum detinere, sed etiam occidere, vt dicetur vers. 31. Porro simul cum manuum iniectione credere possumus, quod Paulum ligauerint, vt solet fieri compræhensis; nam Iudæos hoc facturos Ierosolymis, prædixerat Propheta Agabus, supra vers. 11. *Clamantes,*

VERS. 28. Viri Israelitæ, adiuuate;)

NIMIRVM in detinendo & male tractando isto homine, vna nobiscum. Causam addunt, tria aut quatuor obijcientes: *Hic est homo*, g. additur articulus, si quid hoc addit emphaseos; *hic est ille homo*. q. d. Vos non nouistis eum, nos nouimus, qui in Asia sæpe eum vidimus & audiuimus. *Hic est homo qui aduersus populum, & legem, & locum hunc, omnes vbique docens, insuper & Gentiles induxit in templum, & violauit sanctum locum istum.* Quatuor sunt quæ criminantur:

nantur: Primum, quod Paulus omnes vbique doceat aduersus populum Israeliticum; secundum, quod idem faciat contra legem per Moysen datam; tertium, quod contra locum sanctum templi Ierosolymitani. Quartum, quod inducens (vt aiebant) Gentiles in templum, polluerit illum tam sanctum locum. Penè eadem per falsos testes Iudæi obiecerant protomartyri Stephano. sup. cap. 6. v. 11. 13. Primum crimen est, Paulum omnes vbique docere aduersus populum Israeliticum. Docebat Paulus verbum Euangelij non solis Israelitis à Deo missum esse, sed omnibus quoque nationibus. Docebat pluris apud Deum esse Gentiles fidem Christi amplectentes, tametsi incircuncisos, & legales ceremonias minime obseruantes, quam Iudæos circuncisos & curiosè adimplentes illas ceremonias, ac interim recusantes suscipere Iesum Dei Patris Missiam, eiusque doctrinam, & præcepta. hinc isti calumniantur quod Paulus gentem suam oderit & contemnat. Secundæ criminationis occasionem rapiebant, ex eo quod docebat ne Iudæos quidem obligari, ad seruanda legalia, post mortem Christi: Gentiles autem factos Christianos, nullo modo permittebat ea obseruare. Tertiæ criminationis occasionem ex eodem fonte capiebant. Nempe, si lex ceremonialis non obligabat Iudæos deinceps, videbant futurum vt sacrificia illa legalia, paulatim cessarent, & sic templum illud Ierosolymitanum deserendum tandem fore, in quo solo legalia illa sacrificia offerri poterant. Quarta criminatio nullo penitus colore nitebatur, sed ex merâ suspicione procedebat, prout exponitur verbis sequentibus.

VERS. 29. Viderant enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso; quem æstimauerunt quoniam (quod) in templum introduxisset Paulus.

HIc nonnulli mouent difficultatem ex 2. Tim. 4. v. 20. vbi ait Apostolus, *Trophimum reliqui infirmum Mileti*. Hoc ille scribit Româ, statim initio prioris suæ captiuitatis. Fuisse Apostolum Mileti, dictum fuit cap. 20. huius operis, v. 17. quomodo ergo nunc fuisset Trophimus Ierosolymis cum Paulo? neque dicendum est fuisse alium atque alium Trophimum: nam ex eiusdem cap. 20. vers. 4. satis constat, de vno eodemque esse sermonem; vbi comites Pauli Asiani commemorantur Tychicus & Trophimus. Hæc difficultas videtur facillimè tolli, si dicamus eam Miletum cuius est mentio cap. illo 4. posterioris ad Timotheum, non esse ciuitatem Asiaticam, sed aliam eiusdem nominis in insula Creta. De qua videndus Thesaurus Geograph. Ortelij, verbo Miletus; qui citat Pausaniam, & Plinium, Homerum quoque 2. Iliad. & Strabonem. In hac reliquerit Paulus Trophimum ægrotum, quum præternauigaret Cretam, vt narratur huius operis cap. 27. vers. 7. & sequent. & vers. 21. Conferantur quæ diximus cap. 20. v. 15. *Viderant Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso*. Asiani isti Iudæi nouerant hunc Trophimum Ephesi; viderant his diebus eum apud Paulum in ciuitate Ierusalem: inde suspicabantur, & quod suspicabantur, audacter affirmabant, more malis hominibus vsitato, quod

Paulus

Paulus Trophimum introduxisset in templum,& sic locum illum sanctum fecisset communem (vt hic loquitur S. Lucas hebraismo) id est immundum, pollutum, prophanum.

ORITVR scrupulus, quare propterea templum fuisset pollutum; quum Ioannis 12. v. 20. legamus Gentiles adorasse die festo Ierosolymis; quæ adoratio vtique cum sacrificijs in templo fiebat. Ille quoque Dynasta Æthiops, de quo huius lib. cap. 8. v. 27.28. adorauit & sacrificium obtulit in templo,vnius veri Dei cultor haud dubiè, non tamen (vt verisimilius nobis est) proselytus Iudaismi. Respondere possumus cum bonis authoribus,licuisse Gentilibus ingredi templum illud prius seu exterius,in quo orabant,& sacrificia offerebant etiam illi qui legaliter erant immundi: sed non fuisse permissum vt quisquam legaliter immundus,intraret templum interius seu secundum,quod religiosiore quodam cultu sacrum habebatur,& peculiariter appellabatur *locus sanctus*;vt hic videmus. Et ad Hebr. 9. in princ. nominatur *tabernaculum primum, quod dicitur Sancta: deinde tabernaculum secundum, quod dicebatur Sancta sanctorum*. Et in illud prius tabernaculum quotidie intrabant sacerdotes, populo manente extra illud, in prima parte totius templi vt ex illo cap. 9. vers. 6. 7. 8. & ex Lucæ 1. vers. 9 & sequentibus,patet.

SI dicas, Trophimus erat discipulus Pauli, Christianus, nullum habens impedimentum quo minus posset intrare in templum illud secundum, vt ipse Paulus;id quidem verum est;sed hi infideles Iudæi,eum qui incircuncisus erat, habebant legaliter immundum;vt reliquos fideles ex Gentibus. Male quidem; sed hi infideles & calumniatores id non curabant:sicut nec hoc, quod affirmabant à Paulo Trophimum introductum in locum sanctum; quod tamen penitus ignorabant, sed malitiâ ducti suspicabantur dumtaxat; quum verosimilius sit non fuisse factum, idque S. Lucas videatur indicare. Sequitur,

VERS. 30. Commotaque est ciuitas tota, & facta est concursio populi.

AD clamorem videlicet istorum Asiaticorum Iudæorum, & eorum quos illi ad se attraxerant,& continuo pergebant attrahere; vndique concursus factus est populi Iudaici increduli ad templum ipsum.

ET *apprehendentes Paulum,trahebant eum extra templum*. Iam dictum fuit v. 27. istos Asiaticos Iudæos iniecisse manus in Paulum: nunc hi ipsi & alij cum eis illum trahunt extra templum,volentes nimirum occidere,vt dicetur v. proximo,& tamen nolentes occidere in ipso templo. *Et statim clausæ sunt ianuæ*. Clausæ sunt ab ipsis Iudæis,fortassis eâ de causa ne Paulus in templum refugeret,& sic vel saluaretur,vel occideretur in ipso templo,illudque prophanaretur.

VERS. 31. Quærentibus autem eum occidere, nunciatum est Tribuno cohortis quia tota confunditur Ierusalem.

ERANT qui sine mora, via facti cupiebant Paulum mactare sed maior pars obstabat, volens eum occidi specie iudicij, sicut occiderant protomarty-

rem Stephanum, c. 6. & 7. huius operis. Et interim etiam hęc pars Iudæorum, permittebat reliquis, vt continuo percuterent Paulum: quod manifestum est ex v. seq. Atque hoc pacto mora aliqua hîc fuit, qua militaris præsidij Præfectus seu Tribunus fieret certior de ipso tumultu, & accurreret cum militibus. *Tribuno* g. est χιλιάρχῳ; dicitur autem fuisse chiliarchus *Cohortis*, nimirum præsidiariæ, quæ tutabatur Ierosolymam. Cohors plena complectebatur circiter mille milites: plenam fuisse, quæ præsidio esset tantæ ciuitati, non est dubium: ita merito huius cohortis pręfectus hic dicitur chiliarchus, & latino more Tribunus. Vulgari lingua apud nos dicitur Colonnellus. Nunciatū est igitur Tribuno cohortis præsidiariæ, quod tota ciuitas esset in tumultu prope templum. Ex 2. Reg. c. 5. & ex 1. Machab. 1. v. 35. c. 3. v. 45. c. 4. v. 41. & 60. satis liquet quod in monte Sion erat munitio; vt verisimile sit præsidium Romanorum illic habitasse, vt in loco munito; qui locus propterea nominetur Castra, in sequenti parte huius cap. & cap. 22. v. 24. & 23. v. 10. Vnde verbis hic proximè sequentibus dicitur *decurrisse* ad tumultuantes, tanquam ex loco editiore. addantur quæ dicemus ad vers. 34. Quoniam vero non procul à templo erat arx Sion: hinc videtur factum, vt statim Tribuno nuncius adferretur huius tumultus, qui erat iuxta templum. Nomen fuit huic Tribuno Claudius Lysias. Infra cap. 23. vers. 26. cap. 24. vers. 22.

VERS. 32. Qui statim assumptis militibus & centurionibus, decurrit ad illos.

LAVDANDA vigilantia & celeritas Tribuni ac militum; quam vtique Deus procurabat, ad seruandum Paulum; & quam singularē Dei prouidentiam, Apostolus hic erga se fuisse commemorat, infra cap. 26. v. 22. Sequitur, *Qui cum vidissent Tribunum & milites; cessauerunt percutere Paulum.* Hinc liquet quod etsi Paulum, cæteris prohibentibus, Iudæi isti non occiderint; tamen continuò malè tractauerint & fœdè verberauerint donec aduenirent milites.

VERS. 33. Tunc accedens Tribunus appræhendit eum; & iussit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis esset, & quid fecisset.

INTERROGABAT hęc ipsum populum, vt colligitur ex sequenti versu; & quod eum alligari catenis, fecit vt mitigaret insaniam istam popularem, ait Chrysost. *Interrogabat* igitur populum *quis esset hic homo, & quid fecisset.*

VERS. 34. Alij autem aliud clamabant in turba:)

CLAMABANT] de Paulo scilicet, quis esset & quid fecisset. *Et, cum non posset certum cognoscere, præ tumultu; iussit duci eum in Castra. In Castra.*] εἰς τὴν παρεμβολήν. Ita vocat sacer historicus locum illum munitum, in quo degebant simul collecti

collecti præsidiarij milites; vt videmus fieri in talibus. Rectè noster Interpres dixit *Castra*; quum talis locus soleat muniri eo modo quo Castra militaria, nempe vallo & fossa. Sunt qui putent fuisse Turrim Antoniam, ab Herode ita nominatam, quæ in monte Sion erat.

VERS. 35. Et cum venisset ad gradus;)

QVIBVS in locum istum editiorem munitum ascendebatur; *Contigit vt portaretur à militibus, propter vim populi. Vim*] id est violentiam; *Bίαν* g.

VERS. 36. Sequebatur enim multitudo populi, clamans, Tolle eum.)

HOc paulo expressius dicunt c. 22. v. 22. *Tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum viuere.* Eisdem verbis vsi fuerant eorum maiores contra Dominum Saluatorem, coram Pilato, vt habetur in Euangelica passionis Christi historia. *Tolle, tolle, crucifige eum.*

VERS. 37. Et cum cœpisset induci in Castra Paulus;)

IAM explicatum est ad vers. 34. istud *Castra. Dicit Tribuno, si licet mihi loqui aliquid ad te?* Modestia & ciuilitas Pauli hic elucet; qua vtique Deus vsus fuit ad emolliendum cor istius ethnici Claudij Lysiæ, vt concederet Paulo quod paulo pòst petebat.

QVI *dixit, Græcè nosti?* hinc liquet quod Paulus Tribuno græca lingua dixit ista quæ iam commemorata sunt. Cur homini Romano græcè sit loquutus, variæ causæ potuerunt esse; sed illa præcipua videtur, quod sic voluerit honorare istum Tribunum, tanquam virum quem non dubitaret peritum esse linguæ græcæ, quæ toto Oriente erat tunc maximè communis; & quam plerique omnes honoratiores Latini curabant tenere. An Tribunus Paulo græcè responderit; non liquet: est tamen verisimile. Quærit autem admirabundus ex Paulo, an nosset græcè; eo quod dubitaret esse Ægyptium, & quidem principem sicariorum. Dicit igitur,

VERS. 38. Nonne tu es Ægyptius (ille), qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum?

ANTE *hos dies.*] Meminit Iosephus Antiquitatum Iudaicarum lib. 20. c. 6. §. 9. & 10. istius Ægyptij qui sese prophetam simulans, concitauerit vulgares homines, ad tumultum, vt sumptis armis sese in montem Oliueti sequerentur; inde inuasuri vrbem, collabentibus mœnibus ipsius imperio. Horum Felix Præses Iudææ quadringentos, eruptione facta, occidit, ducentos

cepit viuos; reliquis fuga dilapsis, ac inter eos Pseudopropheta isto Ægyptio. Eandem historiam idem Iosephus tradit de bello Iudaico lib. 2. cap. 12 §. 18. & sequentibus. Commemorat hæc & Baronius ad anuum Christi 58. §. 59, & §. 145. hanc Pauli captiuitatem. Sequitur,

VERS. 39. Et dixit ad eum Paulus, Ego homo sum quidem Iudæus, à Tarso, Ciliciæ non ignotæ ciuitatis municeps.

SENSVS est. Ego neque sanguine neque patriâ sum Ægyptius, sed sanguine, Iudæus; patria, Tarsensis, ex Cilicia. Quod ad verba eorumque distinctionem attinet, ex g. manifestum est non esse coniungenda illa duo *Tarso Cilicia*, sed commate interposito separanda: Nam pro isto (à Tarso) græcè est ταρσεύς, *Tarsensis*. Sed tum oritur difficultas, quomodo Cilicia, Prouincia vtique ampla, hic dicatur ciuitas; ita enim sonant verba, *Ciliciæ non ignotæ, seu non obscuræ, ciuitatis ciuis*. Hæc difficultas bifariam tolli potest; priore modo, concedendo, Ciliciam dici hîc ciuitatem; neque id esse absurdum. Ciuitatem enim (& idem iudicium de vocabulo græco πόλις] dici non illum dumtaxat hominum cœtum qui intra easdem portas habitat, sed etiam totam aliquam regionem quæ eodem iure vtitur, & ijsdem politicis legibus viuit, atque gubernatur. Exempla hæc occurrunt. Tullius in somnio Scipionis; Concilia cœtusque hominum iure sociati; quæ ciuitates appellantur. Non dicit, ijsdem muris vel aggeribus sociati; sed Iure, ait, sociati. eodem modo vtitur nomine ciuitatis Sallustius in Catilinaria; ille vbi agitur de Allobrogum legatis. Et in Iure Ciuili sic distinguuntur Ciues ab incolis; Ciues quidem origo, manumissio, allectio vel adoptio: Incolas vero, domicilium facit. Codicis lib. 10. tit. 39. lege 7. Posteriore modo, licet negare, Ciliciam hîc dici ciuitatem. Responderi enim poterit neque in græco codice, neque in nostra latina versione, hos duos genitiuos (*Ciliciæ*) & (*Ciuitatis*) appositiuè (vt grammaticè loquamur) coniungi; sed priorem à posteriore regi; vt sensus sit, Ego sum Tarsensis, ciuis proinde non obscuræ ciuitatis inter oppida Ciliciæ. *Municeps*] g. est πολίτης, ciuis. Interpres vidit non multum interesse, inter municipem & ciuem, si rectè vtrumque nomen intelligatur.

Addit Paulus, Tribuno loquens; *Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.*] Hoc petit Paulus cupiens promouere salutem proximorum suorum, ac specialiter suorum contribulium Iudæorum, qui Euangelicę de Iesu Nazareno fidei, ita furiosè aduersabantur: simul autem cupit amoliri offendiculum infamiæ de sua persona, per calumniatores istos Iudæos sparsæ, quasi esset homo legi Dei contrarius, qui proinde nusquam deberet tolerari. Et Deus mouit cor huius Tribuni; vt Paulo concederet sermocinari ad populum. Vnde sequitur,

VERS. 40. Et cum ille permisisset;

PAVLVS *stans in gradibus*, de quibus dictum est vers. 35. nempe quibus in castra ascendebatur, seu in locum illum editiorem munitum, vbi degebant milites

milites præsidiarij. ergo, stans in gradibus; *Annuit manu ad plebem*] manu mota significabat se loqui ad eos velle, & postulare silentium. Simile vidimus c. 12. v. 17. c. 13. v. 16. c. 19. v. 33. Et est gestus pene naturalis, quo petitur silentium & attentio. En, Paulus toto corpore quassatus verberibus, (supra v. 32.) & (v. 33.) ligatus catenis duabus, concionatur genti suæ Iudaicæ; tanta est dilectio etiam erga hostes infensissimos. *Et magno silentio facto*] Magis cupiditate audiendi quid noui esset dicturus, quam reuerentiâ ipsius: oderant enim. *Alloquutus est linguâ hebræa, dicens;*] *Lingua hebræa*, id est lingua quæ tunc & aliquot sæculis præcedentibus, erat in vsu vulgo hebræorum seu Israelitarum; ac potissimum à reditu ex captiuitate Babylonica; non sincera illa vetus lingua hebræa, sed permista chaldaicis & syriacis dictionibus atque loquutionibus. Hæc tempore Christi Domini & Apostolorum appellabatur lingua hebræa, etiam in sacris literis.

ARGVMENTVM

CAPITIS XXII.



PAVLVS ad populum Ierosolymitanum hebraicè concionatur, narrans causas conuersionis sui ad Christianismum, & reddens rationem quare Gentilibus potius quam Iudæis euangelium Christi annunciet. Furente deinde isto populo, ac eum ad necem deposcente; Tribunus præsidij militaris iubet illum duci in munitionem præsidiariorum; quæstioni subiecturus, nisi Paulum ciuem Romanum esse intellexisset: quare, omissa quæstione, vt sciret quid ei imponerent Iudæi, postridie ipsum producit in magnum Iudaicorum sacerdotum Concilium.

VERS. 1. Viri fratres, & Patres, audite quam ad vos nunc reddo, rationem.

BREVISSIMVM est exordium quo populum istum facit beneuolum & attentum, quantum res patitur. Simile fecit sup. c. 13. v. 16. Simile fecit Petrus Apostolus Iudæis loquens, sup. c. 2. vers. 14. 22. 29. & B. protomartyr Stephanus respondens synedrio Iudaico, sup. cap. 7. vers. 2. *Rationem*] g. est ἀπολογίας; quod vel excusationem vel defensionem rectè accipias: non male noster Interpres vocabulo generaliore (*rationem*) dixit.

VERS. 2. Cum audissent autem quia (quod) hebræa lingua loqueretur ad illos; magis præstiterunt silentium.

QVID per *hebræam linguam* hîc intelligendum sit, dictum est ad finem cap. præcedentis; & confirmari potest ex his verbis. Hinc enim liquet, hebræam linguam hic appellari, qua tunc temporis vtebatur plebs hebræo-

rum,

rum, mista scilicet ex Chaldaica & syriaca ac ex reliquijs veteris veræque linguæ hebraicæ. Manifestum est enim Paulum loquutum lingua populari; & eam vocari hoc loco hebræam.

VERS. 3. Et dicit, Ego sum vir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate; secus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ legis; æmulator legis, sicut & vos omnes estis hodie.

EGO *sum vir Iudæus*, & quidem ex tribu beniamim. Philipp. 3. v 5. *Natus in Tarso Ciliciæ*,] Idem dixerat Paulus Tribuno, c. præcedenti v. 39 Et cap. 9 huius operis, ver. 11. Dominus apparens Ananiæ, vocat eum Tarsensem: sed hic expressius dicitur, *Natus Tarsi. Nutritus autem in ista Ciuitate*,] In pueritia, vel saltem initio adolescentiæ fuit missus studiorum gratia Ierosolymam à parentibus locupletibus & honoratioribus. Cuius rei argumentum esse potest, quod, etsi Tarsenses, essent tamen à Romanis donati ciuitate Romana; vt constat ex vers. 28. huius Illud item, quod primores Iudæorum Paulum fecerunt Prætorem capitalem aduersus Christianos.

SECVS *pedes Gamaliel eruditus*. Significat se diligenter, constanter & reuerenter audiuisse doctissimum illum Pharizęum, vniuerso populo venerabilem, Gamalielem; cuius fuit honorifica mentio, supra cap. 5. v. 34. Eo præceptore Paulus ait se eruditum fuisse *iuxta veritatem paternæ legis. Iuxta veritatem*] g. est κατὰ ἀκρίβειαν; hoc est iuxta exactam rationem, seu iuxta rigorem. Vox latina (*veritas*) quiddam tale, vel potius hoc ipsum, nonnunquam significat, etiam apud latinissimos scriptores; vt in illo Comici, *Obsequium amicos, veritas odium parit*. Quare noster Interpres non male hic reddit, *veritatem*; sed oportet rectè intelligere, vt exigit vis vocabuli græcanici. Diximus ea de re alibi, in soluenda obiectione quadam quæ contra authoritatem librorum Machabęorum adfertur, ex lib. 2. cap. 2. vers. 29. Vbi & ex B. Hieronymo in opusculo de optimo genere interpretandi, simile exemplum attulimus; hoc scilicet, Terentius Menandrum, Plautus & Cæcilius veteres Comicos sunt interpretati. Nunquid hærent in verbis; ac non decorem magis ac elegantiam in translatione conseruant, quam *veritatem interpretationis*? id est, quam illam exactam interpretandi curam, qua vbique verbum verbo redda ur. *Paternæ legis*] non videtur esse sermo de lege diuina data per Moysen, sed de constitutionibus quas à maioribus acceperant, præcipue verò ab his qui erant ex secta Pharisæorum; inter quas aliquæ fuerint de modo, & accurata ratione tradendi doctrinam sacram. Est tamen verum quod apud Gamalielem Paulus audiuerit explicationem legis & reliquæ scripturæ veteris; quoniam sup. Act. 5. v. 34. *Legisdoctor* nominatur Gamaliel; & non ab illo, sed ab alijs Paulus Ierosolymis doctus fuit literas, & alia quæ sunt humanarum scientiarum, in quibus constat eum fuisse eruditum; sicut quondam Moyses omni sapientia Ægyptiorum fuerat imbutus; sup. cap. 7. vers. 22.

ÆMVLATOR

ÆMVLATOR *legis*] fermo eſt de lege diuina, etiam ceremoniali, data per Moyſen. Huius æmulator ſeu zeloſus amator erat Paulus; prius quidem non ſecundum ſcientiam, ideoque malè; poſtea autem iam factus Chriſtianus, ſecundum ſcientiam, qua legem à Deo datam ita defenderet vt fidem Chriſti ei præponeret, & ceſſaturam ex Dei voluntate eam legem doceret, promulgato vbique Euangelio Chriſti. Conferantur quæ diximus ad cap. 21. v. 21. ſub finem annot. *Sicut & vos eſtis hodie,*] Non dicit an rectè an perperam zelo legis ducantur; ſed verbis generalibus ac indiſtinctis vtitur; quod poterat, citra vllum vitium falſitatis vel adulationis, ad retinendam illorum beneuolentiam; relinquens ipſis intelligendum ex ſubſequentibus num bono an vero prauo zelo legis arderent. Monuit quid tale hoc loco Chryſoſt. Progreditur Paulus.

VERS. 4. Qui hanc viam perſequutus ſum vſque ad mortem.

HANC *viam.* Id eſt, de Ieſu Nazareno doctrinam quod ipſe ſit Meſſias Domini, & religionem illi conformem. Sic etiam ſupra cap. 9. v. 2. cap. 18. verſ. 26. c. 19. v. 9. & 23. *Perſequutus ſum vſque ad mortem;*] Notum eſt ex initio cap. 8. huius operis, & ex princ. cap. 9.

VERS. 5. Sicut Princeps Sacerdotum mihi teſtimonium reddit, & omnes maiores natu.

GRÆCE eſt, *& totum presbyterium,*] id eſt totus cœtus presbyterorum; neque liquet an ætas an dignitas ſignificetur. Dignitatem potius ſignificari ex ſequentibus apparet, ſi quis ea conferat cum cap. 9. verſ. 2. à ſolis enim ſacerdotibus videtur Paulus, Prætor Capitalis aduerſum Chriſtianos, literas impetraſſe ad ſynagogas Damaſcenas. Obſeruandus eſt hic locus originalis ſcripturæ propter verba quæ ſunt 1. Timoth. 4. v. 14. Addit Paulus;

A *quibus.*] Principe ſcilicet ſacerdotum & reliquo presbyterio, *Et epiſtolas accipiens ad fratres;* id eſt ad contribules Iudæos qui præerant ſynagogis extra Ieruſalem; *Damaſcum pergebam, vt adducerem* &c. Hæc ſunt cap. 9. in princ. Pergit Paulus.

VERS. 6. Factum eſt autem, eunte me & appropinquante Damaſco, media die.

IDEM dicitur infra cap. 26. verſ. 13. *Subito de cælo circumfulſit me lux copioſa:* Græca vox paulo vehementius ſonat, *circumfulgurauit me lux copioſa. Me*] & eos qui mecum ſimul erant. cap. 26, verſ. 13. *Copioſa*] ſupra ſplendorem ſolis; vt ibidem dicitur.

VERS. 7. Et decidens in terram.)

ET ego & omnes comites itineris. eodem cap. 26. verſ. 14. *Audiui vocem dicentem mihi*, linguâ hebraica; eodem 14. v. Quid dicentem? *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Græcus codex habet, *Saóul, Saóul*, & ſimiliter quidam veteres libri latini, teſte gloſſa ordinar. Vnde diſcimus, Paulo tunc temporis fuiſſe idem nomen quod fuerat primo Regi populi Iſraelitici, perſecutori Dauidis & aliorum innocentum.

QVID *me perſequeris?* Corpus meum nimirum, meos fideles, quibus ego caput ſum; qui mihi ſunt inſiti per fidem & baptiſmum; quos tu niſi me abnegent occidis. Item, *me perſequeris*; quia nomen & memoriam mei, multoque magis fidem mei & religionem qua agnoſcar Meſſias Domini, totis viribus ſtudes abolere. Horum verborum commemoratione Paulus ſtudet aculeum pœnitentiæ infigere animis Iudæorum iſtorum qui hæc audiebant; vtpote qui etiam ipſi Ieſum perſequerentur.

VERS. 8. Ego autem reſpondi, Quis es Domine?

QVÆREBAT hoc Saul, propter illud (*me*) quod erat in verbis Domini nunc recitatis. Sequitur, *Dixitque ad me, Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris*. Senſus verborum horum patet ex dictis. Illud conſiderandum quod Dominus, quamuis iam in cælo ſedens ad dextram Patris, in corpore glorioſo; tamen non dedignatur nominare patriam ſuæ ſecundum hominem natiuitatis, vrbeculam Nazareth; ne quem ſuæ patriæ, etſi minus fortaſſis celebris aut frequentis, ea de cauſa pudeat. Addit Paulus,

VERS. 9. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt; vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum.

LVMEN *quidem viderunt*] cuius circumfulguratione, etiam ipſi corruerant in terram d. cap. 26. v. 14. licet non viderint ipſum Dominum Ieſum loquentem Paulo. ſup. cap. 9. verſ. 7. Beati enim habentes corpora glorioſa, habent in ſua poteſtate videri aut non videri ab oculo non glorioſo. S. Thom. ſuppl. q. 85. art. 3. *Vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum*. Dicto c. 9. v. 7. de comitibus Pauli dicitur, *Audientes quidem vocem, neminem autem videntes*. Videtur prima fronte, quod ibi dicitur, *Audientes quidem vocem* contradicere ei quod hic dicit Apoſtolus, de iiſdem ſuis comitibus. *Vocem non audierunt*: ſed, non ita hoc iſto loco dicit; verum ſic, *Vocem non audierunt eius qui loquebatur mecum*. Audierunt itaque Saulum reſpondentem Domino; ſed vocem Domini ad Saulum non audierunt; ſicut nec viderunt ipſum Dominum, tametſi lumen quod Saulum & omnes ipſos circumfulgurabat, viderint, eiuſ-

que

quæ conſpectu territi ſint, ita vt (quod hic addit g.) humi corruerent, d. c. 26. v. 14. Hæc iſtarum ſententiarum conciliatio, quam textus ipſe hoc loco ſuppeditat, imo & cap. illo 26. v. 14. abundè ſufficit tollendæ antilogiæ; vt mirum ſit quibuſdam expoſitoribus vel ſcholiaſtis libere aliquid prætereа comminiſci. Sequitur,

VERS. 10. Et dixi, Quid faciam Domine? Dominus autem dixit ad me &c.

VSQVE ad verſ. 12. hæc expoſitione non egent, & ſunt eadem cum his quæ leguntur cap. 9. verſ. 6. 7. 8.

VERS. 12. Ananias autem quidam, vir ſecundum legem teſtimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis;

COHABITANTIBVS] ſcilicet Damaſci, hoc enim ſubauditur; & quidam græci codices hîc in ipſo textu exprimunt. Omnis hæc laudatio Ananiæ eo pertinet vt iſti Iudæi intelligant, ea quæ monente Anania, tanquam Dei internuncio, fecit Paulus; rectè facta eſſe, nec ab eo omitti potuiſſe. Is ergo Ananias,

VERS. 13. Veniens ad me,)

DEI iuſſu vtique. ſup. cap. 9. verſ. 11. & ſequent. *Et aſtans mihi*] adhuc cæco, iam totum triduum: d. cap. 9. v. 9. *dixit*] ſcilicet poſtquam præmiſiſſet ea quæ leguntur c. 9. v. 17. *Saule frater, reſpice. Saule*] g. eſt Saul: & omnino credibile eſt ſic Ananiam illi fuiſſe loquutum, hebraicâ nimirum linguâ. *Reſpice*] id eſt viſum recipe. Ananias enim Dei iuſſu, ſimul cum hoc dicto, viſum ei miraculoſè reſtituebat, fuit igitur verbum operatorium, vt ſæpè alia ſimilia in hiſtoria Euangelica; vnde ipſe hîc addit, *Et ego eâdem horâ reſpexi in eum.*] Modus quo viſus ei fuit reſtitutus, exponitur d. cap. 9. verſ. 18. nempe quædam reiectamenta ſimilia ſquamis piſcium vel ſerpentum, ceciderunt ab oculis eius. Sequitur,

VERS. 14. At ille dixit.)

ANANIAS mihi Paulo, à Deo ad me miſſus; *Deus patrum noſtrorum præordinauit te vt cognoſceres voluntatem eius, & videres Iuſtum, & audires vocem ex ore eius:*] *Deus patrum noſtrorum*, Deus pater intelligitur. Commemorat hunc Ananiæ ſermonem Paulus iſtis Iudæis, vt ijs inſinuet quod etiam Ananiæ, viri iuſti, iudicio & teſtimonio, Paulus ſecundum Dei (quem verum & vnicum ij colebant) voluntatem & mandatum docebat, ea quæ docebat; faciebat, quæ faciebat, etiam inter Gentiles.

PRÆORDINAVIT *te*, προεχειρίσατό σε, Eadem vox est g. cap. 26. v. 16. Vbi interpres vertit *constituere*; non noster tantum sed & alij: quare quod hoc loco reddidit, *præordinauit*, non est postponendum ei quod alij vertunt (præparauit) vel (præapparauit). *Præordinauit te vt cognosceres voluntatem eius* &c. Propositum Dei de his quæ circa Paulum facere decreuerat seu prædestinauerat, Ananiæ erat reuelatum; & ex ea reuelatione Paulo nunc illud aperit Ananias. Præordinauerat nimirum Deus, vt Paulus eius voluntatem cognosceret, quid scilicet ipse nouissimis temporibus, decreuisset facere, ad reparationem humani generis, etiam Gentilium. Ephes. 2. & 3. 2. Timoth. 1. & alibi.

ET magis etiam particulariter præordinauit Deus te, Saul, *vt videres Iustum*, g. additur articulus τὸν; vnde patet sermonem esse de Christo, per quem Deus iustificat & saluat genus humanum. Hunc sibi corporaliter apparentem Saulus oculis suis vidit; & sibi loquentem auribus corporalibus suis audiuit; quod hic dicitur *& audires vocem ex ore eius*. Hęc tum superius hoc ipso cap. tum cap. 9. huius operis latius sunt narrata; vnde Paulus 1. Cor. 15. se annumerat his, qui oculari testes fuerunt resurrectionis Christi Domini.

IN eo quod Ananias refertur Christum Dominum designasse hac periphrasi, *iustum illum*; tacitè redarguuntur Iudæi isti auditores, qui Iesum Nazarenum, eiusque fidem ac discipulos, hoc nomine persequebantur; sicut & maiores eorum: quos omnes magno scelere id fecisse, & facere, significatur; eo ipso quod *illum Iustum* oderint & persequantur; illum iustum dico, qui est Sanctus sanctorum. Obseruauit hoc Chrysost. Eadem enconomiastica periphrasis Christi Domini, fuit in verbis B. Petri sup. cap. 3. vers. 14. & B. Stephani, cap. 7. vers. 52. Addit Ananias, loquens Saulo, de illo ipso Iusto, de Domino Saluatore videlicet;

VERS. 15. Quia eris testis illius, ad omnes homines, eorum quæ vidisti & audisti.

AD *omnes homines*.] Non Iudęos tantum sed etiam Gentiles. Hoc sibi ab Anania ex Dei mandato dictum commemorat Paulus istis Iudæis, ad mitigandum eorum furorem, qui hac etiam ex causa oderant Paulum quod Euangelium salutis de Christo, annunciaret Gentilibus; cæci, & inuidi. Cæci, quoniam per Prophetas erat prędictum Messiam venturum in salutem etiam Gentilium; tametsi ipse per se solis Israelitis verbum salutis annunciauerit. Matth 15 *Non sum missus nisi ad perditas oues domus Israel*. Scripturas aliquot propheticas, de vocatione Gentium congerit Apostolus Rom. 15. Pergit Ananias, ad Paulum dicens;

VERS. 16. Et nunc, quid moraris? Exurge, & baptizare, & abluere peccata tua, inuocato nomine ipsius.

ET *nunc quid moraris?* Non obiurgatio est, sed adhortatio ad statim accipiendum baptismum: cuius necessitatem vel ex catechetica institutione, quam triduo

triduo illi fecerat Ananias, vel certè ex reuelatione diuina Paulus iam intelligebat Euangelicam enim doctrinam ipse per reuelationem sibi à Domino Saluatore factam, non adeo per hominum ministerium, accepit. 1. Cor. 11. v. 23. cap. 15. in princ. Galat. 1. verſ. 11. 12. 15. & seqq *Exurge & baptizare*] id est, accinge te ad suscipiendum baptismum à Christo institutum; aggredere susceptionem baptismi. Quid autem consecuturus esset per hunc baptismum, adijcit Ananias, dicens, *Et ablutre peccata tua*. Vox g. ἀπόλουσαι. & actiuè & passiuè verti potest: nobis videtur Interpres noster passiuè vertisse; nam ita habent boni latini libri veteres, quos sibi conspectos annotarunt Theologi Louanienses, altera Bibliorum recognitione, ac præterea Isidorus Clarius idem testatur. Nam si Interpres dedisset *ablue*: nemo id in *abluere* mutasset; sed contrà, quoniam constructio videtur incommoda, legendo istud *abluere*; credibile est scribas imperitiores & audaciores vertisse in actiuum, sensu non tam commodo. Huic loco magis quadrat acceptio passiua, etsi verbum græcum medium est, ait Estius in Notis. Quod vero ad constructionem attinet, vel pueri syntactici respondebunt esse synecdochen constructionis. Per hæc igitur verba, significatur Saulum accepturum remissionem suorum peccatorum per baptismum Christi; nimirum omnibus maculis ex anima abstersis, & soluto reatu omnium pœnarum quas propter peccata sua luere debuisset; simul autem accepturum gratiam iustificantem, qua anima eius niteret coram Deo.

MIRVM autem est, nonnullos, parum considerantes hunc sacræ scripturæ locum, & priuatis quibusdam opinionibus impeditos, putare Saulum fuisse iustificatum antequam baptizaretur; eo quod magnam eius contritionem animaduertant. Hi perinde loquuntur de gratia iustificante ac si esset instar formarum naturalium, quæ in materiam vltima dispositione præparatam vi eius introducuntur. Quod non ita est: quoniam nullius dispositionis præuiæ vi infunditur, aut in anima exoritur gratia iustificans. Sacramenta Christi conferunt gratiam ex opere operato: non autem eam sic conferunt dispositiones requisitæ in suscipiente. Nec est putandum illi mulieri peccatrici de qua est Lucæ 7. fuisse sua peccata remissa antequam ei diceret Dominus, *Remittuntur tibi peccata tua*; quantumuis magna esset eius contritio. Addit Ananias.

INVOCATO *nomine ipsius*. Inuocatur nomen Christi, quando ipse vt Deus oratur. item, quando quis baptismo per eum instituto baptizatur: eo ipso enim quod in nomine P. & F. & Spiritus sancti confertur; virtus totius sanctæ Trinitatis tacitè inuocatur ad effectum baptismi consequendum. Denique, iuxta modum loquendi scripturæ sacræ vsitatum, nomen Christi inuocatur ab eo qui se profitetur Christianum: hoc autem profitetur quispiam, & voce, & Sacramentorum Christi receptione, & legis Christianæ susceptione.

HACTENVS à verſ. 13. Paulus narrauit ea summatim quæ sibi in illo primo conuersionis sui triduo, Ananias diuinitus ad eum missus dixerat: nunc pergit de seipso narrare quæ postea sequuta sunt; ac specialiter quomodo peculiari Dei mandato sit missus ad Gentibus Christi Euangelium ennunciandum.

VERS. 17. Factum est autem reuerteñti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis.

QVOD tempus hîc velit designare Apostolus, non est omnino clarum. Plerique expositores intelligunt hunc eius in Ierusalem reditum, fuisse illum quem ipse commemorat Gal. 1. v. 18. qui fuit triennio post ipsius conuersionem, & primus inter omnes eius iam conuersi regressus in eam vrbem. Secundus fuit, quum vna cum Barnaba detulit eleemosynas pauperibus Christianis in Iudæa. Act. 11. in fine, & cap. 12. in fine. Tertius, quando cum Barnaba ex Antiochia Syriæ iuit Ierosolymam ad concilium propter controuersiam de legalibus. sup. cap. 15. Quartus, qui iuxta authoritatem græcorum codicum & veterum latinorum, describitur huius libri cap. 18. vers. 18. 21. 22. quando ascendit & salutauit Ecclesiam Ierosolymitanam, & statim descendit Antiochiam Syriæ. Quintus eius regressus in Ierusalem est qui describebatur cap. præced. v. 15. & sequen. quando iterum eleemosynas attulit pauperibus ex gente Iudaica christianis illius loci; vt ipse dicet, infra cap. 24. v. 17. Conferantur dicta sup. ad c. 19. v. 21. 22. Dum hac quinta vice hæret Ierosolymæ, commota est ista turbatio quæ describitur cap. præced. v. 27. & hoc ipso cap. & sequenti. Quæritur ergo nunc qua ex his quinque vicibus, quibus post conuersionem suam Paulus fuit Ierosolymæ, contigerit ista eius ecstasis, & diuinitus ei immissa visio, quæ hoc v. 17. & sequentib. ab eo commemorantur. Iam diximus à plerisque intelligi primam: non malè tamen, nostro iudicio, secundâ vice, ea contigisse, quisquam dixerit; eo quod Dominus suum ad Paulum alloquium quod hîc describitur, ita concludat, *Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te.* Atqui segregatio Pauli ad exercendum Apostolatum inter gentes, facta est non post primum illum eius in Ierusalem regressum; sed post secundum; vt patet conferenti finem cap. 12 huius operis cum princ. cap. 13. & fine cap. 14.

FIERI *me in stupore mentis.* ' g. est, fieri me in ecstasi. Pro *ecstasi* noster Interpres non malè dixit stuporem mentis. Nam cum varia sit ecstasis; cuius rei ecstasis hîc intelligatur designare voluit, addendo (*mentis*) quod idem fecerat supra cap. 10. vers. 10. Vbi tamen non *stuporem*, vt hîc, sed *excessum* reddidit; vt etiam psal. 67. *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Et psal. 115. *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax.* Est vero *ecstasis mentis* quando homo à sensum exteriorum functionibus mente abducitur seu alienatur: abductus scilicet ad rerum intelligibilium vel ad formarũ quæ virtuti imaginatrici diuinitus obijciuntur, contemplationem; sensibus exterioribus interim velut ligatis. Abstractio vel alienatio à sensibus, appellari solet apud Theologos. videndus B. Thom. 1. sec. q. 28. a. 3. c. Et 2. sec. q. 173. a. 3. c. 175. tota, de raptu mentis; & quæ ad illius q. a. 2. & ad tertium illius q. 28. in 1 sec. diximus ex S. Aug. & aliunde. Narrat igitur Paulus Apostolus quod sibi in templo Ierosolymis oranti contigerit fieri ecstaticum;

VERS.

VERS. 18. Et videre illum dicentem mihi, Festina, & exi velociter ex Ierusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me.

ILLVM] nempe Iustum illum, de quo v. 14. & deinceps; Dominum scilicet Saluatorem. hunc ait Paulus sibi, in templo Ierosolymæ ecstatico, conspectum, in visione nimirum imaginaria, diuinitus immissa; eumque sibi præcepisse vt confestim discederet ex ea vrbe; nec tentaret illic Euangelium de Messia Domini annunciare: ratione adiecta, quod Iudæi Ierosolymitani non essent fidem adhibituri his quæ Paulus ijs diceret.

CVM hoc Christus Dominus vetat Paulo, beneficium confert incredulis illis Iudæis Ierosolymitanis: quoniam si ijs Paulus annuntiasset Euangelium Christi, id est, Iesum Nazarenum esse Messiam Dei Patris, nec alium expectandum; ea prædicatio illis fuisset maioris damnationis occasio, non verò initium salutis; non credentibus nimirum, sed potius blasphemantibus & renitentibus.

ISTI Iudæi Iacobum Episcopum Ierosolymæ & alios Apostolos facilius tolerabant, quam Paulum: Paulus verò qui aliquando vna cum ipsis sensisset, imo præ illis persequutor fuisset & Prætor capitalis aduersus Christianos; mirabatur sibi, iam ad fidem Christi conuerso, non plus fidei & authoritatis tribui ab illis, quibus quondam charus fuerat. Vnde sequitur,

VERS. 19. Et ego dixi, Domine, ipsi sciunt quia (quod) ego eram concludens in carcerem, & cædens per Synagogas, eos qui credebant in te.

HÆC nota sunt ex huius operis cap. 8. princ. cap. 9 prin. & infra cap. 26. v 9 & sequentibus. Addit Paulus,

VERS. 20. Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui;

TESTIS] g est *μάρτυρος*. Quod sonat quidem testem; sed nobis latinis *Martyr* non quidemcumque significat testem, sed eũ qui morte sua confirmat testimoniũ, de veritate fidei aut Iustitiæ. *Ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.* Hoc notum est ex fine cap. 7. huius operis. Sensus verborum Pauli est, Iudæos illos vel in primis sibi Paulo debere fidem adhibere, annuncianti Iesum esse Christum: eo quod olim acerrimus fuisset hostis Christianorum; quem deberent credere non sine maximis & vrgentissimis rationibus nunc annunciare fidem Iesu Nazareni, quam prius totis viribus conabatur extinguere. deberent dico credere non nisi à Deo conuersum; & missum ad euangelizandum fidem Iesu Christi. Sequitur,

VERS.

VERS. 21 Et dixit ad me; vade: quoniam ego in nationes longe mittam te.

IN *nationes*] g. est, εἰς ἔθνη. Quare per *nationes* istas, sunt intelligendæ nationes Gentilium, nationes à populo Israelitico diuersæ. Commemorat ista Paulus sibi in visione dicta à Domino; ad declarandum Iudæis quod Euangelium salutis, ipse iam per annos multos Gentilibus annunciauerat, id se fecisse peculiari Dei mandato; vt non deberent propterea ipsi irasci tanquam malè de populo Israelitico merenti, qui promissam in Christo salutem, promissam vero Patribus populi Israelitici, faceret communem Gentibus idololatris. Hoc enim superbos & inuidos Iudæos valde vrebat.

QVÆRI hic potest, An huic prohibitioni Christi Domini Paulus non contrauenerit, qui postquam ea sibi facta fuerat, iam tertio vel quarto agebat Ierosolymæ. Facilis est responsio, aliquoties post eam prohibitionem Paulum Ierosolymæ fuisse, sed Apostolicum munus non exercuisse, non publicè illic fidem Christi annunciasse Hoc liquebit conferenti ea quæ diximus ad v. 17.

VERS. 22. Audiebant autem eum vsque ad hoc verbum;

IN fine cap. præcedentis dictum est, magno silentio fuisse auditum Paulum, ab istis Iudæis Ierosolymitanis; illudque fuisse auctum quando audiebant hebraicè loquentem, dicebatur initio huius cap Hoc silentium durauit, vsque dum postrema illa verba, sibi à Domino in visione dicta Paulus commemorauit: tunc ruperunt,

ET *leuauerunt vocem suam, dicentes; Tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum viuere.* Idem clamauerant cap. 21. v. 36. sed ratione non addita: hîc rationem addunt, sed quæ probari debuisset; *Non enim fas est eum viuere.* Volunt dicere, falsa esse quæ sibi in visione dicta commemorasset; Nec esse credendum quod Deus qui eum Iudæis Ierosolymitanis annunciare Euangelium vetuisset, iussetit illud annunciari Gentilibus idololatris: eumque quod talia diceret, dignum esse morte. Ac Tribunum Præsidij militaris, hominem Romanum, vrgent quantùm possunt vt huiusmodi hominem statim auferat è medio. Huc enim tendebant ista quæ sequuntur,

VERS. 23. Vociferantibus autem eis, & proiicientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aërem:

OMNIBVS his modis volebant suam indignationem testari Tribuno, contra Paulum, hominem tam nefarium, (vt inquiebant); ipsumque Tribunum incitare vt statim eum occideret. Credibile etiam (quod sentit Chrysost.) his agendi modis voluisse timorem incutere Tribuno, seditionis, & violentiæ à populo inferendæ, si non acquiesceret ipsorum postulato, Paulum statim interficiendo. Sed Deus per suam prouidentiam, volens seruare Paulum ad latius

tius propagandum fidem Christi, animum huius Tribuni, quamuis Ethnici, ita moderabatur & regebat, vt nollet isti postulato acquiescere; neque timore conuteretur; sed causam ante omnia diligenter vellet examinare, quam obijciebant Paulo. Ergo his Iudæis ita tumultuantibus,

VERS. 24. Iussit Tribunus induci eum in Castra.

DICTVM est, ad v. 34. cap. præced. quid intelligendum sit per ista *Castra*, nempe locus munitus in quo simul collecti degebant milites præsidiarij: qui munitus locus verisimiliter erat in monte Sion, sicut illic diximus ad v. 31. & 34. Iussit ergo Tribunus Paulum per milites duci in Castra.

ET *flagellis cædi & torqueri eum.*] Illud (flagellis) ad vtrumque sequens verbum pertinet, vt patet ex græcis, quæ sonant, *flagellis eum examinari.* quare autem? *Vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei*]

III. Si linguam hebræam qua locutus fuerat Paulus isti populo, intellexisset Tribunus: causam vtcumque cognouisset cur sic acclamarent ei; nunc ignorat; & ideo vult à Paulo extorquere eius causæ confessionem, subijciendo eum torturæ. Id quod Tribuno facere non licebat, vt hîc etiam Chrysost. monet: debebat nimirum distinctè ex accusatoribus quærere quid ei imponerent, & postulare probationem. Sed vel mitigando Iudæorum furori, vel seditioni eorum auertendæ, videtur præcipitasse iudicium de Paulo torquendo. At ne hoc quidem permisit Deus fieri.

VERS. 25. Et cum astrinxissent eum loris.)

AD columnam vel ad palum, extendendo corpus eius. nam *extensionem* sonat verbum græcum, pro quo nos habemus (*astrinxissent*). Flagellandis enim ligabantur, more Romano, manus & crura ad palum vel columnam: & sic factum fuit Christo Domino in prætorio Pilati. De eorum qui flagellandi essent, manuum & crurum colligatione apud Romanos, testimonium est apud Gell. 12. cap. 3

CVM igitur ad flagellationem accipiendam esset ligatus: dixit astanti sibi Centurioni Paulus; *Astanti*] nempe ad exequendum mandatum Tribuni de Paulo flagellando. Quid autem ei dixit? *Si hominem Romanum, & indemnatum, licet vobis flagellare?* Cum his verbis conferenda sunt quæ diximus ad cap. 16. v. 37. nempe quod ciuem Romanum ne virgis quidem, multo minus flagris, licebat cædere, nisi prius ob crimen aliquod esset damnatus capitis. Hoc autem erat interdictum, Lege Valeria priùs, posteà autem & Lege Porcia; vt ibi ostendimus, & meminit etiam Baronius in Notis ad Martyr. Rom. die 19. Ianuarij. Harum legum beneficio nunc vtitur Paulus, ob eas causas quas eodem loco exposuimus, petitas à Dei gloria, & salute fidelium, ac eorum qui adhuc per ministerium Pauli conuerti poterant; vt fuerunt conuersi plurimi. Pondus verborum Pauli est in isto, *& indemnatum*: nam etsi Tribunus responderè potuisset se ignorare Paulum esse ciuem Romanum: tamen ignorare non poterat

Bbbb esse

esse illicitum ita hunc captiuum tractare, sine forma Iudicij; quum accusatores nihil probassent quod talem ignominiam mereretur. Sequitur,

VERS. 26. Quo audito Centurio accessit ad Tribunum, & indicauit ei, dicens; Quid acturus es? Hic enim homo ciuis Romanus est.

QVASI dicat, & proinde tutus beneficio legum Valeriæ & Porciæ.

VERS. 27. Accedens autem Tribunus, dixit illi; Dic mihi, Si tu Romanus es? At ille dixit, Etiam.

NON quærebatur an esset patriâ Romanus; quod non erat, cum fuerit natus Tarsi in Cilicia, vt v. 3. huius dicebatur; sed an esset *ciuis Romanus*, id est, an haberet ius ac priuilegium Ciuitatis Romanæ. Talis, per diuinam prouidentiam iam olim operatam, nunc erat Paulus, & talem se esse hîc profitetur.

VERS. 28. Et respondit Tribunus; Ego multâ summâ Ciuitatem hanc consecutus sum.

CIVITATEM] legendum est, vt habent boni veteres libri latini, plerique omnes, vt patet ex marginali annotatione Correctorum Louaniensium correctione priore. Mutatum à scribis audacibus & indoctis, quia non intellectum. g. est πολιτείαν: quod bene vertit noster (*Ciuitatem*). Est enim *Ciuitas* propriè nomen abstractum ab isto (*Ciuis*), & significat id quo formaliter quispiam Ciuis est, nempe ius siue commune siue priuilegium, siue quid mistum ex vtroque, quo iure quispiam constituitur Ciuis in tali vel tali communitate. Proximo deinde flexu (*Ciuitas*) sumitur vt nomen collectiuum, & significat totam aliquam multitudinem ciuium eodem iure vtentium. Vnde est illud apud Tullium in Somnio Scipionis, *Concilia cœtusque hominum iure sociati, quæ Ciuitates appellantur.* Altero flexu, *Ciuitas* significat ipsum locum in quo Ciuitatis alicuius homines degunt. Rectissimè igitur noster Interpres hic dixit *Ciuitatem*; ac Tribuni verba habent hunc sensum, Ego magna pecuniæ summa consecutus sum (ab Imper. vtique & Senatu Romano) Ius ac priuilegium quo sum ciuis Romanus.

ET, *Paulus ait*, *Ego autem & natus sum. Paulus natus fuit ciuis Romanus*, siue quod pater, vel auus eius ob merita in Romanos fuerit Ciuitate donatus, cum extensione eius beneficij in omnes posteros legitimè natos; siue quod inter omnes ciuitates Ciliciæ, Tarsus patria Pauli, fuerit maximis priuilegijs donata, à Iulio Cæsare ac deinde ab Octauio Augusto; propter egregiam operam vtrique præstitam in bellis ciuilibus. Dio. Cassius hoc tradidit lib. 47. historiæ Romanæ, & eodem valet quod legitur apud Plinium, Natur. hist. lib. 5. c. 27. in princ. vbi solam Tarsum inter oppida Ciliciæ nominat liberam. Sequitur,

VERS.

VERS. 29. Protinus ergo discesserunt ab illo qui eum torturi erant.

IVBENTE nimirum Tribuno discesserunt, postquam is accuratius examinauerat, num Paulus verè esset ciuis Romanus; & esse deprehenderat.

TRIBVNVS *quoque timuit postquam rescivit quia* (quod) *ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum.*] nimirum ad torquendum flagris, vt dicebatur vers. 24. *Timuit* non sine causa; non enim ordinem Iuris satis seruauerat in his quibus afflixerat Paulum: quare si querela contra eum fuisset delata ad Præsidem Prouinciæ, qui residebat Cæsareæ maritimæ, vt patet ex cap. 23 v. 23 & sequent. duras partes habuisset Tribunus. Nam Romani accuratè tutabantur omnes eos qui Ciuitate fuerant donati; nimirum ad Gentium exterarum beneuolentiam retinendam, & ad tuendum maiestatem nominis Romani. & nihilominus ne in alteram partem nunc peccaret Tribunus, ac suo officio videretur defuisse, si saltem non curaret examinari causam Pauli: fecit quod sequitur,

VERS. 30. Postera autem die,

VOLENS *scire diligentius*, (id est certius) *qua ex causa accusaretur à Iudæis; soluit eum; à vinculis*; addit g. Videtur Tribunus hac ciuilitate voluisse pensare iniuriam Paulo prius factam; hac (dico) ciuilitate, quod nunc eum omnibus vinculis soluit.

ET *iussit sacerdotes conuenire*, In Orig. est τοὺς ἀρχιερεῖς, *summos sacerdotes*. Hoc noster Interpres videtur subaudire; quasi dictum esset, iussit eos conuenire sacerdotes, qui ad Concilium magnum solebant conuocari. hi autem erant summi sacerdotes, id est, capita illarum vigintiquatuor familiarum sacerdotalium, quæ describuntur 1. Paralip. cap. 24. Sequitur,

ET *omne Concilium*] g. est. καὶ ὅλον συνέδριον αὐτῶν. *& vniuersum eorum* (primorum sacerdotum) *synedrion*, vniuersum consessum primariorum sacerdotum. *Iussit eos conuenire*] tanquam Iudex vicarius Præsidis, apud quem vicarium Iudæi Paulum accusabant. Nec tamen (quantum videtur) iussit eos conuenire hic Tribunus in suam domum, quæ vtique erat in Castris: siue quod commoditas ibi non esset recipiendi tantam multitudinem, quanta erat istius synedrij; siue quod cum vicarius tantum esset Præsidis, hunc honorem voluit deferre isti Concilio vt ipse illuc accederet vbi esset congregatum. Quæ congregatio an nunc fuerit in parte aliqua templi, (vt sæpe solitum fieri quibusdam videtur ex 1. Paralip. 26. v. 19.) an verò in domo summi Pontificis Iudaici (vt in historia passionis Domini certum est euenisse) an vspiam alibi, & vbi; non liquet. Illud tamen videtur satis constare, quod fuerit in loco propinquo Castris: quoniam hoc loco græcè non est (*conuenire*) sed simpliciter (*venire*), quo significetur in locum aliquem vicinum Tribuni domui, iussisse eum illos venire; vt ad Tribunum quodammodo venerint. Nam in parte aliquâ templi factum non fuisse, inde apparet quod Iudæi hominem Gentilem Idololatram illuc

non videntur admissuri fuisse; constat tamen ipsum Tribunum huic synedrio interfuisse, partim ex hoc v. vlt. huius cap. partim ex cap. sequentis v. 10.

ET *producens Paulum;*] vox græca κατάγαγὼν, potius significat *deductionem* ex loco aliquo superiore; & sic legitur infra cap. 23. vers. 28. vt intelligamus, quod ipsemet Tribunus stipatus necessarijs militibus Paulum ex Castris, id est, ex illa editiore munitione vbi degebant milites præsidiarij, deduxerit in ipsum conuentum synedrij;

STATVIT *inter illos.*] Collocauit vspiam in medio huius synedrij; ipse ibi manens in conuentu; militibus qui vnà venerant, verisimiliter iussis foris expectare; vt fit.

ARGVMENTVM

CAPITIS XXIII.



PAVLVS Apostolus in Concilium primariorum sacerdotum Iudaicorum introductus, excitat dissensionem inter Pharisæos & Sadducæos, qui præcipui erant in eo conuentu; in qua dissensione Pharisæis pro Paulo certantibus, tanta inter illos seditio est coorta vt præsidiariorum militum T..ounus iusserit eum reduci in Castra. Nocte proximâ per visionem à Domino confortatur: Struunt ei insidias Iudæi supra quadraginta, ad interficiendum: sed diuinâ prouidentiâ insidijs ipsi Tribuno detectis, is necessario militum commeatu Paulum deducit Cæsaream, ad Præsidem Iudææ Felicem.

VERS. 1. Intendens autem in Concilium Paulus, ait; Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum, vsque in hodiernum diem.

HIS verbis Paulus statim à principio sermonis, suam innocentiam declarat, ait Chrysost. tametsi Iudæi eum captiuum fecissent, vers. 27. cap. 21. & postea eorum voluntate Tribunus eum detineret, eodem cap. vers. 33. & cap. 22. vers. 22. & sequentibus. Sensus horum verborum est, Viri fratres, vobis postulantibus & me accusantibus, teneor captiuus à Tribuno vicepræside: ego tamen in his de quibus me accusatis, innocentem me esse vobis declaro; & vsque in hodiernum diem, officium fidem Christi annunciandi à Deo mihi iniunctum, cum omni bona ac sana conscientia exercuisse. Hæc dicebat, *intendens in Concilium*, ait S. Lucas; id est, oculos fixè detinens in eos quos alloquebatur; eo gestu declarans animum sibi bene conscium.

VERS.

VERS. 2. Princeps autem ſacerdotum Ananias præcepit aſtantibus ſibi, percutere os eius.

DE hoc Anania ſeu Anano eſt apud Ioſephum Antiq. lib. 20. c. 8. Iunior (ait) Ananus, quem nunc ſummum Pontificatum accepiſſe (à Rege Agrippa) diximus, audax erat & ferox ingenio, ſecta Sadducæus; quod hominum genus apud Iudæos in iudicando eſt ſeueriſſimum. Ita Ioſephus, & ex eo Euſeb. hiſt. Eccl. lib. 2. c. 22. Hic igitur iuſſit vt Paulo os percuteretur. Mouebat hominem libertas Pauli in ſua innocentia, ſtatim initio ſermonis, declaranda: forte etiam quod non maiorem honorem præfatus eſſet in ipſo exordio; ſed ſimpliciter dixiſſet, *Viri fratres.* Has cauſas expoſitores coniectant, iſtius tam inhumanæ contra Paulum iniuriæ.

VERS. 3. Tunc Paulus dixit ad eum, Percutiet te Deus, paries dealbate.

NON (*percutiat*) ſed (*percutiet*) legendum eſt, quod habent meliores libri latini, conformiter græcis. Senſus, Deus te puniet propter hanc iniquitatem quam contra me iubes exerceri, percutiendo mihi os, tanquam falsò aut malè loquuto. Sed cur vocat eum *parietem dealbatum?* Sermo eſt de pariete non petreio aut latericio, ſed luteo; qui ſolet extrinſecus colorari; de quali pariete loquitur ſcriptura Ezech. 13. Genuinus eius metaphoræ ſenſus, ex proximis Apoſtoli verbis, accipi poteſt, cum ſubdit, *Et tu ſedens iudicas me, ſecundum legem; & contra legem iubes me percuti?* Senſus enim eſt, Externo ſchemate præ te fers quod ſecundum legem velis iudicare meam cauſam: & tamen contra legem iubes me ignominiosè percuti, non condemnatum, imò necdum ſatis auditum. Loquitur autem (quod obſeruandum eſt) Paulus ad iſtum Ananiam tanquam vnum ex conſiliarijs, id eſt primarijs ſacerdotibus iſtius ſynedrij; non autem tanquam ad Principem ſacerdotum: ignorabat enim eum eſſe, vt ipſemet dicet v. 5. vbi cauſa exponetur, cur hoc Paulus ignorare potuerit. Porro ordo verborum huius ſententiæ, iſte eſt; *Et tu iudicans me* (ſic enim eſt g. per partic.) *ſedes ſecundum legem; & interim contra legem iubes me percuti?* Summa eſt, Tenes locum boni viri, pars vna huius Concilij primariorum ſacerdotum: & non præſtas vel eam æquitatem, quam præſtaret homo ethnicus iuri dicendo præfectus. Hoc voluit Apoſtolus, dum iſtum vocauit *parietem dealbatum.* In quo non peccauit; quoniam publica erat iniuria planèque manifeſta; & amore iuſtitiæ, non ex rancore animi qui alieno malo paſceretur, ſic cum eo expoſtulauit.

ERAT cauſa cur Apoſtolus ſic expoſtularet cum Anania; eo quod profectui Euangelicæ prædicationis obfuturum erat ſi Paulus ab eo ita ignominiosè, contra omnem iuris ordinem, tractatus, planè conticuiſſet; præſertim cum coram toto illo conuentu primariorum ſacerdotum, ac coram ipſo Tribuno præſidiariorum, gubernatore Ieroſolymæ, tanta ignominia afficeretur. Accedebat quod, (vt dictum eſt) ignorabat Paulus eum eſſe ſummum ſacerdotem. Vnde ſequitur.

VERS. 4. Et qui astabant, dixerunt, Summum sacerdotem Dei maledicis?

QVASI dicat An nescis esse summum sacerdotem cui tu ita loqueris?

VERS. 5. Dixit autem Paulus, Nesciebam, fratres, quia (quod) Princeps est sacerdotum;

VOLENS dicere quod alioqui non sic erat ei loquuturus Causa additur. *Scriptum est enim, Principem populi tui non maledices*, Locus Scripturæ est Exod. 22. v. 28. vbi legimus, *Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Hîc pro isto *Dijs* hebraicè est Elohim, quod nomen sæpè transfertur ad eos qui præsunt, vt psal. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum; in medio autem Deos diiudicat.* Et tamen quando Dei honor vel ædificatio proximorum ita postulat, licet, seruatis circumstantijs, reprehendere Iudicem vel Principem manifestè ac palam iniquum.

Hîc laborant nonnulli, quomodo defendant Paulum Apostolum à mendacio, quando dixit se ignorasse quod Ananias iste esset summus eo tempore sacerdos: Sed profectò non laborarent hi boni, si perpenderent circunstantias personæ Pauli, & huius negotij; perpenderent quoque quod de hoc Anania legitur apud Iosephum Antiq. lib. illo 20. c. 8 in princ. Ibi narratur de Rege Agrippa, non illo de quo agitur cap. 25. & 26. huius operis; sed qui ibi commemoratur à Iosepho est Filius Herodis Agrippæ alterius, de quo Herode c. 12. huius operis vbi multa de eo dicta sunt ad v. 1. 2. & 3.

PORRO lib. illo 20. Antiq. Iud. apud Iosephum c. 7. in fine, legitur de isto Agrippa Rege, quod postquam Ismael summus Pontifex, missus legatus Romam pro gente Iudaicâ, ibi vt obses à Claudio Imperatore retineretur; Iste Agrippa summum pontificatum detulit Iosepho cuidam cognomēto Cabi, Simonis quondam summi sacerdotis filio. Tum initio cap. 8. refertur quod idem Rex hoc sacerdotium abrogarit isti Iosepho, & dederit Anano filio Anani: sed quod post tertium mensem abstulerit eidem pontificatum, & cuidam Iesu Damnei filio concesserit. Iste enim Agrippa filius Agrippæ, tam à Claudio Cæsare quam à successore eius Nerone, non minus quam pater Regnum Iudææ obtinuit, ac simul ius sacrorum, in templum scilicet, in sacerdotium, & in tutelam religionis patriæ seu Iudaicæ, cui pater fuerat valde addictus. Videri potest Iosephus lib. 19. Antiq. cap. vlt.

HINC ergo habemus quod iste Ananias non fuit summus Pontifex nisi tres menses integros. Addamus nunc quod Paulus multis iam annis non hæserat Ierosolymæ, imo ne nunc quidem hæserat, nisi circiter decem dies, & quidem alijs rebus intentus, vt est videre c. 21 a. v. 17. deinceps. Addamus & hoc, quod nunc non erat congregatum magnum synedrion, sed dumtaxat primarij sacerdotes viginti quatuor familiarum sacerdotalium, vt dictum est cap. præced.

præced. v. 30. Vbi & hoc fuit dictum, istum conuentum non fuisse habitum neque in templo, neque in ædibus summi sacerdotis; sed vel in Castris vel in domo Castris propinqua: vt non debeamus putare eos qui illuc conuenerant suis insignibus fuisse distinctos, & locis atque ordinibus ita discretos, vt quis inter eos esset summus eo tempore sacerdos quiuis potuerit dignoscere. Chrysost. sanè vtraque expositione, verba Pauli intelligit vt sonant, creditque re-uera ignorasse. Nec est cur dubitemus vera dicere Paulum. Sequitur.

VERS. 6. Sciens autem Paulus quia (quod) vna pars esset Sadducæorum & altera Pharisæorum; Exclamauit in Concilio: Viri fratres, Ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum (Pharisæi, g.); de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor.

PAVLVS videns istam multitudinem in malum conspirantem, dat operam (ait Chryf.) vt eam dissoluat, imo vt scindat; quo sic ab eorum impetitione liberetur. Et V. Beda, Malorum vnitas semper est bonis noxia: vnde nunc Apostolus persecutores suos dissociare satagit; vt quem vniti vinxerant, diuisi laxarent. Ita V. B. *Itaque sciens quod* istius Concilij *vna pars esset Sadducæorum*; in qua parte erat iste Ananias. vt ad verf. 2. ex Iosepho diximus; à qua parte magis sibi Paulus timebat, eo quod Sadducæi amore suæ hæreseos oderant etiam alios Iudæos illam hęresim detestantes; *& altera Pharisæorum: exclamauit in Concilio*, sed ita exclamauit vt sermonem dirigeret ad Pharisæos. Quid vero exclamauit?

VIRI *fratres, Ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum:* Nomen *Pharisæi* non erat malum; erat enim nomen instituti perfectioris in gente Iudaica, vera religione retenta: non sic *Sadducæi*; quod erat nomen sectæ impiæ, vt declarat S. Lucas verf. 8. huius. Itaque licuit Apostolo esse Pharisæum, quamdiu durabat status veteris legis; secundum ea quæ leguntur infra cap. 24. v. 14. & cap. 26. v. 5. 6. Et conformiter dictis, licebat Apostolo, tempore & loco (vt hic) profiteri se esse Pharisæum; præsertim quum ita dicens loqueretur de Pharisaismo secundum originem & professionem primam, non verò secundum doctrinas quasdam illi instituto postea superadditas, inutiles aut noxias; quas in Euangelio sæpè redarguit Dominus Saluator. An Pharisaicum vitæ institutum tunc adhuc seruauerit, veluti quoad certas abstinentias, preces, alias viuendi regulas, non liquet, neque est verisimile.

EGO, ait Paulus *Pharisæus sum*; q. d. Ego cum Pharisæis sentio ijs in articulis vbi dissident à Sadducæis; veluti, vt Pharisæi credunt esse Angelos & spiritus, item futuram resurrectionem mortuorum; sic & ego. Addit Paulus, se esse *filium Pharisæorum*, aut vt in Originali est, *filium Pharisæi*: eo sensu quo in lib. Regum aliquoties commemorantur filij Prophetarum, prophetarum discipuli. Nam Paulus fuerat discipulus celeberrimi illius Pharisæi Gamalielis; de quo ipse cap. 22. huius operis v. 3. & de quo S. Lucas sup. cap. 5. v. 34. Hoc sensu accipit Vener. Beda, quod Paulus ait se filium Pharisæi. Neque ab hac interpreta-

pretatione alienum est, quod nostri libri pluraliter legunt, *filius Pharisæorum:* siue quia id per enallagen numeri potest accipi; siue quia præter Gamalielem, etiam alium quempiam Paulus Pharisæum audiuerit in doctrina sacrarum litterarum.

ADDIT deinde Paulus quiddam, quod Pharisæorum sibi beneuolentiam conciliet, aduersus Sadducæos; hoc videlicet, *De spe & resurrectione mortuorum ego iudicor.* Sensus est, Ananias iste cum suo Sadducæorum grege, me specie iudicij persequitur, quia credo & annuncio resurrectionem mortuorum; quam creditis & vos. Et reuera (quicquid aliud prætexebatur, vt est videre cap. 21. v. 28.) patiebatur Paulus ab impijs, quia prædicabat Christum ex mortuis resurrexisse ad vitam immortalem ac gloriosam: quod est fundamentum totius fidei Christianæ; vt ex varijs locis huius operis manifestum est: Cap. 2. 3. 4. 5. 10. 13. 26.

QVOD autem peculiari quadam ratione prædicationi fidei Christianæ obsistebant Sadducæi eo quod resurrectionem mortuorum quam ipsi negabant annunciari dolerent: dixit S Lucas. sup. cap. 4. v. 2. cap. 5. v. 17. Quid porro velit istud, *De spe & resurrectione mortuorum*, disci potest ex cap. 24 vers. 21. & cap. 26. vers. 6. 7. Vult enim gloriosam ipsam resurrectionem mortuorum esse illud quo pij sperent peruenire per assiduum Dei cultum: vt cap. illo 26. dicitur.

VERS. 7. Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos; & soluta est multitudo.

ET *cum hæc dixisset*] Non quomodocumque dixisset, sed exclamasset, vt dicebatur vers. præced. & ipse Paulus repetit infra cap. 24. v. 21. idque ad Pharisæos ibi congregatos. *Facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos. Dissensio*] g. est στάσις, quo significatur talis dissensio vt alteri ab alteris discederent, ita vt dissolueretur conuentus; quod proximis verbis attexitur. Nimirum Paulus Apostolus sua illa exclamatione hoc agebat, vt inter ipsos in re mala concordes, dissensionem suscitaret: quod ex iusta causa faciebat. Soluebatur autem iste conuentus sic vt formam consessus amitteret; etiamsi nondum exibant locum synedrij, sed starent in pedes, & altercarentur, vt fit. Cur autem illa Pauli ad Pharisæos exclamatio valuerit, Deo agente, ad suscitandum secessionem inter ipsos & Sadducæos; subijcit S. Lucas causam,

VERS. 8. Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum: Pharisæi autem vtraque confitentur.

MATTH. 22. v. 23. de Sadducæis ait Euangelista quod dicunt non esse resurrectionem; idem de ijs traditur Marci 12. vers. 18. Lucæ 20. v. 27. Hic amplius de iisdem narratur quod neque Angelum neque spiritum esse dicerent,

dicerent. Erant nimirum hæretici in illo populo, Sadducæi, & quidem deterrimi, subuertentes fundamentum omnis religionis & pietatis, imo & ciuilis honestatis. Epicurei erant inter sophistas ethnicos, quod isti erant inter magistros gentis Iudaicæ. Ex verbis Iosephi quæ recitauimus ad vers. 2. audiuimus Sadducæos in iudicando fuisse seuerissimos: id non est mirum; quoniam cum præmia & pœnas futuri sæculi negarent, non poterant vllam formam Reip. habere, neque homines in officio continere, nisi seueritate magna pœnarum temporalium huius vitæ. Illud simulatione plenum, quod eum tam impia dogmata tenerent; seipsos tamen vocarent Sadducæos, nomine deducto à iustitia. *tsedec* enim iustitiam significat. Hoc est S. Epiphanij, hæresi 14. Eodem modo hæretici nostrorum temporum sese vocant *fideles*, item *reformatos*, item *euangelicos*.

NEQVE *spiritum*.] Ambigitur quid per *spiritum* S. Lucas intelligat: videntur probabiliter dicere qui quamlibet immaterialem substantiam hoc nomine accipiunt: sub qua generali significatione anima rationalis à corpore seiuncta contineatur; sicut & Angelus. q. d. S Lucas, Sadducæi negant esse resurrectionem, negant esse Angelum vllum, imo generaliter negant esse vllam substantiam immaterialem.

DICET quis; Quid igitur de Deo sentiebant? Respondet hîc Chrysost. negabant Deum esse spiritualem seu immaterialem substantiam; dicebant esse corporeum. Idem post Chrysost. ait Oecumen. Mirum hoc posset videri; nisi postea emersissent hęretici qui humani corporis membra & figuram Deo affingerent; de quibus est apud S. August. in lib. de hæresibus cap. 74. & 86. Non malè tamen quis nomine (*spiritus*) hoc loco præcisè animam humanam à corpore seiunctam intelligat: quod verbis sequentibus, & versu 9. bene congruit.

PHARISÆI *autem vtraque confitentur*.] Quæ vtraque? & Angelum, & spiritum, seu animam humanam à corpore separatam: ac proinde etiam resurrectionem corporum; quoniam fieri nequit vt anima omni æternitate maneat à suo corpore separata, neque bona, neque mala; ipsa diuina iustitia hoc exigente, vt corpus particeps sit præmij & pœnæ cum anima.

VERS 9. Factus est autem clamor magnus.)

TAM Pharisæorum quam Sadducæorum inter se mutuo altercantium, soluto tamen conuentu, vt dicebatur v. 8. *Et surgentes quidam Pharisæorum pugnabant*;] g. διεμάχοντο. quod non de corporali pugna, sed de feruente altercatione accipiendum videtur, qua nonnulli ex doctioribus Pharisæis (*scribas partis Pharisæorum* commemorat græcus codex) aduersus Sadducæos disceptabant pro Paulo, tanquam suo symmista, in his vbi à Sadducæis dissidebant. *Dicentes, nihil mali inuenimus in homine isto. Quid si spiritus locutus est ei, aut Angelus?* Hoc videntur dicere propter ea quæ Paulus pridie dixerat, in sua ad populum Iudaicum concione, cap. præcedenti. vers. 17. & 18. *Spiritum* videntur intelligere animam defuncti alicuius iusti.

Græci codices hic apponunt verba ista; Ne Deo repugnemus. μὴ θεομαχῶμεν. Nostrum Interpretem in suo codice non habuisse, manifestum est: fortassis autem sunt apposita ab aliquo qui voluerit supplere sententiam, quam credebat imperfectam. leguntur ea in concione Gamalielis, sup. cap. 5. vers. 39. Sequitur,

VERS. 10. Et cum magna dissensio facta esset: timens Tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in Castra.

MAGNA *dissensio.*] Etiam hic g. est στάσεως, vt vers. 7. quæ vox seditionem propriè dictam significat, quum ex multitudine aliqua alij ab alijs ita dissentiunt, vt loco etiam separentur partes dissidentes. Et hîc Dei prouidentia consideranda atque laudanda est, qui Apostolum suum, quem Iudæi perdere cupiebant, per Romanos, homines ethnicos, ab eorum furore defendit, ne occidatur.

VERS. 11. Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait;

CREDIBILE est fuisse hanc apparitionem factam tempore somni, in vi imaginatrice, per Angelum repræsentantem personam Domini Saluatoris: nec hanc videtur designare Apostolus, neque 1. Cor. 9. princ. neque eiusdem epistolæ cap. 15. v. 8. sed illam demum quæ describitur huius lib. cap. 9. & repetitur cap. 22. ac 26. Quid vero Angelus personam Domini sustinens, per quietem ei dixit?

CONSTANS *esto.* In græco codice additur nomen eius proprium, *Paule*, sicut & sup. cap. 10. v. 13. nomen proprium *Petri* Apostoli exprimebatur. Est quædam veluti laudatio Pauli, de animi fortitudine, & adhortatio ad persistendum ac proficiendum in ea. quod totum ex speciali Dei auxilio, partim iam erat partim expectabatur. Addit Dominus.

SICVT *enim testificatus es de me in Ierusalem*] sup. cap. 22. in illa concione ad populum Iudaicum, Ierosolymis fuerat testificatus Iesum esse Christum, esse à Deo missum Saluatorem qui expectabatur: & hoc ipsum etiam passione sua, quæ deinde illo 22. cap. & hoc 23. describitur, fuerat testificatus; profitens fidem Christi cum vitæ discrimine, & cum corporalibus afflictionibus quæ fiebant ei ab impijs.

SIC *te oportet & Romæ testificari.* Dixerat Paulus cap. 19. v. 21. se postquam Ierosolymæ fuisset, etiam *Romam videre oportere*, dixerat autem hoc per spiritum: nunc per visionem idem ei dicit Dominus; nondum tamen illi aperit viam & opportunitatem qua Romam esset venturus; sed hæc opportunitas ei adfertur, ipseque arripit, infrà cap. 25. vers. 11. Sequitur,

VERS.

VERS. 12. Facta autem die, collegerunt se quidam ex Iudæis; & deuouerunt se, dicentes neque manducaturos neque bibituros donec occiderent Paulum.

BIDVO ante hoc tempus Iudæi tentauerant occidere Paulum, extrahentes extra templum sup. c. 21. v. 30. & seqq. Id quum non successisset; dederunt operam vt Tribunus præsidiariorum Romanorum eum occideret, cap. eiusdem v. 36. & c. 22. v. 22. Quum ne hoc quidem obtinuissent, sed is postridie productum in Concilium sacerdotum, vi militari inde eripuisset, quod metueret discerpendum à Sadducæis: tertio hoc die, conueniunt summo manè Iudæi iusto numero (qui vers. proximo exprimitur) & coniurant in caput Pauli se quam primum occisuros illum.

COLLEGERVNT *se quidam ex Iudæis*] fecerunt coitionem factiosam; conuentum fecerunt, congregati sunt; *Et deuouerunt se*, græce est ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς & idem verbum repetitur v. 14. vbi hi ipsi de se loquentes dicunt, *deuotione deuouimus nos*. & v. 21. Poterat reddi, *anathematizauerunt seipsos*; est enim scriptoribus ecclesiasticis latinis vsitatum hoc verbum græcum. Interpres noster latinè scientibus optimè vertit, *deuouerunt se*; sed oportet subaudire, pro materia subiecta, *deuouerunt se* exitio, maledictioni, extremæ perditioni; vel quid æquipollens. Est aliquoties in sacris literis hęc Iudęis vsitata deuotio, siue in seipsos siue in alios. Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, si non &c. Hæc faciat tibi Deus & hæc addat, si non &c. Ruth 1. v. 17. 1. Reg. 3. v. 17. c. 14. v. 44. c. 25. v. 22. 2. Reg. 3. v. 9. 35. c. 19. v. 13. 3. Reg. 2. v. 23. 4. Reg. 6. v. 31. Sensus igitur huius sacrilegæ deuotionis fuerit talis; Perdat nos Deus, si manducauerimus vel biberimus antequam occiderimus Paulum. Sed præter hanc deuotionem videntur sese mutuo etiam iureiurando constrinxisse, ex verbis sequentibus.

VERS. 13. Erant autem plusquam quadraginta viri, qui hanc coniurationem fecerant.

SED quia Paulus tenebatur sub custodia militum præsidiariorum in Castris, id est, in munitione seu arce quam tenebant milites; quo artificio putauerunt sese posse ad eum pertingere, vt occiderent? Ingeniosi ad malè faciendum homines quid excogitauerint, narrat consequenter S. Lucas, addens;

VERS. 14. Qui accesserunt ad principes sacerdotum, & seniores; & dixerunt, Deuotione deuouimus nos, nihil gustaturos donec occidamus Paulum.

EX his quæ diximus ad v. 2. huius cap. constat summum pontificem Iudaicum illius temporis fuisse Sadducæum. Ex his quæ vers. 7. & sequentibus

dicebantur constat quod in illo conuentu Pharisæi aduersum Sadducæos Paulum defenderint: quare verisimile est hos Principes sacerdotum & seniores quibus isti coniurati suæ coniurationis arcanum patefaciunt, fuisse Sadduceos; quos sciebant Paulo infestissimos, quorum opera cupiebant apud Tribunum vti, ad Paulum extra Castra producendum, vbi eum possent interficere. Hoc est quod dicunt verbis sequentibus ad istos principes sacerdotum & seniores.

VERS. 15. Nunc ergo, vos notum facite Tribuno, cum Concilio,

ORDO grammaticus verborum, *Vos cum Concilio notum facite Tribuno, vt producat illum ad vos.* Græcus codex addit (cras) sicut & nobis additur v. 20. huius. negligentia scribarum exiguam voculam omiserit, non bene. *Tanquam aliquid certius cognituri de eo*, videlicet sitis. *Nos vero priusquam appropiet*, in locum vbi vos eritis congregati; *parati summus interficere illum.* Non enim terrebunt nos milites qui eum deducent iubente Tribuno: quoniam numero erimus multo plures, quadraginta amplius viri; Tribunus autem ignarus nostri secreti non mittet eum cum tanto numero militum, itaque occidemus hominem. Atque hæ quidem erant istorum coniuratorum sanguinariæ machinationes: sed Dominus impedit totum hoc molimen, etiam per ethnicum Tribunum, interposita vnius dumtaxat adolescentis opera. Sequitur enim,

VERS. 16. Quod cum audisset.)

GRÆCE. Cum verò audisset.] *Filius sororis Pauli insidias, venit & intrauit in Castra, nunciauitque Paulo*] auunculo nimirum suo, cuius vita petebatur à coniuratis. Ipse vero Paulus ei iussit vt secreto omnem hanc coniurationem detegeret Tribuno præsidiariorum, nec vlli alij: vt ex sequentibus manifestum est.

VERS. 17. Vocans autem Paulus ad se vnum ex Centurionibus;

NON enim ipse adire Centuriorem poterat, vinctus nimirum; ait: *Adolescentem hunc perduc ad Tribunum; habet enim aliquid indicare illi.*

VERS. 18. Et ille quidem assumens eum, duxit ad Tribunum;

EN ethnici etiam militares homines, humanitatem maiorem præstant captiuo, quam sanguinarij Iudæi, suo tribuli Paulo. *Et ait: Vinctus Paulus rogauit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi.* Hoc vidimus vers. proximè præcedente.

VERS.

VERS. 19. Apprehendens autem Tribunus manum illius secessit cum eo seorsum; & interrogauit illum: Quid est quod habes indicare mihi?

ETIAM huius Tribuni ciuilitas pudefacere debebat crudeles istos Iudæos homicidas.

VERS. 20. Ille autem dixit, Iudæis conuenit;

ID est Iudæi inter se conuenerunt seu statuerunt *rogare te* &c. vt dictum est vers. 15. Adiunxit deinde adolescens,

VERS. 21. Tu vero ne credideris illis: Insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se deuouerunt (ἀνεθεμάτισαν) non manducare neque bibere donec interficiant eum.

HÆc dicta sunt v. 12. & 14. Addit nepos Pauli Apostoli ad Tribunum; *Et nunc parati sunt, expectantes promissum tuum*] quo scilicet vbi iam rogatus ab illis fueris, promittas te crastino die Paulum educturum in ipsorum Concilium; ac deinde cras reipsa deducas.

VERS. 22. Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur quoniam (quod) hæc nota sibi fecisset.

VIDEBAT enim Tribunus opus esse silentio, ne isti coniurati si propositum eius sciuissent, seditione mota vel simili aliquo furore Paulum per vim ipsi eriperent, & occiderent, ciuem Romanum natum, quem ipse ex officio debebat tueri.

NEC dubium quin nepos Pauli, vt iussus erat, haud dubiè etiam à Paulo, ac vt res ipsa postulabat; seruauerit silentium: exemplum continentis linguæ præbens multis nostri temporis adolescentibus & iuuenibus, qui ea demum silent quæ ignorant. Garruli iam olim appellantur: & plerumque ijdem sunt curiosi percontatores. Est apud Horatium versus,

Percontatorem fugito; nam garrulus idem est.

Quomodo autem Tribunus huic machinationi secretò obstiterit, deinceps exponit S. Lucas, addens de ipso Tribuno;

VERS. 23. Et vocatis duobus Centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos;

PEDITES nimirum, vt patet ex sequentibus, vbi adiunguntur equites. *Vt eant vsque Cæsaream*, Ad Præsidem scilicet Iudææ Felicem, illic commorantem; *Et equites septuaginta, & lancearios ducentos*. Videri possunt hi lancearij fuisse pedites, quoniam ab equitibus distinguuntur: nisi forte equites illi fuerint grauis armaturæ; hi vero lancearij leuioris. Sed prius magis probatur ex versu 32. vbi de solis equitibus dicitur, quod ex Antipatride Paulum vexerunt Cæsaream.

A *tertia hora noctis*: Hæc contigerunt circa finem Maij, iuxta nostram supputationem; vt patet ex cap. 20. v. 16. Noctis initium erat ab occasu Solis, qui tunc ibi occidebat hora quam nos dicimus septimam; vt diximus ad cap 2. v. 15. longissimam scilicet diem æstatis habere Ierosolymis paulo plus quam 14. horas. Quare tertia hora noctis tunc inchoabatur eâ quam nos dicimus nonam vespertinam completam, finiebatur autem cum fine horæ decimæ nostræ. Voluit Tribunus nocte educere Paulum vt omnem tumultum Iudæorum illi aduersantium, euitaret. Addit Tribunus in suis ad istos duos Centuriones mandatis,

VERS. 24. Et iumenta præparate.

QVIBVS nimirum veheretur Paulus & socij. De Paulo liquet ex verbis sequentibus proximè: sed quod sub nomine Pauli etiam socij eius comprehendantur, manifestum est ex sequentibus; nam ex initio cap. 27. patet eos cum Paulo fuisse Cæsareæ, & vna cum eo nauigasse in Italiam. Quorsum hæc omnia ita fieri iuberet Tribunus; adiunxit S. Lucas dicens,

VT *imponentes Paulum saluum perducerent ad Felicem Præsidem*. Vocabatur Claudius Felix, iste Iudææ præses. seu *Procurator*; quomodo is præfectus nominatur Lucæ 3. in prin. Præses idem nobis vocatur in historia passionis Domini. Nos hodierno more nostro diceremus *Gubernatorem* Iudææ. Iste Felix ex seruili conditione libertus, ad magnos postea honores peruenit; prius quidem Claudij Imperatoris fauore, tum deinde Neronis; propter fratrem suum Pallantem vtrique Imperatori charum: sed prosperitatem fortunæ suæ non moderatè tulit, homo valde arrogans & superbus; vt de illo proditum est historijs: auarus etiam, vt significatur cap. 24. v. 26. Sequitur in multis libris iste versus;

VERS. 25. (Timuit enim ne forte raperent eum Iudæi, & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret tanquam accepturus pecuniam.)

DE hoc versu ita censuit bonus Theologus Nicolaus Liranus, ante annos trecentos, in Commentario huius loci: Totum istud non est de textu; nec

nec est in libris correctis;sed fuit quædam glossa, reddens rationem quare Tribunus mittebat Paulum cum securitate tanta; quæ glossa postea per scriptores fuit textui inserta. Hæc Liranus. Et Louanienses Theologi priore correctione Bibliorum notarunt sibi conspectos nouem codices Mss. veteres, quibus hæc deessent. Isidorus Clarius similiter de compluribus testatur,sicut & Franciscus Lucas. Qui idem Fráciscus testatur eos libros qui habent,diuersimode habere; dum quidam pro (*pecuniam*) scribunt (*nummos*),quidam verò omittunt illam clausulam (*tanquàm accepturus pecuniam*). Hoc ille in libello secundo variatum lectionum in latinis biblijs; repertarum. Nos scimus primam sub Sixto quinto Pontifice bibliorum correctionem, versum illum omisisse; vti constanter omittunt codices græci omnes. Quare cum non sit pars scripturæ sacræ; nihil Commentarij damus ad versum istum.

VERS. 26. Scribens epistolam continentem hæc;

SCRIBENS.] refertur ad superiora vbi nominatus fuit Tribunus. *Claudius Lysias optimo Præsidi Felici salutem. Optimo*] g. est κρατίστῳ. Interpres noster tam hîc quam initio Euangelij secundum Lucam, & infra c. 24. v. 3. & c. 26. vers. 25. vertit *optimum*, vt & Erasmus hoc loco in paraphrasi; non malè, si bene intelligatur. Bonum dicitur & in natura, & in moribus, & in artibus, scientijs, dignitatibus,ac potestatibus.Quod ergo dicitur *Optimo Præsidi*, capiatur quasi dictum esset, præpollenti Præsidi; Præsidi qui præpolleat potentia & authoritate; Præsidi viro optimati.

VERS. 27. Virum hunc comprehensum à Iudæis & incipientem interfici ab eis;

INCIPIENTEM *interfici ab eis*]id est,quem futurum erat vt interficerent Iudæi. μέλλοντα est græcè; quod Interpres noster etiam alias per (*incipere*) vertit huius lib. cap. 3. v. 3. Ioann. 4. v. 47. Quod hic dicit Tribunus, narratum fuit supra cap. 21. vers. 32.

SVPERVENIENS *cum exercitu*.] Græce est στρατεύματι, id est, militia seu militum numero; illorum scilicet de quibus v.32.c. 21. *Eripui; cognito quia* (quod) *Romanus est*. In hoc aliquid mendacij scribit Lysias Tribunus,vt obseruauit etiam Liranus:quia quando Paulum ex manibus Iudæorum popularium eripuit, nondum sciebat eum esse ciuem Romanum; vt patet conferenti c. 21. v. 30. & sequentes cum c.22.v.25. & sequen. Mendacium hoc intexit Tribunus suæ epistolæ, ad captandum gratiam Felicis Præsidis, quasi valde studiosus defendendi ius ciuium Romanorum. Et verè, iste Tribunus, Deo cor eius tangente, satis fortiter Paulum aduersus vim & tumultum Iudæorum defenderat, etiam antequam sciret esse ciuem Romanum; vt patuit c. 21. Quod si his verbis Tribunus loquitur de secunda Pauli è manibus Iudæorum ereptione quæ describitur v. 10. huius cap. nullum hic mendacium est: sed non videtur.

VERS. 28. 29. Narrantur ea quæ in fine cap.22. scripta fuerunt, & principio cap. huius 23. vsque ad v. 10. eiusdem.

VERS. 30. Hoc iam narratum fuit verſ. 16. & ſequentibus, vſque ad 26. Iſtud autem, *denuncians & accuſatoribus vt dicant apud te*; nondum factum erat cum hæc ſcriberet Tribunus; ſed iam erat proximum.

VERS. 31. Milites ergo ſecundum præceptum ſibi, aſſumentes Paulum)

IN iumentum aliquod, ſup. v. 24. *Duxerunt per noctem in Antipatridem.* Hæc eſt illa ciuitas quæ 1. Macha. 7. v. 31. vocatur Capharſalama; quam Herodes magnus cum renouaſſet, in memoriam patris ſui Antipatri, vocauit Antipatridem. Erat inter Ieruſalem & Cæſaream maritimam. Habet in tabula 4. Aſiæ apud Ptolemæum longit. gradus 66. ac paulo amplius: latit. 32. Additur de militibus;

VERS. 32. Et poſtera die, dimiſſis equitibus vt cum eo irent, reuerſi ſunt ad Caſtra.

CENSENTES nimirum Paulum iam eſſe in tuto, & ſufficere ſeptuaginta illos equites de quibus v. 23. vt eum vſque Cæſaream deducerent. *Caſtra* dicit vt in præcedentibus capp. Videantur dicta ad cap. 21. v. 34. Sequitur,

VERS. 33. Qui)

EQVITES *nimirum, Cum venissent Cæſaream, & tradidiſſent epiſtolam Præſidi, ſtatuerunt ante illum & Paulum.* Sequitur,

VERS. 34. Cum legiſſet autem; & interrogaſſet de qua prouincia eſſet, & cognoſcens quia (quod) de Cilicia:

TARSENSIS enim ſup. cap. 21. v. 39. cap. 22. v. 3.

VERS. 35. Audiam te, inquit, cum accuſatores tui venerint.

VENTVROS enim intellexerat ex epiſtola Tribuni ſup. v. 30. voluit autem prius accuſatores audire Præſes, vt nullam ijs conquerendi anſam relinqueret, hominibus querulis & ad tumultuandum pronis. *Iuſsitque in prætorio Herodis cuſtodiri eum. In prætorio*] id eſt in aula, palatio. Dicebatur autem *Herodis*, quia Herodes magnus quum in gratiam & honorem Cæſaris Octauiani Auguſti Turrim Stratonis in magnitudinem iuſti oppidi (quod ea de cauſa Cæſaream nominauit) amplificaret, inter cætera loca magnifica illic excitauerat egregium palatium. Quod palatium dicebatur *prætorium*, eo quod prætor illic, tanquam in loco authorato, ius diceret litigantibus: vt fit etiam hodie multis in locis, ſcilicet intra ſepta Palatij ius dici prouincialibus.

ARGV-

ARGVMENTVM

CAPITIS XXIV.

CÆSAREÆ coram Præside Iudææ Felice, Iudæorum proceres Paulum accusant; Paulus sese modestè & fortiter defendit: felix litem relinquit in suspenso; interim tenens Paulum in vinculis; quo in statu eum reliquit in gratiam Iudæorum, etiam tunc quando successore dato deseruit prouinciam.

VERS. 1. Post quinque autem dies descendit Princeps sacerdotum Ananias, cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore; qui adierunt Præsidem aduersus Paulum.

POST *quinque autem dies*] scilicet ex quo Paulus erat adductus Cæsaream, & custodiæ traditus in prætorio Herodis, vt iam dictum fuit in fine cap. præcedentis. Congruit hoc cum eo quod Paulus hîc dicit v. 11. & conferantur quæ diximus ad cap. 21. v. 27. *Descendit.*] Cæsaream scilicet maritimam, vbi Paulus tenebatur. Ita loquitur sacer historicus noster, propter altiorem situm vrbis Ierosolymæ, respectu locorum circumiacentium.

PRINCEPS *sacerdotum Ananias.*] Ad v. 2. cap. præcedentis ex Iosepho diximus hunc Ananiam fuisse secta Sadducæum: Sadducæi autem propria quadam ratione oderant doctrinam fidei christianæ, eo quod mortuorum resurrectionem traderet, quam ipsi negabant; vt dixit S. Lucas cap. 4. vers. 2. cap. 5. vers. 17. Vnde non est mirandum istum Ananiam, tametsi esset eo tempore summus sacerdos Iudæorum, Cæsaream proficisci voluisse ad accusandum & si posset perdendum, Paulum.

CVM *senioribus quibusdam.*] Facile est coniectare istos seniores fuisse honoratissimos quosque ex eo genere, quum summum Pontificem comitarentur.

ET *Tertullo quodam, oratore.*] g. ῥήτορος. *Tertullo quodam,*] ita iungit codex græcus; & hunc locum inter alios attulimus ad cap. 19. v. 9. vbi, vt bene probabile diximus nomen proprium esse illud *(Tyranni)*.

QVI *adierunt Præsidem aduersus Paulum. Adierunt*] vt accusatores, ideoque actores futuri in causa criminali quam intentabant Paulo. Vnde sequitur.

VERS. 2. Et citato Paulo.)

SVBAVDITVR, ac præsente coram tribunali, postquam in ius fuerat vocatus, authoritate nimirum Iudicis, sed ad petitionem actorum.

COEPIT *accusare Tertullus, dicens; Cum in multa pace* &c. Orditur Tertullus à

laude Iudicis, vt eius beneuolentiam suæ patri accusatrici conciliet. An tanta laude dignus fuerit iste Felix, ex his quæ breuiter ad vers. 24. cap. præced. diximus, vtcumque poterit iudicari. Ait itaque Tertullus,

CVM *in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam prouidentiam:* Græcus codex addit, *in gente hac:*

VERS. 3. Semper & vbique suscipimus.)

ID est amplectimur, *optime felix,* κράτιστε est g. Videantur dicta ad cap. præced. v. 26. *Cum omni gratiarum actione.* Natura ipsa docet homines qui nouum beneficium ab aliquo cupiunt impetrare, ante omnia pro prius acceptis, gratias debere agere. Id hic facit Tertullus; & ita finit suum proœmium, addens tamen hoc,

VERS. 4. Ne diutius autem te protraham.)

ID est, morer, detineam; *Oro breuiter audias nos pro tua clementia.* Deinde plenis velis accusationis, in Paulum astantem, inuehitur; ita dicens:

VERS. 5. Inuenimus hunc hominem pestiferum.)

MAGNA & iniquissima contumelia, Paulum Apostolum dicere hominem extremè exitialem, hominem nefarium qui contagione sua perniciem multis adferat salutis. Addit Tertullus,

ET *concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso orbe;* hoc est per vniuersum orbem dispersis; vtpote qui eos doceat deficere à lege ceremoniali, per Moysen nobis diuinitus tradita. Hoc dictum fuit cap. 21. v. 21. ex quo loco hæc pars est intelligenda. Addit præterea hic bellus orator,

ET *authorem seditionis sectæ Nazarenorum:* Per Nazarenos intelligit Christi fideles, discipulos Iesu Nazareni qui eum credunt esse Christum Domini. Hoc nomine Iudæi per contemptum appellabant Christianos, ait Venerab. Beda, propter contemptibilem locum Nazareth, vnde erat Iesus Dominus noster, quem Christiani agnoscimus Deum nostrum. Exorta est postea vna hæresis inter Iudæos, dicta Nazaræorum; qui Iudæi sanguine & in Iesum credentes, censebant legem ceremonialem Moysi vna cum Euangelio seu Christianismo esse obseruatu necessariam ad salutem. Iste Tertullus de his non loquitur: quoniam Paulum censebant legem planè velle tollere, non vero vna cum Euangelio retinere. Est ea hæresis apud Epiphanium numero 29. At apud S. August. numero nona est.

DOCTRINAM ac fidem Christianam isti accusatores non solum nomine (vt ipsi existimabant) contemptibili dicebant *Nazarenorum*, sed etiam appellabant hæresim. Nam pro isto (*secta*) est g. αἱρέσεως. & quod per iniuriam ita nominabant, Paulus huic Præsidi significat infra, v. 14. Quod verò hic apponitur (*seditionis*) non est in originali; sed Interpres videtur apposuisse ad plenius

nius explicandum mentem istorum accusatorum, qui voluerint dicere christianismum, non solum esse hæresim, sed esse hæresim seditiosam; quum nulla gens esset magis seditiosa quam natio Iudaica. Ita tamen loquebantur huic Ethnico præsidi, quem sciebant seditiosis maxime infensum: vt ab eo Pauli condemnationem obtinerent.

ILLVD verò *(authorem)* græcè est πρωτοστάτην q. d. antistitem, coryphæum, vnum ex primis ducibus; & secundum hoc accipiendum erit istud *(authorem)*. nec enim solum de eo dicitur qui est primus institutor alicuius ordinis vel negocij. Pergunt accusatores,

VERS. 6. Qui etiam templum violare conatus est:

HÆc erat mera calumnia: dicebant enim ex mera suspicione quod Trophimum Ephesium Paulus introduxerat in templum, hominem gentilem, & sic prophanarat locum sanctum. Videantur dicta ad cap. 21. vers. 28. 29. Addunt,

QVEM *& apprehensum voluimus secundum legem nostram iudicare:*] Accusatores isti hîc dissimulant quod nullo Iuris ordine seruato multi Iudæorum Paulum extrahentes ex templo, acriter verberarint, tentantes occidere viâ facti: dicti cap. 21. v. 30. & sequent. Romani permittebant Iudæis cognoscere & punire crimina quæ contra legem ipsorum & religionem erant admissa: & secundum hoc intelliguntur quæ sunt Ioan. 18. vers. 31. & cap. 19 vers. 7. Addunt isti accusatores,

VERS. 7. Superueniens autem Tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris,)

EIVSDEM cap. 21. vers. 31. 32. & iterum cap. 23. vers. 10. Videntur autem vtramque hanc vicem intelligere hi accusatores, propter id quod addunt, de Tribuno loquentes;

VERS. 8. Iubens accusatores eius ad te venire.

NAM post secundam demum Pauli ereptionem, Tribunus misit Paulum ad Præsidem, iussitque deinde qui eum vellent accusare, ire ad Præsidem ipsum, Cæsaream; vt idem Tribunus in sua epistola scribit; cap. 23. vers. 30. Addunt,

A quo poteris ipse, iudicans, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. A quo] ambiguum verò referatur, an ad Lysiam, an ad Paulum. Ad Lysiam nonnulli referunt; & posset eorum opinio vtcumque probari ex v. 22. huius: videtur tamen melius vt ad Paulum referatur; nec enim Lysias testari poterat de omnibus ijs quorum accusabant Paulum Iudæi. Chrysostomus de Paulo intelligit: & hoc sensu, est artificiosa huius rhetoris simulatio, volentis signifi-

care tam vera esse quæ Paulo obijciebantur, vt ne ipse quidem negare posset. Hactenus quidem Tertullus orator Paulum accusans.

VERS 9. Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita se habere.

IVDÆI] qui cum Anania summo ipsorum Pontifice venerant, ipseque Ananias. Hi coram Præside declarauerunt, quæ Tertullus accusando dixerat, ipsorum consensu & voluntate dixisse; seque eadem sentire ac dicere. Sequitur,

VERS. 10. Respondit autem Paulus, annuente sibi Præside dicere: Ex multis annis te esse iudicem genti huic, sciens, bono animo pro me satisfaciam.

EX *multis annis*.] Felix iste, prænomine Claudius (vt ex Tacito patet lib. 12) primum rexit solam Samariam, postea & Iudæam; quod cœpit circiter annum Christi 51. aut 53. quum quæ hic narrantur contigerint anno Christi 58. vt videre est apud Baron. anno Domini 50. §. 7. 8. & anno 58. §. 158. Quare Paulus Apostolus verè dicit hoc loco, Felicem *multos iam annos* gēti Iudaicæ præfuisse. Videtur autem per hæc verba tacitè innuere, mores gentis Iudaicæ Felici non posse esse ignotos, vt qui longa experientia eos haberet cognitos. Cætera relinquebat tacitæ cogitationi ipsius; veluti quod (inter cetera) ea gens esset prona ad tumultus & rebelliones, esset etiam dedita mendacijs & calumnijs. Atque ita tacitè eleuabat Apostolus fidem suorum accusatorum: simul fiduciam suam ostendebat, ex innocentiæ conscientia profectam. *Bono animo* (ait) *pro me satisfaciam*. Id est bene animatus aggredior mei ipsius defensionem. Pergit.

VERS. 11. Potes enim cognoscere quia (quod) non plus (plures) sunt mihi dies quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem.

HI duodecim dies ita possunt colligi ex his quæ superius sunt narrata. primus cap. 21. v. 18. secundus v. 26. ibi, *assumptis viris*. tertius v. eodem ibi, *postera die purificatus*, & quæ sequuntur eo versu. quartus v. 27. & sequentibus toto cap. 21. & cap. 22. vsque ad finem. quintus cap. illius 22. vers. vlt. sextus cap. 23. vers. 12. & sequentibus multis. septimus v. 32. & sequentibus vsque ad finem illius cap. 23. reliqui quinque vers. 1. cap. huius 24. Ex quibus omnibus patet quod Paulus non fuerat Ierosolymis liber seu extra captiuitatem, nisi 4. aut 5. dies. Addit.

VERS.

VERS. *12.* Et neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, neque in ciuitate.

SVP. v. 5. Tertullus orator accusatorum, duo obiecerat Paulo; vnum quod seditiones commoueret inter Iudæos; alterum quod esset coryphæus & antistes sectæ Nazarenorum. De seditionibus hoc v. & sequentibus, respondet Paulus, negatione criminis obiecti, addita etiam negationis confirmatione. Ea confirmatio ducitur ab enumeratione locorum, in quibus Ierosolymæ seditionem concitasset, si concitasset. *Neque in templo*, ait, *neque in synagogis, neque in alia vlla ciuitatis parte* inuenerunt me concursum aliquem populi facientem. Addit generaliter.

VERS. *13.* Neque probare possunt tibi de quibus me accusant.

QVÆ est simplex & plana ac vniuersalis negatio obiectorum dicto vers. 5. huius cap. sed hinc delabitur Paulus specialiter ad illud quod de secta Nazarenorum obiecerat Tertullus; ac dicit Præsidi,

VERS. *14.* Confiteor autem hoc tibi quod secundum sectam quam dicunt hæresim, sic deseruio patrio Deo;

SECVNDVM *sectam quam dicunt hæresim*. Græca sonant, *secundum viam* (ὁδὸν) *quam dicunt hæresim:* ideoque nonnulli satis petulanter hîc insultant nostro Interpreti, qui pro *viam* dixerit (*sectam*) quum sequatur hoc, (*quam dicunt hæresim*); idem autem sit (*hæresis*) græcè quod (*secta*) latinè. Sed hi proniores sunt ad reprehendendum, quam ad rem ipsam bene perpendendam Sectæ vocabulum non à (*seco*) sed à (*sequor*) deducitur, meliorum grammaticorum iudicio; & originaria significatione denotat aliquam doctrinam, vel aliquod vitæ institutum, quæ seu quod habeat suos sectatores, suos asseclas, homines qui illam seu illud sequantur: ideoque primæua significatione sua non sonat in malum, sed est vocabulum medium, ac latius patet quam (*hæresis*) ecclesiastico vsu intellecta: vt noster Interpres vocabulo *secta* tanquam generaliore quam sit nomen hæreseos, hic vti potuerit. Etiam *hæreseos* vocabulum originaria significatione sua non sonat malè, sed est vocabulum medium, idem valens quod *electio*; quæ nunc bona nunc mala esse potest, in genere aliquo vitæ, vel in discendi aut dicendi modo, aut in doctrina aliqua. Nec in malum, sed, iuxta vim etymi sui, generaliter sumitur hoc nomen apud Tullium, præfatiuncula in sua Paradoxa his verbis: Cato (senior ille, auunculus M. Bruti) *in ea est hæresi quæ nullum sequitur florem orationis*. Vnde Budæus in Comment. linguæ græcæ, αἵρεσις, non tantum sectam & dogma, sed etiam γνώμην & animum, hoc est voluntatem &

propositum significat. & citat Polybium; & idem de huic nomini coniugatis vocibus, ibidem ex diuersis probat. Et iuxta hanc generalem significationem videtur à S. Luca vsurpatum hoc nomen, infra, c. 26. v. 5. in originali scriptura.

Hîc tamen omnino videtur istud (*hæresim*) in malum sumi; quoniam ita acceperat Tertullus in sua accusatione, supra. v. 5. quæ eius verba Apostolus hic reijcere se significat, dum ait, *quam dicunt hæresim*. q. d. quam falsò infamant hæreseos nomine. Vsu ecclesiastico semper in malum intelligitur *hæresis*, idque non repugnante originaria significatione, sed intellecta cum tacita exclusione; vt fit in alijs multis. q. d. hæresis tantum, hoc est electio sola; sine fundamento, sine veritate, assertionis alicuius electio; pro arbitrio suscepta vel composita doctrina.

Ex his igitur patet quod noster Interpres vocabulo *secta* nomen *hæresis* vt generi speciem subijcere potuerit; eodem modo quo in originali subijcitur vocabulo *via*. *Sic deseruio patrio Deo;* Hæc est vera lectio, constanter reperta in græcis codicibus, & in veteribus bonis latinis, vt annotarunt Theologi Louanienses vtraque Bibliorum recognitione, & Isidorus Clarius in annot. *Patrio* habent etiam veteres bibliorum concordantiæ, sed addunt meo.

Fuit mutata lectio ab audacibus & indoctis scribis; quia non intellecta: vt per omne genus authorum fecerunt. *Patrium Deum* vocat Deum quem maiores sui (qui ijdem fuerant maiores Iudaicæ gentis) coluerant; Abraham scilicet, Isaac & Iacob, ac similes: quos tamen Apostolus hic non nominat, vtpote ignotos huic Ethnico homini Felici Præsidi. Hunc Deum ait Paulus quod supremo cultu colat, nempe vt vnicum verum Deum; & quod eum colat *sic*, nempe secundum viam quam isti accusatores dicebant hæresim; hoc est secundum fidem & religionem Christianam, quæ Iesum Nazarenum amplectitur vt Messiam Domini, tot sæculis expectatum. Addit Paulus Apostolus,

Credens *omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt:*] Per hoc Apostolus significat fidem Christianam consonare cum lege & prophetis, id est cum scripturis veteris testamenti: ac propterea malè istos *Viam Nazarenorum* appellare hæresim, tanquam nouam quampiam sectam à vera & antiquitus tradita religione discordantem. Specialiter autem, sed tacitè, per hæc verba redarguit Sadducæos qui inter accusatores erant; vt patet ex dictis ad cap. 23. v. 2. & huius cap. vers. 1. de Anania isto summo pontifice: Nam Sadducæi ex toto vetere testamento nihil recipiebant nisi quinque libros Moysi: Pharisæi omnes recipiebant libros sacros qui erant in Canone synagogæ Iudaicæ. Porro non dubium est inter hos accusatores fuisse aliquot etiam Pharisæos; propter quos Apostolus adiecit sequentia, loquens de ipsis;

Vers. 15. Spem habens in Deum quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram iustorum & iniquorum.

Spem dixit pro re sperata; sicut & alibi; *Spes quæ videtur non est spes*. Rom. 8. v. 24. Sensus igitur est, Ego à Deo per spem expecto idem quod hiipsi; nempe resurrectionem mortuorum, tam iniquorum quam iustorum. *Spes sanctorum*

ctorum] id est, hoc quod pij & iusti à Deo expectant, est resurrectio ad vitam gloriosam. Non enim Deo seruiunt propter præmia huius temporalis vitæ. Philipp. cap. 3. v. 8. & sequent. & Tobias senior his qui ipsi exprobrabant cæcitatem, quid responderit huc faciens, videre est Tobiæ 2. v. 15. & sequentibus. Addit Apostolus,

VERS. 16 In hoc & ipse studeo, sine offendiculo conscientiam habere, ad Deum, & ad homines, semper.

CVM dicitur, *In hoc*; illud (hoc) esse sexti casus ex originali liquet. Porro istud *sine offendiculo* neque verbo (*studeo*) neque verbo (*habere*) tanquam determinatio iungendum est; sed accusatiuo (conscientiam): vt ex eodem originali patet. Est ibi ἀπρόσκοπον Id est, *Nusquam offendentem*. Sensus itaque videtur, In ea re quam dixi, in colendo scilicet Deum patrum nostrorum; in credendo omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt, & in expectando resurrectionem mortuorum; totus immoror, totus versor, totum me exerceo; nimirum vt conscientiam habeam semper, quæ non offendat neque Deum neque homines.

DICIT de sese hoc & alibi Apostolus, 1. Cor. 10. in fine his verbis, *Sine offensione (ἀπρόσκοποι) estote Iudæis & Gentibus, & ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo; non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Similia de se dixerat eiusdem epist. cap. 9. v. 18. & aliquot sequentibus.

ET coram Concilio sacerdotum dixerat idem hic Apostolus, sup. cap. 23. vers. 1. *Ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum, vsque in hodiernum diem:* propter quam liberam protestationem Ananias summus Pontifex iusserat tunc temporis in ipso Concilio percuti os Pauli. ibidem v. 2. Cuius facti iniquitatem Apostolus hac coram Felice Præside repetita suæ innocentiæ protestatione, videtur declarare voluisse.

ATQVE hæc sunt quæ à v. 14. hucusque Apostolus dixit aduersus id quod Tertullus accusatorum nomine obiecerat de secta Nazarenorum; sup. v. 5. Vbi isti accusatores aliud quoque crimen attexebant, Paulum etiam templum violare conatum esse. Ad hoc nunc respondet idem Apostolus, his verbis;

VERS. 17. Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam veni; & oblationes & vota.

POST *annos autem plures.*] Non liquet vnde initium sumendum sit horum plurium annorum, scilicet an à conuersione Pauli, an aliunde: Fuisse autem hanc quæ hîc memoratur profectionem eius in Ierusalem, quintam, post conuersionem eius; specificauimus & probauimus sup. ad cap. 22. v. 17. Porro ad cap. 18. v. 21. probauimus quod inter quartum Pauli Ierosolymam regressum, & hunc quintum, facile intercessit triennium: ita vt dicere potuerit se post annos plures hanc quintam profectionem fecisse, etiam si ab eo tempore initium faceret quo nouissimè illic antehac fuisset.

ETIAM

ETIAM Erasmus hic reddit *(post)*; quum tamen græcè sit διὰ cum secundo casu, quod sonat *(per)*: vt Paulus significare voluerit se non semel Ierosolymam venisse, facturum eleemosynas in gentem suam. Et Chrysost. in iterata expositione sic intelligit. *Eleemosynas facturus in gentem meam, veni*; Non plus dicendum fuit huic Ethnico Præsidi Felici, quam *In gentem meam*: quod sine falsitate dixit Apostolus, tametsi eleemosynæ ab eo adferebantur in leuamen illorum demum pauperum Iudæorum qui erant Christiani, & propter fidem Christi exuti facultatibus ab infidelibus Iudæis; vt meminit idem Apostolus Heb. 10. v. 34. & 1. Thess. 2. v. 14.

DE harum eleemosynarum collectione in Macedonia & Achaia, vt deinde portarentur in Iudæam; dictum fuit ad cap. 19. v. 21. & 22. Ex quibus illic à nobis dictis, facile patebit, eam eleemosynarum in fideles pauperes Iudæos collationem quæ hic narratur, esse diuersam ab ea quam idem hic Apostolus fecisse narratur huius lib. cap. 11. & 12. vtrobique in fine.

ET *oblationes & vota.*] Pro intellectu huius clausulæ legenda sunt quæ S. Lucas narrat cap. 21. v. 23. & sequentibus. Hoc quinto suo Ierosolymam regressu, non ascenderat Ierosolymam Paulus oblationum faciendarum causa; sed Iacobi Apostoli consilio quum iam Ierosolymam venisset, earum gratia ascendit in templum, & iunxit se quatuor illis Nazaræis, de quibus eodem c. 21. locis dictis. Pergit Apostolus,

VERS. 18. In quibus inuenerunt me purificatum in templo, non cum turba neque cum tumultu,
VERS. 19. Quidam autem ex Asia Iudæi:)

VERSVM decimumoctauum à decimonono solum commate separandum, nos docet Chrysost. in huius loci expositione, & V. Beda; vt suppositum verbi *(inuenerunt)* sit illud, *quidam ex Asia Iudæi*; Et patet eos bene docere, ex c. 21. v. 27. & sequent. Sed quid agit hîc illud *(autem)* initio versus 19.? Hanc vim habet, q. d. Me purificatum, in templo intentum oblationibus faciendis, inuenerunt, non hi qui hîc me apud te accusant, sed quidam ex Asia Iudæi. De quibus addit,

QVOS *oportebat apud te præsto esse, & accusare si quid haberent aduersum me.*] Per hæc verba Apostolus tacitè significat accusatores diffidere causæ suæ; eo quod Asiatici illi Iudæi conscij eorum quæ ipse in templo fecerat, ideoque maximè idonei ad accusandum, si quid ibi perperam egisset; non comparerent. Pergit Apostolus,

VERS. 20. Aut hi ipsi dicant si quid inuenerunt in me iniquitatis, cum stem in Concilio:

HIS verbis generalis continetur negatio omnium obiectorum. Sensus est Quoniam absunt Asiani illi Iudæi qui me in templo inuenerunt occupatum

tum in Dei cultu; hi qui hinc cum Pontifice Anania descenderunt mei accusandi causa, coram quibus comparui Ierosolymæ, & tunc quando ex gradibus concionatus sum hebraicè ad populum, & postea in Concilio sacerdotum præsente Tribuno, sup. cap. 22. & 23. in principio: hi (inquam) qui nunc hic præsentes sunt coram Præside, accusent & specificent (nam generaliter accusauit Tertullus) si quid iniquum in me deprehenderunt; dicant in particulari: *Cum stem in Concilio.* Id est in iudicij loco, scilicet coram Præside & Consiliarijs eius. Addit Apostolus,

VERS. 21. Nisi de vna hac solummodo voce, qua clamaui inter eos stans; Quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à vobis.

ID Apostolum in Concilio sacerdotum exclamasse, narratum fuit cap. 23. v. 6. & coram Præside Felice hactenus id ei non fuit obiectum; quia propter metum Pharisæorum qui Paulum tunc defenderant, Sadducæi qui inter hos accusatores erant, non audebant eius rei mentionem facere, ne Pharisæos à se alienarent. Videantur dicta ad c. istius 23. v. 6. 7. 8. Neque vero agnoscit hic Paulus Apostolus se aliquid iniquum commisisse ea exclamatione: sed vult dicere nihil esse quod maiore probabilitatis specie sibi ab his accusatoribus possit obijci, quam eam exclamationem; de qua tamen ipsi inter accusandum nullum verbum fecerint coram Præside.

ATQVE hactenus defensio Pauli coram Præside isto; in qua obseruandum est quam clementer & patienter is sese gesserit, qui nihil Iudæis obiecerit de omnibus iniurijs verborum & verberum, quibus ipsum affecerant, & de conspiratione in necem eius, supra cap. 21. 22. & 23. Sequitur,

VERS. 22. Distulit autem illos Felix.)

IN græco additur, *his auditis*; quod fortassis nonnihil iuuare potest ad intelligendum id quod sequitur, *Certissime sciens de via hac.* Videtur enim sensus esse iuxta Chrysost. & quosdam alios, Quamuis ea quæ ad hanc causam pertinebant exactè sciret, videretque satis Paulum esse innoxium: *tamen distulit illos*, id est non finiuit litem, non pronunciauit sententiam; sed tenuit causam in suspenso: siue veritus potentiam accusatorum, siue sperans munera sibi pro Paulo liberando allatum iri; vt vers. 26. huius dicitur. Et interim huic dilationi prætexit causam honestam, *dicens:*

CVM *Tribunus Lysias descenderit, audiam vos.* q. d. Tribunus Lysias nouit ea quæ acciderunt Ierosolymæ inter vos; illum volo audire antequam pronunciem in hac causa. Atqui Tribunus Lysias in sua ad Felicem Præsidem epistola, testatus erat de innocentia Pauli; sup. cap. 23. v. 29. Porro ex sequentibus satis constat Tribunum Lysiam non descendisse Cæsaream: neque hi accusatores videntur amplius auditi; sed instante aduentu noui Præsidis (de quo

vers. vlt. huius) rediisse Ierosolymam. Confer. cap. 25. vers. 2. Sequitur de Præside Felice.

VERS. 23. Iussitque Centurioni custodire eum, & habere requiem; nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.

HABERE *requiem*] *laxationem* potius significat vox græca ἄνεσιν; vnde videtur Paulus fuisse in libera custodia, non vinctus neque durius habitus. Videtur item fuisse liber ad eum accessus; ex verbis sequentibus quibus dicitur iussum Centurioni ne prohiberet quemquam eorum qui ad Paulum attinerent, ei subministrare, vel eum adire. Hi vocantur in originali, τῶν ἰδίων αὐτοῦ, *propriorum eius*: qua appellatione continentur familiares amici, discipuli, famuli. Sequitur,

VERS 24. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla vxore sua quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem quæ est in Christum Iesum.

TRADITVR hæc Drusilla fuisse filia Regis Herodis illius qui S. Iacobum occidit; idem cupiens facere B. Petro Apostolorum Principi; quem Angelus Domini ita percussit vt à vermibus erosus moreretur; quæ omnia narrata sunt cap. 12. huius operis: fuisse item soror illius Regis Agrippæ cuius mentio est cap. 25. huius libri, v. 13. & sequentibus, & cap. 26. Videatur Iosephus de bello Iudaico lib. 2. cap. 10. sub fin. Item Antiquit. lib. 19. cap. vlt. §. 36. lib. 20. cap. 5. §. 21. & seqq.

ET *audiuit ab eo fidem quæ est in Christum Iesum.* Vxor erat vnius veri Dei cultrix, secundum Iudæorum religionem: de Christo nondum in particulari credebat quod is esset Iesus Nazarenus; multa tamen de illo ac de eius discipulis audierat; ac specialiter de tam multis & magnis miraculis quæ Iesus fecerat, & quæ etiamnum faciebant eius discipuli in probationem doctrinæ quod ipse sit Messias: nunc igitur quoniam intellexerat, hunc captiuum esse vnum ex præcipuis eius discipulis qui fidem eius doceant; persuadet marito vt vna secum audiat Paulum de his quæ sunt fidei Christianæ differentem. Id nunc faciunt ambo; audiunt Paulum Apostolum sermocinantem.

VERS. 25. Disputante autem illo de iustitia, & castitate, & iudicio futuro;)

ET *castitate*] g. est ἐγκρατείας, quæ vox generaliter sonat *continentiam, temperantiam*, & si quid est simile, in quacumque materia. Porro ex his verbis patet quod Apostolus, postquam de fide Christi sermocinatus esset quantum illo tempore his auditoribus dicendum videbatur; deflexerit sermonem suum

ad

ad materiam moralem, ipſis, Felici ſcilicet & Druſillæ conuenientem: & apoſtolico ſpiritu diſſeruerit *de iuſtitia, de caſtitate, de iudicio futuro. De iuſtitia* quidem, quoniam Felix erat præſes Iudææ, gubernãs eum populum & ius dicens ijs qui controuerſias habebant; ad quæ omnia magna & conſtante iuſtitia opus erat. *De caſtitate* autem, quoniam coniuges erant qui eum audiebant; & periculum eſt ſæpenumero ne homines coniugati non valde ſint ſoliciti de caſtitate ſeruanda, ne quidem coniugali; ſed putent mariti ſibi cum vxoribus ſuis, aut putent vxores ſibi cum ſuis maritis, quidlibet licere. Ethnici grauiter ea in re peccabant, etiam modis contra naturam: & hęc eſt cauſa cur Apoſtoli Petrus & Paulus in ſuis epiſtolis tam ſeriò moneant fideles, etiam coniugatos, vt caueant ſibi ab eiuſmodi intemperantia. ad Ephe'. cap. 5. Coloſſ. 3. v. 18. 19. 1. Theſſ. 4. verſ. 3. 4. 5. Heb. 13. verſ. 4. locus ſingularis. 1. Petri 3. in princ. vſque ad verſ. 8.

Sermocinabatvr præterea Apoſtolus de iudicio futuro, quoniam ad incitandos homines vt vitent illicita & faciant iuſſa; poſt diuini auxilij ſpecialem gratiam, ſingulare momentum habet recogitatio diuini iudicij, quo Deus vſurus eſt cum vnoquoque noſtrum, ſtatim vbi anima corpus reliquerit; quando ratio reddenda eſt omnium malorum, cogitationum, dictorum, factorum, omiſſionum: vt non temerè dixerit Sapiens Eccleſiaſtici 7. v. 40. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua; & in æternum non peccabis.*

Eo magis autem apud hos de caſtitate diſſeruit Apoſtolus, quod Druſilla non fuiſſet ab initio vera vxor Felicis; ſed, deſerto priore ſuo marito Azizo Rege Emeſenorum in Phenicia, illi, ſpecie coniugij adhæſerat, per interpoſitam perſonam ad hoc illecta à Felice; vt eſt apud Ioſephum in Antiq. lib. 20. cap. 5. §. 23. ſed prior ille maritus tunc erat defunctus quando contigerunt quæ hic narrantur; vt ex eodem Ioſepho eodem loco diſcimus, nempe lib. illo 20. Antiquit. cap. 5. in fine, vbi ait (§. 36.) Primo Neronis Principis anno, Regi Emeſenorum Azizo defuncto frater in principatu ſucceſſit. Quæ autem hic narrantur contigerunt circiter finem ſecundi anni Neronis; vt manifeſtum eſt ex verſ. 27. huius cap. Ac propterea S. Lucas hiſtoricus noſter verſ. 24. huius cap. iure potuit hanc Druſillam appellare ſimpliciter vxorem Felicis Præſidis Iudææ.

Itaqve de his tribus ad mores pertinentibus diſſerebat Apoſtolus apud Præſidem Felicem & Druſillam eius vxorem. Quid factum eſt? *Tremefactus Felix reſpõdit; Quod nunc attinet, vade: tẽpore autem opportuno acceṙſam te.* Vix dubium quin maximè terruerit Felicem commemoratio diuini iudicij futuri: ſed hic terror, hæc tremefactio fuit ſine vera fide, ſine vera contritione. Animus enim manebat idem qui prius; non deteſtabatur peccata ſua, quia peccata erant, neque proponebat ea deinceps ſedulo vitare. Hoc patet ex verſ. proximè ſequenti. Itaque tremefactus, neque cupiens plura in eam rem audire; dimittit nunc Apoſtolum, addita promiſſione quod alio tempore foret iterum auditurus, cum eſſet (vt ait) opportunum. Adiungit S. Lucas.

VERS. 26. Simul & sperans quod pecunia ei daretur à Paulo; propter quod & frequenter accersens eum loquebatur cum eo.

QVOD *pecunia ei daretur à Paulo.*] Addunt græci codices; *vt solueret eum.* Noster Interpres hoc subaudit, vt facile est subauditu. Hinc patet auaritia huius Præsidis; qualis etiam ethnicorum legibus Romanis prohibetur; vt est videre Pandectarum lib. 17. Tit. 1. lege 6. & 7. Cod. lib. 4. Tit. 35. lege 20. Et priùs, lib. 2. Tit. 13. lege 15. Etiam ipsius patet cæcitas mentis, qui à tali viro expectauerit corruptelam munerum. Dixit hîc acria aduersus istam prauitatem, Chrysost. Sequitur.

VERS. 27. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Porcium Festum.

BIENNIO *autem expleto.*] Vnde sumendum initium huius biennij? An ex quo Felix iste cœperat esse Præses Iudeæ? Obstat vers. decimus huius cap. & quæ illic annotauimus. An sensus est, Biennio expleto postquam Paulus perductus fuerat Cæsaream? ne hic quidem; sicut benè demonstrat Baronius anno Christi 58. §. 159. Sensus igitur est, *Biennio expleto*] in quod, mortuo Claudio Imperatore, nouus Imperator Nero prorogauerat Felici suam præfecturam: agente hoc apud Neronem fratre Felicis Pallante, qui tunc erat in flagrantissima apud Imperatorem gratia.

PORCIVM *festum.* Quamuis plerique omnes per literam (t) forment secundam huius nominis syllabam: tamen ea rectius per (c) formatur; quum græcè sit (κ), neque dubitandum videatur fuisse hunc virum ex gente Porcia, inter Romanas familias clara. Additur à S. Luca.

VOLENS *autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum vinctum.*] Commiserat Felix tempore gubernationis suæ nonnulla, ob quæ metuebat à Iudæis accusari apud Cæsarem: captabat igitur eorum gratiam, non absoluendo Paulum, sed in captiuitate relinquendo. Simile fecerat Pilatus, in gratiam Iudæorum condemnando Dominum Saluatorem quem sciebat innocentem. Punitus fuit Pilatus etiam in hoc sæculo, missus Lugdunum Galliæ in exilium, ab Imperatore alia ex causa; ibique miserè mortuus Deo vindice, & æternis pœnis insuper eum plectente. Sic & iste Felix non potuit euitare quin ampla Iudæorum legatio Romam aduersus eum mitteretur ad Cæsarem Neronem, dedissetque omnino pœnas iniuriarum quibus Iudæos affecerat, nisi fratris sui Pallantis precibus veniam obtinuisset, qui Imperatori charus erat: inquit Iosephus Antiquit. lib. 20. cap. 7. & ex eo, cum auctario aliquo, Baronius ad annum Christi 58. §. 156.

ARGV-

ARGVMENTVM CAPITIS XXV.



PAVLVM Apostolum coram nouo Præside Iudęæ capitaliter accusant primores Iudęorum;& quamuis non probarent obiecta, tamen eorum partim importunitas, partim apud Præsidem gratia & authoritas,erat tanta, vt necessum Paulo fuerit appellare Cęsarem,velut iudicem Festo superiorem. Ex quo tempore Pręses opportunitatem expectat mittendi Paulum Romam & causam eius explicandi apud Cęsarem;quam ad rem subsidium expetit à Rege Agrippa,vbi is Paulum audierit:& aduocato eò coram Rege,proximum est vt ipso Agrippa, item Festo & multis magnatibus auditoribus, concionetur. Id quod fit cap. post hoc proximo.

VERS. 1. Festus ergo cùm venisset in prouinciam ; post triduum ascendit Ierosolymam à Cæsarea.

IN *prouinciam.*] Istam, Iudeæ; sibi attributam ab Imperatore. *Ascendit Ierosolymam* vt metropolim. *Post triduum* vbi appulerat Cęsaream;in qua ciuitate sicut Felix sic & ipse decreuerat residere ac domicilium constituere.

VERS. 2. Adieruntq; eum Principes sacerdotum & primi Iudæorum aduersus Paulum.

PRINCIPES *Iudæorum.* Id est capita viginti quatuor familiarum sacerdotalium,de quibus familijs 1. Paralip. 24. & sic sępissimè intelligendi sunt principes sacerdotum in Euangelica & in hac Apostolica historia; vt sæpè dictum est. *Aduersus Paulum.*] Postulabant nimirum Paulum condemnari, etiam absentem ; vt discimus ex vers. 15. huius cap. quod cum non obtinerent à Præside isto Festo, vt dicitur v. 16. tunc alio se verterunt; vt sequitur.

VERS. 3. Et rogabant eum, postulantes gratiam (id est fauorem) aduersus eum,

PAVLVM scilicet ; *nempe vt iuberet perduci eum in Ierusalem:* prætexentes nimirum quòd sine magno suo incommodo ipsi non possent proficisci Cęsaream, maiore pręsertim numero ; & quod Festus iam esset Ierosolymæ: itaque fore commodissimum vt Paulus mittatur Ierosolymam. Hoc prętexebant, sed aliud in animò habebant; nempe, *Insidias tendentes vt interficerent eum in via.*] Insidiosè Paulum occidere, iam pridem habebant in animo; vt patuit cap. pręced. v. 12. & sequentibus.

VERS. 4. Festus autem respondit, seruari Paulum in Cæsarea: se autem maturius profecturum.

VBIQVE elucet diuina prouidentia, quæ etiam per ethnicos seruauerit Paulum contra vim & insidias Iudæorum interficere cupientium: nempe vt per eius ministerium longe plures adhuc homines conuerterentur ad fidem Christi & pœnitentiam, atque ita peruenirent ad salutem. *Festus* ergo *respondit seruari Paulum in Cæsarea.* Hoc est, esse sibi constiturum Paulum retinere Cæsareæ, vbi ipse Præses, Imperatoris vicarius, residebat. *Se autem maturius profecturum.*] Hoc est velle se breui redire Cæsaream: ideoque non posse hærere Ierosolymæ, donec ibi causa ista finiatur, etiamsi Paulus eo foret adductus. Addit Festus Præses,

VERS. 5. Qui ergo in vobis potentes sunt.)

ID est, qui ex vobis possunt, seu quibus commodum est, *Descendentes simul,* Hoc est, vna mecum proficiscentes Cæsaream. Et sic istos primores fecisse, patet ex v. 6. & 7. inter se collatis & cum 17. *Si quod est in viro crimen, accusent eum.*] coram nostro tribunali.

VERS. 6. Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem; descendit Cæsaream, & altera die sedit pro tribunali.

POSTRIDIE quam rediisset. infra v. 17. *& iussit Paulum adduci.*

VERS. 7. Qui cum perductus esset, circunsteterunt eum, qui ab Ierosolyma descenderant Iudæi, multas & graues causas obiicientes.)

SICVT fecerant etiam coram Felice Præside. sup. cap. 24. vers. 5. & sequentibus.

VERS. 8. Quas non poterant probare; Paulo rationem reddente,)

HOc est, Paulo in sui defensione ita ratiocinante, vt ostenderet *Quoniam* (quod) *neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccaui.* Conferatur defensio quam fecit Paulus cap. 24. vers. 10. & multis sequentibus. Ex his porro verbis intelligitur quid etiam nunc Paulo obiecerint Iudæi.

VERS.

VERS. 9. Festus autem volens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo, dixit;

IPSE quidem Festus infra v. 20. aliam apud Regem Agrippam allegat causam, cur hanc quæ hic est propositionem Paulo Apostolo fecerit: sed Spiritus Sanctus qui scrutatur renes & corda, nos per S. Lucam docet, quid in corde Festi latuerit causæ, cur hæc Paulo diceret, nempe vt gratificaretur Iudęis, qui magna instantia hoc apud eum egerant, vt causa ista tractaretur Ierosolymæ, sup. v. 3. siue interim verè haberet in animo Iudæis ea in re gratificari, siue simulauerit se id cupere. Dixit itaque Paulo.

VIS *Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me?* q. d. Iudæis est graue Cæsareæ magno sumptu hærere, magnoque numero; quum habeant singuli quod agant domi suæ, vt primores gentis; ideoque cum essem Ierosolymis à me petiuerunt, vt te illuc transmisso causa ibi tractaretur: placetne tibi ascendere Ierosolymam, & ibi expectare sententiam, me Iudice? me Iudice, inquam, sed assumptis aliquot extra ordinem assessoribus, ex viris doctis legis vestræ, ex qua mota est quæstio. Hunc sensum partim accipimus ex v. 20. huius cap. Credibile verò est Festum non fecisse hanc propositionem Apostolo, nisi postquam etiam nunc Cæsareæ isti deputati Iudæorum, nouam instantiam apud eum fecissent, de tractanda ista causâ in ciuitate Ierusalem; & obstitissent ne Præses Paulum absolueret ab eorum impetitione, obstitissent (dico) hoc colore quod non satis posset ea causa Iudici explicari & innotescere nisi Ierosolymis. Hanc partem accipimus ex verbis Apostoli, quæ sunt infra cap. 28. vel. 18. & 19.

CVR non imperat Paulo vt acquiescat, sed proponit ei dumtaxat? Sciebat esse ciuem Romanum; ideo hoc ei honoris exhibet, ipsoque honore inuitat ad assentiendum. Iure non poterat hoc ei imperare, inquit Chrysost.

VERS. 10. Dixit autem Paulus;

VIDENS sibi esse euidens periculum si causa ageretur Ierosolymis; aut etiam per spiritum præsentiens insidias in itinere sibi struendas, quibus occideretur; & nihilominus metuens ne Iudæorum importunitati tandem cederet Præses, iuberetque eum reuehi Ierosolymam: ac perspiciens ideo esse necessarium vt beneficio appellationis vteretur ad ista grauamina & pericula euitanda: veluti proœmium facit appellationi paulo post formaliter interponendæ, honestè recusans propositionem, ac dicens,

AD *tribunal Cæsaris sto: ibi me oportet iudicari.* Præses prouinciæ Cæsaris vicarius erat, sicut in gubernanda prouincia, sic & in iure dicendo; nec aliunde authoritatem habebat vel regendi, vel iudicandi, quam à suo principali Cæsare ipso. Nunc dicit Paulus, Causa mea pendet coram vicario Cæsaris, qui residentiam habet Cæsareę, & hic me iussit asseruari tanquam ciuem Romanum, in custodia: idcirco non est discussio meę causæ facienda Ierosolymis.

HOC

Hoc exemplo patet non esse fortudinis Christianæ, sed temeritatis, zelo quodam præcipite, semet in mortem præcipitare; vel, vbi patet occasio aut via euadendi, non arripere. Id quod Paulum Apostolum vbique fecisse legimus: dum nunc fugit, nunc se ciuem Romanum profitetur, idque priuilegium pro clipeo opponit; nunc ad Cæsarem appellat; nunc denique coram Cæsare seipsum, non semel, defendit. Debet talibus præsidijs vti christianus, tum ad suæ vitæ defensionem, tum vt scelus homicidij à persecutoribus auertat. Certè in hoc Pauli negotio multa concurrunt, propter quæ beneficio appellationis vti debebat: Ciuis Romanus, Romæ Deo prædicente prædicaturus, Doctor gentium; sciens suæ appellationi deferendum. Multa hîc in eam rem dixit Chrysost. Addit Paulus.

IVDÆIS *non nocui sicut tu melius nosti.*] q. d. Tu ipse non ignoras quod nulla iniuria Iudæos affecerim: ac proinde falso apud te allegant quod maioris notitiæ accipiendæ causa debeam ego reduci Ierosolymam, vt mea inique in ipsos facta plenius queant cognosci. Addit,

VERS. 11. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci; non recuso mori:

QVASI dicat, Non recuso mitti Ierosolymam quod velim declinare iustum iudicium eiusque executionem, si sim in noxa, seu si mortem commeruerim; non enim abnuo, ne mortem quidem ipsam si commerui. Adiungit ex aduerso; *Si vero nihil est eorum quæ hi accusant me; nemo potest me illis donare.* Per hęc verba tacitè significat Apostolus, si ipse remitteretur Ierosolymam, id reipsa non fore aliud quam ipsum in certam mortem dari; idque sine culpa sua, vel ipso Iudice teste; dumtaxat in gratiam Iudæorum. Cuius iniusti grauaminis ac periculi euitandi causa; nunc solenni vtens formula, addit,

CÆSAREM *appello.* Appellat Cæsarem tanquam Iudicem Festo superiorem; item superiorem his à quibus impetebatur Apostolus; etiamsi ipse non fuisset ei iure subiectus. Quod tamen secus erat: iuxta ea quæ leguntur Rom. 13. ad Tit. 3. v. 1. 8. Et 1. Petri 2. v. 13. Conferatur quod est apud Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 29. in solutione argumenti 2. Porro de necessitate, & qualitate appellationis, operæpretium sit legere quæ breuiter S. Tho. 2. sec. q. 69. art. 3.

POSSET hîc alicui oboriri scrupulus, quomodo Paulus Apostolus hic ad Ethnicum Imperatorem appellauerit, qui 1. Cor. 6. obiurgat Christianos quod cum Christianis iudicio contendant, & hoc apud infideles. Verum considerandum est quod Paulus Apostolus habebat negotium hîc non cum fratribus, sed cum aduersarijs Christianæ religionis: neque erat ei Iudex coram quo causa ipsius ex æquo posset tractari, nisi Cæsar, tametsi ethnicus. At lites quæ inter Christianos exoriebantur, ipse ab arbitris vel Iudicibus Christianis, consensu partium deligendis, volebat dirimi; ne scandalum fieret gentibus, si Christianos, pro rebus etiam leuioribus, pro rebus temporalibus, quarum contemptum profitebantur, iudicio disceptantes viderent.

ET

Et hic diuina prouidentia elucet, quæ tali medio vtatur ad Paulum Romam mittendum, per ipsos ethnicos. Nam Præses huic appellationi detulit; tum propter honorem nominis Cæsarei, tum quod gauderet sibi tam pulchram opportunitatem oblatam, qua huius causæ cognitione posset liberari, etiam cum bona gratia Iudæorum. Ergo,

Vers. 12. Tunc Festus cum concilio loquutus, respondit;

Cvm concilio græcè est, μετὰ τοῦ συμβουλίου. Id est, cum suis consiliarijs. Latinum nomen collectiuum vtroque modo rectè scribitur, siue per (c) siue per (s) in secunda syllaba. Textus Lirani hoc posteriore modo habet. Quid autem respondit Festus Præses, audito suorum consilio? Nempe hoc,

Cæsarem *appellasti? Ad Cæsarem ibis.* Quibus verbis Pauli appellationem admittit; & hoc modo à molestissima Iudæorum importunitate, & ab huius causæ periculosa sibi cognitione, liberatur.

Nvnc deinceps narratur solicitudo Præsidis tuto mittendi Paulum Romam, & causam eius bene explicandi Cæsari; & quod eam ad rem petiuerit consilium à Rege Agrippa. Dicit itaque S. Lucas,

Vers. 13. Et cum dies aliquot transacti essent: Agrippa Rex & Bernice descenderunt Cæsaream, ad salutandum Festum.

Hic Rex Agrippa fuit filius eius Herodis de quo actum est cap. 12. huius operis, vt patet ex Iosepho Antiq. lib. 19. c. vlt. §. 36. Quas prouincias cum titulo Regis obtinuerit beneficio Claudij Imperatoris, tradit idem Iosephus eiusdem operis lib. 20. cap. 5. §. 21. & sequent. Fuit amicus Romanorum tota vita sua; & vice versa Romani ipsius amici; vt ex eodem Iosepho illic patet. ideoque durante bello Iudaico, etiam illo quo destructa est Ierusalem, prouinciæ huius Regis Agrippæ fuerunt in tuto: adeo vt Dominus Saluator hortetur fideles per Iudæam dispersos, vt tempore illius belli deserant Iudæam, & conferant se in Regnum Agrippæ. Nam hoc est illud quod ait Dominus Lucæ 21. vers. 20. & sequent. his verbis; *Cum videritis circundari ab exercitu Ierusalem: tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes; & qui in medio eius, discedant; & qui in regionibus, non intrent in eam: quia dies vltionis hi sunt.*

Bernice verò erat soror huius Agrippæ, hoc tempore vidua, agens apud fratrem Regem; vt ex Iosepho locis allegatis patet. Vnde & hoc liquet, illam Drusillam vxorem Felicis Præsidis, de qua cap. præcedenti vers. 24. fuisse horum sororem. Itaque post aliquot à superioribus dies, Rex Agrippa & Bernice, descenderunt Cæsaream maritimam, ad salutandum Festum nouum Iudeæ Præsidem; honoris, & amicitiæ cum Romanis conseruandæ causa: qui Præses illic ordinariè residebat. Sequitur,

VERS. 14. Et cum dies plures ibi demorarentur,)

HONORIS causa excepti à Festo in palatio; vt non est dubitandum: *Festus Regi indicauit de Paulo;*] siue familiaris amicitiæ modo; siue etiam consilij accipiendi gratia, vtpote à Rege rerum Iudaicarum gnaro, quarum adhuc imperitus erat Festus, nuper in eam prouinciam ingressus. *dicens, Vir quidam est derelictus à Felice vinctus,*

VERS. 15. De quo, cum essem Ierosolymis, adierunt me Principes sacerdotum, & seniores Iudæorum, postulantes aduersum illum damnationem.

AGITVR de damnatione capitali. Omnibus enim modis hoc agebant seniores Iudæorum, vt sub specie quadam iudicij, Paulus per Præsidem Romanum interficeretur. Sed Deus ita direxit & mouit animum hominis, etiam ethnici, vt non cederet istis iniquis postulatis primatum Iudaicorum; vt vidimus cap. huius versibus 2. 3. 4. Quod & hic repetitur verbis ipsius Festi Præsidis. ait enim,

VERS. 16. Ad quos respondi quia (quod) non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem.)

VARIANT latini codices, dum alij legunt (damnare) alij (donare): neutri vero ad plenum repræsentant quod est in originali, sed vterque partem. Propius sensum exprimunt qui habent *(damnare)*: nam græcè est ad hunc modum; *Non est Romanis consuetudo in gratiam alicuius donare hominem quempiam perdendum, priusquam* &c. Non erat necesse vt Festus hoc ascriberet Romanorum consuetudini; quum ius naturale ipsius rationis dictamine mentibus insculptum, doceat ita faciendum. Est ea de re in Iure Canonico 3. q. 9. per complura capitula. Sequitur,

VERS. 17. Cum ergo huc conuenissent, sine vlla dilatione, sequenti die, sedens pro tribunali, iussi adduci virum.

ILLVD *(sine dilatione)* esse iungendum sequentibus, manifestum est ex originali; vt mirum sit prauam hic distinctionem reperiri in Biblijs Clementinis. Pergit Festus,

VERS.

VERS. 18. De quo.)

VIRO scilicet *Cùm stetissent accusatores; nullam causam deferebant*, hoc est nullam accusationem proponebant; subauditur, *de ijs*; tum additur, *De quibus ego suspicabar malum.* q. d. Suspicabar eos illi obiecturos atrox aliquod scelus, eo quod tam instanter à me petiuerant eum occidi: nihil verò tale illi obiecerunt hîc coram me. Addit,

VERS. 19. Quæstiones vero quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum; & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere.

DE *sua superstitione.*] Id est de sua religione, de suo diuinorum cultu. Non enim vox græca (pro qua noster Interpres tam hîc quam cap. 17. vers. 22. reddit *superstitionem*) hîc præcisè in malum sumitur, vt neque illic cap. illo 17. sed significatione generali, quæ media est. Conferantur quæ ad illum locum diximus. Nec enim Festus, qui sciebat Regem Agrippam religione esse Iudæum, eius religionem vituperare voluisset, coram ipso.

ADDIT Festus istos Iudæos accusatores, habuisse aduersus Paulum quæstionem etiam *de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere.* Ex his verbis manifestum est quam nihil de Domino Iesu Saluatore nostro, cognitum habuerit iste Præses Festus; homo Ethnicus, inter ethnicos Romæ enutritus tota vitâ suâ. Pauli etiam verba valde imperfectè intellexit: nam is Dominum Iesum non quomodocumque viuere affirmabat; sed cum fuisset à Iudæis interfectus, esse tertio die resuscitatum ad vitam immortalem & gloriosam, primitias resurrectionis beatæ. Pergit Festus in sua ad Regem narratione,

VERS. 20. Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam si vellet ire Ierosolymam, & ibi iudicari de istis.

CVR Festus hanc propositionem Cæsareæ fecerit Paulo, coram deputatis Iudæorum, causam dixit S. Lucas sup. vers. 9. aliam sanè quam hîc Regi Agrippæ Festus obtrudat. Videantur illic annotata. Pergit Festus.

VERS. 21. Paulo autem appellante, vt seruaretur ad Augusti cognitionem; iussi seruari eum donec mittam eum ad Cæsarem.

HÆc sunt quæ habuimus supra versibus 10. 11. 12. Sequitur,

VERS. 22. Agrippa autem dixit ad Festum; Volebam & ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum.

VARIÆ causæ esse potuerunt cur Rex Agrippa Paulum audire cuperet sermocinantem. audierat haud dubiè de illo, & de animorum alienatione qua in ipsum erant Iudæi: cupiebat intelligere in quo versaretur cardo dissensionis quæ illi erat cum primoribus Iudæorum; vt deinde posset consilium dare Præsidi Festo, quales literas is deberet scribere Imperatori de Paulo, quum ipsum eò per opportunitatem esset missurus. Sequitur.

VERS. 23. Altera autem die, hoc est, postridie, Cum venisset Agrippa & Bernice, cum multa ambitione, & introissent in auditorium cum Tribunis & viris principalibus ciuitatis; iubente Festo, adductus est Paulus.

CVM *multa ambitione*] græcè est μετὰ πολλῆς φαντασίας quod variè reddi potest, *Cum multa pompa; cum multa ostentatione; cum multo apparatu*. Noster Interpres sensum satis reddidit, ita tamen vt non sumatur hîc in malam præcisè partem vocabulum (*ambitio*) sed generaliter; pro his quæ dicta sunt; in quibus vitium ambitionis hæret quando modus exceditur.

ADDVCTVS *est Paulus*], sed vinctus. infra cap. 26. v. 29.

VERS. 24. Et dicit Festus; Agrippa Rex &c.

NARRAT Festus ea quæ superius S. Lucas retulit v. 2. & 3. huius cap. & quæ ipse Festus iam antea retulerat Regi Agrippæ, v. 15. huius nisi quod hoc loco idem Festus ait, ab *omni* Iudæorum multitudine sese Ierosolymis fuisse interpellatum, aduersus Paulum; nisi forte hoc ideo dicit, quod & Principes sacerdotum & primores populi Iudaici, nomine omnium, eum interpellauerint. Quę expositio probabilis fit ex eo quod dicat non solum Ierosolymis, sed etiam Cæsareæ sese à tota multitudine Iudæorum fuisse interpellatum; constat tamen solos primores fuisse Cæsareæ. v. 7. 15. & 17. huius. In græco, & bonis latinis libris, ita legitur hoc v. *Ierosolymis & hic*. Conclusio vero interpellationis erat illa, *Acclamantes nō oportere eum viuere amplius*; vt hîc addit Festus. qui deinde subiungit magnum de innocentia Pauli testimonium, dicens;

VERS. 25. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse.

AC ne quis Festum rogaret, cur igitur non absoluerit ac dimiserit virum: verâ causâ dissimulatâ, nempe quod in gratiam Iudæorum eum quem sciebat innocentem, retinuerit captiuum; aliam substituit, addens;

IPSO *autem hoc appellante ad Augustum; iudicaui mittere*. Hæc inquam ratio veræ causæ substituitur: nam antequam Paulus appellasset Cæsarem, tam Felix quam ipse Festus viderat Iudæos non posse probare ea quæ Paulo obijciebant: sup. cap. 24. v. 13. 22. 27. & huius cap. v. 7. & seqq. Pergit Festus.

VERS. 26. De quo quid certum scribam Domino, Id est Cæsari, non habeo.

SENSVS est, Non habeo vllam certam causam, propter quam me hunc vinctum mittere ad Imperatorem, possim scribere. Addit Festus,

PROPTER *quod produxi eum ad vos, & maximè ad te, Rex Agrippa, vt interrogatione facta*, per vos nimirum, quando virum interrogabitis & loquentem audietis; *habeam quid scribam* in particulari videlicet, cur illum mittam ad Cæsarem. Subiungit Festus,

VERS. 27. Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & causas eius non significare.

SINE *ratione* græcè est ἄλογον q. d. irrationale, absurdum; *mittere vinctum*] præsertim ad Imperatorem; nam hoc subauditur ex præcedentibus: *Et causas eius non significare.* *Causas eius*] hoc in originali ita sonat, *& eas quæ contra ipsum sunt, causas non significare*: vt sensus sit, & non comprehendere scripto ea crimina, quæ contra ipsum obijciuntur.

ARGVMENTVM CAPITIS XXVI.

PAVLVS coram Rege Agrippa & reliquis spectabilibus auditoribus qui commemorati sunt cap. præcedenti v. 23. exponit qualis fuerit ipse antequam ad fidem Christi conuersus esset; deinde causam & modum conuersionis sui, & quid egerit propter Euangelium Christi, quid passus sit ac etiamnum à Iudæis patiatur, propter illud, seu propter annunciatam apud plurimos Christi fidem. Alloquitur in fine peculiariter Regem, & Præsidem Festum. Iudicatur innocens; tamen mittendus ad Cæsarem, propter appellationem interpositam.

VERS. 1. Agrippa vero ad Paulum ait, Permittitur tibi loqui pro teipso.

HOc dicit Rex Paulo, id honoris ei deferente Festo Præside. *Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere. Extenta manu*] eo gestu declarans sese con-

concionem habere velle, ac longiusculam sermocinationem; postquam libera facultas loquendi ei à Rege concedebatur. Ait igitur,

VERS. 2. De omnibus quibus accusor à Iudæis, Rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie;

VERS. 3. Maximè te sciente omnia, & quæ apud Iudæos sunt consuetudines & quæstiones.

ITA legitur hæc pars in Biblijs Clementinis: mirum an sine vitio, quod attinet ad collocationem coniunctionis copulatiuæ ante relatiuum (*quæ*): quùm hactenus nulli in corrigendis libris versati annotarint sese eam illo loco in codicibus scriptis reperisse. Videtur vitium typographicum hîc esse; & sententiam hanc ita legendam: *Maximè te sciente omnes quæ apud Iudæos sunt & consuetudines & quæstiones.* Nam bonos manuscriptos habere istud (*omnes*) annotarunt tam Louanienses Theologi quam Isidorus Clarius, & hoc pacto si legatur ista pars; planè consentit originali.

MIRVM videtur quod propter hæc Apostoli ad Regem verba quidam expositores putant hunc Regem Agrippam fuisse sanguine Iudæum: quum ex his quæ ad cap. 12. v. 1. & ad cap. 25. vers. 13. ex Iosepho diximus, liqueat sanguine fuisse Idumæum, vt maiores eius, videlicet Herodem Agrippam, Herodem Antipam, Herodem magnum, Antipattum, Antipam.

APPARET autem quod Paulus, inter cætera, hoc idcirco Regi dixerit, vt significaret eum scire quid intersit inter doctrinam Pharisæorum & inter Sadducæorum, quod attinet ad resurrectionem mortuorum. Hoc ita videtur ex vers. 5. & 7.

ADDIT Paulus ad Regem, *Propter quod, obsecro patienter me audias.* Atque hoc est procemium quo Apostolus vsus est, alloquens Regem, nemine alio nominato, honoris causa. Tum ingreditur in narrationem, de vita pristina sua, & de conuersione sui; dicens,

VERS. 4. Et quidem vitam meam à iuuentute, quę ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis, nouerunt omnes Iudæi:

QVÆ *ab initio fuit.*] Illud (*quæ*) refert (*vitam*) vt patet ex orig. Per hæc verba Apostolus vult dicere, suam vitam iam inde à iuuentute publicè notam fuisse Ierosolymis, Addit, loquens de Iudæis, præsertim Ierosolymæ degentibus,

VERS.

VERS. 5. Præscientes me ab initio, (si velint testimonium perhibere) quoniam (quod) secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.

SENSVS est. Iam multo antehac vitæ meæ seriem cognoscentes, (si vera testari velint) quod, secundum religionis nostræ sectam omnium exactissimam, fuerim Pharisæus. Notum est vocabulum (*sectam*) pro quo græcè est αἵρεσιν, hic non sumi in malum, sed vtrumque secundum generalem & originariam significationem, qua sunt vocabula media. Qua de re satis multa dicta sunt ad cap. 24. v. 14.

CERTISSIMAM] græcè est ἀκριβεστάτην, exactissimam, accuratissimam, diligentissimam. Non est autem putandum quod hîc Apostolus simpliciter laudet Pharisaismum, ne quidem pro eo statu, qui erat Christo nondum passo, & prædicato: sed tantùm præ reliquis sectis quæ tunc inter Iudæos vigebant; nimirum quod pauciores quam aliæ haberet errores, & genus vitæ longè seuerius. Inter cætera autem hoc boni præ Sadducæismo habebat Pharisaismus, quod crederet & profiteretur resurrectionem mortuorum. cap. 23 v. 8. Conferantur quæ dicta sunt ad illius cap. 23. v. 6. Addit Apostolus, propius ad rem propositam accedens;

VERS. 6. Et nunc in spe quę ad patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto iudicio subiectus:

VERS. 7. In quam duodecim tribus nostræ, nocte ac die deseruientes, sperant deuenire. De qua spe accusor à Iudæis, Rex.

HÆc dicuntur aduersus Sadducæos potissimum, qui erant præcipui aduersarij & persecutores Pauli Apostoli, eo quod doceret mortuorum resurrectionem, quam illi negabant. Docebat enim Iesum, & quidem primum inter omnes homines, tertia die resurrexisse ad vitam immortalem & gloriosam; quod est fundamentum totius religionis Christianæ: docebat consequenter, inter reliquos fundamentales fidei articulos, fore omnium hominum resurrectionem ex morte: & vt cæteri pij, sperabat sibi eam gloriosam. Hæc nota sunt ex præcedentibus, quæ diximus ad cap. 23. v. 2. 6. & aliquot sequent. ad cap. 24. v. 1. 14. & seqq. Ait igitur Apostolus, sese subijci iudicio, sese à Iudæis accusari, eo quod doceat & gloriosam speret, resurrectionem corporis, quam Deus per Prophetas suos promisit; & quam fideles ex duodecim tribubus Israel, à Deo expectant, eius consequendæ gratia Deo seruientes, Deum colentes, nocte ac die.

HIS dictis ad Regem; per apostrophen auertit sermonem ad suos aduer-

sarios

satios præcipuos, Sadducæos nimirum, hæreticos negantes carnis resurrectionem. Nam verba proximè sequentia non dici ad Regem, potest doceri ex v. 27. huius. Credebat Rex Agrippa prophetis; illi autem prædixerunt fore resurrectionem mortuorum. Apostrophe igitur, ad Iudæos Sadducæos est præcipuè; deinde ad auditores gentiles illic præsentes; ista nimirum,

VERS. 8. Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?

NAM & ethnici saniores Deum iudicabant esse omnipotentem; & qui inter eos fuerunt sapientiores, docuerunt animæ rationalis immortalitatem; quibus positis, patet non esse impossibile Deo, resuscitare mortuos; & consequenter non esse incredibile eum hoc fecisse & facturum, quum per suos prophetas id se facturum prædixerit; imo iam olim fecerit per seruos suos Heliam & Helizeum 3. Reg. 17. 4 Reg. 4 & sciatis Iesum Nazarenum mortuos suscitasse. Pergit Apostolus, & exponit causam ac modum conuersionis sui ad Christianismum; quem prius acerrimè persequebatur planeque conabatur extinguere; dicens,

VERS. 9. Et ego quidem existimaueram me, aduersus nomen Iesus Nazareni debere multa contraria agere.

EXISTIMAVERAM] habens zelum Dei, Moysi, & legis, sed non secundum scientiam, sicut ipse de Iudaizantibus loquitur Rom. 10. v. 2. 3. *Aduersus nomen Iesu Nazareni,*] hoc est aduersus famam ac celebritatem qua inclarescebat Iesus Nazarenus (qui surrexisse dicebatur) inter homines, Iudæos primum, deinde gentiles, eousque dolorum eultores.

MVLTA *debere contraria agere.*] Ad extinguendam fidem de Iesu hoc Nazareno, quod ipse sit Messias Domini, tamdiu expectatus; & sic abolendum & impediendum celebritatem eius qua vt Messias colebatur. Addit,

VERS. 10. Quod & feci, Ierosolymis; & multos sanctorum ego in carceribus inclusi.

SANCTORVM] ita vocat Christi fideles, etiam coram Rege Agrippa; ad exaggerationem sui sceleris, quo prius persequebatur Christianos, Christi fideles, qui soli verè sancti sunt. Exercebat hanc persequutionem sæuissimam vt Prætor capitalis à primoribus Iudæorum constitutus, aduersus Christianos. Quod hic istis verbis dicitur, *A principibus sacerdotum potestate accepta.* Consentiunt his quæ sunt sup. cap. 8. v. 1. 3. cap. 9. v. 1. cap. 11. v. 19.

ADDIT Paulus, *Et cum occiderentur,* vtique sancti illi: *detuli sententiam.* Hæc verba tam in originali, quam in hac nostra versione ambigua sunt. possunt enim sic accipi; Cum occidendi essent Christiani, ego inter reliquos iudices dixi in eos suffragium mortis. Aut sic, Cum capiendi, ac deinde torquendi,

ac

ac postea occidendi essent Christiani; ego tanquam executor sententiæ in eos latæ, eam sententiam à principibus sacerdotum accepi, penesque me detuli ad exequendum, vt Prætor in Christianos constitutus. Posterior intellectus videtur magis conuenire cum his quæ leguntur cap. 8. in principio, & cap. 22. v. 4. & sequent. & cum his quæ isto cap. proximè dicentur.

VERS. 11. Et per omnes synagogas frequenter, puniens eos, compellebam blasphemare:

DICIT sese adhibitis tormentis hoc egisse vt Iudæi illi qui fidem Iesu acceperant & profitebantur, negarent Iesum esse Christum; quæ fuisset ingens blasphemia, si eò deuentum fuisset. Et nihilominus Saulus committebat scelus blasphemiæ, dum illos eò compelleret quantum in ipso esset. Imo non parcebat honori Domini Saluatoris, negans illum esse Messiam Domini. Vnde ipsemet sese ante conuersionem *fuisse blasphemum*, palam confitetur, 1. Tim. 1. vers. 3. vbi & hoc de se confitetur, fuisse *contumeliosum*, seu vt græca vox ὑβριστὴν magis sonat, fuisse *violentum oppressorem*, vtique Iudæorum ad Christi fidem conuersorum. De quibus hîc attexit, *Et amplius insaniens in eos, persequebar vsque in exteras ciuitates. Amplius*] superfluè, immoderatè. *Vsque in exteras ciuitates*, Id est, non solum per ciuitates & synagogas quæ erant in Iudæa. Sequitur,

VERS. 12. In quibus dum irem Damascum.

IN *quibus*. Non est sensus, Inter quas exteras ciuitates; tametsi is sensus sit verissimus: obstat enim genus articuli græci οἷς; sed est sensus, Inter hæc, Interea, his rebus intentus; vt sæpe alias hæc particula accipitur.

DVM *irem Damascum.*] Ab hoc loco vsque ad vers. 19. oportet conferre hanc narrationem cum ea quam eadem de re, conuersione scilicet Sauli, fecit S. Lucas cap. 9. huius operis, & cum ea quam ipse Paulus fecit sup. cap. 22. & considerare quid hîc minus, quid amplius dicatur quam illic; quid diuersum: imo quid in specie contrarium, idque conciliare. hoc enim pium & vtile studium est hominis Theologiæ addicti.

CVM *potestate & permissu principum sacerdotum: Permissio*] est vocabulum ambiguum: interdum enim nudam tolerationem significat; quomodo Deus dicitur permittere peccata: interdum autem significat ius & authoritatem faciendi eius quod permitti dicitur; vt cum summus Pontifex dicitur Abbati alicui permittere vsum mitræ, aut cum Imperator dicitur huic vel illi Comiti permittere vt cudat monetam. Hoc posteriore modo hîc intelligendum est istud (*permissu*): & ita vim græcæ vocis propius expressit Interpres noster, quam multi existiment. Ergo, dum potestate instructus aduersus Christianos, irem Damascum, non ciuitatem Iudeæ, sed Metropolim eius partis Syriæ quæ ab ea nominatur Syria Damascena:

VERS. 13. Die media, in via, vidi, Rex, de cælo, supra splendorem Solis circumfulsisse me lumen, & eos qui mecum simul erant.

DIE *media*. Hoc cap. 9. non fuit expressum: sed exprimitur cap. 22. v. 6. *Lumen supra splendorem Solis.*] Id est, lumen in aëre circa me diffusum, quod ipsam lucem solis superabat. Hoc maximum lumen (ait) *de cælo*, Id est, ex superiore aëris regione, me circumfulsit, & comites meos. Hoc lumen ingens non soli Paulo conspectum fuisse, sed & viris qui cum illo erant, clarissimè dictum est cap. 22. vers. 9. Pergit Paulus.

VERS. 14. Omnesque nos cum decidissemus in terram, audiui vocem loquentem mihi, hebraicâ linguâ;

AVDIVI] hoc ita singulariter ait, quia comites eius, licet audierint vocem loquentis Pauli, non tamen vocem, quæ ad Paulum fiebat, vt dictum fuit cap. 22. vers. 9.

HEBRAICA *linguâ*.] Cur hoc in hac narratione attexit Paulus, quod non attexuit S. Lucas cap. 9. neque ipse Paulus cap. 22? Nempe quâ linguâ olim Deus, aut Angelus Dei vicarius, patribus fuerat loquutus, eâdem Christus Paulo loquutus est ad maiorem authoritatem; & vt acrior esset increpatio, dum linguâ hebræâ loquens, ei idem nomen tribuit quod fuerat primi Regis Israelitarum, persecutoris bonorum & innocentum. Et coram Rege Agrippa hoc ipsum nunc Paulus narrat, maioris fidei causa. Hebraicâ nimirum linguâ ea vox loquebatur ei, *Saûl, Saûl, quid me persequeris?* sic enim est in codice græco, in originali scriptura B. Lucæ videlicet; & haud dubiè ita Christus Dominus est loquutus Paulo. Addidit verò Christus, ipso Paulo narrante;

DVRVM *est tibi contra stimulum calcitrare*. De cuius prouerbialis sententiæ intellectu satis dictum est ad cap. 9. v. 5. Pergit Paulus, coram Rege Agrippa & cæteris auditoribus, narrare residuum pertinens ad causam & modum conuersionis sui, quâ ex persecutore Christianorum factus est Christi Apostolus, & quidem nullo aliorum inferior.

VERS. 15. Ego autem dixi, Quis es Domine? Dominus autem dixit, Ego sum Iesus;

NAZARENVS additur cap. 22. Addit deinde Dominus ad Saulum.

VERS. 16. Sed exurge, & sta super pedes tuos:

HÆC verba non solum videntur hortatoria, sed etiam operatoria, quibus Dominus contulerit Saulo corporales etiam vires surgendi è terra & consistendi; quod alioqui non poterat, nimio metu debilitatus planèque fractus. Adiungit Dominus,

AD

AD *hoc enim apparui tibi*, hac ipsa scilicet apparitione præsenti; *Vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi.* Quæ ab hoc loco vsque ad v. 19. leguntur, neque sunt in cap. 9. neque in 22. huius operis; diligenter perpendenda, quoniam sunt verba Domini ad Saulum.

VT *constituam te ministrum*] qui scilicet prædices & annuncies ea quæ nunc vides; & quæ videbis adhuc me reuelante.

ET *testem*] græcè est μάρτυρα, quod nobis valet *testem*: videtur tamen innui quod ministerium suæ prædicationis euangelicæ Paulus esset executurus etiam cum periculo corporalis vitæ, & cum multis tribulationibus, persequutionibus & tormentis, sicut factum fuit. Addit Dominus,

VERS. 17. Eripiens te de populo & gentibus;)

ITA legitur in melioribus libris latinis, conformiter originali; *populo*, inquam, sicut & infra, v. 23. & intelligitur populus Iudaicus: per *gentes* autem intelliguntur nationes gentilium; id est, nationes à tribubus Israel alienæ; quæ tunc colebant idola.

IN *quas nunc ego mitto te.*] Credibile Interpretem scripsisse *(quos)* vt græcè est, & refert non solum *gentes*, sed etiam *populum*, Iudaicum scilicet. Nam ab vtrisque Dominus ercpturum se Paulum promittebat; sicut & seruauit vsque dum is completet ministerium verbi Dei ad conuersionem Gentilium & Iudæorum; quando martyrio fuit affectus.

NON sine causa quidam expositores hic admirantur firmitatem fidei in Paulo, & fortitudinem in eâ profitenda coram hoc auditorio; in quo erat Rex Agrippa colens religionem Iudaicam, more tunc vsitato inter infideles Iudæos; erat Præses Iudææ, homo ethnicus; ipse Paulus erat captiuus: & tamen profitetur sibi à Domino Iesu promissum, ereptum iri tam ex populo Iudaico quam ex gentilibus.

PERGIT Dominus Paulo exponere causam ob quam ipsum ad populum Iudaicum & ad gentiles mitteret, vt suum ministrum ac legatum;

VERS. 18. Aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deum;

APERIRE *oculos eorum.*] His verbis significabat Dominus, & Iudæos & gentiles plerosque cæcos esse; cæcitate mentis videlicet, tam quoad agenda & vitanda, quam quoad credenda. versabantur enim vtrique in grauissimis peccatis, & in rerum salutarium crassa ignorantia, vt idem hic Apostolus fusè explicat in Epistola ad Rom. cap. 1. & 2. ac 3. Itaque Deus Saulum mittebat vt *per eius ministerium* aperiret oculos, tum Iudæis vnicum verum Deum cognoscentibus, sed valde ruditer, & malè illum colentibus; tum gentilibus, multorum, ideoque falsorum Deorum cultoribus. Exponitur hoc ipsum per sequentia,

VT *conuertantur à tenebris ad lucem.*] Erant ijs tenebræ, in intellectu quidem,

per infidelitatem qua verum Deum ignorabant gentiles: per superstitiones, quibus verum Deum male colebant Iudæi, vt sæpè in euangelio Dominus legitur ijs obiecisse, ad corrigendum eos videlicet; & vtrique per prauas multas opiniones circa res agendas.

ERANT etiam Iudæis & gentilibus multorum & magnorum vitiorum ac peccatorum tenebræ in affectu seu voluntate, dum varia peccata admittunt, dum tenentur peccatorum amore, peccatorum consuetudine, dum sordidantur animi eorum peccatorum maculis tenebrosis. Mittitur ad vtrosque Paulus, vt à tenebris istis conuertantur ad lucem, nempe ad veram ac sinceram cognitionem Dei, rerum diuinarum, & rerum agendarum ad salutem; ad lucem item iustitiæ, sanctitatis ac morum salutarium, quibus ad beatitudinem perueniatur.

ET (vt, eâdem operâ, conuertantur) *de potestate satanæ ad Deum.* Potestas quam in homines peccatores habet Diabolus, Deo vindice, est duplex: prior qua subduntur ei tanquam ministro diuinæ iustitiæ, in ipsos propter peccata sua exercendæ; posterior, qua subduntur ei tanquam suasori & impulsori ad plura & grauiora peccata deinceps patranda, postquam semel per præcedens aliquod mortale peccatum sese in seruitutem Diaboli tradiderunt.

AD priorem pertinet quod Matth. 18. Rex ille parabolicus seruum inclementem tradidit tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Ad posteriorem pertinet illud Domini ad incredulos Iudæos, Ioann. 8. v. 44. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Et illud B. Petri, 2. epist. c. 2. v. 19. *A quo quis superatus est, huius & seruus est.* Necnon istud Pauli Apostoli Ephes. 2. v. 2. *Spiritus qui nunc operatur in filijs diffidentiæ.* & 2. Timoth. 2. v. 26. *Resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius* (Dei videlicet, de quo v. præcedente) *voluntatem.* Huc pertinet quod ipse Diabolus vocatur princeps aut potestas tenebrarum, Lucæ 22. v. 53. Coloss. 1. v. 13. vt quo authore fiant opera tenebrarum; sic appellata ab Apostolo Rom. 13. v. 12. Hoc autem loco videtur potissimum esse sermo de ista posteriore potestate; vtpote ex qua liberetur homo per sinceram ad Deum conuersionem, vt hic dicitur; quum sub illa afflictiua Diaboli potestate (quæ est prior) possit esse homo iustus Deoque perchatus; vt patuit in beato Iob, in Paulo Apostolo, cui, aduersus superbiam, datus est Angelus satanæ qui ipsum colaphizaret; nec ab illo quamuis ter Dominum rogante, Deus hoc flagellum abstulit. 2. Corinth. 12. vers. 7. 8. 9. Imo infantes recens baptizatos & alios homines vere iustos interdum corporaliter à dæmonibus obsideri, experientia docuit; testibus Cass. collatione 7. cap. 25. & aliquot seqq. Chrysost. libris tribus de prouidentia. S. Hier. epist. 25. Quæ causa est vt sæpe bimuli &c. Videri potest anno Christi 32. §. 24 Baronius. In quem vero finem fieri, hæc quæ dicta sunt, vellet Christus Dominus; addit,

VT *accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem quæ est in me.* *Remissio peccatorum*] mortalium scilicet, nam de his agitur, complectitur abstersionem maculæ illius per quam homo, etiam cum transijt actus peccati, manet peccator; & solutionem reatus, per quem dignus erat pœna æterna. Connexa est remissio eiusmodi peccatorum infusioni gratiæ iustificantis: vt ex S. Thoma

1. sec.

1. sec. q. 113. art. 1. 2. 6. & ex Concilio Trident. sess. 6. cap. doctrinæ 7. & Can. 11. abundè notum est.

ET *sortem inter sanctos.*] *Sors ista* est gratia in præsenti seculo, perseuerans vsque in finem vitæ huius mortalis; quæ dicitur *sors*, quoniam non datur ex meritis hominum. *Sors* etiam dicitur ipsa beatitudo sæculi futuri, quoniam est hæreditas filiorum Dei: solet autem in scripturis hæreditas nomine *sortis* significari. Vtraque, hac etiam ratione dicitur sors, quoniam salus, tam præsentis vitæ quam futuræ, occultè distribuitur; & causa ignoratur cur ex eiusdem status & conditionis hominibus, hic ad salutem perducatur potius quam ille: vt diuersis locis nos docent scripturæ Euangelicæ & Apostolicæ. Matth. 20. vers. 15. 16. cap. 22. v. 14. Ephes. 1. v. 11. Coloss. 1. v. 12. Videndus est S. August. in fine concionis 2. ad illud hemistichium psalmi 30. *In manibus tuis sortes meæ.* Et quæ diximus supra, ad cap. 1. vers. 17.

PER *fidem quæ est in me.*] Posset dubitari hoc complexum an determinet illud quod proximè præcedit (*sanctos*) seu, vt in originali est, (*sanctificatos*): sed multo rectius est vt intelligamus determinare totam orationem præcedentem, *Accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos.* Ad salutem enim nemo peruenit nisi per fidem in Christum quòd ipse sit Messias Dei Patris. Hæc fides est principum salutis, fundamentum & radix reliquæ salutis quæ adiungi debet, vt compos fiat homo salutis æternæ.

HVCVSQVE Paulus Apostolus retulit ea, quæ Christus Dominus, ei apparens, dixerat ad ministerium pertinentia cui ipsum destinabat, conuertens persecutorem in prædicatorem; Tum pergit narrare sui conuersionem, & opera post conuersionem per Dei gratiam facta ad salutem aliorum. Ait igitur,

VERS. 19. Vnde, Rex Agrippa, non fui incredulus cælesti visioni:

INCREDVLVS,] græcè est ἀπειθής, quod etiam significat *inobedientē*; & vtrumuis huic loco quadrat; ac fortassis S. Lucas vtrumque à nobis voluit intelligi. Certè enim *huic* cælesti *visioni non fuit incredulus*, Saulus; vtpote per eam, Deo cor eius mouente, tam ardenter conuersus ad fidem de Iesu quod ipse est Christus. Non fuit etiam illi *inobediens*; quando Christo Domino sibi è cælis apparenti, ac iubenti ea quæ à v. 16. hucusque audiuimus, statim cepit parere; sicuti parebat ad hoc vsque tempus quo ista concionabatur. Id quod ipse exponit verbis sequentibus.

VERS. 20. Sed his qui sunt Damasci, primum, & Ierosolymis, & in omnem regionem Iudeæ, & Gentibus, annunciabam vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.

HIS *qui sunt Damasci, primum;*] sup. cap. 9. v. 20. & sequent. Iterum v. 23. cum quo concordat quod ipse Apostolus scribit 2. Corint. 11. in fine.

Et Ierosolymis] sup. cap. 9. v. 26. 27. 28. cap. 11. fin. cap. 15. cap. 21. v. 15. & sequent. *Et in omnem regionem Iudaeae*] Hoc particulatim non fuit in superioribus huius operis partibus narratum. *Et gentibus*] hoc fusè à cap. 13. vsque ad 21. particulatim fuit expositum.

ANNVNCIABAM *vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum.*] Hoc lege naturali omnes tenentur facere: sed modus pœnitentiæ & conuersionis ad Deum, habet aliquid peculiare post Christi euangelium promulgatum; nempe includit fidem de Iesu quod sit Christus, & quod per eius meritum remissio peccatorum datur verè pœnitentibus & quæ ipse præscripsit facientibus; ac specialiter sacramenta quæ ab eo sunt instituta, suscipientibus. Ita fit, vt his suis verbis Apostolus includat suam prędicationem fidei Christi; licet non exprimat hoc loco. Conferantur quæ sunt Act. 2. v. 37. 38. & cap. 3. v. 19. cap. 5. v. 31. Rom. 3. v. 24. & sequent. ac passim alibi. Addit Apostolus,

DIGNA *pœnitentia opera facientes.*] Per hæc verba declarat, non esse seriam hominis pœnitentiam, seriamque ad Deum conuersionem, nisi faciat opera quæ veram pœnitentiam deceant ac testentur, quæ sinceræ ac seriæ pœnitentiæ respondeant. Sicut & S. Ioannes Baptista hortabatur suos auditores, suos catechumenos, vt facerent fructus dignos pœnitentia sincera, seu ex vera sinceraque pœnitentia exorientes. Ita enim tam hic, quam Matth. 3. *opera seu fructus digni pœnitentiæ*, siue *digni pœnitentia*, optimè intelliguntur. Nugatur Erasmus tam hic in annot. quam ad Matth. 3. *Facite opera digna pœnitentiæ*; qui operibus ipsis ostendit se pœnitentia duci præteritorum peccatorum. His eadem sunt quæ Apostolus dicebat cap. 20. vers. 21. Quibus ita narratis; Apostolus eam narrationem applicat ad negotium præsens, nempe ad suæ innocentię defensionem; dicens.

VERS. 21. Hac ex causa me Iudæi, quum essem in templo compræhensum, tentabant interficere.

HAC *ex causa.*] In originali est, *Horum causâ*; quod paulo amplius sonat: nam sensus est; propterea quod feci & facio ea quę diuinitus fui iussus facere, tam erga gentiles quam erga Iudæos; ipsi Iudæi in templo me compræhensum ac foras protractum tentabant interficere. Historia fuit supra cap. 21. v. 30. 31. Verum eorum malam voluntatem Deus impediuit, vt ibidem narratur, per vigilantiam nimirum Tribuni, statim cum militibus decurrentis ad locum tumultus, vbi Paulus atrociter tractabatur. Hoc inuoluitur his quæ subiungit hoc loco Apostolus, inquiens;

VERS. 22. Auxilio autem adiutus Dei, vsque in hodierum diem sto;

AVXILIO *Dei*, me protegentis aduersus omnes violentias & insidias inimicorum, studentium me interficere; protegentis autem, etiam per ethnicos.

VSQVE *in hodiernum diem sto; Sto*, hoc est, superstes sum, viuo: non desinens

nens facere officium quod mihi Deus iniunxit; nempe annuncians viam salutis & Iudæis & gentibus, Hoc est illud,

TESTIFICANS *minori atque maiori:*] quid testificans? quæ dicta sunt v. 20. & dicto cap. 20. v. 21. Nimirum veram vnici Dei fidem & Christi eius, cum sincera delictorum pœnitentia. Quibus autem testificans? *Minori atque maiori.* græcè est, *& paruo & magno.* Schema sermonis etiam vulgaribus linguis vsitatum, quo significatur indifferenter omnes, cuiusuis ætatis, sexus, qualitatis. Addit Apostolus, *Nihil extra dicens quam ea quæ prophetæ loquuti sunt futura esse, & Moyses.* Credibile est propter Regem Agrippam, qui Iudaicam religionem tenebat; & propter eos qui in hoc auditorio aderant Iudæos, Paulum Apostolum hoc attexere. Nam illi plurimum deferebant (vt par erat) Moysi & prophetis; & fortassis amplius quam visioni illi cælesti, quam Paulus superiore narratione sibi exhibitam commemorabat. Eâdem opera declarat, suam doctrinam non esse nouam, quæ in negotio religionis debeat esse suspecta, nedum reijci: sed cum dictis Moysis & prophetarum conuenire. Quę enim illi de Messia prędixerant, hęc Paulus demonstrabat in Iesu Nazareno esse completa; Nempe,

VERS. 23. Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo & Gentibus.

SI.] positum est pro (quod) sicut alias ponitur pro (quia) (quoniam) tam apud prophanos scriptores, quam apud sacros. 1. Cor. 15. v. 32. *Si ad bestias pugnaui Ephesi,* hoc est, Quod contra bestias, Iudęos scilicet efferatos, pugnaui Ephesi (Act. 19. v. 9.): quid mihi prodest, si mortui non resurgant? Is locus huic pręsenti est planè similis. Sicut & ille Ioann. 21. v. 22. in orig. *Si eum volo manere donec veniam; quid ad te? tu me sequere.* Est enim sensus, Quod istum volo manere donec veniam ego, & eum naturali morte euocem è vita; quid hoc tua ô Petre, interest? *Tu per passionem me imitare* vnde in nostris libris non malè legitur, *Sic eum volo manere,* &c. est enim sermo affirmantis.

EST vbi pro (quoniam) ponatur vocula (*Si*) huius operis cap. 4. v. 9. cap. 11. v. 17. vt alia multa è sacris libris prætereamus, veluti ad Philem. v. 17. apud prophanos quid magis obuium quam illud Dionysij Catonis,

Si Deus est animus, nobis vt carmina dicunt:
Hic tibi præcipuè pura sit mente colendus.

Multa similia ex Marone adferri facilè possunt Georg. 1. in princ. Vestro si munere tellus &c. Aeneid. 4 Si tibi dulce meum quicquam fuit &c.

DICIT igitur Apostolus, Moysen & prophetas prædixisse, quod Christus foret passibilis, id est passioni ac morti violentæ à Deo Patre addictus; item Quod primus foret resuscitandus ad vitam immortalem ac gloriosam; quod lumen fidei & salutis foret allaturus & populo Iudaico & Gentibus; per se quidem populo illi; per Apostolos vero suos, Gentibus. Idem itaque hic per *populum* & *Gentes* intelligitur quod sup. v. 17.

QVOD

QVOD de Moyse & prophetis hic dicit Apostolus prædixisse eos quæ Messias esset facturus & passurus; idem de illis non vno loco Saluator ipse dixerat. Ioan.5. v.46. *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.* Videatur & Lucæ cap.24. v. 25.26 27.44 & sequen.

CHRISTVM passurum & quidem mortem probrosam crucis, Moyses figurabat erectione serpentis ænei, quem qui à serpentibus percussi aspiciebant, sanabantur: ita eam figuram (quæ est Numer.21.) exponente Domino Saluatore Ioan.3.v.14. Idem clarissimè prænũciauerat Dauid psal.21.& Isaias cap.53. Resurrectionem gloriosam corporis Christi prænunciauerat idem Dauid, psal.15 interpretantibus S. Petro Apostolo Act. 2. v. 25. & sequen.ac S. Paulo Apostolo eiusdem operis cap. 13.v. 35. vbi & vaticinium Isaiæ eo adducit idem Apostolus ex cap.55. v.3. iuxta 70. Itaque meritò hîc coram Agrippa Rege, ait Paulus, sese quæ Iudæis de Iesu Nazareno prædicauit tanquam de Messia Domini, ea confirmasse vaticinijs Moysis & prophetarum; ac ostendisse in ipsum Iesum ea quadrare; vt alius Messias non sit expectandus.

NON dicit autem Paulus sibi non licuisse aliud dicere quam esset in scripturis Moysi & prophetarum; imo constat & alia Iudæis dixisse; veluti causam & modum conuersionis sui, sup. cap. 22. Tantum dicit, ea quæ *de Christo* annunciauit Iudæis, à Moyse & prophetis fuisse prædicta. Vnde quidam sectarij imperitè hunc scripturæ locum allegant contra traditiones religionis agraphas.

ATQVE hæc quidem Paulus coram Rege Agrippa, vt ei demonstraret quam iniqua esset Iudæorum in ipsum calumnia; quasi in religionis negotio doceret falsa; quum tamen non ipse; sed Iudæi, falsam religionis doctrinam traderent, negantes Christo conuenire quę Prophetæ de illo prædixerant. Prænunciauerant prophetæ Christum à suis occidendum morte crucis: Iudæi autem (vt in Euangelica passionis Domini historia legitur) clamabant, *Descendat nunc de cruce, si hic est filius Dei electus, si est Christus.* Tam carnaliter de Christo sentiebant, vt propterea recusarent in ipsum credere, eo quod fuisset crucifixus: cum tamen hoc futurum prædixisset spiritus sanctus per prophetas. Hinc est quod Apostolus ait 1. Cor.1.v.23. *Nos prædicamus Christum crucifixum; Iudæis quidem scandalum; Gentibus autem, stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Sequitur,

VERS 24. Hæc loquente eo & rationem reddente;)

IN origin. est, *Hæc eo apologeticè dicente*; vt sciamus Paulum superiora ad Regem Agrippam dixisse, sui defendendi causa contra Iudæos, suæque innocentiæ demonstrandæ gratia. Quare quod nos habemus, *& rationem reddente*, intelligatur sic, *Rationem pro seipso reddente.*

FESTVS *magna voce dixit, Insanis Paule: multa te litera ad insaniam conuertunt.* Festus, nouus Iudææ Præses, homo ethnicus & idololatra, eo quod non intelligebat quæ Paulus dicebat; & vt intellexisset non erat crediturus, præsertim autem quæ dicebantur de resurrectione mortuorum, de gentibus & Iudæis per

per Christum illuminandis; fortassis etiam quod iam Paulus aliquoties, in sua concione. Regem Agrippam nominatim compellasset, sese autem Præsidem Iudææ, ne semel quidem: *Magna voce, dixit*, Coram Rege Agrippa, non reueritus personam Regis, *Insanis Paule*: &c. Aliquid ciuilitatis apparet in his verbis Præsidis; non enim arguit Paulum falsitatis, sed quæ sibi non vera videbantur ascribit insaniæ; & hanc ipsam insaniam vult eum nullo vitio contraxisse, sed nimio studio doctrinæ. *Multa* (ait) *te litteræ ad insaniam conuertunt*.

EXEMPLVM hîc est vnum, quo docemur (quamuis alioqui experientia satis nos doceat) eos qui contemplatione excellunt aut contemptu honorum, opum, voluptatum, haberi insani iudicij à sectatoribus huius mundi, & ijs qui sensibus sunt affixi. Hoc est illud quod Apostolus ait 1. Cor. 2. v. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi*. Exempla huius rei nimis multa sunt in sacris literis, supra quotidianam experientiam. In nouo testamento videre est Marci 3. v. 21. Ioan. 10. v. 20. In vetere 4. Reg. 9. v. 11. Sapientiæ 5. v. 4. Illa certè quæ ipse Dominus passus est talia opprobria, consolari debent pios & spirituales viros, dum similia patiuntur à carnalibus & prophanis; Neque ob id deserenda est via recta. Vocentur phantastici, Theologi; quis sanus mouetur? Sed quid Paulus ad istam contumeliam?

VERS. 25. Non insanio (inquit) optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor.

DE illo (*optime*) satis dictum est supra ad c. 23. v. 26. Capiatur quasi dictum esset, Præstantissime, præpollens, vel quid æquiualens. Nam græcè est κράτιστε. *Sed veritatis & sobrietatis verba loquor*, Pro illo (*sobrietatis*) g. est (σωφροσύνης, quod vocabulum propriè significat mentis sanitatem & animi præsentiam, qui nulla perturbatione sit veluti temulentus. Idem propriè significat vox latina (*sobrietas*): qua de re satis diximus ad 2. sec. q. 149. a. 1. & hoc modo nomine *sobrietatis* & vocum coniugatarum vtitur S. August contra Gaudentium lib. priore c. 31. & de serm. Domini in monte lib. priore c. 1. quare istud (*sobrietatis*) in his verbis Apostoli directè opponitur ei quod Festus dixerat, *Insanis Paule*; & horum verborum quę nunc dicit Apostolus, sensus est, Non solum vera sunt quæ dico; sed etiam sic à me dicuntur vt ab homine sanæ mentis debent dici, nempe ex certo iudicio, & cum suis circumstantijs conuenientibus, personarum, loci, & temporis, & specialiter habita ratione Regis Agrippæ, omnium quæ à Iudæis teneantur & obseruantur, maximè gnari. Et tum aptè subiungitur quod addit Apostolus,

VERS. 26. Scit enim de his Rex: ad quem & constanter loquor, latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quicquam horum gestum est.

QVVM hæc agerentur, erat annus à Christo nato circiter 58. à passione autem Domini circiter 24 Quare Rex Agrippa hoc tempore fuit circiter

annorum 31. Patre enim moriente (quod factum est anno Domini 44. aut circiter) agebat annum ætatis decimum septimum, vt ait Iosephus Antiquit. Iudaicarum lib. 19. cap. vlt. §. 36. tempore autem huius historiæ quæ nunc narratur, erat annus Christi 58. vt dictum est. Et quamuis post mortem patris iste Agrippa diu Romæ egerit, illic enutritus à Claudio Cæsare: tamen iam diu inde reuersus fuerat, auctus varijs præfecturis ab eodem Claudio; vt est apud eundem Iosephum eiusdem operis lib. 20. cap. 5. §. 20. & sequent. nonnullis quoque à Nerone Claudij successore; vt est in fine illius cap. 5. Ex quibus iam liquet, Apostolum hîc meritò dicere, *Scit de his Rex: latere eum nihil horum arbitror: neque enim in angulo quicquam horum gestum est.* Cognouerat nimirum, in Iudæa versatum fuisse Iesum Nazarenum, docuisse populum, à primoribus deinde Iudæorum, per præsidem Pilatum fuisse occisum: discipulos eius Christianos appellari, & constanter annunciare ipsum tertio die resurrexisse; ac doctrinam ab eo traditam, quaquauersum illos propagare, vt salutarem & oraculis prophetarum consonam. Legerat & legebat prophetas hic Rex Agrippa.

ET his de causis ait Apostolus sese ad eum *loqui constanter*, hoc est magna cum libertate; tanquam ad eum qui sciat ipsum vera dicere. Hoc modesto responso cum Festi contumeliam Apostolus abstersisset, Regis authoritate interposita: ipsum Regem nunc propiùs aggreditur, cupiens eum lucrifacere Christo; & ait:

VERS. 27. Credis Rex Agrippa prophetis? Scio quia (quod) credis.

IAM supra vers. 22. dixerat Apostolus, sese in doctrina de Iesu quod sit Messias, consentire cum Moyse & prophetis, nihilque aliud se docendo ostendere, quam vaticinia illorum in Iesum Nazarenum quadrare; vt non sit alius Messias expectandus; hæc ibi dixerat: Cum igitur nunc dicit, *scire se quod Rex credat prophetis*; innuit, Regem si prophetis consentanea velit amplecti, amplexurum fidem de Iesu quod ipse est Christus, expectatus ille generis humani Saluator. Et hoc istis verbis Paulum innuere, Rex intellexit; ac se intelligere non dissimulauit. Sequitur enim in hac narratione S. Lucæ,

VERS. 28. Agrippa autem ad Paulum; In modico suades me Christianum fieri.

SVADES g. est πείθεις. quod verti potest (*suades*), potest etiam (*persuades*): & fortassis noster Interpres licet reddat (*suades*) tamen intelligit (*persuades*); sicut fecit sup. c. 21. v. 14. vt simplex horum verborum sensus sit, Aliquatenus, seu aliquantum, me commoues vt fiam Christianus. Cui respondit Paulus.

VERS.

VERS. 29. Opto apud Deum, & in modico & in magno (multo, est g.) non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt (me, additur g.) hodie, fieri tales qualis & ego sum; exceptis vinculis his.

SENSVS conformis præcedentibus est, Opto à Deo vt non solum aliquantulum, sed etiam multum: nec tu solum, Rex Agrippa, sed & omnes qui me hodie audiunt, fiant tales qualis ego per Dei gratiam sum, id est fiant boni Christiani, fiant mei similes. Quod addit Paulus in fine huius sermonis, *Exceptis vinculis his*, ciuilitatis causa adijcit, & ad commune hominum iudicium attemperat suum sermonem, quibus captiuitas & alia huius vitæ incommoda, grauia censentur & fugienda: quum interim Paulus sua pro Christo vincula neque auersaretur neque erubesceret, sed summam suam gloriam duceret quæ ipsi in hoc sæculo posset obtingere. Sequitur,

VERS. 30. Et exsurrexit Rex, & Præses, & Bernice, & qui assidebant eis.

EXSVRREXIT nimirum statim vbi Paulus superiora esset loquutus. hoc enim interponitur in originali, sic: *Et cum loquutus ille esset hæc.*

VERS. 31. Et quum secessissent, loquebantur ad inuicem, dicentes; quia (quod) nihil morte aut vinculis dignum quid, facit homo iste.

FACIT] legendum est, vt habent boni libri latini, conformiter græco codici, πράσσει. Illud autem (*quia*) seu (*quod*) in fronte positū, redundat ad sensum, vt sæpe alibi, præsertim apud hunc sacrum scriptorem B. Lucam. Sequitur,

VERS. 32. Agrippa autem Festo dixit; Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

APPELLAVERAT Paulus coram Festo cap. præced. vers. 11. per quam appellationem à Festo Præside tunc admissam, negotium istud deductum videbatur ad superius tribunal, ipsius nimirum Cæsaris: ideo non posse Paulum dimitti censebat Rex, sed prosequendum esse negotium coram ipso Imperatore. Hoc iudicium Regis sequutus est Festus, & proxima quaque opportunitate cogitat Paulum mittere Romam. Id quod factum esse narratur cap. sequenti. Porro in omnibus his obseruanda est mirabilis Dei prouidentia, qua effectum est vt pro salute multorum, tam Iudæorum quam Gentilium, Paulus Apostolus (& quidem per eos quibus hæc salus non erat curæ) Romam mitteretur,

teretur, ibique hæreret; quod à se ita esse constitutum Dominus ei reuelauerat sup. cap. 23. v. 11. & repetitur reuelatio illa cap. 27. v. 24.

ARGVMENTVM

CAPITIS XXVII.

PAVLVS vinctus nauigat versus Italiam, difficili ac tarda & tempestuosa nauigatione; tandem naufragium passus; tamen, cum omnibus magno numero vectoribus saluus euadens in Melitam Insulam.

VERS. 1. Vt autem iudicatum est.)

A FESTO scilicet Præside, ex consilio Regis Agrippæ vt dictum fuit extremis verbis cap. præcedentis. *Nauigare eum*] scilicet cum socijs suis. Nam græcè est *nauigare nos*. Ex quo intelligitur, vnum sociorum fuisse S. Lucam huius historiæ scriptorem. Socius alter nominatur v. 2. Aristarchus Thessalonicensis. *Et tradi Paulum cum reliquis custodijs*.] Id est cum reliquis vinctis. Nam *custodia* nomine, etiam ij qui custodiuntur, aliquando significantur, apud latinos scriptores; Suetonium in Domitiano c. 14. Et in iure ciuili apud Modestinum iurisperitum latinissimum, π. lib. 48. tit. 1. lege 12. & infra, v. 42. Cui autem tradi? *Centurioni nomine Iulio, cohortis Augustæ*. Cohortem plenam habuisse mille pedites, diximus ad initium cap. 10. huius operis; erant igitur *centuriones* qui singulis centurijs præerant; qui vero toti cohorti, nominabatur *Tribunus*, græcè χιλίαρχος. Semiplena cohors habebat capita 600. vt est apud Gellium lib. 16. cap. 4. ad finem. Diuersitatem cohortum est videre apud Veget. lib. 2. cap. 6.

VERS. 2. Ascendentes nauem Adrumetinam,)

GRÆCÈ est, *Adramyttenam*; & credibile est ita scripsisse Interpretem nostrum; scribas mutasse in vocabulum ipsis notius; nam variè in latinis libris legitur, quæ variatio scribarum audaciam ostendit. Franciscus Lucas sextuplicem aut septuplicem in latinis codicibus varietatem se depræhendisse annotauit, in Notis ad hunc locum. Quis autem locus significetur ex quo fuerit ista nauis, non multum refert scire: probabileque est fuisse in Mysia, vbi Strabo lib. 13. ponit Adramyttium & sinum Adramyttenum. Mysiam superiorem & inferiorem habet Ptolemeus Tabula 9. Europæ. Nec tamen est cur planè reijci debeat illorum opinio qui nauem hanc fuisse putant ex Adrumeto, ciuitate Aphricæ propriè dictæ, cuius meminit Plinius lib. 5. cap. 4. & libri 6. cap. vlt. vocans nunc Adrumetum, nunc Hadrumentum. Est apud Ptolemæum Tab. 2. Africæ, ciuitas maritima, longitud. grad. 37. habens, latitud. 32. ac paulo amplius. *Incipientes nauigare circa Asiæ loca, sustulimus*:] Id est, soluimus è portu; nimitum

nimirum Cæsarienfi. nam illic nauem conſcendebant. *Circa Aſiæ loca.*] Nauigantes mare Syriacum, non Ægyptium. *Perſeuerante nobiſcum Ariſtarcho, Macedone, Theſſalonicenſi.*] Facta fuit eius mentio ſup. cap. 20. v. 4.

VERS. 3. Sequenti autem die deuenimus Sidônem)

EST illa maritima Pheniciæ ciuitas, cuius ſæpe eſt mentio in hiſtoria Euangelica. Habet in Tabula 4. Aſiæ apud Ptolemæum gradus longit. 67. latitud. 33. cum medio. Addit S. Lucas.

HVMANE *autem tractans Iulius Paulum, permiſit ad amicos ire, & curam ſui gerere.* Hanc hominis ethnici Centurionis ciuilitatem Deus in cor eius immittebat, Pauli Apoſtoli ſui cauſa, vt inter tot aduerſa perduraret, & corporis ſaltem ſanitatem retineret. Permiſit igitur Centurio Paulo vt ſui curam gereret, & amicos qui erant Sidone Chriſtiani, viſeret, adiuncto veriſimiliter ſaltem vno milite cuſtodiæ cauſâ; vt videmus factum fuiſſe Romæ. cap. 28. v. 16.

VERS. 4. Et inde cum ſuſtuliſſemus, ſubnauigauimus Cyprum; propterea quod eſſent venti contrarij.

SVBNAVIGAVIMVS *Cyprum*, hoc eſt, non commiſimus nos alto mari, quod eſt inter Syriam & Cyprum, ſed littora Cypri legimus, iuxta littora hærentes, ſecuritatis cauſa, eo *quod venti eſſent* nobis *contrarij*. Videatur Tab. 4. Aſiæ, Ptolemæi.

VERS. 5. Et pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ nauigantes.)

HIc inſpicienda eſt Tabula 1. Aſiæ; *Venimus Lyſtram quæ eſt Lyciæ.*] Aliquid vitij hic eſſe videtur, inuectum à ſcribis. Græcè eſt clara ſententia, *Venimus Myra Lyciæ.* Dicitur autem & Myra genere neutro pluralis numeri, & Myra, æ, genere feminino, ſingulari numero; Eſtque ea Lyciæ prouinciæ ciuitas, cui S. Nicolaus fuit Archiepiſcopus. Conſpicitur in Tab. 1. Aſię apud Ptolemęum, habens gradus longit. 61. latitud. verò 36. cum medio.

QVID hîc ſcripſerit Interpres noſter vetus, difficile eſt coniectare: ſcripſiſſe enim (Lyſtram) non eſt veriſimile, ſed potius ſcribas qui ex ſuperioribus (cap. 14. & 16.) huius operis partibus, meminerant Lyſtræ, Myram autem ciuitatem non nouerant; pro *(Myram)* poſuiſſe nomen ſibi notum *(Lyſtram)*. Fuerunt quondam alij ſcribæ qui hîc *(Smyrnam Lyciæ)* poſuerint, alij, qui *Lyſtram quæ eſt in Cilicia*: quod vtrumque diſcimus ex authore illo, cuius, ſub nomine S. Hieronymi, legitur opuſculum de locis hebraicis quorum mentio eſt in Actis Apoſtolorum. Tanta varietas corruptelam ſcribarum arguit. Lectioni grecæ poteſt opponi, quod Myra non ſit ciuitas maritima, ſi bene ſe habet Tab. 1. Aſię apud Ptolemęum, hanc autem ciuitatem fuiſſe maritimam, & habuiſſe portum qui maximas etiam naues caperet, patet v. ſequenti. Vide Ortelij Theſ. Geograph. Verbo. Myron. vbi dicitur Myra fuiſſe ad flumen Myronem.

Qvi lectionem nostram tueri volet, poterit dicere fuisse & in Lycia ciuitatem quæ vocaretur Lystra; sed cum hoc discrimine quod hæc dicebatur *Lystra Lyciæ*; illa altera, *Lystra Lycaoniæ*. Nec obstat quod in tabula illa 1. Asiæ apud Ptolemæum non reperiatur Lystra in Lycia: nam neque illa loca que nominabuntur v. 8. huius cap. reperiuntur apud eum in descriptione Cretæ insulæ, Tab. 10. Europæ.

Vers. 6. Et ibi inueniens Centurio nauem Alexandrinam, nauigantem in Italiam, transposuit nos in eam.

Navem *Alexandrinam*, hoc est nauem ex Alexandria Ægypti: quomodo dicimus naues Hispanicas, gallicas, naues Antuerpienses &c. Erat autem nauis hæc valde magna; vt quæ præter onera caperet homines 276. Infra, huius cap. v. 37. Ergo Centurio Iulius in eam nauem transposuit Paulum cum socijs & reliquis vinctis, eo quod illa nauigaret in Italiam.

Vers. 7. Et cum multis diebus tarde nauigaremus, & vix deuenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento;

Contra *Gnidum*] id est ex aduerso, è regione Gnidi. Est autem Gnidus in Caria Asię minoris prouincia, extrema ac maritima ciuitas, peninsulę ad Rhodiense pelagus iacentis; apud Ptolemęum Tab. 1. Asię: habens gradus longit. 56. ac paulo amplius: latit. 36.

Adnavigavimvs Cretæ iuxta Salmonen.] *Creta* celeberrima insula est, quæ hodie *Candia* nominatur, tenent adhuc eam Veneti, magno sumptu magnaque diligentia, locis omnibus vicinis occupatis per Turcas. Eius insulæ vnum orientale promontorium hic nominatur *Salmone*, quod Strabo græcus author, natione cretensis vocat *Salmonium*: sed Plinius *Sammonium* corruptè nominat; & in Tabula 10. Europæ apud Ptolemæum dicitur Samonium. Habet illic longit. gradus 55. & paulo amplius, latitudinis, 35. cum medio.

Vers. 8. Et vix iuxta nauigantes, venimus in locum quendam qui vocatur Boniportus;

Navigantes] ad latus australe ipsius insulæ Cretæ; vt colligitur ex v. 12. Nam Phœnix oppidum, & Phœnix portus, in eo latere sunt; vt patet in descriptione Cretæ apud Ptolemæum Tabula 10. Europæ. In qua tamen descriptione neque Boniportus, neque ciuitas Thalassa aut Lasæa reperitur; vt monuimus supra, ad v. 5. Additur à S. Luca. *Cui*] loco scilicet, Pulcris portubus vocato, *Iuxta erat ciuitas Thalassa*. Ita habent nostri libri; cum græcè legatur, *Lasæa*. Vtri rectius, habeant, difficile est iudicatu: Benedictus Arias Montanus existimat lectionem græcam non rectè habere. Author opusculi de Interpretatione nominum propriorum repertorum in Actis Apostolorum, quod extat inter B. Hieronymi, ita dicit; *Lasæa*, ciuitas littoraria Cretæ insulæ, iuxta locum

locum qui vocatur Boniportus, vt ipse Lucas exponit: pro qua quidam corruptè *Thalassa* legunt. Hæc ille. neutrum nomen apud Geographos reperitur pro ciuitatis alicuius vocabulo; scilicet neque Lasæa neque Thalassa.

VERS. 9. Multo autem tempore peracto.)

SCILICET dum expectantur venti commodi ad nauigandum; *Et cum iam non esset tuta nauigatio eo quod & ieiunium iam præteriisset.* Illud (*&*) Biblia Clementina addunt, conformiter g. Itaque per hæc verba designantur duæ causæ cur deinceps futura esset periculosa nauigatio: vna, quod vrgeret tempestas, ventis nimirum contrarijs flantibus; altera, quod initium iam esset temporis hiberni, quod vel solum reddit incommodam nauigationem propter aëris & maris constitutionem ac dispositionem eo tempore redire solitam.

DIGNVM est inuestigatione de quo ieiunio S. Lucas hîc loquatur. Sunt duæ opiniones præ cæteris probabiles: prior, loqui eum de ieiunio expiationis quod à Iudæis obseruabatur die 10. Mensis septimi, iuxta legem Leuitici 23. v. 27. & sequent. Mensis autem septimus Iudæorum complectebatur magnam partem Octobris nostri; sicut mensis eorũ primus, partem non exiguam nostri Aprilis. In hac opinione videtur esse Chrysost. in hunc locum scribens, istis verbis; *Ieiunium hic opinor dici quod Iudæi seruant. Nam multo tempore post Pentecosten exierunt illinc* (è Cæsarea Palestinæ) *ita vt in ipsa fere hyeme venerint in partes Cretæ.* Ita Chrysost. Posterior opinio est hîc intelligi ieiunium decembricum quatuor temporum, quod Christiani obseruant ante festum Natalis Domini. Qui commentarius magnam probabilitatem videtur accipere ex capitis proxime sequent v. 11. vbi dicitur. *Post menses autem tres* &c. *qua in insula hyemauerat.* Nam profecto hiematio nauium exterarum extenditur vsque ad initium veris, quo liceat in longinqua nauigare. Et secundum priorem opinionem ea quæ illic cap. 28. dicuntur, contigissent media bruma; quod non habet vllam veri similitudinem. Accedit quod S. Lucas hoc loco istud ieiunium appellat νηστείαν; quæ vox fere pro religioso ieiunio accipitur; vt nautarum & vectorum inedia hic intelligi non debeat, (quid enim hoc causæ esset cur non foret tuta nauigatio, quod illorum inedia iam præterijsset?) sed pietati congruens ieiunium. Quod cum, propter proxime dictam rationem, non fuerit Iudaicum lege præscriptum: restat vt Christianorum ieiunium decembricum accipiamus, quo illi ad celebrationem solemnitatis Natalitiæ Domini Saluatoris, præparantur. Nam quod illa solennitas iam ab initio nascentis Ecclesiæ celebrata fuerit à christianis; doceri potest ex epistola ecclesiæ Smyrnensis de certamine B. Polycapi S. Ioan discipuli, quæ extat apud Eusebium histor. eccl. lib. 4. c. 14. vbi in fine epistolæ fit mentio festi Natalis, tanquã quod solenniter inter Christianos celebretur. Doceri item potest ex constitutionibus Apostolicis cõscriptis per Clementem lib. 5. c. 12. Præcipitur illic vt dies natalis Domini celebretur die 25 mensis noni; & Epiphania, die 6. mensis decimi: id est, die 25. Decembris & 6 Ianuarij; Nempe anni primum mensem faciendo Aprilem, qui terram aperit, ideoque merito primus mensis anni potest constitui; vt ferè faciebant

ciebant Hebræi. Nam initium mensis primi erat illis primum nouilunium post æquinoctium vernum. Confer. Exod. c. 12. v. 2. 3. 6. Leuit. 23. v. 56. Esther 3. v. 7. 12. Adde quod S. Lucas v. huius cap. 21. quum Nautarum ac vectorum inediam commemorat, simpliciter nominat ἀσιτίαι: at quum hoc loco ieiunium istud narrat, addit articulum, dicens τὴν νηστείαν; vt non quoduis ieiunium, sed celebre quoddam ac notum inter Christianos (quibus vtique hæc scribuntur) stato tempore solitum obseruari, hîc significetur. Id quod mensis Decembris fuisse statum ieiunium, ex consideratione versus illius 11. cap. sequentis, paulo ante sumus argumentati. Sic enim tota narratio huius capitis & sequentis aptè sibi cohæret; venerit q; Paulus Apostolus cum cæteris naufragis in insulam Melitam sub initium Februarij, & ex Melita soluerint Maio deinde sequente, iuxta ea quæ sunt cap. sequentis dicto illo v. 11. His itaque se ita habentibus: *Consolabatur Paulus,*] *Consulebat*, potius sonat vox græca: & sic forte scripsit noster Interpres. παρῄνει. monebat, hortabatur.

VERS. 10. Dicens eis; Viri, video quoniam (quod) cum iniuria & multo damno non solum oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse nauigatio.

HÆC Paulus dicebat, Deo reuelante; ideoque infra, v. 21. ait sibi fuisse auscultandum, ac manendum in ea parte Insulę Cretæ. Nam huc tendit ista eius sermocinatio quam hîc habemus; scilicet vt nautę & vectores hiemarent in ea vbi tunc erant, parte Cretę. *Video*, ait, per spiritum vtique Dei. *Cum iniuria & multo damno*; Iniuria pro detrimento, incommodo, ponitur, vt infra v. illo 21. & vsitatum est latinis. *Animarum nostrarum* id est vitę nostrę corporalis. *Incipit esse nauigatio.*] Græca potius sonant, *futura est nauigatio*: sed Noster sæpe alibi ita reddit istud μέλλειν græcorum; sensu pene eodem.

VERS. 11 Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quam his quæ à Paulo dicebantur.

CENTVRIO festinabat in Italiam, & videbat locum non esse valde commodum in quo tunc fuisset manendum; inquit Chrysost. & hoc significatur v. proxime sequenti. Rector nauis & eius Dominus, vt cęteri nautæ, festinabant more suo, sui quęstus causa. His rationibus factum est, vt Apostoli Pauli consilium quo is illic hiemandum censebat, non habuerit effectum. Non fuit sine peccato iste Pauli consilij neglectus, pręsertim factus à Centurione; qui Cæsareæ eum susceperat, nec ignorabat esse virum plenum spiritu Dei; quare saltem accuratè expendere debuisset. Verum experientia illius consilij neglectores docuit malè fuisse neglectum; vt ex sequentibus hoc cap. narrationibus patebit; & Paulus reprehendit hunc neglectum, infra v. 21.

VERS.

VERS. 12. Et cum aptus portus non esset ad hiemandum.)

ILLIC scilicet vbi tunc erant;tametsi locus vocaretur Pulcri-portus: *Plurimi statuerunt consilium nauigare inde.*] Ex eodem illo loco vbi tunc eramus. *Si quo modo possent deuenientes Phœnicem, hiemare; portum Cretæ, respicientem ad Africum & ad Corum.* In Tabula 10. Europæ apud Ptolemæum, in latere australi insulæ Cretæ, conspicitur Phœnix oppidum,& non procul inde Phœnix portus. qui portus hîc dicitur vna parte spectasse ventum *Africum*; parte altera ventum *Corum*. Africus est ventus medius inter meridiem & occidentem æquinoctialem, magis tamen vergens versus occidentem. *Corus* hic græcè dicitur χῶρος; latini sine aspiratione dicunt Corus, & Caurus; vt faciunt in quibusdam alijs dictionibus. Est autem ventus spirans ab occidente æstiuo, hoc est, medius inter zephyrum & aquilonem, propior tamen zephyro.

VERS. 13. Aspirante autem Austro.)

HIc est vnus ex quatuor principalibus ventis, spirans ex meridie. *Æstimantes propositum se tenere.* Id est existimantes se peruenturos quo cupiebant,nempe in portum Phœnicem,vt dictum est v. proximo: *Cum sustulissent de Asson.* Stephanus in opusculo de vrbibus, Ason dicit esse oppidulum Cretæ: illud credibile est hic significari; licet scribæ gemino (s) scripserint,ex memoria verisimiliter loci alterius ita nominati,sup. cap. 20. v. 13. 14. Quod si retinetur istud *(de)* quod g. non est; vt retinendum videtur, postquam Interpres dedit hoc (sustulissent): tum sanè non est verisimile ipsum scripsisse (Asson) sed sexto casu (Asso). Sensus apparet talis, *Cum soluissent à littore oppiduli Assi,legebant Cretam.*] Id est,prælernauigabant oram Cretæ insulæ,vt in portum Phœnicem deuenirent; oram videlicet meridionalem præteribant tendentes versus occidentem. Verum voto suo non sunt potiti; vento scilicet paulo post alio,eoque vehementi, depulsi ab itinere in Phœnicem portum ducente,ac longè aliò abrepti. Nam

VERS. 14. Non post multum autem misit se contra ipsam.)

SVBAVDI, *nauem*, ex sensu ipso: nam & g. deest. *Ventus typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Non post multum*] tempus scilicet. *Sese contra nauem misit ventus* quidam, qualitate quidem *typhonicus*; origine autem Euroaquilo: *Typhonicus*, quoniam subito oritur,& violentè admodum omnia concutit ac turbat, valde tempestuosus. *Euroaquilo* verò, quod flat ab oriente æstiuo, loco medio inter Eurum & Aquilonem. Itaque duplici de causa hic ventus nobis erat incommodus: vnâ, quod valde tempestuosus, ingentesque fluctus excitans; alterâ quod cum cuperemus deuenire in portum Cretæ supra memoratum, Phœnicem, hic ventus nos inde auerteret aliò. Quantæ autem vehementiæ fuerit ventus iste, S. Lucas exponit sequentibus verbis.

VERS. 15. Cumque arrepta esset nauis & non posset conari in ventum;)

VENTO nimirum omnem industriam, & robur nautarum, superante; *Data naue flatibus, ferebamur.*] Commisimus nos quodammodo venti arbitrio, & ferebamur quo is nauem impellebat.

VERS. 16. In insulam autem quandam decurrentes,)

NAVE sic impulsâ vento isto typhonico spirante ab oriente æstiuo, vt dictum est; *Quæ vocatur Cauda*, Græcè quidem est *Clauda*; sed in talibus facilis est mutatio, dum ex vna lingua in aliam transferuntur. Veteres bibliorum Concordantiæ habent *Clauda*. Visitur ista insula, & in ea eiusdem nominis ciuitas, sub nomine *Claudos* apud Ptolemæum Tabula sæpe dicta 10. Europæ, ad occidentem hibernum respectu Cretæ, habens longitud 52. cum med o, latit. autem 34. ac paulo amplius. vnde patet quod vi istius venti depulsi iam erant à portu Phœnice, illumque longe prætervecti, in istam scilicet insulam, vento Euroaquiloni è diametro oppositam. *Potuimus vix obtinere scapham.*] Videtur velle dicere, quod ab hominibus istius insulæ vix potuerint, etiam oblato iusto precio obtinere vnam scapham, qua in tali tempestate vterentur. *Scapha* (ait Lir.) est nauicula qua nautæ vtuntur ad eundum circa nauem, & agendum ea quæ sunt necessaria pro nauis tuitione.

VERS. 17. Qua sublata.)

CONFORMITER dictis, videtur esse sensus; Quam scapham cum essemus nacti; eam nautæ subduxerunt naui, & circumquaque nauem obeuntes, vtebantur adiutorijs, nautarum generi vsitatis in tempestatibus; quibus nimirum cauetur ne nauis vi tempestatis mergatur, vel frangatur, vel in loca vadosa impellatur vbi hæreat. Hæc videntur significari verbis illis; *Adiutorijs vtebantur, accingentes nauem.* Id est funibus validis succingentes, ne facile solueretur etiam vado illisa: *Et timentes ne in Syrtim inciderent, submisso vase, sic ferebantur.* Illud (&) addunt boni libri latini conformiter g. Syrtis est scopulus arenosus in mari. Timentes ergo ne vi venti nauis in talem locum impelleretur; *submittentes vas*, inquit S. Lucas, ita ferebantur. Per illud *vas* quid intelligat, valde ambiguum est. Plerique ipsam scapham intelligunt, de qua iam dictum est: & videtur sensus esse quod nautæ postquam scapha illa fuissent vsi ad obeundum extrinsecus nauim; eam deinde submiserint, seu subnexuerint naui, vt nauis eam post se traheret, atque ita aliquatenus retardaretur impetus ipsius nauis, vento tam violento impulsæ Cæterum cum tempestas perduraret; quid post hæc factum sit, S. Lucas adiungit,

VERS.

VERS. 18. Valida autem nobis tempestate iactatis; sequenti die iactum fecerunt.

IACTVM] scilicet onerum quæ naui vehebantur; non tamen principalis mercis, tritici videlicet: infra vers. 38.

VERS. 19. Et tertia die, suis manibus armamenta nauis proiecerunt.)

TEMPESTATE videlicet perseuerante, quicquid erat instrumentorum nauticorum quo aliquo modo possent carere; id omne in mare abiecerunt, quo nauis subleuaretur. ac ne sic quidem magna spes erat euadendi. Nam

VERS. 20. Neque autem Sole neque sideribus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente:)

ID est nos vrgente. nobis incumbente, ac perseuerante: *Iam ablata erat omnis spes salutis nostra.*] Cæteris nimirum vectoribus. Paulo tamen erat certitudo euadendi, quoniam reuelatum ei fuerat Romam ipsum venturum. sup. cap. 23. vers. 11. Sequitur,

VERS. 21. Et cum multa ieiunatio fuisset;)

IEIVNATIO. g. est ἀσιτίας, inedia. *fuisset*] ac etiamnum esset, eousque nimirum durans; *Tunc stans Paulus in medio eorum dixit:* Hucusque tacuit Paulus, post suum consilium neglectum; sup. v. 11. 12. nunc loquitur, postquam res ipsa docuit consilium ab eo datum fuisse bonum, neglectum vero eius, exitialem. Igitur Paulus, ciuiliter expostulans cum naucleto & gubernatore ac Centurione, dixit; *Oportebat quidem, ô viri, audito me;* hoc est, me audire, mihi acquiescere; & hoc facientes, *non tollere à Creta*, Id est, non soluere ex eo loco Cretæ vbi tunc eramus quando consilium vobis dabam; *lucrique facere iniuriam hanc & iacturam.*] Illud (lucrifacere) intelligendum est affici vi negationis præcedentis. Sensus enim est, neque oportebat lucrati omnem istam calamitatem & detrimentum; quæ vobis accersiuistis, non obtemperando meis monitis Iniuria hic intelligitur vt vers. 10. Post hanc obiurgatiunculam, addit valde opportunam consolationem; inquiens,

VERS. 22. Et nunc suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ,

ID est, nullius vitæ corporalis, vt sup. vers. 10. *erit ex vobis; præterquam nauis*, hoc est, sed solius nauis. Verum vnde Paulus hoc tam asseueranter loquitur? Ipse dicit, addens;

VERS. 23. Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei,)

ASTITIT] verisimiliter vigilanti Paulo, idque assumpta specie corporis humani. *Cuius sum ego, & cui deseruio.* Probabilius est antecedens ipsius relatiui (cuius) & (cui) esse illud (*Dei*) quod praecessit: quoniam pro illo (*deseruio*) graecè est λατρεύω; latriae autem vocabulum vsu ecclesiastico soli Deo tribuitur.

ADVERTENDVM autem est quod Apostolus loquens magnae multitudini isti hominum gentilium, simpliciter ac sine vllo addito dicit (*Dei*); significans non esse nisi vnicum verum Deum; quum illi multos colerent, omnes fictitios; dicit item, ipsum vnicum verum Deum, per suum Angelum, ista futura quae iam dicta sunt, neminem scilicet ex omnibus vectoribus periturum; ad consolationem omnium, sibi praenunciasse Nam adijcit Apostolus, hunc Angelum sibi dixisse,

VERS. 24. Ne timeas Paule: Caesari te oportet assistere; & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.

DVO promittuntur à Deo per hunc Angelum: nempe vita incolumis ipsius Pauli; deinde incolumitas omnium qui in eadem naui erant. Numerus eorum quantus fuerit, dicitur vers. 37. Cum dicitur, *Donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum:* significatur Paulum pro illorum incolumitate Deum orasse: clare autem dicitur quod illos Deus erat seruaturus propter suum fidum ministrum Paulum, etsi plerique eorum adhuc essent infideles. Hoc enim valet istud, *donauit tibi Deus omnes* &c. *donauit* (inquam) *tibi*. Itaque hic vnus Scripturae locus, tria minimum catholica dogmata confirmat, aduersus sectarios hodiernos..Vnum, sanctos iam cum Christo regnantes, Deum pro nobis miseris rogare. Nam quod fecerunt ipsi adhuc mortales, & de se soliciti; multo magis faciunt nunc beati, charitate ipsorum nimirum iam perfectâ, & omni solicitudine propriae salutis iam depositâ. Secundum, Deum multa nobis concedere, propter suorum Sanctorum intercessionem. Tertium, quod his est consequens, pium, ac Deo gratum esse quod nos Sanctorum pro nobis intercessionem, ab ipsis petamus. Ad istum fere modum, Scripturam istam seu hoc exemplum in ista scriptura commemoratum, tractauit S. Hieronymus scribens aduersus Vigilantium hagiomachum.

Ex hoc loco & illud discimus, vt interdum propter malos etiam boni puniuntur, vt fit in generalibus calamitatibus: ita propter vnum virum bonum Deus interdum parcit multitudini malorum; vt hic. Concludit Paulus,

VERS. 25. Propter quod bono animo estote viri: Credo enim Deo quia, (quod) sic erit quemadmodum dictum est mihi. Tum addit,

VERS 26. In insulam autem quandam oportet nos deuenire.

HOc haud dubiè ex reuelatione dicit: sed non liquet an, quæ esset illa insula, fuerit eàdem operâ illi reuelatum; & vero similius est non fuisse, ex principio cap. 28. Sequitur,

VERS. 27. Sed posteaquam quartadecima nox superuenit.)

NEMPE ab eo tempore quo deserueramus insulam Caudam siue Claudam, sup. vers. 16. 17. Ita colligitur ex vers. 18. & sequentibus. *Nauigantibus nobis in Adria circa mediam noctem; In Adria.*] Id est, in mari Adriatico: Hoc mare est videre apud Ptolemæum sepè dicta Tabula 10 Europæ, latum & vastum. Videtur autem S. Lucas *Adriam* seu *mare Adriaticum* intelligere more illorum temporum, vt & alij quidam scriptores ab Ortelio citati in Thesaur. Geograph verbo, *Hadriaticus sinus*; sub finem; inter quos ipsum Ptolemæum (& patet Tabula 7. Europæ) ponit, & Nasonem: qui Adriaticum mare latissimè extendunt, vt ab oriente alluat Peloponnesum; ab occidente, Melitam, Siciliam, & extrema Italiæ: vt secundum hanc latam appellationem ipsum mare Siculum sit pars Adriatici. Quod obseruandum est, propter hunc locum, & finem huius cap & initium sequentis, vbi naufragium hîc paulo post descriptum, dicitur contigisse in Adria, & tamen prope insulam Mélitam; quæ insula iacet inter Siciliam & Africam minorem seu propriè dictam; vt est videre apud eundem Ptolemæum Tabula secunda Africæ. Quare sine causa quidam dubitant an Mélita sit Malta. Adde, quod cap. sequenti vers. 12. S. Lucas ex ista insula suam primam stationem nauigantium, ponit Syracusæ; quæ est Siciliæ maritima ciuitas, ad mare Adriaticum, Ptolemæo dicta Tabula 7. Europæ. Quod autem Ptolemæus Adriaticum mare, & mare Ionium aliter discriminet quam alij, & non habeat pro ijsdem *mare Adriaticum* & *sinum Adriaticum*: illius omnis varietatis causa, benè explicatur ab Ortelio in Thesaur. Geograph. Verbo, Hadriaticus sinus. Vnde idem Ortelius in descriptione Greciæ contrario situ ponit mare Ionium & Adriaticum atque Ptolemæus.

SVSPICABANTVR *nautæ apparere sibi aliquam regionem*:] nec fallebantur, vt patet ex sequent. & specialiter ex vers. 39.

VERS. 28. Qui & summittentes (seu demittentes) bolidem, inuenerunt passus viginti;

BOLIS est funiculus cui in extremitate affigitur seu alligatur pondus aliquod, quo in mare deiecto nautæ explorant profunditatem maris. Additur, *Et pusillum inde separati inuenerunt passus quindecim.* Nempe *iterum bolide demissa*; vt hic adiungunt græci codices. Noster omittit, vt facile subaudiendum ex proximè præcedenti.

VERS. 29. Timentes autem)

ET merito, quoniam depræhendebant profunditatem minui, timentes ergo, *Ne in aspera loca incideremus*, hoc est in loca saxosa, vel alioqui in scopulos; *De puppi mittentes anchoras quatuor*; quibus nauem sisterent. Tot vero anchoras iaciebant, quoniam prægrandis erat nauis, vt ex v. 37. facile colligitur. *Optabant diem fieri*] vt possent videre vbi essent, & quid agendum. Sequitur.

VERS. 30. Nautis vero quærentibus fugere de naui,)

VOLENTIBVS scilicet ante omnia suæ vitæ consulere, quum nauem haberent pro deplorata: *quum misissent* seu laxassent, *scapham in mare*, illam de qua dictum est v. 16. & 17. *sub obtentu*, id est prætextu, ab (obtendo.) non ab (obtineo). sic & in Euangelio Marci cap. 12. v. 40. *sub obtentu quasi inciperent à prora anchoras extendere*: Sensus est, sub prætextu quasi huius scaphæ adminiculo forent etiam ex prora nauis demissuri anchoras in mare, ad nauem firmius stabiliendam. Sed erat dumtaxar prætextus: solum enim hoc agebant vt ipsi in istam scapham ingressi veherentur eâ extra mare, & sic vitarent commune periculum. Et quidem per tenebras noctis hæc tentabant nautæ; vt patet ex v. 33.

SED Deo reuelante non latuit Paulum Apostolum ista nautarum simulatio; ideoque illis ista simulantibus;

VERS. 31. Dixit Paulus Centurioni & militibus; Nisi hi in naui manserint vos salui fieri non potestis.

PRIMA fronte difficultas oritur quomodo hoc consentiat cum his quę dicta sunt v. 22. 23 24 Sed facilis est Responsio, Deum qui constituerat omnes qui ea naue vehebantur, seruare; simul hoc constituisse vt opera ac ministerio nautarum multi eorum saluarentur; vt apparebit in fine huius cap.

HIC igitur est exemplum, Deum aliquando quippiam obsolutè promittere, quod tamen ipse per media humana & fallibilia præstare decreuit; sed quę in eius præscientia certissima sint. Ita etiam per humana media Deus procurat & efficit stabilitatem ecclesiæ in fide, imo omnium suorum electorum salutem.

tem Hinc 2. Tim. 2. v. 10. *Omnia sustineo propter electos.* Isidorus Clarius hanc responsionem adfert, voluisse Deum ipsos quoque nautas sua virtute, non illorum industria seruare, quod non apparuisset si nautæ scapha vecti fugissent ex naui. Sequitur,

VERS. 32. Tunc absciderunt milites funes scaphæ)

QVIBVS pendebat ex naui: *& passi sunt eam excidere*, In mare videlicet; ne ad fugiendum possent eâ vti nautæ, Sequitur.

VERS. 33. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum dicens: Quartadecima die hodie, expectantes, ieiuni permanetis, nihil accipientes.

QVARTA *decima die*] græcè est per quartum casum; vnde liquet non tempus quando, sed quamdiu, significari, vt grammaticè loquamur. Sensus igitur; Hodie est dies decimus quartus ex quo, *expectantes*, nimirum vt appellamus terræ; *Ieiuni permanetis*, Pro (*Ieiuni*) græcè est ἄσιτοι. hoc est non refecti cibo, impasti. Tot dies corpora cibo non refecerant: partim quia deerat, partim quia ne id quidem quod aderat, audebant attingere, nisi perparcè, metu longioris moræ. Addit Apostolus.

VERS. 34. Propter quod, rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit.

PRO *salute vestra*] G. est, *hoc enim ad salutem vestram est*. De salute corporali loquitur, id est de corporali vita & incolumitate. q. d. Iterum vobis dico, tempestate maris neminem ex vobis periturum; quod (sup. v. 24.) ante aliquot dies ex Dei reuelatione vobis dicebam: vos videte ne fame pereatis, quos tempestas non absumpserit. Sequitur,

VERS. 35. Et cum hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium:

GRATIAS *egit Deo*, etiam de ipsa corporali alimonia: nam est Dei beneficium quicquid corporalium quoque bonorum habemus; quoniam propter peccatum meriti sumus vt perdamus totum. *Et cum fregisset, cœpit manducare.* Sequitur.

VERS. 36. Animæquiores autem facti omnes,)

E'ὔθυμοι, bene animati, nimirum tam exemplo quam verbis Pauli; *& ipsi sumpserunt cibum.*

VERS.

VERS. 37. Eramus verò vniuersæ animæ in naui, ducentæ septuaginta sex.

HINC relinquitur cogitanda beneficij diuini magnitudo, quo hos omnes seruauit, etiam impios; & quo hos omnes fecit Apostolo suo obsequentes. Sequitur,

VERS. 38 Et satiati cibo, alleuiabant nauem, iactantes triticum in mare.

QVONIAM v. 6. dictum est hanc fuisse nauem Alexandrinam, celebris nimirum ciuitatis Ægypti; ipsaque Ægyptus olim fuit horreum Romanorum; non est absimile vero hoc triticum ex Ægypto fuisse deuectum in Italiam, Romam prætertim. Eiecerunt tamen nautæ bonam partem huius tritici in mare; vt nauis minus onusta, posset propius appellere terræ, quam nautæ non falso suspicabantur sibi apparere, vt dictum fuit v. 27. & constat ex v. proximè sequenti. Addit S. Lucas.

VERS. 39. Cum autem dies factus esset;)

NAM primo crepusculo Apostolus erat vectores consolatus & adhortatus, & ipsi sumpserant cibum, ac deinde triticum in mare proiecerant. Itaque post hæc omnia, cum iam clara dies illuxisset, nautæ *terram* quam videbant *non agnoscebant*; nimirum vi tempestatis impulsi ad terram quam antea non viderant. Quæ terra fuerit dicitur initio cap. sequentis. *Terram quidem non agnoscebant*: considerabant tamen eam habere *sinum quendam*, qui sinus *habebat* bonum *littus*. Atque *in hunc* littoralem sinum *cogitabant eijcere* seu impellere *nauem* si quo modo possent. Huius autem rei gratia fecerunt ista quæ sequuntur.

VERS. 40. Et cum anchoras sustulissent;

ILLAS quatuor de quibus v. 29. quum has igitur retraxissent ex mari ad nauem; *committebant se mari*; ad nauigandum, nam à v. illo 29. hucusque nauis steterat in anchoris. *Simul laxantes iuncturas gubernaculorum*; vt scilicet expeditius possent vti gubernaculis, ad dirigendum nauis impetum quo vellent. Tale gubernaculum in naui dicitur clauus; in curru, temo; in aratro, stiua.

ET *leuato artemone secundum auræ flatum, tendebant ad littus*. Talem distinctionem esse faciendam, patet ex g. Qui volunt sapere in græcis, negant hanc vocem græcam apud alios scriptores quam apud S. Lucam hoc loco reperiri: An vera dicant, ambiget qui Chiliade 4. Centuria 1. Adagium nonum, ad finem, legerit. Magna etiam est disceptatio quid per artemonem S. Lucas intelligat, dum alij trochleam, alij antennam, alij nauis velum maius, alij denique velum minus, accipiunt. Hi postremi videntur optimè sentire; & cum ijs est Venerabilis

bilis Beda ac qui eum sequuntur; & inter recentiores Desiderius in Annotat. ad hunc locum. Significatur videlicet additititium velum quod principali velo solet infernè assui, vt plus venti concipiatur.

Ergo nautæ, vento se permittentes, & quam plurimum possent venti carbasis suis excipientes, festinabant ad littus quod in sinu terræ sibi apparentis videbant, vt dictum est vers. præcedenti. Cæterum illuc non potuerunt peruenire. Sequitur enim;

Vers. 41. Et cum incidissemus in locum dithalassum;

Vocem græcam noster Interpres retinuit; quam Horatius ad verbum pulchrè reddidit *bimarem*, Carm. 1. Ode 7. dicens, Laudabunt alij claram Rhodon aut Mitylenen, aut Ephesum, bimarisue Corinthi Mœnia Ven. Beda hoc loco, latinè dixit *bimarissimum*. Est autem *locus dithalassus*, qui ab vtraque parte alto mari alluitur; siue interim protendatur in mare, siue non protendatur quidem sed tamen sit eminentior, sit scopulosus aut vadosus, & vtrimque habeat profundum mare. In talem quendam locum ista nauis fuit impacta, vi ventorum, quorum arbitrio eam commiserant nautæ;

Et *prora quidem fixa manebat; immobilis*; nimirum infixa vadoso scopulo; puppis vero soluebatur à vi maris; vi ingentium scilicet vndarum quos excitabant venti. oportebat itaque nauem paulatim frangi; quia prora manebat immobilis; & sic paulatim laxabatur & rumpebatur pars posterior, vndis concussa, quæ non hærebat in fundo.

Vers. 42. Militum autem consilium fuit vt custodias occiderent;

Cvstodias. id est; vinctos; vt sup. vers. 1. huius cap. *ne quis cum enatasset, effugeret.*

Vers. 43. Centurio autem, volens seruare Paulum, prohibuit fieri:)

Divina haud dubiè prouidentia ita gubernauit cor Centurionis: sicut & sup. vers. 3. huius. ac præsertim nunc postquam Paulus ex reuelatione Dei prædixerat neminem vectorum periturum; sibique eos omnes à Deo esse donatos.

Ivssitqve *eos qui possent natare, emittere se primos, & euadere, & ad terram exire.* Credibile est plerosque horum fuisse milites: nam vetere Romanorum instituto qui erant ascribendi militiæ, debebant tenere artem natandi, quæ in bellis sæpè est necessaria. Est ea de re apud Vegetium lib. 1. cap. 10. lib. 2. cap. 23. lib. 3. cap. 4. atque ita Centurio sine cæde captiuorum effecit, vt nemo eorum posset effugere; militibus prius in littus receptis, ac cæteros illic expectantibus, captiuosque detinentibus. Sequitur,

VERS. 44. Et cæteros alios.)

EOS qui non norant natare scilicet, *in tabulis ferebant; quosdam super ea quæ de naui erant*, super fragmenta nauis nimirum: *Ferebant*] nautæ scilicet & nonnulli alij periti natandi.

ET *sic factum est vt omnes animæ euaderent ad terram*. Iuxta promissionem Domini factam Paulo Apostolo; & per Paulum, omnibus istis: sup. vers. 22. 24. 34. Ipse quoque, S. Lucas tam accuratè totum istud naufragium hoc cap. totamque tempestatem descripsit; vt diuini beneficij magnitudo magis elucere, quo factum est vt ne vnus quidem, tempestate ac naufragio perierit.

ARGVMENTVM
CAPITIS XXVIII.

PAVLVS cum reliquis naufragis in insula Malta, ab insulanis humaniter excipitur; ipse plurimos Dei beneficio ægrotos ibi sanat; prius, cum à vipera esset morsus, diuinitus seruatus incolumis: Dehinc describitur eius iter Romam vsque; vbi totum biennium hæret, captiuus quidem, sed in libera custodia, ac permissus libere annunciare fidem Christi, tam Gentilibus quam Iudæis.

VERS. 1. Et cum euasissemus, tunc cognouimus quia (quod) Mélita insula vocabatur.

MELITA, hæc est vera lectio, conformis g. quam audaces scribæ corruperant, substituentes nomen aliud sibi notius, ex cap. 20. v. 14. *Mitylene.* Etiam S. Gregorius Melitam habet 27. Moral. c. 11. alias 14. Est autem insula, & in ea principalis ciuitas eodem nomine, habens in Tab. 2. Africæ apud Ptolemæum gradus longit. 39 latit. 34. ac paulo amplius. Posterioribus sæculis vocatur *Malta*, tam insula quam ciuitas; nostro sæculo acriter oppugnata à Turcis, sed Dei beneficio acrius defensa. Tenent eam equites sacræ militiæ, Rhodienses dicti, quamdiu tenuimus Rhodum: qui eâ abhinc annis pene centum amissâ, Maltam venerunt, Maltenses ex eo tempore appellati. Parum refert quod quidam veterum scriptorum numerent Meliten inter insulas Africæ, alij inter insulas Siculi maris: sic enim solet medium nomine vtriusque extremi designari. De re constat, quod sit insula maris, interuallo penè æquali distans à littoribus Africæ minoris, & Siciliæ. Addit S. Lucas,

BARBARI *verò præstabant non modicam humanitatem nobis*. Istos insulares Melitenses cur vocet *barbaros*, non est anxiè laborandum: sufficit enim dicere sic vocari quod peregrinâ loquerentur linguâ, neque græca neque latina. Amoribus non vocari *barbaros*, per se manifestum est; quoniam commendantur ab humanitate, & quidem non vulgari. Eam S. Lucas ita explicat;

VERS.

VERS. 2. Accensa enim pyra).

ID est, magna lignorum strue; non vna scilicet sed diuersis locis. *Reficiebant nos omnes;*] Mirum si Interpres noster non scripsit, *Recipiebant*] quod est g. vt intelligamus sub tectum fuisse receptos, non structas & accensas pyras sub dio. *Propter imbrem qui imminebat*,] id est qui vrgebat, qui nobis incumbebat. Videtur per hoc significari, quod postquam è mari euasissent, priusquam sub tectum possent venire, fuerint copiosè perpluti; cælo nimirum pluuioso. *Et frigus.* Ad cap. præcedentis vers. 9 sumus argumentati, hos naufragos sub initium Februarij venisse Maltam; vt ignis fomento ipsis opus fuerit, etsi non fuissent madidi.

NON est autem dubitandum, Dei beneficio istorum insulanorum corda flexa fuisse, ad hanc beneficentiam naufragis præstandam: quę aucta etiam fuit, visis miraculis quæ per seruum suum Paulum Apostolum Deus hîc operatus est, quorum primum fuit in ipsa persona Pauli, de quo sequitur,

VERS. 3. Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem: vipera à calore cum processisset, inuasit manum eius.

PER hæc sarmenta videntur labefactari ea quæ de ieiunio Christianorum decembrico diximus ad vers. 9 cap. præced. Nam conformiter ibi dictis, dicendum esset hos naufragos euasisse in Meliten sub finem Ianuarij, aut initium Februarij; Et vnde tunc sarmenta vitium quæ rogo imponerentur? Ad finem enim Februarij aut initium Martij vites putari solent. Ergo multo serius in hanc insulam isti naufragi euaserunt; & consequenter, illud ieiunium de quo v. 9. non fuit Christianorum illud decembricum, præparatorium ad Natalem Dominicum ritè celebrandum; sed aliud quoddam mensis Ianuarij aut Februarij. Huic obiectioni facillimè respondetur, In nostris quidem regionibus aquilonaribus vineas serius putari; sed rei rusticæ scriptores, qui sua præcepta ad alia climata Soli magis exposita, accomodarunt; iubere vt vitium putatio fiat statim vbi folia defluxerint vineis, quod fit sub finem autumni. Id quod his versibus expressit Princeps poëtarum, 2. Georg.

At iam olim, seras posuit cum vinea frondes,
Frigidus & syluis Aquilo decussit honorem:
Iam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus, & curuo Saturni dente relictam
Persequitur vitem, attondens; fingitque putando.

Imo & in aquilonaribus istis regionibus, ij qui peritiores sunt rei rusticæ, vites putant in fine autumni, seu in principio hiemis; sed non ante primum gelu; ob

causam facile coniectabilem. Et quando ita tempestiuè putatio vineæ facta est; longe fertilior est vuarum quam alioqui.

ANNOTANDVM est hoc exemplum Pauli Apostoli congregantis sarmenta & rogo imponentis; ijs, siue ecclesiasticis siue sæcularibus, qui torpentes otio, sic se gerunt quasi virum honestum minime deceat quicquam manibus operari; sitque indecorum clericis, religiosis, nobilibus, honestis ciuibus, omne exercitium corporale. Quorum stolidum iudicium tam multis magnorum sanctorum exemplis redarguitur. Itaque, his ita se habentibus,

VIPERA *à calore cum processisset, inuasit manum eius.*] De vipera diuersi scriptores veteres tradiderunt esse serpentem præsentissimi veneni, quæ solo morsu vel robustissimum taurum confestim enecet. Hæc delitescens inter sarmenta, vnaque cum illis igni superposita, calore deinde ignis excitata, astantis Pauli manum inuasit; Deo volente Apostolum suum eiusque sanctitatem patefacere istis Insularibus paganis; dum is nihil mali patitur ex morsu viperæ. Hoc enim iam subijcitur,

VERS. 4. Vt verò viderunt barbari pendentem bestiam de manu eius: ad inuicem dicebant; vtique homicida est homo hic, qui cum euaserit de mari, vltio non sinit eum viuere.

VERS. 5. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est:

VERS. 6. At illi existimabant eum in tumorem conuertendum;

INFLAMMANDVM scilicet vi veneni tam præsentanei; *aut subito casurum, & mori.*] Hæc posterior pars ira legitur græcè, *Aut subito casurum mortuum.* Illud *(aut)* habent quidam veteres libri latini, conspecti Theologis Louaniensibus & Isidoro Clario. Ad sensum non multum interest. Sequitur,

DIV *autem illo expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes se, dicebant eum esse Deum.* In vtroque iudicio erant temerarij. Nam neque omnes ij sunt præ alijs peccatores, quibus peculiares aliquæ calamitates eueniunt; quum huius vita bona ac mala sint communia pijs & impijs; imo sæpe maiores miseriæ pijs eueniant in hac vita mortali, quam impijs, Deo illis reseruante gaudium sempiternum vitæ beatæ. Exemplo sit vir sanctissimus B. Iob, exemplo sit ipse Paulus Apostolus, de quo Dominus Ananiæ suo dixerat, *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pati pro nomine meo.* Exemplo sint reliqui Apostoli, & tot milia sanctorum martyrum. Dominus Saluator hoc temerarium iudicium ex professo refutat Lucæ 13. in princ.

NEQVE isti, quum viderent nihil mali Apostolum pati à tam præsentaneo viperæ veneno; rectè argumentabantur eum esse Deum quempiam. Similes

les nimirum erant his, de quibus habemus huius operis cap. 14 vers. 10. & sequent. Deo charum esse debebant ratiocinari; non verò, esse Deum. Itaque hoc pacto incepit Deus sanctitatem Apostoli sui istis Ethnicis patefacere, & multis deinceps alijs miraculis per eius ministerium factis; paulatim eos disponens ad fidem vnius veri Dei & Christi eius. Vnde sequitur,

VERS. 7. In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publij;

PRINCIPIS.] Non significatur eum fuisse dominum huius insulæ; sed fuisse virum primarium in ea insula. Ita enim sonant græca. *Erant prædia viro primario insulæ, nomine Publio.* De hoc viro additur à S. Luca. *Qui nos suscipiens, triduo benignè exhibuit.* Nimirum per diuersa sua prædia nos distribuens, & tractans tanquam hospites. Tum additur quod ad superius propositum facit,

VERS. 8. Contigit autem patrem Publij febribus & dysenteria vexatum iacere.

GRAVITER fuisse ægrotum, ex eo liquet quod decumbebat. Sequitur, AD *quem Paulus intrauit: & cum orasset, & imposuisset ei manus; saluauit eum. Et cum orasset*] verum illum vnicumque Deum, quem fideles colunt, idque fecisset, vidente & audiente isto ægroto (*intrasse enim ad eum* dicitur); ac deinde in illius vnici veri Dei nomine manus illi imposuisset; omnibus his modis declarans Paulus sese non esse Deum quempiam; neque ad multos, ideoque falsos, Deos esse confugiendum sanitatis causa; sed sese esse illius vnici veri Dei ministrum, qui ipsum religiosè colat, qui ipsius benignitatem & potentiam cum bona fiducia inuocet. hæc itaque sic agens Paulus, *saluauit eum*, Id est corporaliter sanauit. nec enim amplius hic affirmatur; cum græcè sit *ἰάσατο*. Corporalem ergo salutem, & à morbis suis plenam liberationem ei contulit per gratiam curationum.

OBSERVANDVM est, ipsi Apostolo hanc sanationem hîc tribui, tametsi ministerium dumtaxat adhibuerit: vt sciamus & reliquis in effectibus supernaturalibus, quales sunt sacramentorum Christi, aut miraculorum quorumuis aliorum, non absonè Theologos loqui, quando ipsis sacramentis aut sacramentorum ministris eos tribuunt; intendentes non supra gradum suum illa aut illos collocare, sed suo ordine demum; sicut scripturæ sacræ de ipsis loquuntur diuersis locis.

HIC Venerab. Beda mouet quæstionem, Cur infirmum infidelem Apostolus prece saluat, qui Timotheum Trophimumque fideles infirmos, vnum medicinali arte reparat (1. Timoth. 5. v 23), alterum ex toto relinquit (2. Timoth 4. v. 20.): nisi quia ille foris per miraculum sanandus erat, qui viuus interius non erat; quo non indigebant qui salubriter intus viuebant. Accepit hęc Ven. Beda à B. Greg. Moral. lib. 27. c. 11. aliàs 14. Pergit S. Lucas.

VERS. 9. Quo facto, & omnes qui in insula habebant infirmitates, accedebant & curabantur.

NON est dubium quin multi & istorum infirmorum & aliorum ex his insularibus, sint ad fidem vnius Dei & Christi eius conuersi; licet hic non exprimatur. Nam sequentia consonant,

VERS. 10. Qui etiam multis honoribus nos honorauerunt; & nauigantibus imposuerunt quæ necessaria erant.

MVLTIS *honoribus*, non sola reuerentia & ciuilitas intelligitur; sed etiam honesta ac decens sustentatio, quamdiu in ea insula fuerunt hi naufragi; fuerunt autem menses tres ac paulo amplius, vt notum est ex sequentibus.

VERS. 11. Post menses autem tres nauigauimus in naue Alexandrina.)

DIVERSA vtique ab illa quæ perierat naufragio; additur enim *Quæ in insula hiemauerat;*] ergo circiter mensem Maium facta est hæc nauigatio, quando solent nauigationes longinquiores suscipi. Designatur hæc nauis, adiectione ista, *Cui erat insigne Castorum.* Hoc est, In cuius prora depicti erant Castor & Pollux fratres, quos fabulosa Gentilitas filios Iouis & Ledæ facit. Hi ambo interdum plurali nomine Castores nominantur vt hic: appellatione ducta à principali ipsorum. M. Tullius lib. 3. de natura Deorum, ex græcorum antiquitatibus tres Ioues commemorat, vt diximus sup. ad cap. 19. v. 35. quorum tertius fit ille Cretensis filius Saturni. Qui bonas horas malè vult collocare, videat an huius filij fingantur isti Castores. Sequitur.

VERS. 12. Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo.

FVIT nobilissima ciuitas Syracusa, non solum inter vrbes Siciliæ, sed & totius Græciæ, encomiaste M. Tullio, 4. in Verrem: habens longit. gradus 39. cum medio. latit. 37. apud Ptolemæum in tab. 7. Europæ. Fuit patria & locus martyrij sanctissimæ Luciæ virginis. *Mansimus ibi triduo.* Non otiosi, sed quæ solebamus facientes ad conuersionem infidelium, & fidelium confirmationem atque consolationem,

VERS. 13. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium:

IN eadem tab. 7. Europæ apud Ptolemæum, hæc ciuitas habet gradus longit. 40. latit. autem 38. ac paulo amplius. Verum nomen huius oppidi est Rhegyum, (licet ne græcè quidem ita nunc scribatur) & habet istud nomen

παρὰ

παρὰ τὸ ῥήγνυμι, quod est frangere, quod veluti defractum sit à Sicilia, quando mare perfringens aggeres auulsit Siciliam à reliqua Italia. ex quo tempore hoc oppidum annumeratur Calabriæ; quum antea videatur fuisse attributum Siciliæ, cuius oppidum nonnulli veteres id vocant. Quibus expositis, facile intelligitur illud S. Lucæ, *Inde circumlegentes*, Sensus enim est, Ex Syracusis circumnauigauimus residuum orientalis plagæ ipsius Siciliæ, & in littus oppositum exeuntes venimus Rhegium Calabriæ oppidum in Italia.

Et *post vnum diem flante Austro, secunda die venimus Puteolos.* Hæc est ciuitas maritima Campaniæ, in Italia; habens gradus longit. fermè 40. & latitud. 41. in tab. 6. Europæ apud Ptolemæum. Nomen habet à multitudine puteorum. Antea fuit vocata Dicæarchia, quod eximia quadam iustitia à suis gubernatoribus regeretur. Sequitur.

Vers. 14. Vbi inuentis fratribus, rogati sumus manere apud eos dies septem; & sic venimus Romam.

Inventis *fratribus*,] satis appatet fuisse tunc Puteolis magnum numerum Christianorum, vtpote qui tantam multitudinem vectorum septem diebus suo sumptu videantur sustentasse. Nam, nisi hoc fecerint; incommodauerunt alijs vectoribus, retinendo illic Apostolum Paulum, & socios eius, dies septem. Non est autem dubitandum quin illi hoc ab Apostolo petiuerint spiritualis ædificationis gratia, nempe vt in fide confirmarentur, vt plenius instituerentur, vt spirituales exhortationes aciperent, vt pias consolationes, & similia.

Sed vnde iam tum tantus numerus Christianorum Puteolis? Paulus Apostolus ante hoc tempus Italiam non viderat; tantummodo epistolam vnam scripserat Romanis nuper (quum esset Corinthi, Act. 20. v. 2. Rom. 16. v. 1. & 23. 1. Cor. 1. v. 14.) Vnde igitur tantus numerus Christianorum Puteolis, ciuitate Campaniæ? Dicendum est, ante hoc tempus S. Apostolum Petrum Romam venisse, facile 14 aut 15. annis; à quo, & ab eius discipulis per eum quaquauersus in occidentales prouincias missis, longè lateque fides Christi iam diffusa erat, quum Romam venit Paulus Apostolus. Potest videri Baronius anno Christi 44. §. 51. & sequent. Addit S. Lucas,

Et *sic venimus Romam.*] Longa via est ex Puteolis Romam, & propterea S. Lucas, postquam prolepsi quadam dixit, *venimus Romam*; v. proximo veluti retrocedit. & per quæ loca Romam venerint, exponit. Ex quo proximo versu, apparet, hoc ex Puteolis iter Romam vsque fuisse confectum terra, saltem ab Apostolo & socijs eius, permittente Centurione. Mediterranea enim erant loca illa quæ hic nominantur, Appijforum, & Tres tabernæ. Id quod ex Horatio diuersi expositores hoc loco docent, qui suum è Roma iter Brundusium vsque describit lib. 1. sermonum Satyra 5. his verbis vtens in principio:

Egressum magnâ me excepit Aritia Roma
Hospitio modico; rhetor comes Heliodorus
Græcorum longè doctissimus: inde forum Appi.

Sequitur.

Vers.

VERS. 15. Et inde, cum audissent fratres, occurrerunt nobis vsque ad Appij forum ac Tres tabernas.

ET *inde*] nimirum ex vrbe Roma, cuius facta est mentio v. præced. *Cum audissent fratres*, Paulum Apostolum scilicet & nos eius comites, esse in itinere, venientes Romam: *Occurrerunt nobis*, pietatis & honoris causa, *Vsque ad Appij forum ac Tres tabernas.* In versibus Horatij videmus forum Appij commemorari tanquam locum longius Roma distantem, quam distaret Aritia. Ex M. autem Tullio, colligitur forum Appij longius aliquanto à Roma abfuisse quam Tres tabernas lib. 2. Epist. ad Atticum epist. 8. 9. 11. & 12. Quid loci tunc fuerit forum Appij; quid Tres tabernæ, obscurum est; nec multum refert scire tam exquisite. Satis est, *Forum Appij* fuisse municipium celebre in via Appia, quæ via ex vrbe Roma Capuam vsque (alij Brundusium vsque) erat lapidibus strata per multa milia passuum. Huius municipij nihil hodie extat. *Tres tabernæ* erant & ipsæ in via Appia, vt ex illa 11. Ciceronis epistola patet: hæ traduntur superesse; ac oppidum esse Velitris vicinum, cui nomen sit *Tres tabernæ*. Eius mentio est apud S. Greg. lib. 2. epist. 35. Indictionis decimæ; in emendata lectione: quam videmus repositam etiam in Iure canonico, 16. q. 1. Postquam. est cap. 49.

QVOS *cum vidisset Paulus; gratias agens Deo, accepit fiduciam. Gratias agens Deo*] De istorum fratrum firma fide Christi; de ipsius fidei intrepida professione, quam isti faciebant, etiam per istum longinquum occursum quo Paulo prodibant obuiam. *Accepit fiduciam.*] Videns & intelligens permultos esse Romæ constantes & feruentes christianos; de diuina bonitate confisus fuit magnum se illic profectum facturum in prædicatione Euangelij, id est fidei de Christo; tam quod attinebat ad conuertendos ibi plures tum Iudæos tum Gentiles, quam ad confirmandos in fide Christi eos qui iam erant conuersi. Quam feruente charitatis affectu Paulus Apostolus complexus fuerit Christianos Romanos, etiam antequam illos vidisset; facile potest intelligi ex ipsius ad Rom. epist. c. 1. v. 8. & aliquot sequent. c. 15. v. 23. & multis sequent. Sequitur,

VERS. 16. Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.

IBI græci codices interponunt quiddam, hoc modo; Cum autem venissemus Romam, *Centurio tradidit vinctos præfecto exercitus sed permissum est Paulo* &c. Chrysost. tamen neque in priore, neque in posteriore enarratione videtur illa verba in suo codice græco habuisse: & ex his quæ diximus ad v. 14. potest videri à S. Luca non fuisse hoc loco addita, si quis consideret. Nihil tamen affirmatè dicendum est de adiectione *Manere sibimet,*] *Manere per seipsum*, Id est, vspiam degere extra reliquos vinctos, in domo quapiam quam conduceret; vt dicitur infra v. 30 *sed cum milite vno qui ipsum custodiret*, vinctum scilicet perpetuo: vt ipse in suis epistolis sæpè profitetur, & res ipsa loquitur; alioqui non ab vnico milite custodiendus. Sequitur,

VERS.

VERS. 17. Post tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum.)

FACIT hoc post triduum à suo aduentu, quoniam omnibus de rebus volebat esse edoctus, ad ipsum & ad Iudæos Romæ degentes, eorumque primarios, pertinentibus; antequam cum illis agere inciperet. Deinde, oportuit eum deligere hospitium, quod conduceret, & in quo vinctus maneret, cum milite suo custode: ideoque antequam domicilium certo loco constituisset, non poterat cœtum Iudaicorum primorum ad se vocare, neque ipse eos poterat adire vinctus. Rebus igitur opportune paratis, post diem tertium, ad se curauit vocari primos Iudęorum Romę tunc agentium: anno tertio potius quam secundo Neronis Imperatoris, vt doceri potest ex c. 24. v. vlt. & ibi notatis.

CVMQVE *conuenissent, dicebat eis; Ego, viri fratres, nihil aduersus plebem faciens, aut morem paternum; vinctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum.*] *Nihil aduersus plebem faciens aut morem paternum,*] Hæc nota sunt ex cap. 21. vers. 28. vbi Iudæi Asiatici hanc calumniam Apostolo impingunt: quam deinde diluit concione ad populum Iudaicum cap. 22. & postea coram Concilio Iudaico, cap. 23. Deinde coram Præside Felice, cap. 24. v. 10. & sequent. Tum coram successore Præside Festo cap. 25. v. 8. & sequent. Denique cap. 26.

QVOD hîc dicitur, *Vinctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum*; id conferre oportet cum eo quod est cap. 23. vbi narratur quod Lysias Tribunus Paulum vinctum ex Ierosolymis miserit Cæsaream ad Felicem Iudeæ Præsidem; vbi vinctus relictus est vsque dum per successorem Felicis Festum missus est Romam ad Cæsarem. Addit hic Paulus, loquens de Romanis in Iudæa gubernationi præfectis,

VERS. 18. Qui cum interrogationem de me habuissent; voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me.

CVM *interrogationem de me habuissent.*] Quum me examinassent, quum causam meam dijudicassent me audito: *Voluerunt me dimittere eo quod nulla esset causa mortis in me.* Hæc nota sunt ex c. 23. 24. 25. 26. vbi refertur Paulum iudicatum fuisse innocentem à Tribuno Lysia, à Præsidibus Felice & Festo, imo & à Rege Agrippa. & tamen non fuit liberatus Paulus; importunitate & authoritate Iudaicorum procerum, apud Præsides eius dimissionem impedientium; dantium nimirum operam vt prętextu accuratioris examinis Ierosolymis instituendi, Paulus illuc ex Cæsarea mitteretur, & in itinere per insidias occideretur. Nam hoc fuisse illis in animo, dictum est c. 25. v. 3. Quam technam cognoscens Paulus, appellauit ad Cæsarem; ne Præses sua authoritate posset eum constringere vt petentibus Iudæis ascenderet Ierosolymam. eiusdem cap. 25. v. 9. 10. & sequent. Et hoc est quod nunc attexit in hac sua ad primores istos Iudæos Romæ degentes, sermocinatione; inquiens;

VERS. 19. Contradicentibus autem Iudæis,)

IVDÆIS Ierosolymitanis, mei dimmissioni per Romanos faciendæ, *contradicentibus*, vt exactiorem causæ meæ discussionem flagitantibus, & quidem faciendam Ierosolymis; id quod tali artificio faciebant talique fine quem proxime diximus.

COACTVS *sum appellare Cæsarem; non quasi gentem meam habens aliquid accusare.*] Duos scrupulos qui animis istorum Iudæorum suboriri poterant, his verbis auertit Apostolus: Vnum, quatenus dicit se non venisse Romam ad accusandum eos qui Ierosolymis sibi fecerant iniurias, Iudęi natione. Sui nimirum defendendi causa huc venisse, non quempiam impetendi, & de iniurijs iudicio expostulandi. Nimirum viri sancti sese defendere soliti sunt vbi Dei honor vel proximorum salus ita requirit: alios impetere, alijs periculum creare, non solét; nisi maxima causa subsit. nam hac etiam ex causa, talia vitant, quod difficile sit suum ius litibus persequi & retinere illæsam charitatem Dei & proximi. Alterum item scrupulum auertit, qui inde poterat nasci quod viderent Paulum Romam mitti vinctum, velut vnum quempiam ex grege maleficorum. Significat nimirum sese huc mitti captiuum, non quod reus à Romanis iudicatus esset; quum illi non semel innocentiam eius declarassent, vt iam dictum est ad v. 17. & 18. sed propter honorem Cæsaris, ad cuius cognitionem appellauerat; ac propterea in vinculis manere debebat vsque dum in Romano Cæsaris Tribunali, eius causa esset iudicata; cum præsertim causa illa esset criminalis. Valebat & hoc ad istum scrupulum auertendum, quod hi Iudæi Romani videbant Paulum etsi captiuum, in honesta tamen custodia retineri, non in carcere criminosorum. Addit Apostolus,

VERS. 20. Propter hanc igitur causam rogaui vos videre & alloqui.

VT ex me sciretis rationem aduentus mei; simulque me non habere in animo agere iniuriarum meos contribules, tametsi grauia ab illis passum immerito: sed à Deo præmium patientiæ meæ expectare.

PROPTER *spem enim Israel catena hac circundatus sum.*] Hoc est, Quod patior temporalium persequutionum, id patior quia prædico resurrectionem mortuorum, quam veri Israelitæ sperant & expectant. Mortuorum autem resurrectionem prædicare non possum, nisi fundamenti loco ponam resurrectionem Christi, qui est primogenitus ex mortuis: ita vt si negetur Christi resurrectio, vniuersa mortuorum resurrectio neganda sit. Quare qui Iesu Nazareni resurrectionem gloriosam tertio die factam, non concedit: resurrectionem mortuorum reuera non credit, licet sibi videatur credere. Cum hoc loco conferendum est cap. 23 vers. 6. cap. 24. v. 15. 21. cap. 26. v. 6. 7. 8. & 1. Corinth. 15. vers. 11. & aliquot sequent. Vnde patet quod in his Apostoli verbis est tacita insinuatio fidei Christianæ, quam is faciat his Iudæis, tametsi Christum nondum agnoscentibus, vt facilè intelligitur ex vers. 22.

VERS. 21. At illi dixerunt ad eum, Nos neque literas accepimus de te à Iudæa; neque adueniens aliquis fratrum nunciauit aut locutus est quid de te malum.

CREDERE licet perfidos Iudęos agentes Ierosolymæ ad Iudęos infideles Romæ agentes, huculque nil contra Paulum scripsisse, eo quòd ignorarent quonam deuenisset ipse & reliqui vectores: qui nauem Adrumetinam ascenderant Cæsareæ (cap.27 v.2.) deinde Myræ in Lycia fuerant transpositi in nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam; vers. 5. & 6. postea naue illa amissa in mari, enatauerant in Mélitam; eiusdem cap. fine; denique in aliam nauem transpositi (huius cap. v.11.) tandem per longa maris spatia, venerant Puteolos, ac inde Romam. Addunt isti infideles Iudęorum primores ad Paulum,

VERS. 22. Rogamus autem à te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis quia (quod) vbique ei contradicitur.

MIRVM videri posset istos Iudæos quærere nunc ex Paulo Apostolo quid ipse de noua ista doctrina sentiret, quæ tunc per orbem spargebatur de Iesu Nazareno quod ipse est Christus, cum sententiam suam Paulus super ea te fusè ac planè explicuerit in Epistola ad Rom. quæ vtique aliquanto ante hoc tempus ijs scripta fuit, vt diximus ad v. 14. Sed nimirum ex huius loci narratione possumus colligere, istos infideles Iudæos nihil eo adhuc tempore sciuisse de epistola Pauli ad Romanos scripta, aut certe non sciuisse quid illa contineret. Nempe presbyteri ecclesiæ Romanæ, qui epistolam acceperant & in conuentu fidelium legerant, eam tenebant in deposito; nec ab infidelibus audiri vel conspici sinebant.

ERGO isti infideles Iudæi, apud quos nomen saltem Pauli inclaruerat, tanquam viri docti & sapientis; quum nunc eius præsentia gauderent, statim ei quæstionem illam de Religione proponunt; quæ quæstio tunc vbique agitabatur, tam à Iudæis incredulis, quibus Christus crucifixus scandalum est; quam à gentibus, quibus idem ipse stultitia est. 1. Corint. 1. Fortassis autem, quoniam sciebant Paulum quondam acerrimum fuisse persequutorem eorum qui profiterentur Iesum Nazarenum esse Christum: Isti primarij Iudæorum (nam primarios ab eo fuisse vocatos, dictum est v. 17.) sperabant sese sua partim eruditione quam sibi opinabantur adesse, partim authoritate, posse Paulum retrahere in Iudaismum & Christianismi abnegationem. & huic rei veluti viam sternunt, addentes;

NAM *de secta hac notum est nobis quod vbique ei contradicitur. De secta hac*] g. est *αἱρέσεως*: sed ad cap. 24. v. 14. & c. 26. v. 5. dictum & probatum est, vtrumque vocabulum esse medium originaria significatione, tam latinum quam grecum.

Quare etsi sint aduersarij Christianæ religionis qui hęc loquuntur;nihil tamen obstat quo minus hic sumatur indistinctè, abstrahendo à vero & falso; quasi dictum esset, *de ista doctrina*, qua nimirum docetur Iesus Nazarenus esse Messias, nec alium Messiam expectandum. *De hac doctrina* dicunt isti, sibi esse notum quod vbique contradictionem patiatur. Dissimulant (ait Chrysost. in iterata expositione) quod vbique multi etiam sint qui eam amplectantur. Sed his verbis isti suum de ea iudicium insinuant, scilicet non esse veram, ideoque indignam recipi: Videnturque tacitè Paulum Apostolum notare, qui honorem sibi passus sit exhiberi à Christianis occurrentibus extra vrbem vsque ad Tres tabernas & Appij forum; vt dictum est vers. 15. huius cap.

SED isti primores Iudæorum, qui quotidie legebant veteris testamenti scripturas, legem scilicet, Psalmos, & Prophetas; turpiter hic errabant, quod istam doctrinam falsam credebant ob id quod multi ei contradicerent. Hoc ipsum enim prophetæ prædixerant; doctrinam scilicet, ipsius Christi viua voce traditam, passuram oppositionem à multis: quanto magis doctrinam de Iesu Christo per eius discipulos quaquauersum dispersam? Quid enim S. senex Simeon, quando infantem Iesum oblatum in templo brachijs suis complexus est; quid dixit de eo Virgini Matri? Ecce, *positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel; & in signum* (σημεῖον) *cui contradicetur* (id est, contradictioni expositum) *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Et Isaias propheta cap. 53. v. 1. præuidens in spiritu hanc futuram isti doctrinæ salutis oppositionem; admirabundus & querulus Deum alloquitur; *Domine quis credidit auditui nostro?* Id est, sermoni Euangelico nostro? *& brachium Domini cui reuelatum est?* Quem sanctissimi Prophetæ locum, ad istud propositum allegauit S. Ioannes Apostolus Euangelij cap. 12. vers. 38. & Paulus Apostolus Rom. 10. v. 16. quo eodem cap. in fine, Apostolus ex alio Isaiæ loco cap. videlicet 65. v. 2. in Israelem istud adducit; *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.*

SATIS autem certum est, istos, dum dicunt huic doctrinæ vbique contradici; intelligere oppositiones suas, id est quæ fiebant ab Israelitis: nam nullo colore voluissent aut potuissent Iudæi isti Christianæ doctrinæ obijcere contradictiones quæ fiebant ab ethnicis, Idolorum, ideoque plurium & falsorum Deorum cultoribus. Isti igitur Iudæi, per id quod hic dicunt; sese ipsos condemnant; & prophetarum vaticinia de his qui Christum essent reiecturi, in seipsis compleri fatentur, mali & miseri.

Ex his manifestum quidem est, non ideo doctrinam quampiam esse falsam quia ei contradicitur: sed tamen si alicui doctrinæ contradicitur legitima authoritate, ea merito debet haberi falsa, aut saltem de falsitate suspecta. Si igitur Ecclesia Christi, aut summus eius Pontifex ex Cathedra B. Petri loquens, doctrinæ cuipiam antea inauditæ, contradicat: est ab ea abstinendum, neque illi quispiam potest acquiescere. Nimirum, in eo casu oportet obedire præceptis Domini quæ extant Deut. 13. toto. Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et quæ alibi leguntur similia; vt Roman. 16. v. 17. 18. 1. Timoth. 6. vers. 20. 21. 2. Timoth. 1. vers. 13. 14. c. 3. vers. 14. Ioan. epist. 2. vers. 10. 11. Sequitur,

VERS.

VERS. 23. Cum constituissent autem illi diem;

HINC patet quid primotibus istis Iudæorum Romæ degentibus Apostolus responderit ad proximè propositam petitionem; nempe se ad ipsos venire non posse, vt captiuum: ideo ipsorum esse constituere diem sibi commodum quo ad hospitium captiui venire queant, & ex illo audire quid ipse de secta ista (quam dicebant) sentiat. Ergo die quam delegerant *Venerunt ad eum in hospitium plurimi:*] Versu 17. dictum fuit quod Paulus post tertium ab aduentu suo diem vocauerit ad se primos Iudæorum tunc Romæ agentium: nunc autem non soli primores, sed multi etiam alij ad eum veniunt, tanquam ad virum sapientiæ laude clarum, audituri quid ipse de tunc vbique surgente Christianismo, id est de fide ac doctrina Iesum Nazarenum esse Messiam Dei Patris, sentiret. Sequitur.

QVIBVS *exponebat, testificans Regnum Dei. Exponebat*] nempe quod petiuerant, quidnam scilicet ipse sentiret de fide Iesu Nazareni. Hoc verò ijs exponebat, *testificans Regnum Dei,* id est, etiam atque etiam inculcans & contestans iam adesse regnum Dei quod expectabatur; spirituale illud nimirum, ac toto orbe diffusum regnum, quo Deus regnat in cordibus hominum, permouendo eos ad fidem salutarem, ad pœnitentiam & vitæ mutationem; & regali sua potestate remittendo peccata verè pœnitentibus, non tantum Iudæis, sed etiam gentilibus. Eodem modo intelligitur *Regnum Dei,* v. vlt. huius cap. & alibi in libris noui testamenti non raro. id quod magis etiam explicatur per ea quæ adiunguntur hoc loco,

SVADENSQVE *eis de Iesu, ex lege Moysi, & prophetis;*] *Suadensque eis de Iesu.* In originali paulo plus dicitur, addito articulo, *suadensque eis illa quæ sunt de Iesu;* nempe ipsum esse Messiam Dei patris, quem nouæ suæ Ecclesiæ fecerit vniuersalem Regem, eumque spiritualem: nec esse expectandum alium Messiam, qui temporali pompa & potentia regnum exerceat, qualem carnales Iudæi suum Messiam sibi depingunt.

IESVM Nazarenum esse Messiam, Paulus *probabat ex libris Moysis;* siue quatenus vaticinium aliquod de Christo ij continent, siue quatenus figuras quasdam, quibus Christus, quæque is fecit & passus est, præfigurabantur. Probabat item *ex aliorum prophetarum vaticinijs* de Christo prolatis: quæ omnia in hoc Iesu Nazareno fuisse completa, Paulus per singula demonstrabat; ita vt à nemine qui vere crederet prophetis, posset dubitari, hunc esse Messiam qui expectabatur, nec alium venturum: sicut supra ad Regem Agrippam idem Paulus sermocinabatur, cap. 26 vers. 22 & sequent. & sicut statim initio epist. ad Roman. & ad Hebr. Itaque Apostolus probabat hunc Iesum quem ipse prædicabat, esse illum Christum à Deo promissum in lege & prophetis; & huic negotio totos dies incumbebat,

A mane vsque ad vesperam Non videtur esse sermo præcisè de mane & vespera illius diei qui designabatur initio huius v. 23. sed plurium etiam dierum, quos totos Paulus insumpserit in docendo Iudæos ad se venientes, ex scripturis veteris testamenti ostendendo quod Iesus Nazarenus sit saluator mundi à Deo

 patre

patre missus humano generi; ideoque fidem in ipsum esse amplectendam omnibus qui salui esse velint. Vnico die non poterat tanta Iudæorum multitudo de omnibus his scripturis Paulum in suo hospitio audire disserentem. Quo autem effectu hunc laborem & solicitudinem Paulus subierit, addit S. Lucas:

VERS. 24. Et quidam credebant his quæ dicebantur; quidam verò non credebant.

DEO nimirum sic discriminante eos qui cæteris in rebus similes sunt, vt quibusdam per gratuitam suam benignitatem inspiret donum fidei, ipsorum animos efficaciter mouendo vt veritati annunciatæ firmiter credant tanquam diuinitus reuelatæ; alios verò sibi relinquat, & veritati annunciatæ permittat dissentire, imo & resistere. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo:* ait ipse Saluator Ioan. 6. v. 44. & 66. & huc allegari possunt omnes scripturæ quibus docetur fidem esse speciale Dei donum. Sequitur,

VERS. 25. Cumque inuicem non essent consentientes; discedebant, dicente Paulo vnum verbum, Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros.

CVM *inuicem non essent consentientes; discedebant*] nimirum à se mutuo. nam quod à Paulo discesserint, dicitur postea v. 29. Ex quibus verbis intelligimus quod qui Iudæi ad Pauli prædicationem erant conuersi ad fidem Christi, eam palam & strenue profitebantur aduersus contribules suos in infidelitate permanentes; ita vt alteri ab alteris discederent; *Dicente Paulo vnum verbum;*] Directè quidem hoc verbum dixit Paulus (vt obseruat Chrysost.) in reprehensionem incredulorum istorum Iudæorum; indirectè autem, ad cōfirmationem & consolationem eorum, ex eadem gente, qui crediderant prædicationi Pauli de Iesu quod ipse est Christus; & qui eam ob causam contumelias & irrisiones patiebantur à suis contribulibus. Quodnam autem erat illud vnum Pauli verbum? *Bene Spiritus sanctus loquutus est per Isaiam prophetam ad Patres nostros; dicens: Bene*] καλῶς, appositè, rectè, verè, q. d. Iste renisus quo hi increduli Iudæi obsistunt fidei de Iesu quod sit Christus, verificat illam veterem Spiritus sancti prædictionem, quam is per Isaiam prophetam loquutus est ad patres nostros, dicens &c. Vult dicere Paulus; Ipsa experientia nos docet, verè Spiritum sanctum quondam per Isaiam prophetam prædixisse de populo Iudaico, seu magna illius populi parte, hæc:

VERS. 26. Vade ad populum istum, & dic ad eos;

VERSV hoc 26. & sequente 27. sunt verba quæ Apostolus ex Isaiæ cap. 6. v. 9. & 10. allegat; quæ eadem à Saluatore citantur Matth. 13. v. 14. 15.

14. 15. & à S. Ioanne euangelista cap. 12. vers. 39. 40. Quibus in locis hoc est obseruandum, quod in ipso Isaia, ea quæ hic sunt, tribuuntur prophetæ; dicendo, Excęca &c. & eadem ratione dici possunt cuiuis simili prædicatori; qualis erat Paulus: qui prædicator ista facit, tanquam præbens occasionem: Deo autem eadem tribuuntur à Ioanne Euang. tāquam per iustum suum iudicium deserenti eos in quos ista cadunt: illis ipsis autem videntur hic tribui, tanquam libero suo arbitrio resistentibus veritati salutari, & aduersus diuinam gratiam impedimenta ponentibus. Allegantur autem hæc ex Isaia verba, iuxta interpretationem 70 ad verbum, (quæ vix differt à verbis hebraicis); siue id factum sit per ipsum Apostolum Iudæis istis loquentem, siue per S. Lucam Apostoli factum referentem. Bene hoc monuit Liranus.

AVRE *audietis, & non intelligetis;* In prioribus verbis est conduplicatio hebræis vsitata, quando certitudinem, væhementiam, aut quid simile significare volunt: vt sensus sit, *Certissimè audietis verbum Euangel-j de Christo; & tamen non intelligetis,* id est, non admittetis in animum, non assentiemini, non credetis. Nisi autem credideritis, non intelligetis: vt est Isaiæ 7. v. 9. iuxta 70. Ita accipienda est & sequens sententia,

ET *videntes videbitis, & non perspicietis.*] Hoc est, manifestè *etiam corporalibus oculis videbitis* Messiam inter vos conuersantem, & miracula maxima patrantem, ad demonstrandum sese esse eum qui est, Christum Dei Patris; videbitis item miracula similia per discipulos eius in ipsius nomine fieri, ad fidem de ipso astruendam: *& tamen non perspicietis* veram esse doctrinam, quam ipse & eius discipuli eo iubente vobis annunciabunt & tantis miraculis confirmabunt; sed pro fabulis, & pro falsa eam habebitis, eique pro viribus resistetis. Quæ causa? Additur,

VERS. 27. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.

SVMMA horum verborum; Quia decretum Dei est, eos, in pœnam suorum peccatorum, relinquere in sua corruptela & prauitate. *Incrassatum est cor populi huius,* In Isaiæ nostra versione latina, pro *incrassatione* legitur *excæcatio* cordis, sensu eodem & clariore. Iudæi isti resistentes prædicationi veritatis, suaipsorum corda veluti incrassabant, obtundebant, excæcabant, dum prædicationi illi non solum non acquiescerent, sed magnum studium ponerent in excogitandis argumentis aduersus eam; vt faciunt etiam hęretici. Tales enim homines sibijpsis opponunt argumenta vndique conquisita, quibus impediatur cognitio veritatis: ita se gerunt quasi timeant sanari animo, fugiunt vincula veritatis.

AVRIBVS *grauiter audierunt.*] Aures mentis suæ velut pondere superposito obturauerūt, ne audirent, id est, acciperent animo, veritatem, quam corporalibus auribus accipiebant. *Oculos suos compresserunt*] oculos mentis velut clauserunt, ne

ne conspicerent mente quæ corporalibus oculis penè intuebantur. Ita partes priores istius versus videntur intelligendæ, propter subsequentem huius versus redditionem, in qua manifestum est de oculis, auribus & corde spiritualibus esse sermonem. S. Ioan. dicto c. 12. Euangelij, ait de talibus Iudæis quod non *poterant credere*; & verum sine dubio est quod ait Euangelista: sed sensu composito, quem ipse intelligit; nimirum non poterant credere, stante Dei decreto quo constituerat tales in sua malitia sibi relinquere, nec gratiæ suæ remedijs eorum animos præuenire.

CVR igitur non merebantur excusari de sua incredulitate? Quia libero suo arbitrio per peccata ponebant impedimentum diuinæ gratiæ qua ad fidem conuerterentur. Vnde hic expressè dicitur, *Oculos suos compresserunt*. Ne putemus hæc, (ait v. Beda) naturæ esse, non voluntatis; subiungit culpam arbitrij, & dicit, *Oculos suos compresserunt ne forte videant oculis*. Certè talem quæstionem sibi proposuit, & diluit Apostolus Rom. 9. v. 19. & sequen. Conferenda sunt quæ idem habet c. 1. vers. 18. vsque ad finem, & toto cap. 2. Videatur & S. Aug. Epist. 105 vbi prolixè hoc discutit; & de natura & gratia cap. 8. & 9. videatur & B. Tho. 1. sec. q. 109. art. 8. ad 1. & breuiter 2. sec. q. 68. art. 1. ad 1 & contra Gentes 3. cap. 159. quorum locorum vltimo ita est, Considerandum est quod licet aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam nec promereri nec aduocare possit: potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat. Pergit Apostolus.

VERS. 28. Notum ergo sit vobis quoniam (quod) Gentibus missum est hoc salutare Dei; & ipsi audient.

VOBIS scilicet recusantibus recipere fidem de Iesu quod ipse est Messias; quibus ipse, iuxta Dei promissionem, primum missus est: ea occasione Deus verbum salutis; id est doctrinam hanc salutarem, mittit ad Gentiles, huc vsque idololatras; &, per eius gratiam corda conuertentem, credent doctrinæ huic, & fient christiani. Nam & hoc Deus prædixerat, scilicet per Messiam quum aduenisset, etiam gentiles conuertendos ad ipsius fidem & salutem. Loca veterum prophetarum indicauimus nonnulla ab Apostolo recitata, sup. ad cap. 22. v. 15. Est locus vnus qui instar omnium esse potest, Isaiæ 49. v. 6. quem idem hic Apostolus allegauit alijs incredulis Iudæis, sup. cap. 13. vers. 46. 47. Sequitur,

VERS. 29. Et cum hæc dixisset; exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se quæstionem.

SATIS mirum videtur hunc versum in nonnullis vetustis codicibus quos vidit Desiderius, non reperiri; vt neque in interpretatione Syriaca: quum græci codices veteres omnes quos vidit Robertus, & latini meliores, etiam vetusti, constanter habeant, sicut & textus additus commentario Chrysost. atque Oecum. Nimirum v. 24. dictum fuit quosdam Iudæorum qui Paulum audierant,

rant, credidisse Euangelio, quosdam non credidisse; fuisseque hos ab illis discordes, ita vt alteri ab alteris discederent; nunc dicitur vtrosque à Paulo discessisse, verisimiliter nocte imponente finem sermoni Pauli, qui totum diem durauerat, vt dicebatur vers. 23. Et ab eo discedentes, multam inter se quæstionem seu disquisitionem habuisse. Nec dubium est, illos qui crediderant, sæpius postea ad Paulum fuisse reuersos: quin & multos eorum qui tunc nondum crediderant, ac ex ijs multos fuisse ad fidem Christi postea conuersos. Consentaneum videlicet hoc est ijs quæ hîc sequuntur.

VERS. 30. Mansit autem biennio toto in suo conducto;

HOC est in hospitio quod conduxerat; in quo tenebatur captiuus, vinctus catena cuius ipse sæpiusculè meminit in epistolis suis; & perpetuò, ab vno saltem milite, custoditus, vt dicebatur vers. huius cap. 16. nec enim priore hac captiuitate sua fuit Paulus coniectus in carcerem publicum, sed, (vt semel iterumque dictum) habebatur in libera custodia. Vnde fuit ei facultas & libertas eius faciendi quod hîc S. Lucas attexit; *Et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum: Omnes*, scilicet & Iudæos & gentiles; nec minus hos quam illos; vt ex epistola ipsius ad Philipp. doceri potest cap. 4. vers. 22. *Suscipiebat*, comiter & humaniter admittebat omnes qui ipsius audiendi causa eum visebant. Quid autem eos docebat?

VERS. 31. Prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Iesu Christo,

PRÆDICABAT Paulus Apostolus *regnum Dei*, aduersus idololatriam; ethnicos nimirum vocans ad cultum vnici veri Dei, qui solus est Rex Regum & Dominus dominorum. *Docebat ea quæ sunt de Domino Iesu Christo*, Iudæos; qui etsi vnicum verum Deum colebant, ignorabant tamen Messiam à Deo Patre iam missum, expectantes adhuc venturum. *Eadem de Domino Iesu quod ipse est Christus*, docebat gentiles ab idololatria conuersos: quoniam sine fide expressa mediatoris nulli datur salus post Euangelium promulgatum. Nec enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri, quam nomen Domini nostri Iesu Christi Nazareni. Act. 4. vers. 12. Conferantur dicta ad vers. 23. S. Thom. 2. sec. quæst. 2. art. 7. corp. fin. Et hæc faciebat Paulus,

CVM *omni fiducia, sine prohibitione.*] *Cum omni fiducia*, id est, cum omni libertate loquendi, intrepidè, fidenter. hæc enim significat græca vox sæpè alibi vsitata παῤῥησία.

SINE *prohibitione*] ἀκωλύτως. q. d. improhibitè. Sensus est, quod à Nerone Imperatore nullum ei obstaculum vel interdictum positum sit, quo impediretur à docenda religione Christiana: sicut idem Imperator in libera eum custodia tenuit, & omnibus tam Iudæis quam Gentilibus permittebat adire Paulum, eius docentis audiendi gratia; durauitque hæc omnis libertas ait S Lucas,


toto biennio. Post quod fuit è custodia dimissus ab eodem Imperatore ac plenæ libertati restitutus, vt iret quo vellet. Huius rei causa traditur illa, quod Nero primis quatuor aut quinque annis sui imperij, valde modestè ac clementer sese gessit, neque Christianis quicquam molestiæ intulit; Imperio scilicet nondum roborato, gratiam captans quarumuis nationum; & idcirco Pauli pro religione Christiana defensionem (cuius primæ ipse meminit 2. Timot. 4. vers. 16.) benignè facilèque admisit; ipsumque postea Paulum liberum fecit. Hæc habentur ex Euseb. hist. 2. cap. 21. aliàs 22. S. Hieronymo, Catal. in Paulo; & hos sequuto Vener. Beda Comment. in hunc locum.

Nec tamen putandum est Paulo Apostolo, nullas vel à Iudęis incredulis, vel ab ethnicis idololatris, difficultates motas fuisse, toto hoc biennio, contradictiones, tribulationes, & persecutiones: sed ij persecutores & aduersarij non potuerunt apud Imperatorem efficere vt Paulo prædicatione fidei Christianæ interdiceretur, quod hic locus sacræ historiæ declarat.

De tribulationibus autem illis, discere possumus ex Philipp. 1. v. 12. 13. & seqq. Et ex 2. Tim. 4. v. 14. *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddat illi Dominus secundum opera eius: quem & tu deuita: valde enim restitit verbis nostris.* Quam posteriorem ad Timoth. (vt hac occasione id quoque dicamus) ab Apostolo fuisse scriptam breui postquam priore captiuitate Romam venerat, non autem (vt multi putauerunt) captiuitate posteriore, iam instante martyrio: bonis argumentis probat Card. Baron. Tom. 1. Annal. anno Christi 59. §. 10. cum sequent. & ei subscribit G. Estius in argumento illius posterioris epistolæ; ac quæ in alteram partem proferuntur argumenta, operosè dissoluit Comment. in illius epist. cap. 4 v. 6. 7. 8. & quibusdam sequentibus. Ita vt hæc epistola missa sit prioris captiuitatis initio, vna cum epistola ad Ephesios; aliquanto tempore ante eas quæ ad Philippenses, Coloss. & Philemonem; vt dictis locis bene probatur à Baronio & Estio.

Si quis quærat, postquam ex priore hac captiuitate Paulus Apostolus dimissus fuit, quanto deinceps tempore Euangelium inter gentes prædicauerit, vsque ad suum martyrium: facilis est responsio de nouem aut decem annis. Nam sancti Apostoli Petrus & Paulus passi sunt anno Christi 69. Neronis 13. vt est videre apud Baronium statim in principio illius anni Christi 69. Atque hæc hactenus.

Deo omnis gloria; à quo, & cuius, sunt bona omnia.



FINIS.

INDEX RERVM

MEMORABILIVM.

A.

Angelos

Argu-

B. Bar-

Cerinthi

Claudi

D.

Dæmon,

Dissensio

E.

Electio

Euan-

Gloria,

Ieiunium

Iudicia,

M.

V. Maria,

N.

B. Paulum

B. Petrus,

Romanos

Sortem

FINIS.



1-6-3